
32
1 H
17





SACRÆ ANTIQUITATIS MONUMENTA

HISTORICA, DOGMATICA, DIPLOMATICA.

TOMUS I.

I. CONTINENS GERVASII ABBATIS PRÆMONSTRATI ET EPISCOPI SAGIENSIS EPISTOLAS.

II. ANTIQUITATES ARCHI-PRIORATUS HIREVALLENSIS.

III. ANTIQUITATES VALLIS-GALILEÆ, vulgò S. DEODATI.

IV. DIARIUM ET MEDULLA VOTORUM PATRUM CONCILII TRIDENTINI, AUTORE N. PSALMÆO ABBATE SANCTI PAULI ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS ET EPISCOPO VIRDUNENSI.

V. ELUCIDATIONES NONNULLORUM LOCORUM SACRI CONCILII TRIDENTINI A S. R. E. CARDINALIBUS DICTI CONCILII INTERPRETIBUS, COLLECTORE NIC. PSALMÆO.

VI. CHRONICA B. EMONIS ET MENCONIS, ABBATUM WERUMENSIUM, SIVE FLORIDI-HORTI, ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS IN FRISIA.

NOTIS ILLUSTRATA

A R. P. ac Domino

CAROLO LUDOVICO HUGO,
Abbate Stivagii, & Fontis-Andreæ Doctore Theologo,

SUÆ CELSITUDINI REGIÆ
A Consiliis & Historiis, Tractûs Stivagiensis Prælato Ordinario &c.



Opus Impressum *STIVAGII* in *LOTHARINGIA*,
Et venale
OFFENBACI ad *MOENUM*,
Apud JOH. LUDOVICUM KÖNIG, Bibliopolam,
Nundinis FRANCOFURTI & LIPSIÆ tam Paschatos quam Michaelides
M D CC XXXII.



SACRÆ ANTIQUITATIS MONUMENTA HISTORICA, DOGMATICA, DIPLOMATICA.

TOMUS I.

I. CONTINENS GERVASII ABBATIS PRÆMONSTRATI ET EPISCOPI SAGIENSIS EPISTOLAS.
II. ANTIQUITATES ARCHI-PRIORATUS HIREEVALLENSIS.
III. ANTIQUITATES VALLIS-GALILEÆ, vulgo S. DEODATI.
IV. DIARIUM ET MEDULLA VOTORUM PATRUM CONCILII TRIDENTINI, AUTORE N. PSALMÆO ABBATE SANCTI PAULI ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS ET EPISCOPO VIRDUNENSI.
V. ELUCIDATIONES NONNULLORUM LOCORUM SACRI CONCILII TRIDENTINI A S.R.E. CARDINALIBUS DICTI CONCILII INTERPRETIBUS, COLLECTORE NIC. PSALMÆO.
VI. CHRONICA B. EMONIS ET MENCONIS, ABBATUM WERUMENSIUM, SIVE FLORIDI-HORTI, ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS IN FRISIA,

NOTIS ILLUSTRATA

A R. P. ac Domino

CAROLO LUDOVICO HUGO,
Abbate Stivagii, & Fontis-Andreæ Doctore Theologo,
SUÆ CELSITUDINI REGIÆ
A Consiliis & Historiis, Tractûs Stivagiensis Prælato Ordinario &c.





STIVAGII,

Litteris JOANNIS MARTINI HELLER, Typographi & Bibliopolæ.
MDCCXXV.

Et veneunt

Stivagii, apud JOANNEM MARTINUM HELLER.
Nanceii, apud FRANCISCUM MIDON, Bibliopolam.
In Oppido S. Deodati, apud DOMINICUM BOUCHARD, Bibliopol.



ILLUSTRISSIMO CELSISSIMOQUE
SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPI

MARCO
DE
BEAUVAU-CRAON,
REGIÆ CELSITUDINI
A SANCTIORIBUS CONSILIIS, SUPREMO
LOTHARINGIÆ ARMIGERO, MARCHIONI D'HAROUÉ,
COMITI DE GOURNAY, BARONI DE TURQUESTAIN,
LIBERO DINASTÆ DE MÜLHAUSEN AD NEKRUM,
DOMINO DE BAZEMONT, TOMBLAINE,
JARVILLE &c.

PRINCEPS CELSISSIME,

Prima naſcentis Typographiæ noſtræ ſpecimina, Nomini Tuo devovemus, *PRINCEPS CELSISSIME*, Patronum in Te nacti & Judicem, qui artem promoveat, & nitentem ad arduâ ſcriptorem cenſoriâ dirigat benignitate. Utrique ſuſtinendo muneri parem Te fecit auctoritas quâ polles, varia quâ repletus es eruditio, ingenitus Tibi ergà litteratos amor, & in evolvendis veteris ævi monumentis ardor indefeſſus, quem liberali & Chriſtianâ educatione excultum non imminuit turbulenta Bellonæ exercitatio, non reſtinxit incumbens humeris publicarum, domeſticarum-ve rerum curâ ingens quâ diſtringeris; imò ut Patriæ & Principi natus, ſic Tibi per furtiva otia conſulens, avidiſſimam diſcendi cupidinem, aſſiduâ lectione exples, & animum melioribus imbuis diſciplinis.

Hinc Politices præceptis ornatum Principem, moribus suavissimis instructum, sermonis amœnissimi & docti leporibus feracem, in consiliis providum, expeditum in difficillimis, suspexit in Te Gallia, Germania laudavit, experitur in dies Lotharingia.

Constans hæc est Nominis Tui fama, *PRINCEPS CELSISSIME*, & major indè assurgit Tuæ laudis seges, quàm si ex proavorum imaginibus antiquissimis, aut ex Tui Sanguinis, cum Borbonio, priscâ conjunctione, ad seros Gallici throni hæredes fœliciter porrectâ, aut ex Heroum Gentis Tuæ stupendis belli facinoribus, laudabilem Te prædicavero. Aliena est quippe; licet paterna Tui generis inclyti, hæc gloria, quam vindicare sibi immerenti, usurpare est, quàm factis propriis non assequi, piaculum est nepotibus, degeneri vitâ, virtutis avitæ simulacra deturpantibus.

Refulgent in Te, *CELSISSIME PRINCEPS*, Majorum tuorum imagines, & virtutibus conjuncta Nobilitatis semina, redivivos in Te offerunt belli pacisque Heroes, generosum Te, generosæ stirpis surculum attestantes. Regale LEOPOLDI I. judicium, præjudicata est sententia. Quis enim argutos Ducis Regii oculos novit, qui tutam in probandâ hominum indole, sagacitatem illius non agnoverit, cui nec fucata virtus, nec larvata probitas possunt illudere. Dum Te igitur, *CELSISSIME PRINCEPS*, arcanorum LEOPOLDI conscium, benevolentiæ, amoris, gratiæ ejus effusè participem videmus, quis ambigât, id non esse cæcutientis dilectionis munus, sed exploratæ virtutis præmium.

Cæsaris calculo consecratus est LEOPOLDI sensus. Vix enim Tuo alloquio, Tuis consiliis fruitus est Imperator, cum ecce ingenii Tui perspicaciâ & morum suavitate delinitus, Collegio Principum Imperii, Te Principem ascribi voluit. Applausere proceres Cæsaris edicto, & Te novis redimitum honoris insignibus, ampliori dignum honore conclamarunt, si natalium attendatur dignitas, vel ingenio sua rependatur merces.

Quid mirum, *CELSISSIME PRINCEPS*, si tantam in Te reverentes meritorum sublimitatem, Te quoque deffensorem ambiamus. Exere ergò protectionis Tuæ dexteram, & accipe munusculum istud, in argumentum inveteratæ necessitudinis & venerationis intimæ quâ Tibi devinctus est

CELSISSIME PRINCEPS

CAROLUS LUDOVICUS HUGO;
Abbas Stivagii & Fontis-Andreæ
Sacræ Theologiæ Doctor.

PRÆFATIO
IN
EPISTOLAS GERVASII,
IN
HERCULANI HISTORIAM,
IN
NICOLAI PSALMÆI DIARIUM
CONCILII TRIDENTINI,
IN
CHRONICON EMONIS ET MENCONIS, ABBATUM FLORIDI-HORTI.

GERVASIUS, cujus Epistolas offerimus tibi, Benevole Lector, erat natione Anglus, origine Lincolniensis, sanguine clarus. Post decursum humanioris & politioris litteraturæ stadium, Parisios petiit, ut celeberrimæ Facultatis Theologicæ Magistros audiret & doctoralem adipisceretur lauream. Quantùm in Sacris litteris profecerit, vir à naturâ instructus ingenio perspicaci, testantur laudati à coevis Scriptoribus commentarii, quos in Prophetas minores, & in Psalmos edidit; Testantur homiliæ & conciones quas ad populum habuit, aut in consessibus Ordinis dixit è suggestu; quin & ipsæ Epistolæ, quas orbi litterato tradimus, hominem profundioris doctrinæ, in versandis Scripturæ, Patrum, Canonum-ve textibus sagacem, disciplinæ veteris indagatorem oculatissimum annuntiant. Lauream Theologiæ adeptus, Religionis statum ambiit, in quo se totum Deo & Sacris impenderet. Præmonstratensem Ordinem, magno pietatis odore tum fragrantem ingressus, in Abbatiâ Sti. Justi, Bellovacensis Diœcesis, schema Præmonstratanum induit. Votis de more nuncupatis, paulatim ad disciplinæ & sollicitudinis monasterialis partes à Balduino Abbate vocatus est. Morum & studiorum præfectus, juventutem candidam informavit præceptis regularibus, scientiis ornavit, & Bellovacensis Diœceseos quasi publicus Magister, extraneos perindè ac domesticos erudivit. I. *Epistola Gervasii.*

Ad Ordinis Præmonstratensis verticem promoto Petro S. Justi Abbate, & successore Balduini, in locum & dignitatem Abbatialem S. Justi omnium sublectus est suffragiis anno 1195. Gervasius. Proprio pastore quasi viduata Ecclesia Bellovacensis, suum Præsulem Philippum de Drocis, propinquitate Regiâ, sed magis militari arte inclitum, gemebat ereptum sibi, & Alemannicis & Anglicis alternatim vinculis, post fatales armorum conflictus succedaneâ captivitate constrictum; gemebant, & disciplinæ leges, prostrato capite vix enectæ, nec erat qui clerum, aut populum sui juris factum, monitis revocaret, terreret verbis, authoritate compesceret. Querulos clamores ad Celestinum III. detulit paucorum compatiens pietas, illos ingeminavit Gervasius, afflictæ Diœcesis, iniquius ferens mores dissolutos: statimque ad saniorum & meliorum vota, regundo clero, erudiendæ plebi deputatus est à Summo Pontifice Gervasius magister.

Immensos pro resarciendâ disciplinâ in clero, labores insumpsit, totus primorum temporum spirans fervorem Abbas. Inveteratam licentiam nullo

pridem arctatam timoris, aut religionis repagulo, in concionando tentavit infringere rationum momentis & censurarum pondere conquassavit. Sed ne in concreditâ sibi provinciâ, defuisse videretur, aut in eâ complacuisse suprà modum culparetur, mutatitii honoris haud cupidus, imò propriæ dignitatis impatiens Abbas, non cessavit Celestinum pulsare precibus, ut pro suâ benignitate, proscriptum præsulem, & à Richardo Anglorum Rege detentum, revocari procuraret ad ovile, luporum incursibus circumquaque „ patens. Moveatur, inquit, Vestra Beatitudo miserabili statu Ecclesiæ Belvacensis, nec rectorem habentis, qui eam gubernet, nec Ducem qui „ præeat, nec pastorem qui deffendat. Si Sanguinis Regii claritas, si captivitatis squallor diuturnus, ad compassionem non emolliunt cor Vestræ „ Sanctitatis, saltem non obturet aures vocibus incantantium, non dul- „ citer, sed lamentantium flebiliter ovium balatibus, & jugi oratione libertatem sui Episcopi implorantium. Sperant enim, speramus & nos, „ flagellis justitiæ Dei emendatum, tantò rediturum meliorem, quantò majori novimus tribulatione tentatum. Cæterùm imposito nobis oneri à „ Beatitudine Vestrâ, succumbunt impares humeri, turbat tenuitatem nostram, non tam laborum magnitudo, quàm operis & officii periculosa „ sublimitas. Quærat obsecro, Vestra Beatitudo, non obedientiorem, sed „ doctiorem administrum, ne fortè obedientiæ meæ obsequium vertatur „ in peccatum & in ruinam Ecclesiæ cedat.

Vita Gervas. Mss. Viconien.

Non acquievit Pontifex humili Abbatis supplicationi, imò auxit sollicitudinum pondus & in Ambianensis Diœceseos ardua negotia, jussit extendere providentiam suam, præesse Abbatum electionibus, lites intricatas dirimere, invigilare Canonum observationi, concordiæ dissidentium. Pro conciliandâ Monachorum Corbeiæ tumultuantium pace, & in Joannis eorum Abbatis electionem frementium, quam Pontificiâ authoritate moderatus fuerat, ut præses Gervasius, quantùm insudaverit, nunc ut mediator, aliquandò ut judex prolixum foret dicere. Rebelles in Vilipendium superioritatis insolenter arrectos domuit, & pro eâ quam à Celestino acceperat suprémi Judicis potestate, finali judicio domum scissam discordiis pacavit, revocavit ad unitatem.

Thenoliensis interim vacavit Abbatia, per obitum Goberti. De successore deligendo ancipites Canonicos flexit Petrus Abbas Præmonstrati, ut quem in San-Justo hæredem habuerat suæ dignitatis, laborum in Ordinis regimine, consortem haberet tantò utiliorem, quantò viciniorem sibi. Itaque in personam Gervasii fecit eligentium vota confluere, sicque omnium suffragiis postulatus est Thenolii Abbas anno 1199. Gervasius. Postulationi annuit Petrus, Pater Abbas à quo sors pendebat electionis, & gratulatoriâ Epistolâ, Gervasium fortè reluctaturum invitavit ad obedientiam. Oportunam se subducendi ab onerosis occupationibus occasionem nactus Gervasius, promptum suadenti Petro præstitit obsequium. Migravit Thenolium gaudens, Laudunensis Diœcesis Abbatiam. Illic vivendi genus tenuit, quale in San-Justo sectabatur, hoc solo diversum, quod alienis negotiis minus distentus, propriis fervidius incubuit. In hoc enim pacifico seccessu, Scripturæ & Patrum lectioni jugiter intentus, Commentarios litterales in Psalmos & Minores Prophetas composuit, docuit Theologiam, prædicationi institit, Petrum Abbatem Præmonstrati juvit consiliis, Ordini simul & Diœcesi perindè utilis, & ad utriusque necessitates Doctor accommodus.

PRÆFATIO.

Hujus consiliis vix triennio usus Petrus Præmonstrati Abbas, magno omnium luctu anno 1201. humanis exemptus est. In ejus locum Balduinus ex Catthovorensi Abbatiâ ad Præmonstratensem assumitur. Dignus optimo decessore successor, qui cum Gervasio familiaritate conjunctus, communi zelo, Religioni promovendæ allaborarunt. In brevi consummato Balduino suffectus est Vermundus, qui laborem & dolorem prohedriæ uno expertus anno, ipsam sponte resignavit anno 1204. In apertum ovile mercenarius se illicò intrusit per abusum sæcularis potestatis, Willelmus de Sto. Audomaro, Abbatiarum Cuissiaci & Viromandiæ helluo vorax. Invasionis scelestæ crimen Gervasius horrens, ad expulsionem immeriti Patris, Canonum autoritate sollicitavit Capitulantes. Parent illi monitis, & ad Sanctam Sedem provocarunt usurpatorem. Romam ille petit oraturus. Coràm Innocentio III. causam luculenter dicit, facundiâ pollens orator, ad innocentiæ suæ vindicias; sed minùs efficaciter. Gervasius enim nomine Ordinis fucatos larvatosque eloquentiæ lepores rationum evidentiâ sic fregit, & fugavit, ut intrusione probatâ, Willelmus famam Rhetoris, cum depositione reportarit. Amoto igitur Willelmo, suffecerunt Robertum, ex Ardennensi, Neustriæ Abbatiâ secùs Cadomum, plenario Fratrum consensu evocatum, & longævæ administrationis laudabili famâ probabilem. Anno 1206. apicem conscendit Ordinis Robertus & toto triennio, degenere maculavit vitâ. Luxui, vanitatibus, prodigalitati, homo mediocris inserviens, spem fraudavit, quam vita anterior ingesserat. Sævierunt in eum censuræ Capitulorum Generalium, & ad Gervasii tonantis animadversionem, deturbatus est è cathedrâ, procerum Ordinis æquissimo judicio, anno 1209. Nec morâ coeuntes Canonici conciliariter, Gervasium proclamarunt, Præmonstrati Abbatem. Electioni obsistit Gervasius, cunctantem cogunt Patres, renitentem urgent domestici, exteri compellunt, rapitur denique concordi Capitulantium suffragio & communi prece victum, imponunt cathedræ. Ut primùm Norberti sedem adiit, de instaurando Norberti spiritu passim languente cogitavit, manumque strenuam admovit operi.

Circumstantes Provincias lustravit, emarcidam excitavit Ordinis disciplinam, ad remotas deindè regiones progressus, nec labori parcens nec sumptibus, se totum superimpendit resuscitandæ observationi statutorum, ædificandis Coenobiis, sacrarum litterarum studio promovendo, sopiendis Canonicorum dissensionibus, eliquandis dubiis, & unicuique monasterio sic invigilavit, quasi singula immediato regimine gubernaret. Hinc magnam zeli, doctrinæ, Religionis famam sibi peperit, toti notissimam Europæ; Hinc Pontifices, Episcopi, Reges & Principes, arctam amicitiæ, litterarum & orationum necessitudinem iniere cum illo, & in difficillimis negotiis adjutorem invocaverunt, interpellarunt ut Consiliarium, maximè Innocentius III. & Honorius itidem tertius. Dum enim vel causas majores in Galliæ partibus Apostolicâ authoritate dissolvendas habuerunt, vel dum sacræ expeditionis accelerare voluerunt militiam, modò judicem, modò præconem publicum & Ducem Cruciati exercitûs in Franciâ, delegerunt Gervasium Pontifices ambo. Aptiorem designare vix poterant. In eo quippè eminebat dicendi facundia, dicentem suffulciebat vitæ morumque integritas, flagrabat dilatandæ fidei zelo Apostolico, & Comites Apostolatûs sibi adjunxerat Ordinis sui Prælatos, eruditione spectabiles, ut loca quæ personaliter invisere &

in quibus crucem prædicare nequibat, per socios pari ferventes spiritu visitaret, armaretque ad ultionem crucis Christi.

Frequens & reciprocus manavit indè Epistolarum commeatus Pontifices inter & Abbatem, ut negotium Terræ Sanctæ, communi consilio regeretur. Indè amicabilis cum Joanne Briennensi, Jerosolimorum Rege litterarum consuetudo, & assidua cum Monfortio Albigensium terrore & malleo societas prodiit.

Propagandæ fidei ardore magis ac magis succensus Innocentius III. Concilium Romæ indixit. Speciali mandato Gervasius à Beatissimo Patre invitatus advolat. Inter numerosos proceres Judex sedet, non quà Generalis Abbas tantùm, sed etiam ut Pontificis protopœnitentiarius; hoc enim honore adventantem insignivit Innocentius, ut de Sanctâ Sede benè merentem muneraret. Magnam in sanciendis decretis fidei, morum, disciplinæ & Cruciatæ partem habuit Gervasius, majorem retulit ex considentibus Patribus celebritatem nominis, majoremque benevolentiam captavit, quam postmodùm vel auxit contubernio, vel mutuis fovit Epistolis.

Quantam verò Summus Pontifex ex convictu Gervasii æstimationem conceperit, ex donatione Monasterii Sti. Alexii in Urbe Sti. Quirici in Diœcesi Reatinâ & Parvi-Pontis secùs Brundusium, conjice. Has enim Abbatias Gervasio contulit, amotis priùs Monachis, à tramite Religionis deviantibus. Qualem ab Innocentio gratiam obtinuerat, talem ab Honorio successore consecutus est. Potissimorum enim Regni Gallici negotiorum Judex, aut Sequester Apostolicus extitit, belli sacri indefessus præco & promotor renunciatus est, ut provincias ad arma potenti voce provocaret, & scripto. Injunctum munus per incredibiles pœnas dum exequitur, publicæ utilitati intentum & proprii commodi immemorem, impetiverunt Præsules Gallicani, privilegia corrodentes Ordinis, & Ordinis Caput lacessentes. Tempestatem precibus averruncare voluit, & humilibus litteris sedare cominus, sed implacatos hostes ipsa precantis demissio, audaciores effecit. Honorium continuò vindicem læsus appellavit Abbas, & ad Romanam Sedem, tutum oppressæ Ecclesiasticæ libertatis perfugium, provocavit osores. Causam deffensurus, Romanum iter aggreditur, blandè advolutum pedibus suis, Pontifex excipit, exaudit orantem, & litis, per sinuosos deductæ cuniculos, finem optatum imponit. Privilegia Ordini Præmonstratano pridem concessa roborat, nova adjicit & inquietos antistites adigit ad reverentiam & restitutionem.

Binis à regressu Gervasii annis, anno scilicet 1219. Honorius nolens ministrum tot cumulatum meritis, & Ecclesiæ tam providum, debitis fraudari præmiis, Henricum III. Angliæ Regem per Legatos obsecravit, ut datâ occasione Gervasium redimiri procuraret Episcopalibus infulis, dignum insigniri Nobilioribus, quem generis nobilitas, juncta virtutibus illustrabat. Commendabilem per se, & de facie, magis autem de famâ notum Gervasium, Rex lætatus est commendatum sibi à Pontifice. Spondet memorem se fore tanti viri, ut primùm vacabit Episcopalis sedes. Vacavit Sagiensis per obitum Silvestri. Rex ocyùs Gervasium jussit assumi àd Episcopalem Cathedram. Applausere Capitulantes regali judicio, aggratulatus est Pontifex, & medias inter Cleri & populi acclamationes Gervasius in Cathedrâ collocatur.

Nihil de pristinâ consuetudine, nihil de mediocritate assuetâ, vir frugi, humilis,

humilis, modestus remisit, in dignitatis culmine constitutus, pompatilem apparatum, suppellectilem fastuosam dedignans, de patrimonio Christi fecit alimoniam pauperum. Silleienses Canonicos frequenter invisebat, ut sepositâ ad tempus rerum Diœceseos curâ, totum se dederet interiori vitæ. Alternis vicibus vitam exegit, Marthæ & Mariæ studiis, tam aptè temperatam, ut Religiosum in Episcopo, & Episcopum in Religioso mirareris.

Anno 1228. IV. Kal. Octobris vitam laboriosam cum morte, seu potiùs cum vitâ fœlici commutavit. Testamentum nullum fecit, quia unde faceret pauper Christi, & sui legislatoris imitator, non habuit. Sepulturam elegit inter Fratres Silleii qui venerabiles optimi Patris exuvias, eâ decentiâ condiderunt, quæ Sanctum decebat. Illius monumento epigraphen hanc inscripserunt.

Anglia me genuit, nutrivit Gallia, Sanctus
Justus, Thenolium, Præmonstratumque dedere
Abbatis nomen, sed mitram Sagia, tumbam
Hic locus, oretur ut detur spiritus astris.

Mortuum flevit Ecclesia Sagiensis, flevit Pramonstratensis Ordo, ut hominem magni consilii, „ lucernam positam super candelabrum, lucentem & „ ardentem, famâ & operibus veritatis micantem, columnam firmissimam „ domus Dei, decorem & honorem Ordinis ereptum extinctumque indoluit. In superstite spiritu solatium lenimentumque doloris quæsierunt mœsti filii, opera Patris manibus terentes, mente contemplantes, calamo transcribentes. Quo fato horum pars maxima interierit, nescio, nisi calamitatem istam sævienti vel Marti, vel Vulcano imputemus; utrumque enim passa sunt Cœnobia penè omnia Ordinis Præm. bellorum, hostiumque incursibus obvia, nullis munita præsidiis, in silvarum positâ plerumque abditis, aut in camporum apertâ planitie, consistentia. Adde quod edacitati temporis, & Martis, solitariorum oscitantia accessit, quæ ut potè, veterum monumentorum despicatrix, obviare neglexit illorum interitui. Quisquilias nihilominùs operum Gervasii in scriniis latitantes, & ab utrâque ereptas clade fœliciter reperimus, easque à timore cladis vindicatas, tibi subjicimus amice lector, ad elucidationem antiquitatis & Reipublicæ litterariæ ornamentum.

Anno 1663. P. Norbertus Cailleu Facultatis Parisiensis doctor Theologus, Archi-Monasterii Præmonstratensis Prior, & privilegiorum Ordinis adversùs Laumoium vindex acerrimus, typis evulgarat Valenceenianis septuaginta Gervasii Epistolas ex Bibliothecæ Viconiensis manuscripto codice excerptas quas otio favente, notis promiserat adornaturum, sed morte præoccupatus, rem in medio reliquit conatu. Ex illarum lectione, suborta est mihi voluntas exolvendi promissum demortui fratris. Cumque in San-Marthanis Fratribus legissem easdem Gervasii litteras extare apud Steinseldenses propè Coloniam Præmonstratenses Canonicos, rogavi Rmum. D. Michaelem Küel ejus loci Abbatem, Vestphaliæ, & tractûs Rheni Vicarium Generalem, ut pro suâ humanitate, & in viros litteratos officiosâ benevolentiâ, mihi manuscriptum commodaret. Precibus annuit Præsul Doctissimus, & triginta quinque suprà centum Epistolas in autographo reperi quas publici juris facere audemus. Quo successu, penes lectorem sit judicium. Quo animo novit Deus qui cordis scrutatur penetralia, quo fine, dicam ingenuè ut venerandæ antiquitatis monumenta quæ ad nostram doctrinam scripta sunt, ad seros tran-

ſcant nepotes, ibique hauriant diſciplinæ formam, hiſtoriæ fontem, morum regulas, & ſcribendi methodum. Singulis enim facem præferunt & lumen Gervaſii Epiſtolæ; paucoſque hac ætate ſcriptores invenias qui politiori ſtylo, compendioſiori volumine, rerum tranſmiſerint eventus.

Tumultuario Ordine conſarcinatas in manuſcripto litteras, ad chronologicum ordinem revocare nec debui, nec plerumque potui; ſed illas cum eâ ſerie reſtituimus quâ Amanuenſis digeſſit, intemeratam ubique mei autographi ſervans ſcriptionem; Animadverſionibus verò noſtris, tempus, occaſionem perſonas, & locum explicans, pro tenuitatis noſtræ modulo, & quantùm per furentis podagræ intermiſſiones licuit. Incautum, minùsve attentum decepit Ughelli lectio, dum Epiſtolam 25. notis adornaremus. Reſtituendum igitur Bartholomæi nomen, quod ex Tranenſium Epiſcoporum elencho expunxeramus, huncque anno 1206. electum, ſatis conceſſiſſe circa annum 1257. profitemur.

Cæterùm Romanæ Sedi, Petrique ſucceſſoribus religiosè addictum Gervaſium, ſapiunt paſſim ſcribentis Epiſtolæ. Nec mirum; hanc à Fundatore B. Norberto per traducem acceperat obedientiæ formam, hanc debebat primæ Cathedræ cæterarum Eccleſiarum matrici & magiſtræ reverentiam. Hanc debebat gratitudinem Ordinis Protectoribus, largitoribus, & vindicibus privilegiorum, qui vagientem à cunabulis Ordinem, indeſinenti benignitate foventes, ab ingruentibus adverſariis illæſum ſtrenuè tutabantur.

II. *Herculani Hiſtoria.*

QUOD pridem in votis habuerat eruditus & illuſtris Riguetius, Sti. Deodati præpoſitus, hoc ego liberandi voti causâ exequor, amicus, fideijuſſor amici. Eccleſiam & Vallem-Galileæ variis ab eo elucubrationibus illuſtratam, editione Herculani adornare parabat, dum mors incumbentem operi, eripuit orbi litterario. Manuſcripta hiſtoria Herculani, brevibus ad marginem paſſim obſervationibus inſperſa, ad me jubente Riguetio devenit, ut quod ipſe auſpicatus erat, per otium abſolverem.

Diſtentus aliundè negotiis manum conſignato operi admovere prohibitus ſum; imò nec tentatus, cum viderem ad vulgi fabulas, aut ex fontibus turbidis pleraque ab autore mediocris criterii eſſe congeſta in hiſtoriam. At poſtmodùm ſponſionis conſcius, mentem de repente mutavi, ratus in multis rectè narrantem debere autorem auſcultari, in aliis deficientem emendari utiliter poſſe ad veritatis elimpidationem.

Herculani ergò hiſtoriam craſsâ elaboratam minervâ, ſtilo nihilominùs ſcriptam ſat eleganti, non tàm perpolire, quàm ad critices regulas exigere aggreſſus ſum, ut ſanctæ & Sanctorum hoſpitio celeberrimæ Voſagienſis Provinciæ antiqua monumenta reſerarem. Non ex incertis aut æquivocis autoribus, deviantem Herculanum correxi, ſed ex diplomatum inconcuſsâ & irrefragabili autenticitate chronologiam, & hiſtoriam emendavi, ut tuto pede remotioris ævi obſcura tempora, ſacraſque ſubiret obſcuritates, avidus antiquitatis ſcrutator.

Vix in Europâ invenies fœcundius Sanctis ſolum, vix theatrum nobilius ipſâ Voſago, monaſteriis, cellis, aſceteriis nullibi inſigniorem, à primis monaſticæ vitæ crepundiis, ſeceſſum. Præpoſitura S. Deodati, à ſuo autore nomen obtinens, omnibus antiquitate prævalet, ſi excipias Stivagium. Nunc omnibus nobilitate præit ex Summorum Pontificum liberaliſſimâ largitate & Principum beneficentiâ. Floruit olim præſidentium inclytis

natalibus, floruit Eruditorum famâ, Sanctorum pietate, & quamvis grassans in Clero segnities, alibi in otio Canonicos torpentes detineret, æmulus quidam scribendi ardor incessit sæculo decimo sexto ineunte, istius collegii alumnos, politiori litteraturâ, Marone non inferiores.

Horum prior extitit Petrus de Blaro-rivo, gallicè *de Blaru*, qui annò 1518. Renati II. Lotharingiæ Ducis bellica facinora, heroicasque virtutes, heroico cantavit carmine in sex libris sub nomine *Nanceidos* evulgatis. Historicæ veritati, nihil detraxit artis poëticæ indulgentior libertas, nec veritas quidquam immunit de leporibus poëseos. Carolum audacem, Ducem Burgundiæ, opibus, potentiâ, victoriis insolentem sic pingit; & per omnes audendi, tentandi-ve ardua, deducit cuniculos, sic Renatum in ambitiosi Principis conatus temerarios assurgentem, resistentem, triumphantem denique, repræsentat, ut bellantium artes, pugnantium virtutem, vincentis modestiam velut oculis subjectas contemplcris.

Haud absimili elegantiâ Laurentius Pilladius ejusdem Ecclesiæ Canonicus, sub titulo *Rusticiados*, Illustrissimi Principis Antonii Ducis Lotharingiæ & Barri gloriosissimam de seditiosis Alsatiæ Rusticis victoriam metricè sex libris celebravit & publici fecit juris anno 1548. Utrique coequalis Herculanus noster alio scribendi genere, aliam delibavit materiem, suis nt putavit profuturam Concanonicis, & in Ecclesiæ suæ cessuram ornamentum. Quo duce, quibus-ve auxiliis in abditos antiquitatis recessus penetrare tentaverit, mihi prorsùs incompertum est. Richerium Senonensis Abbatiæ historiographum de fide historicâ suspectum, in chronologiâ insolertem, in rerum narratione improvidum exsibilat. Joannis à Bayono tanquam ignoti autoris non meminit. Joannes Ruyrius S. Deodati Canonicus & Cantor, necdum *Antiquitates Vosagiensis Provinciæ* emiserat in lucem, scrinia San-Deodatensis Ecclesiæ vix credam ab Herculano lustrata, aut si illa adiit, summâ tantùm tetigisse manu suadent obvii errores quos diplomatum lectio correxisset.

Ergò ex populari traditione, ex agiologis, ex vitâ Sti. Deodati mendis scatente, & recentioris ævi referente autorem metaphrasticum, maximam historiæ suæ partem deprompsit vir credulus sæculo vivens censoriam ignorante virgulam, quam nos sobriè in Herculanum distrinximus, ut nævos dilueremus veritatem obtenebrantes. Quin ut in majori luce veritas ipsa quandoque clarescerct, dicta & gesta quædam compendiose aut raptim ab Herculano recitata, fusiori calamo distendimus. Non gravabitur lector in Notis ad calcem rejectis, Historiæ Ecclesiasticæ eventus memorabiles strictim in textu recensitos, uberiori elucidatione explanatos legere. Præsertim illos qui Monasteriorum, aut Ecclesiarum fundationes spectant, aut Prælatorum seriem attingunt, cùm ex illorum notitiâ potissimum pendeat Historiæ certitudo & Traditionis autoritas.

III. *Opera Psalmæi.*

NICOLAUS PSALMÆUS anno sæculi decimi sexti octavo decimo natus est Calvomonte ad Erram (*Chaumont-sur-Aire*) in Barrensi Ducatu, Diœcesi Tullensi, propè Benedictam Vallem permultis cœlestibus prodigiis, votivisque peregrinationibus illustrem. Parentes habuit Petrum Psalmæum, & Desideriam Morel, tenuis fortunæ, sed probatæ virtutis, ex asse hæredes. A primâ surgentis pueritiæ vitâ, educandum filium, germano fratri, Francisco Psalmæo S. Pauli Virdunensis Ordinis Præmonstratensis Abbati, submiserunt.

PRÆFATIO.

Virtutis & litterarum semina, benè nato & ad majora anhelanti nepoti, inseruit assidua avunculi instructio, ac subindè ad Universitates Parisiensem, Aurelianensem, & Pictaviensem, studiorum causâ dimisit. Annis pluribus jam exactis, ad patruum revertitur. Ille cum nepotis ingenium & indolem ad summa quæque nitentem, magnisque rebus ge-
1538. rendis parem agnosceret, anno sæculi duo-de-quadragesimo, suam ei Abbatiam beneficiariâ fiduciâ transcripsit, Paulo III. approbante. Paucis post mensibus, ad candidissimam religionem Psalmæus accessit, atque ex Ab-
1540. bate commendatario, regularis effectus est, vota excipiente Nicolao Goberti suffraganeo Ludovici à Lotharingiâ Episcopi Virdunensis, & spectante toto in lacrymas effuso patruo. Annum ætatis suæ vigesimum secundum vix absolverat, cum ecce sacerdotali unctione inauguratus, Lutetiam raptim petiit, ut extremam studiis theologicis manum apponeret. Theses
1541. propugnavit eâ eruditione, ut maximum ingenii ediderit specimen, magnamque sui nominis fecerit famam apud Carolum Cardinalem à Lotharingiâ, Guillelmum du Prat Claromontensem, Carolum de Bourbon Nivernensem, Episcopos, testes doctrinæ, & Doctorali laureæ aggratularores.

Novo redimitus honore, monasterii sui regimen arripuit, novo zeli fervore æstuans Prælatus. Dilapsam disciplinæ severitatem instauravit, & quantùm ferebant tempora, mores Ordinis antiquos, tàm in se, quàm in suis resuscitavit.

Interim miserabiliter de Ordinis Præmonstratensis aucupando regimine dissidebant avidi competitores, post fata Virgilii de Limoges. Horum ambitionem, rarâ ambitiònis arte prævertens Franciscus Cardinalis Pisanus, Abbatiâ potitur, ex concessione Pauli III. Insolitum usque modò, & regundo ordini minùs aptum caput hoc exturbare pro viribus ordo inge-
1542. miscens statuit in comitiis generalibus Lauduni habitis, Psalmæumque uno calculo deligunt oratorem ad Franciscum primum, Regem Galliæ. Legationem obiit eâ sagacitate, tantâ peroravit facundiâ in sanctiore Consilio, ut regali judicio Abbas & Generalis fuerit conclamatus.

Verum initam compositionem Psalmæum inter & Pisanum Cardinalem, elusit Pisanus ex domesticis Galliæ tumultibus, opportunam nactus recantandi occasionem. Romam ut Procurator generalis ocius ablegatur, ut negotium in Galliâ susceptum, Sanctæ Sedis patrocinio conficiat, & publicum Sancti Norberti cultum jam à sæculis in coelitum tabulas relati, revocet. In illo mundi theatro, tum alios præstantissimos sæculi sui viros, intimâ sibi benevolentiâ devinxit, tum imprimis S. Ignatium, Alphonsum Salmeronem, & Guillelmum Postellum coluit, à quibus vicissim unicè diligi meruit & honorari. Extant Postelli ad eum litteræ quibus nomine totius societatis, confitetur, perindè à primis Patribus honorari, & amari, ac sic in eadem familiâ censeretur. Hunc unum penè ex negotiationibus suis fructum reportavit Psalmæus; usque adeò Cardinalis Pisani autoritas aditum omnem occluserat intrudenti se passim oratori, ut Pontificem alloqueretur. Timebat suæ causæ diffisus Cardinalis, ne rationum pondere Pontificem moveret, Psalmæus, litteris Cardinalium Lotharingiæ & Borbonii præoccupatum.

Ad propria redux Abbas, communi Ordinis voto sublegitur, qui Ecclesiæ & Ordinis incolumitati, apud Tridentinos proceres personaliter advigilet. Provinciam

provinciam excipit, sed itineri dum se accingit libens, sistitur à Cardinale Lotharingo præconceptæ benevolentiæ & amoris in Psalmæum memoria. Virdunensem Episcopatum quasi exuberantem, Psalmæo, transcribit, jure regressus sibi reservato. Cunctantem parere jubet Cardinalis, & diplomate Apostolico munitum, in possessionem immittit duodecimo Julii 1548.

Applausere omnes electioni, & festivis laudibus exhilarata civitas, præsulem suscepit, diuturnæ viduitatis experta amaritudines, ex longævâ pastorum absentiâ. Ad filium in sublimitate positum, humilis mater Desideria Morel, gratulabunda advolavit, & ne vestitu rustico, nati obscuraret dignitatem, bombycinâ veste, crinibus mutuatiis, iisque calamistro vibratis, accessit. Hanc frigidè, velut alienam, sibique penitùs ignotam admisit Psalmæus. Indignanti non-nihil, atque se matrem affirmanti subjecit, Benedicti XI. modestiæ æmulator, habere se matrem rusticanam & pannosam, ac proindè persuaderi sibi non posse, eam parentem esse, quæ & mundo muliebri niteret, & vestibus sericis uteretur. Atque ira matrem à se dimisit, quæ subindè amicorum usa consilio, pannis obsita, cum ordinario corporis cultu, paganicoque ricinio rediisset, exclamavit eam demùm suam esse matrem, & magnâ cum honoris & pietatis significatione, amplexu peramanter excepit.

Innovatam Virdunensem infulam, se inscio, conqueritur Imperator Carolus V. & quasi illatam Imperio injuriam, vindicare volens, minacibus litteris terret Virdunenses magistratus, in Episcopum paratus sævire atrociter. Cæsarem iratum illicò convenit Psalmæus Bruxellis, sermonibus mulcet, humilitate placat, eloquio rapit, & investituram Comitatûs Virdunensis, & Principatûs clientelaris solemni ritu recipit 5. Octobris 1548. Regali potestate cinctus, inveteratæ tyrannidis jugum à subditis excutere, excussis è subsellio magistratibus, populorum libertati & fortunæ imminentibus pridem, tentabat; verùm ab audendo deterrebat religio Sacramenti quod præstiterat, de non movendis suo loco civitatis primoribus. Angebat piam animam, ille scrupulus, quem melioris boni intuitus frangere non potuerat. Nuntium Bruxellensem consulit anxiùs, anxietatem resolvit, relaxatione juramenti concessâ; statimque Psalmæus exautorat senatores exosos civibus, 1549. probos substituit, legibus publicam quietem firmat, publicæ utilitati & paci totus consulens.

Joannes Comes ab Isenburg, Archiepiscopus Trevirensis, pro reformatione Cleri Synodum indixerat provincialem. Psalmæus, unà cum Hocedio Præsule Tullensi, & Legato Cardinalis à Lotharingiâ, Episcopi Metensis, Trevirim accurrit. Accessere Abbates, Archipresbiteri, & in æde metropolitanâ congregati, de summâ Christianæ doctrinæ & officio hominum Ecclesiasticorum accuratè tractarunt, & decreta saluberrimis referta documentis promulgarunt die decimâ tertiâ Maij. Quantam in dicendo laudem pepererit sibi Psalmæus in hoc Patrum congressu, quanto zelo rei Christianæ negotium promoverit, qualem in condendis canonibus habuerit partem testantur vitæ illius diaria, quæ Amanuensis ejus intemerata fides posteritati consignavit. Haud minorem assequutus est gloriam in propagandâ Decretorum observatione per suam Diœcesim. Etenim ne quem de clero lateret quod ad cleri reformationem providè fuerat sancitum, in synodali conventu, leges à provinciali concilio constitutas curat evulgari, ac postmodùm mandari typis.

Spiritualibus intentum, non-nihil avocavit temporalium sollicitudo. Caducas Episcopalis Palatii ædes à fundamentis excitat, splendidiore quàm anteà ornatu & arte. Avulsas à dominio suo, per prædecessorum incuriam, aut necessitatem, dinastias, refuso pretio restituit. Wimbeum, gallicè *Wimbee*, tutissimam ad Mosæ ripas, vagientis hæresεos arcem, recuperat. Oppignoratas passim toparchlas pari zelo repignerare aggreditur, frementium undique populorum minis nil territus præsul; nequidem amicabilibus Abbatis de Chminione litteris periculum vitæ præsagientibus, & Episcopatum Bajonensem offerentis, à propositi prosecutione dimoveri potuit. Animum omni periculo superiorem, Imperatoris præceptum, ad comparendum Concilio Tridentino, divertit ab incœpto opere, dum magno molimine operi incumbit perficiendo.

1550. Vix primam sessionem à Concilii restitutione Patres erant auspicati, dum Psalmæus posthabitis utilitatibus privatis, festino cursu Tridentum appulit. Pro eâ quam sedi & doctrinæ Psalmæi reverentiâ, debebant Patres, in consessum assumptus est. Obvias & seriatim appositas quæstiones, non eloquenter modò, sed profundè, sic versabat, dicendi eruditus Theologus, ut os & mens Concilii diceretur. In sessione decimâ tertiâ, dum ad
1551. Reformationis materiam velitando deventum est, multa luculenter & opportunè dixit, præsertim adversùs Commendas nuper invectas in Ecclesiam, ad Ecclesiæ & Monasteriorum extitialem ruinam. Non placuit liberior opinantis dissertatio, præsertim quod dixisset Commendas, instar baratri, disciplinam Ecclesiæ, & bona crucifixi deglutire; sed homo, hominibus placere non ambiens, fortiùs institit, & tentatam ab aliquibus Commendarum approbationem, tam nervosè confutavit, ut nullus deinceps in medium revocare agitandam, fuerit ausus. Uti præceps, inconsideratus, juvenculus palàm à non-nullis in consessu sugillatus est, & rem monachorum, tamquam monachum viriliter agere increparunt. Verùm ille patienter & modestè obloquentium dicteriis, Gratiani & Canonistarum opposuit sententias, veritati consulens, suæ famæ ac nominis prodigus. Fertur disputanti contra Commendarum abusus improperatum à non-nullis proceribus, & quasi subsannando dictum. *Audite quomodò Gallus iste cantat*, ad quod frontis æneæ præsul respondit: *O utinam ad Galli cantum Petrus resipisceret*, Commendas nimirum proscribendo edictis.

Perrenoto Atrebati Episcopo concertationis totius eventum, litteris declaravit, ne ab alio præoccupatus, traduceretur apud Cæsarem ut jurgiorum autor, vel quasi assertor errorum, subindèque rogavit, ut reditum ad suam Ecclesiam, Magistratuum impunè grassantium facinoribus dilaniatam impetraret à Cæsare. At nihil obtinuit iterata pro regressu ad suos instantia,
-brii Psalmæus, imò urgentem jussit Imperator Tridenti se continere, & *publi-*
1551. *cam causam suâ præsentiâ juvare & provehere* sub pœnâ privationis honorum & jurium. Paruit Episcopus, & magno animi robore, liberiorem quam sectatus erat opinandi formam hanc pro vindiciis fidei, & disciplinæ tenuit, & probavit denuò Legatus qui ut impactam Psalmæo labem elueret, Canonum confectionem ei in provinciam dedit die 2. Januarii 1552. At propter ingruentes tum temporis Reip. Catholicæ calamitates, inducias postularunt Episcopi.

Mauritius quippè Saxonum Dux, junctis cum Marchionis Brandebur-

gici, & Hassiæ Landgravii, copiis, Augustam Vindelicornm expugnarat, & Tridentum, victoriâ insolens, velle dicebatur invadere. Patres ad fugam rumor publicus convertit, & induciæ à Legatis datæ sunt, donec pace aut securitate restitutâ tutus foret accessus ad Tridentinam Civitatem.

Virdunum illicò repetiit Psalmæus, & inflictas tam Ecclesiæ, quàm temporali jurisdictioni plagas, potenti manu curavit. Rebelles compressi, Imperatorem appellarunt, & iniquiorem Episcopi potentiam, in immeritos cives, & Imperio intimiùs devinctos surere calumniati sunt. Æquivocam Psalmæi fidem, fucata delatorum fides; non-nihil reddidit, & patronos nacti accusatores, æmulos, accusatus in problema abiit apud Imperatorem, vir antehac Cæsari carissimus. Audiit eminus structas sibi insidias Episcopus; invisum sibi Cæsarem ex malevolorum relatu audiit, & apologiam adornat pro refellendis delatoribus. Cardinalem à Lotharingiâ, antequam aggrediatur iter submonet causæ itineris breviter arripiendi, Consiliumque ab eo præstolatur, à quo totam agendi volebat pendere rationem. Rem cum Henrico Galliarum Rege libravit Cardinalis, & ad Regis votum rescripsit, abstinendum esse ab omni apologiâ, & itinere Germanico; satius fore ad Galliæ partes venire, ut propiùs tractaturi negotium insimul, de tempestivo remedio aptius convenirent. 28 Mai. 1552.

Credit suadenti Cardinali Psalmæus; ad montem Sancti Joannis ubi Regia rum versabatur, se confert, Regis alloquio, inducente Cardinale, fruitur, & protectionis beneficio pellectus, protectorem habere Regem, modo salva sint Imperatoris jura, consensit. Quod, quâ fide, quâ arte conciliare potuerit vir argutus, penes eum sit resolutio. Spe gaudens, & Regiis pollicitationibus exuberans dimittitur Episcopus. Revertentis vestigia terebat Cardinalis, qui civitatem ingressus, Regi proximè secuturo ingressum asscuravit. Die Junii duodecimâ, rebus ritè dispositis, è proximo quasi è latebris prosiliens Rex, cum suo comitatu, nullo cive conscio, nullo resistente, portas subit, civitatem pervadit, & ad Episcopale Palatium descendit. Cardinalis cum Episcopo, hospitem quanto possunt honore excipiunt, & magno bellicorum tormentorum fragore, adventanti aggratulantur. Accurrunt ocius cives, confluunt Magistratus, & magna populorum stipante catervâ, Rex ad Ecclesiam voti causâ pergit. Antè maximam templi portam, oratione officiosâ Regem salutavit Psalmæus. Tum Rex vultu ad populum verso, dixit, Virdunensem denuò civitatem, sub meâ speciali tutelâ, tamquam Imperii Vicarius, suscipiam, vestræ fortunæ & fœlicitati " consulam, municipales leges, jura vestra, & libertates tuebor, inimicus " ero inimicis vestris, & pro incolumitate & salute vestrâ totum me super- " impendam. Si quid aut in moribus, aut mœnibus vestris innovandum ad " tranquillitatis vestræ stabilimentum, fuerit, id præstabit Cardinalis à Lo- " tharingiâ cui nihil antiquius est, quam ut vos & vestra promoveat. Ade- " rit consiliis & auxiliis suis D. de Tavannes quem vestræ civitatis præficio " gubernatorem. 1552.

Faustis adeò ominibus, infausta successerunt præsagia. Gubernator sub publicæ securitatis specie, suburbanas ædes & muris adjacentia templa, præcipit æquari solo. Celebrem & totius Galliæ primariam Ecclesiam Sti. Pauli Ordinis Præmonstratani, artis miraculum, majoribus fenestris quinquaginta suprà trecentis collustratam, fornice eleganti, Mausolæis procerum,

aris marmoreis splendens, decimo nono Septembris, ad architectonis bellici, & Calvinistæ jussionem admotis machinis, fabri demoliuntur, totumque diruunt monasterium, tanto impetu, ut vix exscribendi monumentorum lemmata spatium dederint impatientes Calvinistæ. Haud dissimilem experta est sortem Dominicanorum domus. Ecclesiæ navis, & claustralium ædium pars maxima concidit. Quod residuum fuit, cessit vagis Præmonstratensibus ad azilum, & in hospitale, seu Xenodochium urbis, sequestrati sunt Dominicani Patres.

Lugebat super desolatione Monasterii sui Psalmæus, in rusticano prædio de *Vanau-les-Dames*, propè Vitriacum exul volontarius & gemens. Lacrimabilibus litteris Cardinalem à Lotharingiâ, velut autorem calamitatis suæ pulsabat jugiter, solatium quærens, efflagitans remedium; sed non erat qui consolaretur eum. Imò majorem videt in dies crescere miseriarum segetem. Hinc Tavanneus Palatium Episcopale invadit, ut spem reditûs, adversanti Episcopo præcludat. Illinc magistratûs Psalmæo infensi, proditionis insimulant apud Imperatorem. Quid ageret utrobique vexatus Præsul, & penè in desperationem actus. Ad Deum qui fons luminis est & charitatis,
1553. effuso coram aris corde, convertitur. Animum altum, pristinasque vires resumit, Virdunum revertitur, dispersos fratres adunat, manum mittit ad ædificia, Ecclesiam struit, claustrum cingit & officinis, ornat domum, eâ celeritate, ut ad monasterium ritè aptatum migraverint anno sequiore, Canonici Præmonstratenses. Parem Dominicanis impendit beneficentiam, quasi hospitalitati accomodatæ stipendium daturus. Ecclesiæ restauravit navim, prostratas erexit ædes religiosorum, & à Xenodochio transtulit ad primitivæ habitationis locum. Posteà Synodum indicit ut obrepentem hæresim præfocet. Exerit adversùs hæreticos arma suæ potentiæ, eosque è Principatûs sui limitibus præcipit fieri extorres, alioqui refragos, perpetuo damnatos exilio, bonis forè spoliandos. Visitationem suæ Diœceseos, instituit per se, ut fidem subditorum propius exploratam habeat, & promulgatæ legis urgeat executionem. Vires addidit zelo, Nicolai Vademontani Principis Lotharingiæ, & Caroli Minorennis, administri pietas, & promptum adjutorium. Sicque Psalmæus armis domuit, aut exilio ejecit, quotquot invenit perduelles.

Unum supererat, illudque gravis momenti negotium, eluenda nimirùm proditionis labes, qua famam ejus, apud Cæsarem, inspersserant Magistratus Virdunenses. Arduum opus, sed celso ingenio minus. Trevirensem Archiepiscopum Cæsari gratum, & sibi amicissimum captavit, eoque mediatore sic prudenter usus est, ut intactum Imperii jus, ex Galliæ tutelâ suaserit, vel si in aliquo violatum, id non sibi, sed prævalenti potentiæ imputandum, cui resistere piaculum fuisset, sola eluendum obsidione, &
1553. stage civitatis. Verba factis confirmavit. Cum enim Virdunum, Rarecuriam, Rambercuriam, & Wimbeium, gallicanis legibus, & vectigalibus subdere tentassent Regis ministri, Psalmæus omni molimine, tam in senatu, quàm in Regis consistorio, Principatûs sui regalia jura propugnavit & evicit, & quidem maximis laboribus & impensis, ipsoque vitæ periculo. Quibus Imperator motus, omnem à se suspicionem non modò amovit, sed & tributa remisit ex parte, miseratus angustiati præsulis conditionem.

Anno sequenti coegit Synodum, in quâ disciplinæ Ecclesiasticæ vigorem strinxit,

ſtrinxit, novis Canonibus, & librum pro veritate ſacrificii Miſſæ, adverſùs oblatrantes Calviniſtas, ſub hoc titulo, evulgavit *Expoſition de la Meſſe.* Mirum quomodò inter obſtrepentes armorum, vexationum, laborumque tumultus, ſcribendi, viſitandi, prædicandi otia ſibi fecerit. Nec mirum minùs videbitur, qualiter inter corrodentes ſubſtantiam Epiſcopalis menſæ vicinos, potuerit, ſalvâ ſui ſtatûs reverentiâ, tot piis ſufficere operibus. Orphanotrophium, in San-Jacobi hoſpitali domo fundavit, dotavitque proventibus amplis, & hanc fundationem laudavit Trivulçius Sedis Apoſtolicæ Legatus. 1558.

Vallatam legibus & providi paſtoris vigilantiâ civitatem, ſubiit ſubdolus hæreticus Joannes Poincignon, Metis cum manipulo librorum tranſmiſſus Virdunum, ut veneno Calviniſticæ pravitatis inficeret cives. Corruptionis propoſito faverat corruptus, & ipſe urbis gubernator Boucardus, ejuſque opitulante auxilio oſtiatim libros ſeminabat. Reſcit Pſalmæus, nec mora, circumforaneum propolam juber in vinculâ conjici. Muſſat Boucardus, captivum reclamat, ingeminat minas; non terretur præſul, ſed Cardinalem conſulit, ut zeli temperet, aut comprobet æſtum. Reſpondit Cardinalis libertati reſtituendum eſſe Poincignonium, & ſub tutâ manu remittendum Metas, ne ſuplicio donatus, ultricem Metenſium iram armaret in Catholicos.

Obtemperavit Pſalmæus, ſed in fœtorem Boucardum piè exaſperatus, omnem movit lapidem, tum in Germaniâ, rum in Galliâ apud Franciſcum II. Regem, ut exautoratus loco moveretur. Ferdinandi II. ad Franciſcum II. vivaces litteræ, Cardinalis à Lotharingiâ jugis interceſſio, id tandem obtinuerunt, quod in votis habebat Epiſcopus. Boucardo ſufficitur de Loſſe; 1561. vir apprimè Catholicus, & Pſalmæo addictus reverenter. Illo coadjutore recreatus & roboratus præſul, formulam fidei edidit, & viritim ſingulos de populo & clero, ad ſubſcriptionem compulit, ut poſſet oves ab hœdis ſecernere. Primus ille appoſuit ſignaturam, hunc excepere Canonici, ſecuti ſunt Magiſtratus & cives, nec quiſquam effugiis ſuis, aut artibus potuit hanc ſuæ fidei teſſeram declinare aliter, quam per ſpontaneam ad alienigenas ſeceſſionem. Fremuerunt in eum profugi, ad Cæſarem provocaverunt, ad Cæſarem ivit Pſalmæus, & delatores Edicto Imperiali, religionis Catholicæ aſſertore, approbatore rationis agendi quam tenuerat Epiſcopus Virdunenſis, confregit Ferdinandus obloquentium detractiones. 18. Apr. 1562.

Pragâ redux, ad redintegratam Tridenti Synodum à die decimâ octavâ Januarii 1562. reverti pro injuncto ſibi à Cæſare mandato, dum deliberat, & itineri ſe accingit, moram impoſuit Cardinalis à Lotharingiâ, & ad decimum quintum Octobris dilationem rogat, ut comitem poſſit habere, & viæ ſolatium. Diſtulit Pſalmæus & ad condictum diem, occurrit Cardinali in Abbatiâ Claræ-Vallis. Ambo Tridentum pervenere decimâ tertiâ die Novembris, & communi Patrum applauſu in Synodum admiſſi, ille Legati inſignibus, iſte ſecretarii munere, decorati. Quàm eruditè, quàm laudabiliter ſuas ambo obierint provincias, teſtes appello Concilii Patres, & Concilii hiſtoriographos. Diligenter & enucleatè perſcripſit Pſalmæus, quidquid in Congregationibus Patrum, tractatum eſt, & concinnato operi, hunc dedit titulum *Medulla votorum & ſententiarum Patrum Concilii Tridentini ſuper propoſitis materiis ab adventu Cardinalis Lotharingi.* Latebat ille liber Mſs. in ſcriniorum latebris, luce publicâ dignus. Hunc è pulvere

suscitatum Reipublicæ litterariæ offerimus. Hunc volvendo stupebit lector, audiens Psalmæum conficiendis Canonibus, exscribendis Theologorum velitationibus, sententiis, opinationibus occupatissimum, frequentibus Ecclesiam suam visitasse Epistolis, quibus nunc paterno affectu, ad constantiam in fide, ad integritatem morum, ad hæreticorum devitationem adhortatur;
1563. nunc de conditis pro reformatione Canonibus admonet Clerum, ut suos mores universalis Ecclesiæ regulis accomodet; Nunc decretum pro instituendis collegiis, & seminariis transmittit, ut tam salubri sancito benevolum præstet assensum, & efficaces præbeat executioni manus. Quid plura, volumen integrum exaravit, ut titubantes in fide populos confirmaret, & typis editum sub hac epigraphe, *Preservatif contre le changement de Religion*, Virduni civibus, & suburbanis plebibus, ad defectionem instigatis vehementer, trajecit. Usque adeò suas oves, bonus pastor, ab eis licet longè positus, gerebat in corde, & sinu complectebatur.

Mense Decem. 1563. Ecclesiæ suæ redditus, post Concilii solutionem, Psalmæus, omnes animi nervos, ad Canonum observationem intendit. Hinc primo quoque tempore, Canones, qui anteà sparsim, & absque ullo ordine, prout occurrebant negotia, diversis temporibus propositi fuerant, revocavit in artem, & in certa capita convenienti methodo digessit, prelo typographico subjecit apud Bagnetium anno 1564. & Cardinali à Lotharingiâ nuncupavit, obtestans eum per viscera misericordiæ Dei, ut dum expectatur Concilium provinciale, decreta reformationis morum, publicare & exequi non differat. Addit constituisse se tentare in suâ Diœcesi quidquid conferre possit in plenam, integram & absolutam decretorum Synodi executionem, præsertim verò in tribus capitibus; Horum inquit, primum est, ut qui parochialibus Ecclesiis præfecti sunt, resideant & sibi demandatas oves, bonæ vitæ exemplo, Sacramentorum administratione, & verbi divini prædicatione pascant, & enutriant. Deindè ut parochialibus Ecclesiis, animarumque regimini præficiantur viri graves, scientiâ, moribusque idonei, idque servatâ formâ, quam in Sessionis octavæ, Canone 18. Sacro-Sancta Synodus præscripsit. Postremò ut in hac nostrâ Diœcesi, quæ Franciæ, Lotharingiæ & Germaniæ confinis est, profugis disciplinis, aliquod veluti azilum aperiatur, & adversus illiteratam, & plusquam ipse vellem, in his terris sævientem barbariem, optimorum studiorum veluti stationes collocentur, & seminaria erigantur, ex quibus clerici scientiâ, omnibusque pietatis, & Religionis officiis instituti, ad Ecclesiæ gubernacula evocari possint. Hæc ille & quidem viriliter prosecutus est: sed pastorali officio sedulè intentum, abduxit temporalium intempestiva sollicitudo.

Arcem intra claustri ambitum, ad civitatis munimen exstruendam censuit gubernator, & ad inventoris desiderium, ædificationis curam demandat Lossio Carolus IX. Rex Galliæ. Vallorum & fossarum circumductiones architectus delineat. Ecclesia Sti. Vitonii extra muros, & Canonialium domorum pars maxima, intra propugnaculi circuitum comprehensæ, concidunt, aut concidere debent; Jam jamque muris domorum diruendis lapidarios admovet, spretâ Episcopi conquerentis admonitione, Lossius. Ecclesiæ suæ excidium plorantibus monachis, miscentur lamentationes Canonicorum; Præsulem obsecrant, suorum ejulatibus fractum, tantæ occurrere calamitati. Sed precibus geminatis Episcopi, obturat aures Lossius, supre-

mæ autoritatis mandato obsequens. Quid agat Psalmæus? De repente currum conscendit podager, Regiam adit, & famulantium manibus & officio subvectus, in Regis, & Reginæ matris conspectu sistitur. Causam Ecclesiæ suæ dicit, & imminentem templi Sancti Vitonii stragem artis elegantiâ, & Sanctorum sepulturâ venerabilis lugens, exorat lacrimabili voce Regem, ut parcat Sanctorum cineribus, & ne det Sancta in prædam hostibus Religionis. Episcopi oratione, concussi Regis & Reginæ animi læta spondent, oratori & fausta. Supersessuros ædificatione Arcis, pollicentur, idque voluptabilis nuntii jubent deportare ad suos. Hac spe erectus præsul Virdunum petit: at contra spem videt prostratis domibus, impositos aggeres, solique parcitum templo Sancti Vitonii, cui parcendum, Regina præceperat. 1567.

Calamitas, calamitatem excipit. Germani Equites vulgò *Reistres* dicti, in confœderatorum ac perduellium Gallorum opem accerciti, Casimiro Principe Palatino ductore, Virdunensis Comitatûs agros populandi ingrediuntur, ferro & flammæ donant omnia, & vastatis rusticis, civitatem inhiant, ut devorent. Impendenti malo it obviam Psalmæus, & Palatinum Comitem copias admoventem mœnibus, de solvendâ obsidione civitatis Imperialis, admonet, rogatque ut in alios convertat vires Imperii, quàm in Principem clientelarem Imperatoris. Ad saniora consilia reversus Comes, Virdunensem Comitatum deserit, sævienti pestilentiæ locum cedens. 1568.

Hoc enim flagellum consumptis priùs rusticanarum villarum incolis, Virduni subiit muros, & cives largè messuit. Stabat intereà Psalmæus media inter mortuorum, & morientium cadavera, intrepidæ charitatis obsequia cuique bonus pastor exhibens, animam dare paratus pro ovibus suis. Fugam suadebant amici, suadebant & cives, patrem malentes servare incolumem, quàm vitæ discrimini, ad reipublicæ discrimen, cernere jugiter expositum. At ille, mercenarii perhorrescens timidos spiritus, veritus aliunde ne discessu suo, lupus fureret in gregem, Calvinistarum insidiis patentem, nec precibus cessit, nec periculis. Remissâ post rabiem peste, languidas oves pabulo refecit, sublevavit beneficiis. Dein ad supplicationem Cardinalis à Lotharingiâ, Metensem peragravit lustravitque Diœcesim, cum plenariâ potestate emendandi, corrigendi & statuendi, quidquid ad spirituale & temporale bonum judicaret conducere. Innumera sunt quæ ad Ecclesiæ utilitatem, multa quæ ad justitiæ dispensationem præscripsit. 1569.

Intereà Gallicani exercitûs Duce hinc Andegavensi Principe; Illinc Thalassiarchâ Coligneo Calvinistarum Prorege, coeunt ad Moncontorii planitiem, pro aris & focis dimicaturi. Die tertiâ Octobris, collato pede congressi sunt, & multorum virorum fortium morte, multorum sanguine, & vulneribus Calvinistarum, victoriam eripuit Andegavensis Princeps, rei Christianæ fœlicissimam. Actis pro tam optato armorum exitu, gratiis, egit Psalmæus pro Religionis stabilimento, ut providus præsul. Edicto publico indixit, imperavitque omnibus hæreticis, egressum ex agro Virdunensi infrà mensem, & refractores tanquam lezæ majestatis postulatos, vindici sindico puniendos committit. Quia verò non-nullis datis antehac ad resipiscentiam induciis, abutentes, hæresim sub larvâ Catholicitatis contexerant, mandat unicuique, ut intrà octiduum fidem suam in manibus pastorum, astante loci justitiâ, profiteatur, sub ejusdem majestatis crimine & pœnâ. Hoc sancito terrefacti Calvinistæ, ex Comitatu Virdunensi discesserunt,

alii ad Catholicæ Religionis transiere castra. Periclitantem intra frementium belluarum rugitus, gregem circumdare munimento, sollicitius quàm anteà satagens, de instituendo Virduni Patrum Jesuitarum Collegio efficaciter deliberavit. Horum docendi, & vivendi normam, viderat Romæ, Ingolstadii, Tridenti, & probarat, ardebatque desiderio tales habendi operarios juventuti instituendæ aptissimos. Oliverium Manare Provincialem Galliæ, & suis
1570. & Magistratuum Virdunensium litteris, ad deducendos Patres qui palestram aperiant litterarum, exorat; Sed Cardinalibus Borbonio & Strotio, & Episcopo Apamiensi, ad collegia Rothomagense, Albigense, & Apamiense, eodem fundanda tempore, idem expetentibus, non licuit præ operariorum paucitate, facere satis Virdunensi Episcopo. Ad Germaniam tum feracem Jesuitis, spem convertit Psalmæus. A Rectore Florentis Collegii Coloniensis petiit religiosos, & continuò obtinuit. Itaque anno sæculi 1570. jam in Autumnum devexo, Patres ad condilium in Xenodochio Sti. Nicolai Collegium immisit, iisque Hospitalis proventus, cum mille Barrensium francorum dote annuâ, simul cum domo quam in vico Sti. Pauli habebat, contulit, ad sustentationem. Tabulis solemnibus Collegii erectionem, & suæ concessionis donum consecravit 23. Septembris 1570.

In opere suo complacens Psalmæus, frequens invisebat Patres. Recurrente, quot annis Festo Sti. Nicolai, prandebat cum illis, & piacularia sacra faciebat in Templo, quod ipse extruxerat & ornarat. Eodem quoque die, ad patroni sui exemplum tres puellas à se dotatas, honesto collocabat matrimonio. Cardinali Lotharingiæ prosperos suæ novellæ plantationis progressus alacri transcribens stylo, ad sui imitationem exhortatur, talique subsidio Metensem suam civitatem, hæresibus scaturientem indigere plu-
11 *Aug.* rimum, suadet. Sed Cardinalis, contradictionibus dominantis sectæ attentis
1571. & prævisis, temperandum à zelo & ad tempora mollia differendum opus respondit. Iisdem instantiis apud Carolum Lotharingiæ Ducem egit, secundiore exitu. Illo enim moderatore, illo promotore, surrexit anno 1574. Collegium Mussipontanum, nec penes eum stetit, quin Abbatia Gorziensis, perpetuâ unione incorporaretur illi. Supplevit aliundè, variorum Prioratuum adjectionibus amplis, quas autoritate Legationis suæ confirmavit Cardinalis Lotharingus.

Invidebat inimicus homo piis Episcopi laboribus, timebat hæreticus sibi, & fortunæ suæ, sub Principe Catholico, inclementer & aperto bello errores & erraticos prosequente. Hinc perduelles Tilliaci (*Tilly*) ad Mosam, uno impetu adversus Principem seditionem commoverunt, & excusso dominationis jugo, Vitriaci præfecturam insigne hæreseos perfugium, implorarunt. Porrexit dexteram, reclamantibus opem, & originariæ Tilliaci servitutis nomen abradens, cives & villam, Provinciæ Campanicæ metis acclusit. Ad Caroli IX. Regis Galliæ tribunal, causam provocavit Psalmæus. Causam per seipsum egit fervidius. Multiplicis documenti, ac perrennatæ possessionis
26 *Jan.* probatione superavit in judicio rebelles, obstinatæ infidelitatis arrogantia
1573. attrita est.

Sibi, suisque restitutus Præsul victor, nouvam laborum segetem reperit. Cardinalis à Lotharingiâ reformationis cupidus & tenax, rescriptum à Pio V. acceperat, quo monialium monasteria, intrà legationis suæ fines constituta, ad professionis tenorem & Ordinis statuta revocare præcipiebatur.

Impositum

Impositum sibi munus, in Psalmæum exoneravit Cardinalis Romam coactus ire. Obierat Pius V. & citatoriis litteris, ad futuram electionem Pontificis invitatus, proficiscebatur. Non abnuit Psalmæus oneri succollare humeros. Annum integrum visitandis parthenonibus, moribus reformandis, abrogandis abusibus insumpsit, tam prospero eventu, ut enectam, aut elanguescentem passim disciplinam, emortuam paupertatem excitarit, publicis nihilominùs Ecclesiæ commodis studiose vacans.

Quippè ut sub conspectum poneret omnium Ecclesiæ ordinum necessariam reformationem, singulorum remissos mores, in genuino prospectu delineavit, & remedia corruptelis eluendis suggessit opportunissima. Huic operi titulum præscripsit. *Portrait de l'Eglise.* Amicissimo suo Cardinali à Lotharingiâ nuncupatum, & sub initium Januarii 1574. transmissum Parisios. Acceptum perlegit Cardinalis, & legendum tradidit Episcopis, & Doctoribus qui curiam in San-Germano de Layo comitabantur. Omnes autoris eruditionem, & zelum uno prædicarunt ore, & nomine omnium Psalmæo rescripsit in hæc verba.

„ Monsieur de Verdun j'ai reçu vôtre Livre du *Portrait de l'Eglise*, „ qui m'a eté merveilleusement agreable, & à plusieurs doctes personna- „ ges de cetteCour, auxquels je l'ai communiqué &c. Ce 14. Janvier 1574. „ Votre meilleur frere & amy C. Cardinal de Lorraine.

His verbis, his intimioris amicitiæ protestationibus, suas ad Psalmæum epistolas concludere Cardinalis solebat. Et re verâ arcanorum omnium, & cogitationum cordis sui participem faciebat Psalmæum, quem ab inveteratâ consuetudine, providum consiliis, secreti tenacem, vindicem fidei, gratitudine nulli secundum noverat. Verùm antiquæ necessitudinis fœdus, mors invida dissoluit. Mortuo enim Carolo IX. & in defuncti thronum evocato Henrico III. Poloniæ Rege, obviam revertenti Principi occurrit Cardinalis à Lotharingiâ, & per diversas provincias divertenti, comitem se præbuit. Improvisò morbus Cardinalem oppressit Avenione, & ibidem Sacramentis saginatus, animam efflavit 23. Decembris 1574. magno Galliæ Catholicæ luctu, majore nutantis Ecclesiæ infortunio. Columnam Religionis, fidei fulcimentum, virum naturæ dotibus, omnigenâ eruditione, dicendi eloquentiâ, regimine politico, & Ecclesiastico incomparabilem flevit Gallia, Flevit Psalmæus amicissimum cui strictissimo gratitudinis, amoris, zeli vinculo, quasi alteri sibi conjunctus erat.

Testamenti curator institutus Psalmæus, pro morientis voto, Remos corpus Cardinalis devehi, quanto potuit apparatu, adlaboravit. Funebrem currum, comitante Ludovico Cardinale à Guisiâ, Avenione Remos adventantem excepit Psalmæus 22. Januarii. Clerus populusque Remensis, funus lacrimabili rugitu prosequentes, & exsiccatum Ecclesiæ suæ verticem lamentantes amarè, ad tumulum quem sibi vivens foderat Cardinalis, Psalmæo parentante, deduxerunt. 1575.

Supremas Serenissimi Principis voluntates, multis, assiduisque laboribus adimplevit religiosissimus curator, vitæ pertæsus, & imminentis mortis, si non impatiens, saltem conscius, à separatione sui Davidis, Jonathas alter. Lutetiâ redux, supplicationibus instat publicis. Adeundis nudo pede templis, distribuendæ populis quotidiè cœlesti dapi, aliisque bonis operibus incumbens, ad avertendas divinâ ope Germanorum equitum turmas,

quæ cum Principe Condæo, magnâ manu Lotharingiæ ferro, flammâque minabantur, morbo correptus est vigesimâ septimâ Junii. Testamentum priùs à se conditum novissimis conditionibus auget, & decimâ Augusti anni MDLXXV. sanctissimè in Christo moritur.

Funus à clero & populo Virdunensi, non solùm ingenti mœrore, sed etiam tenerrimo pietatis sensu celebratum est. Corpus sepulchro, quod sibi vivus exstruxerat præsul, hac epigraphe ornato intulerunt.

Nicolaus Psalmaus è Calvo-Monte
Ad fluvium Erram, humilibus quidem
Sed piis parentibus,
Priùs Sti. Pauli ad Virduni mœnia Abbas,
Posteà ad Episcopatum Virdunensem vocatus,
Sanctè & religiosè
De futurâ resurrectione cogitans,
Sepulchrum hoc, cum adhuc in vivis ageret,
Sibi extruendum curavit
Anno Domini MDLXII.

Hæc ille de seipso, sed quàm modestè? quibus superstites addiderunt.

In eo verò mortui corpus,
Clerus Populusque Virdunensis mæstissimi
Posuerunt
Anno Domini MDLXXV. die x. *Augusti.*

Cor suum Patribus Jesuitis legatum, & solemni pompâ delatum, sub marmoreâ laminâ, ad infimum principis aræ gradum, cum hac inscriptione inhumari voluit.

Nicolaus Psalmæus amicus vester
dormit
Orate pro eo.
Obiit die x. *mensis Augusti*
anni MDLXXV. *ætatis suæ* LVII.

Altera grandior marmoris luculliei crusta, parieti ad cornu sinistrum immissa est, his verbis inarata.

Psalmæo Episcopo, qui Deum, Religionemque jugiter colens, temporibus periculosis Episcopatum, & Civitatem servavit, ornavitque quibus potuit, ædificiis, documentis & legibus Christum spirantibus, rapto suis morte inopinatâ, N. Campomusæus ex sorore nepos, mæstissimus posuit. Vixit annos LVII. *præfuit Episcopatui* XXVII. *Obiit* x. *Augusti* MDLXXV.

Vivum elogiis celebrarunt docti, celebrarunt mortuum, etiam indocti. De illo Mamerotus in præfatione sermonum super Jonam Prophetam, sic loquitur. „Vir verè humani appellationem promerens; Vir cujus est tanta „ingenii suavitas, tantus animi candor, tantaque erga hominum mores „communitas & comitas, ut omnibus natus, omnia omnibus factus vi„deatur, ut omnia Deo lucri faciat; Vir inquam moribus aureis erga ho„mines doctrinâ ac pietate, elogio commendandus. Insummâ vir hujus „sæculi locupletissimum ornamentum.

De illo Sachinus l. 7. n. 85. plura ad ejus laudem scripsit, majora scripturus, nisi modestiam viventis, rubore timuisset perfundere. Ast liberalius

defunctl laudes cecinir Historiographus Virdunensis. Ad lemma cordi ejus impositum alludens, hæc habet Gallico sermone. Husson in vitâ Psalm.

Re verâ *amicus vester dormit*, & dormiens amitiriam vobis successoribus suam tacitus probat, dum pingues Episcopatûs possessiones, vel oppignoratas redemit, vel usurpatas à proceribus recuperavir, potentum faciem & minas nil veritus. Quanto ardore, impetitam fidem deffensare debeatis, suo commonstravit zelo, dum post obitum Francisci II. Calvinianus furor, quasi receptis viribus, præfractisque legum repagulis, per totam Galliam impunè volitans, ac decretoriâ religioni Catholicæ pernicie, instare videbatur Virduno, & suis inficere erroribus velle moliebatur, procùl à vigile Episcopo amandatus est, eo studio & labore, ur Civitas in fide steterit incolumis.

Amicus vester dormit, O Canonici, quibus virtutum præluxit exemplo, quos paternâ fovit charitate, informavit eloquio, cumulavit beneficentiis, & ad Venerabilis Sacramenti cultum, impensa liberali dote, animavir.

Amicus vester dormit, O Canonici Præmonstratenses, quibus cum religionis pari voto conjunctus, non cessavir intimum fraternæ necessitudinis vinculum, multiplici amoris testimonio roborare. Vos enim spoliatos ædificiis, & quasi exules, decenti habitatione suis structâ sumptibus excepit, & fortunæ vestræ angustias, prodigâ resarcivit manu.

Amicus vester dormit, Patres Jesuitæ, Ordinis vestri promotor magnificus, familiaritate cum fundatore vestro B. Ignatio connexus, collegiis propagandis, dilatandæ fidei & pietati, sedulâ vobiscum sollicitudine intentissimus amicus; cujus contubernio recreati, cujus parcimoniâ locupletati, cujus eruditione edocti, amicum omni tempore sensistis.

Dormit amicus vester, Patres Dominicani, quos inimicus ptorex è monasterio expulerat, & dirutis ex parte claustri & Ecclesiæ mœnibus, ad secessionem coegerat, nisi ultronea Psalmæi pietas, hospitio invitasset profugos, ædes restaurasset, & paternæ subventionis præstitisset obsequia.

Dormit amicus vester, Patres Minimi, quos ad suam civitatem evocatos, benignè suscepit, & in domum suis constructam impensis, assignatâ priùs ad quindecim religiosorum sustentationem, dote, introduxit.

Dormit amicus vester, Cives Virdunenses, quorum puellas dote cassas, liberaliter dato auro, honestè collocavit; quorum fidem, rugientis hæreseos tentatam blandimentis, servavit integram; quorum inopiam abundantiâ sua, imò parcitate, magno diviriarum suarum vectigali, sublevavit, Ernenfredo Archidiacono Virdunensis Ecclesiæ haud dissimilis, qui Berthario teste, patrimoniis carens, Regibus obsequendo, Principibus adhærendo, omnibus se submittendo, addam, sæculi fastum calcando, sobriè vivendo, multa acquisivit.

Talem ac tantum, ex paucis Psalmæum intellige, majorem intelliges dum opera illius, vel aliorum opinationes referentem, aut refellentem audies. Miraberis virum profundioris doctrinæ, vindicem disciplinæ veteris, in dicendo celerem, in scribendo expeditum, pro Ecclesiâ & fide deffensandâ indefessum pugilem. Miraberis etiam quomodò per discordes sententias, in concordiam & unanimitatem fidei adduxerit Concilii Patres, Spiritus Sanctus, conciliorum moderator, attingens à fine ad finem fortiter, & omnia suaviter disponens, ut columna veritatis quæ est Ecclesia, nullis oblatrantium, irruentiumve errorum fluctibus conquassetur.

PRÆFATIO.

Non habebit ultrà hæreticus, præclusæ in opinando libertatis suffugium, quo perduellionem suam obnubilet, dum peregrina, & plerumque à fidei criterio devia sensamenta audiet, jactata in medium, patienter audita, & confutata pacificè.

Cæterùm, reipublicæ litterariæ placebit, quantùm auguror, munus quod ex intuitu promovendæ fidei, eliquandæ veritatis & historiæ, offero, de virorum litteratorum, & præsulum Ecclesiæ consilio & hortamento. Ita in votis habui, & utinam votis exitus respondeat.

Chronicon Emonis & Menconis.

PAUCIS ab hinc annis, Clarissimus Vir Dominus *Mathieu*, de viris litteratis benè meritus, *Chronicon Emonis & Menconis*, prelo subjecit. Sed exemplarium paucitate novam aspirante editionem, hanc eò libentiùs eruditorum concessimus votis, quò rerum Frisiæ, nullibi descriptionem sivè historicam, sive chorographicam invenient, ab exordio sæculi decimi tertii, ad finem usque perductam accuratiùs.

Ne verò editoris nudi & jejuni incurreremus nomen, curavimus ad exemplaria Mss. Bibliothecarum quas lustravimus, castigare passim lectiones D. Mathieu, supplere hiatus, emendare textum, & notis geographicis dilucidare. Pace indefessi veterum monumentorum collectotis dixerim, in eo potissimùm deliquisse, quòd nullas ad historiæ & locorum intelligentiam apposuit notas, superfluâ canonum allegatione, quasi juris canonici tyrones edocturus, limbos & calcem paginarum commaculans. Fortè lectori suo, vel sudantis preli celeritas, vel exterarum curiositati non satis indulgens obsequentia non tulit hominem poligraphum, id præstare officii, quod concivibus Frisiis judicabat non profuturum. Absit enim ut in rerum locorum-ve provinciæ, quam ut patriam terit, cognitione peregrinum suspicer, minùs gratum potius æstimabo, qui quod nullo labore exequi poterat incola, reliquit advenæ exequendum labotioso conatu. Utinam non casso.

Cum verò narrationis autoritatem, ex narratoris scientiâ & probitate soleamus metiri, juvabit paucis vitam, & mores Emonis delibare, ut lectoris non cespitet fides, erga autorem, cujus in dicendo sinceritatem, in discernendo sagacitatem exploraverit.

Emo Frisius origine, post emensa humanitatis studia, Parisios se contulit, ut audiret Theologos. Hinc Aurelianum profectus in juris canonici peritorum disciplinam transiit. Oxonium indè liberalium artium, & Theologiæ magistris eâ ætate Florentissimum petiit, & in utrâque facultate adeptus lauream, versùs natale solum relegit gressus. Presbiterii insignitus caractere informandæ juventuti totum se addixit, eo successu, ut Monasteriensis Episcopus Otto, hominem ad majora natum, majoribus destinandum officiis, ad tegimen parochialis Ecclesiæ Husdingi vulgò *Husinge* vocaverit. Impositum suscepit onus, cui se subducere, licet studiorum & privatæ vitæ amantissimus, nefas esse putabat.

Dum pastoris optimi, tam exemplo quàm doctrinâ prælucentis ovili, munia obiret, ad eum accessit cognatus ejus vir nobilis nomine Emo de *Romersweerf*, quem post uxoris fata, incesserat amor solitudinis. Propositi sui censorem & conscium Emonem facit, cui non modò arrisit conversionis votum, sed & seipsum comitem velle esse laudabilis instituti declaravit. Nec morâ ambo vestitum Ordinis S. Benedicti induunt in *Fildwert.* Consuetæ probationis stadium in oratorio de *Romersweerf*, solitarii decurrentes, de repentè

pentè Confilium habitumque mutant, & Ordini Præmonftratano poftulant aggregari. Varlariæ Abbatem adeunt, & jam Ordinem fchemate profitentes, obfecrant votorum nuncupatione confociari. Supplices, & religionem moribus ut habitu fpirantes ad Capitulum venire jubet, fraternitatem concedit, & folemni profeffione vinctos, ad priftinam fedem præcipit reverti, curâ nihilominus & regimine *Novi-Clauftri* adjudicatis Emoni plebano.

Romerfwerfenfem Villam, candidæ militiæ infcripti repetunt tyrones difciplinam Ordinis in fe fufceptam, cum efflagitantibus avidè neophitis communicant. Crefcit fratrum numerus, & magnæ gentis Emo factus Pater magnâ follicitudine, magnâ gubernavit providentiâ gregem. Moribus efformandis ad Ordinis apices, fic invigilabat, ut excolendæ fcientiæ fedulus adlaboraret. Scholarum quippè non minus quam monafterii præfectus, & fuis, & exteris quos fama magiftri alliciebat, nunc politioris litteraturæ, modò Theologiæ arcana explanabat, ad utrumque paratiffimus doctor.

Accefferunt Virgines eum viduis zelo religionis æftuantes & Emonem voluerunt habere magiftrum. Non potuit fpiritu Dei impellente actas, non admittere ad Ordinis confortium virgines. Habitaculum ftruxit illis, virorum habitationi adhærens, donec anno 1215. ad Werumenfem villam translatis canonicis, tota ceffiffet virginibus Romerfwerfenfis domuncula, quæ *Campus Rofarum* nomen obtinuit. Utriufque familiæ curam gerebat minifter providus, quem licet invidorum torquerent vexationes, vel Ecclefiæ generalis neceffitates quandoque avocarent, tamen fuis confiliis tam prudenter occurrebat impendentibus malis, tam fapienter confulebat virtutibus, *vir Dei plenus fpiritu fapientiæ*, ut quod ædificaverat præfens, eo abfente in melius confurgeret.

Vaticinâ mente prænuntians futura, eventus prævertebat finiftros, aut ad finiftrorum tolerantiam, tantâ dicendi & fuadendi energiâ animabat oppreffos, ut lætificaret confolatione patientes. „ Habebat enim, inquit Menco, fpecialem gratiam confolandi per autoritates facræ paginæ, quam „ femper gerebat in pectore, & in ore nec-non & in opere.

Pollebat quoque prædicationis dono, quoquidem utiliter vel ad diffidentium concordiam, vel ad pecatorum converfionem, vel ad facræ militiæ expeditionem, mirantibus Frifiis, ufus eft. Indè amorem, indè confidentiam fuæ gentis affecutus cunctarum penè in provinciâ litium arbiter, expetebatur. Nulli defuit, omnium precibus amicabiliter fe inclinans & tenerrimâ commotus miferatione medebatur fingulorum miferiis. Charitatis affiduæ labores, ab affiduitate pœnitentiæ Emonem non abducebant. Vigiliis redimens, diurnæ occupationis tempora, partim in oratione, partim in lectione, aut librorum compofitione noctes tranfigebat ut plurimùm infomnis.

Obvelabat tanti viri virtutes & fcientiam intima animi demiffio, & ad vilia quæque tam foris, quàm domi factitanda, proclivitas. Superbiæ virus bonis operibus fubtiliter infidians, & blandè irrepens, fic cavebat humilitatis præco, ut fub alieno, vel tertii nomine libros ederet, & gefta referret laudabilia. Non emolliebat Chriftianæ generorifitatis vires, humilis modeftiæ fenfus, quoties vel pro causâ Dei, vel pro Ordinis vindiciâ audendum, tentandumve aliquid fe offerebat. Legimus quàm celfo animo, quàm heroico corde Herdricum præpofitum *Schilwoldiæ*, Religionis & canonum leges audacius calcantem, compreſſerit, ipfumque Theodoricum

Monasteriensem Episcopum Herdrico patrocinantem iniquiùs ad Ordinem coegerit; Legimus qualiter ut Phinees alius, zelo Ordinis accensus, pro deffensione jurium *Floridi-Horti*, per incredibiles corporis labores, nunc Romam, posteà Coloniam pedes ivit causam dicturus, pro domo Dei frementium undique hostium laniatibus discerptâ. Legimos denique quàm impavido corde oblatrantes ordini, & corrodentes ejus privilegia impetiverit, dum parochiales Ecclesias de *Emetha*, & *Schiramme* traditas Florido-Horto, excutere quidam malevoli attentarunt, quasi illegitimè concessas Ordini, quem à beneficiorum possessione & animarum curâ penitus exclusam conclamabant. *Per non modicas offensas, per varios malignantium insultus*, injuriam illatam ordini abstersit, & multiplici canonum displosione contudit adversariorum cavillos.

Alternis pacis & belli probatum sortibus, mors pacifica senilem, & sanctum reddidit cœlo Emonem, Anno Incarnationis Domini 1237. „ in nocte B. Luciæ Virginis quam semper dilexerat, ac ei servierat vigiliam ejus „ jejunando. Accedente festo ejus, supplicaverat eidem Virgini, morbo in„ valescente, ut si eo anno secundùm Dei ordinationem esset moriturus, „ eâ nocte, ipsius precibus, ad requiem transiret. Eâdem igitur, dictis ma„ tutinis, coram positis Fratribus, & Sororibus in *Novo-Claustro*, cui ipse „ tamquam rigator nomen *Campus Rosarum* imposuit, de laboribus, & „ ærumnis carnis ereptus dormivit cum patribus suis. Mortui sanctitatem miracula protestata sunt. Cœca mulier, visum ad invocationem ejus recuperavit Damæ. Mutus loquelam, contracta gressum, meritis & precibus Emonis obtinuerunt. Portentis similibus celeberrimum Patrem, Frisii venerantes, Beatorum fastis & patronorum albo ascripserunt.

Emoni suffectus est Paulus, quo viam universæ carnis ingresso tertiâ Augusti 1242. in ejus locum, præside Elgero Abbate Horti Mariæ, vocatus est Menco. Scientias ille excoluit, & gymnasium ad juventutis Frisiæ institutionem aperuit in Florido-Horto. Affluentium undequâque scholarium concursus, tranquillitatem religiosæ domûs sic turbavit, ut Capitulum Generale Ordinis, palæstram decreverit in *Emethâ* transferrendam. Emonis chronicon prosecutus est Menco ad annum 1276. qui fuit supremus vitæ ejus. Anonymus ejusdem loci Canonicus ad finem penè sæculi, sed temporum non satis servato ordine opus deduxit.



EPISTOLÆ

EPISTOLÆ GERVASII PRÆMONSTRATENSIS ABBATIS, POSTEA SAGIENSIS EPISCOPI.

PROEMIUM.

Hugo Gervasii Secretarius has Abbatis sui Epistolas dirigit ad Amicum, cui & eas maximoperè commendat.

DILECTO & dignè diligendo, olim socio, nunc amico, (*a*) Simoni Canonico Sanctæ Mariæ de Sancti Eligij-fonte, Frater Hugo Præmonstratensium Fratrum minimus, salutem, & modicum id quod ipse est in orationibus, & dilectionis affectum.

Nuper cùm ab Ethnicis sæcularium scholarum fabulis, ad excellentioris Philosophiæ studium transissemus ego & tu adolescentuli, in diversis claustris Religionis habitum assumentes: accidit quod ego post probationis meæ dies professus Regularem vivendi modum, & stabilitatem in loco, & factus Canonicus, vocatus sum pluries à Reverendissimo & amantissimo Patre Domino Gervasio Abbate meo, *qui me genuit in Evangelio*: ut quia scribendi usum assueveram puerulus, sicut nosti, litteras coram eo scriberem, quas dictabat: quæ, tum quia sapiebant mihi, licet ignoranti discernere de eisdem: tum quia audieram à pluribus quod idem Abbas meus in modo dicendi, pariter ac dictandi commendaretur à multis, quasdam ab ipso me scribente dictatas, & quasdam alias, quas ante tempus meum recenter projectas inveni, litteras compilavi: ut sicut ipse erat adolescentiæ meæ Doctor pius, & benignus instructor; ita & ego essem ipsius tam in moribus, si concederetur à Domino, quàm in dictandi scientiâ humilis & diligens imitator.

Verùm quoniam nullum oblectamentum meum, quod non participaret mecum tua dilectio, integrum arbitrarer: compilationem à me factam, & Summam unam à sanctæ recordationis Gregorio Papâ VIII. (sicut dicitur) editam *de stylo Romani dictaminis*; & quandam aliam Summam, quæ intitulatur Magistri Transmundi, *de arte dictandi*, quas acquisivit mihi dictus Abbas meus, tibi censui transmittendas: ut degustans approbes, si tibi sapit hoc, quod mea jam approbavit esuries degustatum: licet satietas tua fortè ex ingenii singularis perspicitate proveniens, nuces reputare debeat avellanas, quod dicta esuries mea delicias reputat pretiosas.

A Noverit

(*a*) Forte ille Simon est Abbatum ordine tertius, qui ad An. 1240. regimen Abbatiale S. Eligii fontis protelavit. Est autem hæc Abbatia Ordinis S. Augustini uno lapide ab oppido Calniaci, gallicè *Chauny* in Picardia, distans, & An. 1130. fundata.

Noverit autem dilectio tua, quod aliquas litteras missas supradicto Abbati meo, in præsenti libello censui inserendas; non tam propter elegentiam dictaminis, quàm propter mittentium dignitatem. Rogo igitur ex intimæ dilectionis affectu, & sub periculo ejusdem, quatenus dictam compilationem, quam jam plures viderunt, & ex parte lectam desiderant perlegendam, & forsitan transcribendam, tractes mundè, serves honestè, sed & remittas maturè: ne forte David, si aliter fiat, suum cogatur Jonathan non curare: vel (ut secundum Ethnicorum fabulas tibi loquar) ne Theseus abjuret Pirithoum, Pilades ignoret Orestem, Tisbe nesciat Pyramum.

Vale, Frater optime, & apud legentis animum ita valeant quæ transmitto, ut inveniantur & animæ commodum attulisse, dum occupatus in illis mundum nescias, quem liquisti. Datum Præmonstrati Anno gratiæ millesimo ducentesimo octavo-decimo, non multum post Festum B. Joannis Baptistæ.



EPISTOLA I.

Gervasius Innocentio III. scribit, qualiter fuerit celebrata Electio Fulconis Abbatis Corbeiensis, cui præfuerat anno 1199. *ex commissione Legati Apostolici.*

REVERENDISSIMO Patri & Domino Innocentio, Dei Providentiâ Sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, humillimus ejus servus Frater Gervasius, minimus Præmonstratensium Fratrum (*a*) cum orationum instantiâ devotum obedientiæ famulatum.

Rogatus à viro Religioso Domino Joanne (*b*) Abbate Corbeiensi, ut super electione ipsius, cui ego interfui, vestræ scriberem Sanctitati, timore duplici sum concussus; hinc nimirum metuens præsumptionis notam, si Apostolicæ scriberem Celsitudini super negotiis alienis: illinc flagellum conscientiæ reformidans, si denegarem testimonium veritati; maximè ubi fraterna charitas pulsabat ad ostium, postulans non injusta. In eam demum partem judicium meæ deliberationis inclinans, pro quâ veritas & charitas allegabant, excusso timore, *quem perfecta charitas foras mittit*, Sanctitati Vestræ, cujus clementiam sæpius sum expertus, humiliter censui intimandum, quòd vacante dudum Monasterio Corbeiensi Reverendus Pater & Dominus Guala, (*c*) Sanctæ Mariæ in Porticu venerabilis Diaconûs Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus, quem alia negotia occupabant, *existimans ex me aliquid amplius* fortassis *quàm esset in me*, commisit mihi (qui tunc temporis Thenoliensem Ecclesiam ministrabam) ut ad Monasterium ipsum accedens personaliter electionem Abbatis celebrandam ibidem regerem sub hâc formâ; quatenus Fratres Monasterii, si essent discordes consilio, vel rigore justitiæ ad eam concordiam revocarem, ut in aliquam personam idoneam convenirent; quia multas honestas personas aut facie, aut per famam mihi credidit esse notas.

Cùm igitur ad Monasterium ipsum cùm honestis & Religiosis personis, sicut injunctum mihi fuerat, accessissem, Fratres Monasterii petitâ (sicut moris est) & obtentâ à Domino Rege licentiâ eligendi, adventum meum tanquam obedientiæ filii benignissimè admittentes, in hunc, habito tractatu, consenserunt electionis modum: ut

(*a*) Hæc epistola scripta fuit à Gervasio à limine adeptæ Abbatiæ Præmonstrati an. 1209.
(*b*) Joanne electo Abbate Corbeiensi anno 1199., contra cujus electionem nonnulli juniores Monachi tumultuantes ad Innocentium 3. querulam appellationem intentarant.
(*c*) Guala, alio nomine Walo Cardinalis Diaconus tituli S. Mariæ. Anno 1208. Concilio Parisiensi præfuit, tanquam Legatus Apostolicæ Sedis.

ut ego, adhibito mihi teste, viro Religioso Radulpho, (a) quondam Abbate Sancti Joannis Ambianensis, examinarem singulos sigillatim, & confirmarem electionem illorum, quibus esse crederem melius revelatum. Quippe cùm crederetur quod, licet vota eorum essent in plures personas divisa, omnes tamen utilitatem communem intenderent & optarent.

Factâ igitur examinatione ipsâ, cùm constaret quod tres partes Conventus, vel circiter, virum Religiosum Dominum Joannem Latorem præsentium, Monachum Beati Dionisii postularent: quartâ parte Conventus, in quâ erant adolescentes multi, & circiter sex aut septem maturæ personæ, divisâ per partes: conveni illos qui maturiores erant, & quæsivi ab ipsis, utrum pro bono pacis, majoris partis Fratrum desiderio assentirent? ipsis vero assentientibus, & petentibus instanter ut ad nominationem ipsius procedere festinarem: ego, qui de personâ ipsius audieram multa bona (utpote qui in Monasterio Beati Dionisii ab ineunte ætate conversatus fuerat laudabiliter & honestè, & commissa sibi frequenter Monasterii bona fideliter ministrarat) convocatis in capitulo Fratribus universis, nemine prorsus contradicente, electionem factam de ipso, authorithate mihi traditâ confirmavi, & ipsum feci nominari solemniter in Abbatem. Si qua autem zizania superseminata sunt postmodum ab homine inimico, Monasterio, quod plurimum est afflictum, fraternâ condoleo charitate. Sed consortor in eo, quod Vestræ Sanctitatis examen, cùm innotuerit vobis veritas, medicinam dolori celerem adhibebit.



EPISTOLA II.

Gervasius Innocentium III. super subsidio Terræ Sanctæ consulit.

SANCTISSIMO Patri & Domino Innocentio, Dei Providentiâ Sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, humillimus ejus servus Frater Gervasius, minimus Præmonstratensium Fratrum, cum orationibus devotam obedientiam, & pedum oscula.

Zelus pro subsidio Terræ Sanctæ, & devotio quâ Vestræ teneor Sanctitati ita comedunt me, quòd licet quasi in mortis janius constitutus, tamen tacere non possum. Sanè misistis nuper in Franciam venerandum in Christo Patrem S. Tyrensem Archiepiscopum, cui dedistis potestatem promovendi Christi fidelibus verbum Crucis, & commutandi vota humilium personarum, quæ vel propter infirmitatem, vel nimiam paupertatem sunt inutiles subsidio Terræ Sanctæ. Interrogatus autem idem Archiepiscopus à pluribus, utrum Magnatibus Franciæ Cruce-signatis dederitis usque in annum futurum licentiam remorandi? respondit, Vos nihil mutasse circa majores vel minores de ordinatione Concilii Generalis (b). Interrogatus etiam, utrum cogendi essent omnes ut irent hoc anno? respondit se nec recepisse, nec scire quòd aliquis alius recepisset à Vobis super hâc coactione aliquam potestatem.

Dixit autem mihi idem Dominus Archiepiscopus quod Vobis super his quæ egerat cum Domino Rege & cum aliis de negotiis sibi commissis scripsisset statim post Concilium Meludini in ejus adventu solemniter celebratum: sed ego non curavi quærere quid scripsisset, credens quod per eum de omnibus negotio necessariis essetis sufficienter instructi; nec ego aliud optare debebam. Verùm quia quædam postmodum eruperunt, de quibus (quia tunc temporis non innotuerunt ei) Vestram non potuit mansuetudinem præmunire, ea Vobis duxi breviter intimanda. an. 1216.

Magistri

(a) Radulphus vivere desiit anno 1205.
(b) Generalis, Lateranensis, anno 1215. habiti per quod sancitum fuerat, ut cruce signati, ad Kal. Junii, Siciliam, Brundusium, vel Messanam transfretandi causâ, convenirent.

Magistri Parisienses asserunt quòd omnes peccabunt mortaliter, qui, ex quo nihil relaxatis de ordinatione Concilij Generalis, non ibunt hoc anno, & cadent à privilegio Cruce-signatorum, & etiam à peccatorum remissione, & indulgentiâ privabuntur, licet ad executionem voti redierint in futurum. Magnates autem [de quibus pro majori parte constat quòd non ibunt] non multùm curant de assignatione Parisiensium; quia nec spiritualem pœnam â Vobis, nec á terrenis Dominis temporalem in se metuunt descensuram. Inferioribus verò personis [utpote Burgensibus & rusticis, quorum magnus est numerus] intentatur occasione verborum istorum temporalis pœna; quia dicunt Nobiles & Potentes & etiam Communiæ Civitatum, quòd statim post Nativitatem B. Joannis Baptistæ recipient ab eis exactiones & tallias sicut priùs.

Ipsi autem inferiores Cruce-signati, qui numero sunt non pauci, in multâ amaritudine & angustiâ cordium constituti respondent, se paratos esse stare Apostolicæ ordinationi, si fuerit eis denunciata expresse, ut-pote qui præparaverunt sibi expensas, & ardenter prosequi disiderant votum suum: sed subjungunt, se omnino nescire quomodò, aut quò vadant: quia, in quantum humano patet judicio, inutiles erunt prorsus subsidio Terræ Sanctæ, nisi habuerint de terrâ suâ, & de idiomate suo milites præcedentes.

Super his igitur, Mansuetissime Pater tale, si placet, festinanter consilium habeatis, unde proveniat desolatorum solatium & subsidium oppressorum: ne fideles Christi, quos cum tantâ devotione vidi suscipere signum Crucis, & adhuc paratos esse prosequi quod voverunt fideliter sine fraude, in desperationis foveam prolabantur, si crediderint se astrictos esse voto peregrinationis, & nihilominus propter hanc remorationem, quam inducit necessitas, non voluntas, ab omni privilegio & peccatorum indulgentiâ cecidisse.

Dico autem confidenter [& credo quòd multi mecum sentiant in hâc parte] quòd multùm expedit negotio, quod Teutonici non vadant cum Francis, qui nunquam leguntur fuisse in aliquâ solemni societate concordes. Credo tamen, & plures credunt, negotio expedire, ut Dux Burgundiæ [a] & Dux Lovaniæ, (b) & alij, qui alicujus videntur esse nominis in Franciâ & in viciniâ Franciæ, quibus hactenus pepercistis aliquantulùm, aliquantulùm arctiùs astringantur ad arripiendum iter in anno futuro, ita-ut tam majoribus, quàm minoribus tempus arripiendi iter denuntietur expresse sub pœna.

Super quibus omnibus [si Vestræ placuerit Sanctitati] poteritis scribere Bituricensi, Rhemensi, Rothomagensi, Turonensi, & Senonensi Archiepiscopis, & eorum suffraganeis & etiam pluribus, si volueritis, secundum quod Beatitudini Vestræ ab Omnipotenti Domino fuerit revelatum.

Nec arctetis, si placet, Francigenas ut ad portus Apuliæ & Siciliæ laborent: sed ascendant naves ubicumque voluerint & potuerint commodiùs navigium invenire.

Nec Vos lateat quod aliquis apud nos Episcopus, omissis Nobilibus, arctat inferiores per interminationem excommunicationis, ut vadant: non tam [ut creditur] ad negotium promovendum, quàm ut emungat bursas eorum.


Hoc autem negotium, cùm ad Sanctitatem vestram præcipuè pertinere noscatur, non erit qui procuret, nisi vel Latori præsentium, vel Notario, vel cuilibet alii illud expresse apud Vosmet-ipsos injunxeritis procurandum.

Cæterùm cùm sint multi in Franciâ excommunicati, pro eo quòd cum Domino

(a) Dux Burgundiæ, Odo, filius Hugonis III. qui anno 1192. ducatum adiit, Patre ejus in expeditione sancta fatis functo Tyri.

(b) Dux Lovaniæ, Henricus filius Godefridi III. & Matthildis Bononiensis.

mino Ludovico (*a*) in Angliam transierunt, cum quibus ego & alii periculosissimè conversamur, de voluntate quorundam Vestræ suggero & supplico Sanctitati, quatenus (si placet) præcipiatis, ut tantò in defensione Albigensium Ecclesiæ commorentur, quantò in Angliâ sunt morati; ut sic absolutionis gratiam mereantur. Sciatis etiam quod multi eorum, magis abstinent se ab ingressu Ecclesiæ ex timore Dei, & ob reverentiam mandatorum ejus, quàm per aliquam diligentiam Prælatorum. Valeat in Domino Sanctitas Vestra, quam Deus Ecclesiæ suæ conservet incolumem.



EPISTOLA III.

Innocentio III. pro præstitis Ordini Præm. beneficiis gratias agit, ipsumque rogat ut à præstandis non abstineat, licet immerenti. Anno 1214.

BEATISSIMO Patri & Domino Innocentio, Dei providentiâ Sacro-Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, devotissimus ejus servus Gervasius Præmonstratensium Fratrum minister humilis, pedum oscula & cum orationum instantiâ devotam obedientiæ voluntatem.

Ex protestatione Sanctitatis Vestræ comprehensâ in principio literarum, quas nuper ad convocandum Sacrum Concilium (*b*) destinâstis, didici, cum legerentur Remis, & gavisus sum, ex quo divina providentia vos vocavit ad apicem Apostolicæ Dignitatis, circa duo præcipuè, vestra semper intentio versabatur, ut subveniret scilicet Terræ Sanctæ, & ut Ecclesia Dei tam in moribus, quam etiam in personis incrementum semper susciperet honestatis. Commendabile quoque est sanctæ pietatis propositum, & devotarum orationum suffragiis ab universali Ecclesiâ prosequendum. Ego verò pro modulo humilitatis meæ, semper desideravi hocipsum, velut intentionis vestræ sanctæ & in desiderio humilis imitator, & in orationibus devotus adjutor. Unde cum jam pluries accessimus ad vestræ præsentiam sanctitatis, quia non inerat mihi prudentia, quâ vobis obsequerer in consulendo universali Ecclesiæ, imo orbi, seu devotus, quod potui consilium pandens fidele pro parte, pro Præmonstratensi videlicet Ordine suscitando, qui modico auxilii vestri flatu, & excuteret cinerem, sub quo dormit, & flammam gravissimæ Religionis cum bono odore eminenter effunderet, atque latè.

In principio siquidem promotionis vestræ, exaudistis me in multis, quæ universitati Ordinis non mediocriter profuerunt, (*c*) & scio quòd abundantius profuissent, nisi disceptatio quorundam, privata quærentium commoda, & inter se altercantium, gratiam vestram ab ipsis, & ab aliis avertissent. Absit tamen ab Apostolicâ pietate, ut pro peccatis paucorum universis iras-

(*a*) Domino Ludovico VIII. qui anno 1216. Londinum ingressus, Rex Angliæ salutatus est, & pulso fugatoque rege Joanne regnum invasit. Walo Legatus Innoc. 3tii ipse demum Innocentius 3. proscripti regis & sibi nuper reconciliati, infortunium miserantes, usurpatorem Angliæ Ludovicum. & illius asseclas anathemate confixerunt.

(*b*) Sacrum Concilium, Lateranense.

(*c*) *Profuerunt ordini* quem an. 1193. 1198. 1200. 1209. variis privilegiis exornavit, ad disciplinæ regularis fulcimentum, extant in Bibl. Præm. pag. 644. & seq.

camini in æternum, ficut videmini fecisse jam dudum, durum mihi præbentes auditum in pluribus, quæ vobis pro communi utilitate suggessi per humiles quidem nuntios, cum non potuimus habere solemnes. Super hoc etiam ad pedes Sanctitatis vestræ, cum devotissimâ gratiarum actione humiliter me prosterno, quod paterno, sicut referunt mihi nuntii redeuntes, inquiritis semper affectu, quid agam, & qualiter respondeat mihi labor meus in fructu. Ad hoc autem respondeo vobis planè, quod nisi Sanctitatis vestræ solatium exspectassem, onus mihi injunctum, jam pridem ab humeris excussissem, utpote qui multùm laboro & fatis parum proficio, nec proficere potero, nisi vestra pietas mihi, & conprofessoribus meis subvenerit abundanter. Credo etiam pro constanti, quod si gratia vestra usque modò perdurasset circa Præmonstratensem Ordinem, sicut cœpit, & illi qui rexerunt Ordinem ipsum medio tempore, cum dignâ humilitate & devotione, oblatæ sibi gratiæ respondentes, operati fuissent in eo, non esset Professio Religionis ad præsens, ad quam & à Clericis & à Laicis devotius curreretur.

Supplico igitur Sanctitati vestræ, sicut servus, licet inutilis, tamen devotissimus, ut credo, cum eâ instantiâ & humilitate, quâ possum, quatenus mansuetudo vestra circa Præmonstratensem Ordinem, ad pristinos revertatur affectus, & in eo pergat, quod incepit. Specialiter latorem præsentem Jonam Canonicum Sancti Stephani Vuradiensis in Hungariâ Sanctitati vestræ commendo, supplicans humiliter & devotè, quatenus in suis justis petitionibus obtineat exaudiri; Sed in hoc præcipuè, ut ad suæ, & aliarum Ecclesiarum Præmonstratensis Ordinis, quæ sunt in Hungariâ defensionem, generale privilegium dudum à vobis concessum Ordini (a) habeat innovatum.

EPISTOLA IV.

Gervasius Honorio III. Pontifici multa pro recuperatione Terræ Sanctæ scribit & suadet.

SANCTISSIMO Patri & Domino Honorio, Dei Providentiâ Sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici F. Gervasius, Præmonstratensium Fratrum minimus, cum orationibus devotam obedientiam, & pedum oscula.

Si *zelus* Sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ non *comederet me, & opprobria exprobrantium* ei non *caderent super me* tanquam super Filium qui diligit Matrem suam, possem fortassis dissimulare cum aliis, sustinens negligenter opprobria tantæ Matris; cujus utinam universi ita curarent conservare honorem, sicut desiderant ejus lacte potari. Diu siquidem est, quod de præsumptione argui reformidans, Vestræ distuli scribere Sanctitati, expectans de die in diem, ut secundùm ordinationem editam in Concilio Generali, aliquis post decessum (b) venerandæ memoriæ Domini Innocentii prædecessoris Vestri Legatus aut Nuncius (c) destinatus à Vobis ad partes descenderet Gallicanas, dispen-

(a) *Dudum concessum ordini privilegium* ab Innoc. 3.tio. Forte illud est quo procurationes, vetatur Episcopis, ex grangiis Præmonstratensibus exigere, vel aliud quo usus Pontificalium prohibetur Abbatibus ordinis, ad votum generalis Capituli.

(b) *Post decessum Domini Innocentij*, contigit XVII. Kal. Augusti anni 1216. Perusii.

(c) *Nuntius destinatus ad partes Gallicanas descenderet*, Nullum ab Honorio Nuntium fuisse ablegatum in Galliam, pro accelerando Negotio Terræ Sanctæ in-

faturus cum Cruce-fignatis, quos videret inutiles Terræ fanctæ; & profectionem tam majorum, quàm minorum concitato difcretorum confilio ordinare curaret. Sperabam autem quòd id maximè deberet fieri per Virum venerabilem Magiftrum Jacobum (a) Acconenfem Clericum, cujus in Franciam ob idipfum de die in diem reditum expectabam.

Sed cùm audiffem poftmodùm, quòd & ille in partes feceflerit tranfmarinas, & Vos perfonis tantùm fublimibus Cifmontanis fcripferitis pro negotio Crucis Chrifti; nefciens utrum pufillus grex Domini (qui adhuc non minùs devotè, quàm nobiles Crucem gerit) in litteris veftris fuerit obmiffus, crebtas ejus & multiplices querimonias Vobis cenfui præfentibus intimandas.

Conqueruntur enim milites inferiores & pauperes univerfi, quòd, cùm ad admonitionem eorum, qui Ecclefiæ Dei præfunt, affumpferint fignum Crucis, parati per omnia abnegare feipfos, & omnia fua ad tempus relinquere pro Terra fancta in ftatum debitum reformanda; jam nec in Potentibus fæculi (qui non curant) nec in viris Ecclefiafticis, (qui fignandis eis promiferant pecunias, confilium, & ducatum) inveniunt qui jam fignatis præftet aliquatenus vel confilium, vel folamen, vel etiam juftitiæ complementum, quando contra privilegium peregrinationis, à Potentibus opprimuntur.

De hoc ipfo quoque non filent, quod pecunia Truncorum, qui fuerunt in fingulis Ecclefiis inftituti, & vigefima Clericorum, vel à Templariis in quibufdam locis; in quibufdam verò ab Archiepifcopis, vel Epifcopis, vel Officialibus eorundem, exigitur importunè: & quando quæritur, quid inde fieri debeat? refpondetur, quod debeat mitti N. Pauci autem inveniuntur, quando fonat in eorum auribus nomen N. qui non infurgant in Clerum, vel clandeftinis detractionibus, vel objurgationibus manifeftis, collectam dudum quinquagefimam recenfentes; quam, quia non viderunt in ufus runc ordinatæ peregrinationis fuiffe expenfam, clamant tanquam indifcreti, quibus non redditur ratio de omnibus quæ fiunt; à N. fuiffe abforptam.

Ex hoc autem jam contigit in plerifque locis, quod Trunci à quibufdam Ecclefiis viliter funt projecti; & vigefima aut omnino non colligitur; aut fic colligitur, quòd parùm prodeft Terræ fanctæ. Interpretantur enim omnes quòd quando verbum prædicationis pro fubventione Terræ fanctæ à Sacrofancta Romana Ecclefia primò defcendit, promiffum fuit Cruce-fignandis, quòd pecunia five per Truncos, five modis aliis per fingulas Regiones, five Provincias colligenda, in pauperiorum refunderetur expenfas, qui affumerent fignum Crucis.

Præterea cùm fcripferitis, ut prædixi, quibufdam Nobilibus, utpote Duci Burgundiæ, & Gualtero Domino Avennarum, ut ad arripiendum iter peregrinationis fuæ in Pafcha proximo fint parati: & ipfi Vobis refcripferint fupplicando, ut detis eis, ficut dicitur, inducias anni unius: oritur confufio circunquaque, quia nefcitur utrum debeant exaudiri.

Ut igitur fuper his omnibus falubre confilium apponatis; affumens ex neceffitate cor grave, non fine deliberatione habitâ cum quibufdam, qui quid expediat fcire creduntur, Veftræ humiliter & verecundè fuggero Sancti-

venimus ante annum 1225. five propter incumbentem Albigenfium hærefim, cui opprimendæ tota & diu adlaboravit Gallia, five ob fervens inter Anglos & Gallos bellum contumax, pro quo fopiendo Honorius Philippum, & fucceflorem ejus Ludovicum 8. fruftra precibus & litteris convenit.

(a) Hunc crederem effe Jacobum de Vitriaco, factum poftea Aconenfem Epifcopum, Gervafio, neceffitudinis fœdere conjunctiffimum.

tati, ſine præjudicio conſilii melioris, quatenus detis dictis petentibus inducias quas requirunt.

Interim autem, ſi propter Eccleſiarum gravamen, non miſeritis in Franciam Nuncium vel Legatum; litteras ſaltem tempeſtivè dignemini deſtinare, per quas inſtituatis ordinatores per ſingulas Provincias, ſive Diœceſes, quibus iſta quatuor committantur. In primis, ut in privilegio ſuo defendant Cruce ſignatos. Secundò, ut diſpenſent circa inutiles. Tertiò, ut pecuniam ex commutatione voti, ex Truncis, & ex vigeſima (ſi collecta fuerit) provenientem ſub teſtimonio colligant competenti. Quartum quidem, erit officium eorundem, (ſi volueritis ſcandalum amovere) ut collectam pecuniam diſtribuant militibus jam ſignatis, vel adhuc ſignandis, vel etiam aliis, qui utiles eſſe credùntur negotio promovendo. Scio autem quod vigeſima, non deductis expenſis omnibus generalibus, Religioſis & etiam aliis erit quaſi impoſſibilis ad ſolvendum, illis ſolis exceptis qui habent certos reditus unde vivant.

Ad prædicta verò per ſe, & per alios exequenda fideliter & prudenter, idoneas eſſe credo perſonas inferius denotandas. In Remenſi Provincia, Decanum & Scholaſticum Noviomenſem, I. Archidiaconum Cathalaunenſem, Decanum S. Petri Laudunenſis. In Senonenſi Provincia, ipſum Archiepiſcopum Senonenſem & Epiſcopum Altiſſiodorenſem. In Rothomagenſi provincia, ipſum Archiepiſcopum Rothomagenſem, Bajocenſem, & Lexovienſem Epiſcopos. In Turonenſi Provincia, Cenomanenſem Epiſcopum. In Bituricenſi Provincia, Decanum & Magiſtrum Petrum Canonicum de vico Bituricenſi. In Burdegalenſi Provincia, ipſum Archiepiſcopum Burdegalenſem, & Epiſcopum Pictavienſem. In aliis Provinciis paucos novi, quos ad hoc negotium exequendum audeam commendare: (a) maximè cùm Albigenſium vicinia quaſdam earum ſatis detineat occupatas.

Si igitur in his ſuggerendis viſus fuero præſumptuoſus alicui, qui non attendat neglectum negotii ſatis manifeſtum, & ſuggerentis affectum; à Veſtra manſuetudine, Beatiſſime Pater, veniam peto humiliter, conſcientiâ teſte ſciens, quòd in his dicendis filialem devotionem habui erga Patrem; & erga Fratres ac conſervos meos fraternæ charitatis affectum. Valeat ſemper in Domino Sanctiſſima Paternitas Veſtra, quam Deus Eccleſiæ ſuæ conſervet incolumen.

EPISTOLA V.

Gervaſius apud Honorium III. conqueritur de Stephano Noviomenſi Epiſcopo, qui procurationes de Grangiis Præmonſtratenſium exigebat.

SANCTITATI veſtræ in multa amaritudine cordium conqueruntur humillimi ſervi veſtri Abbates noſtri Præmonſtratenſis Ordinis, in Remenſi Provinciâ

(a) Anno 1217. hanc Gervaſii Epiſtolam ſcriptam fuiſſe ex his verbis conjicio, tunc enim temporis, domandæ huic ſectæ ut plurimum ſtudebat Eccleſia, annitebantur Epiſcopi, & ad Summi Pontificis hortamenta, incumbebant Doctores facultatis Pariſienſis, quibus comites adjunxit Patres Dominicanos,

Provinciâ constituti, quòd licet in eorum Privilegiis inhibitum sit expressè, ne quis Archi-Episcopus, vel Episcopus, nisi in manifestâ necessitate in eorum grangiis hospitetur, quidam tamen Episcopi Remensis Provinciæ & Archi-Diaconi, ac ipsorum Officialis, in singulis Grangiis eorundem fratrum, in suis Diœcesibus constitutis procurationes (*a*) exigant annuatim. Quæ si eis fortè aliquando negantur, ministri eorum, de animalibus vel de bonis ipsorum fratrum prædas violenter abducunt, quas vel pignori obligant, vel alienant omnino, nec fratribus ipsis restituunt, donec pro requisitâ procuratione, certa pecunia persolvatur, qui ut avaritiam suam & exactionem excusent, frivolas exigendæ procurationis causas assignant, vel quia ipsi, vel prædecessores eorum ibi quandoque fuerint hospitati, vel quia in grangiis ipsis decimæ colligantur, vel quia Canonici, qui Parochialem Ecclesiam in vicinis locis obtinere noscuntur, aliquandò commorantur in grangiis, vel quia in eis claustrum Sororum habetur, quæ ex accessu quorundam non multùm proficiunt in his, quæ ad salutem pertinent animarum. Specialiter autem Abbas Præmonstratensis Ecclesiam suam super his & aliis à Domino Stephano Noviomensi Episcopo & Philippo Archi-Diacono suo importuniùs conqueritur aggravari, idem namque Episcopus præter alia damna, & multiplices injurias dictæ Ecclesiæ erogatas nuper, cum mandâsset sibi in quadam grangia ipsius Ecclesiæ, quam nomine Ecclesiæ duo tantùm cum familia modicâ custodiebant Laici sæculares, de procuratione & hospitio provideri, & quidam Canonicus custos alterius grangiæ in vicino, cui hoc mandavit, respondisset, quòd hoc sine Abbatis, sui licentiâ facere non auderet, dictus Episcopus non exspectato responso Abbatis per quendam Decanum suum ruralem, & satellites grangiam ipsam de nocte ingressos, novem vaccas & duos equos inventos in domo, pro pastu, ut dicebant, suo Domino denegato, per violentiam abduxit, quia idem Episcopus reddere contradicit, donec de pastu sive procuratione prædictâ, & de expensis animalium detentorum ei fuisset satisfactum. Supplicant igitur Sanctissimæ Paternitati vestræ omnes conquerentes prædicti, quatenus oppressiones eorum pietate Apostolica miserantes, detis judicibus in mandatis, & districtè præcipiatis eisdem, ut Episcopos & Archi-Diaconos Remensis Provinciæ, nec non & officiales eorum monitione præmissâ, per censuram Ecclesiasticam appellatione remotâ districtè compellant, ut fratres prædictos contra indultam sibi à Sede Apostolicâ libertatem, nec in prædictis, nec in aliis aggravare præsumant, nec aliquas eis exactiones imponere cujusquam ausu temeritatis attentent. Specialiter eundem Noviomensem Episcopum ad reddendam prædictam prædam, quam capi fecit, & ad satisfaciendum de damnis & injuriis illatis Ecclesiæ Præmonstratensi, Authoritate vestrâ, remotâ nihilominus appellatione compellant, ne ipsius arrogantiâ, si remanserit impunita, aliis subministret fiduciam, similia præsumendi. Judices petunt Decanum, Magistrum Gerardum, & Fromundum Canonicum, Remenses.

(*a*) *Procurationes exigant*, hanc querelam Honorio 3. detulit Gervasius anno 1217. adversus Stephanum de Nemours Episcopum Noviomensem, electum anno 1188. & denatum anno 1220. privilegium verò quod sua exactione impetebat, ab Innocentio 3. concessum erat anno 1200. XIII. Kal. Junii in gratiam totius Ordinis Præm.

EPISTOLA VI.

Reſcriptum Honorii III., quo Decanum Remenſem, Gerardum & Fromundum Canonicos Remenſes deputat judices in cauſa Gervaſii adverſus Noviomenſem Epiſcopum anno 1217.

HONORIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Decano & Magiſtro Gerardo, ac Fromundo Canonicis Remenſibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Gravem quorundam Abbatum & Fratrum Præmonſtratenſis Ordinis, Remenſis Provinciæ recepimus quæſtionem, quòd licet in eorum privilegiis inhibitum ſit expreſsè, ne quis Archi-Epiſcopus vel Epiſcopus niſi in manifeſtâ neceſſitate in eorum Grangiis hoſpitetur, quidam tamen Epiſcopi vel Archi-Diaconi Remenſis Provinciæ ac officiales eorum, in ſingulis Grangiis eorundem fratrum in ſuis Diœceſibus conſtitutis, Procurationes exigunt annuatim, quæ ſi eis aliquando fortè negantur, miniſtri eorum de animalibus & bonis aliis eorundem prædas violenter abducunt, quas pro pignore obligant, vel alienant omnino, nec fratribus ipſis reſtituunt; donec pro requiſitâ procuratione certa pecunia perſolvatur, qui ut avaritiam ſuam & exactionem excuſent, frivolas exigendæ procurationis cauſas aſſignant; vel quia ipſi aut prædeceſſores eorum, in Grangiis fuerunt hoſpitati, ſive quia in Grangiis ipſis decimæ colligantur, ſeu quia Canonici, qui Parochialem Eccleſiam in vicinis locis obtinere noſcuntur, aliquando commorantur in grangiis; aut quia in eis clauſtrum ſororum habeatur, quæ quidem ex acceſſu quorundam non multùm proficiunt in his; quæ ad ſalutem pertinent animarum. Super his autem & aliis, dilectus filius Præmonſtratenſis Abbas ſpecialiter aſſerit Eccleſiam ſuam à venerabili fratre noſtro Epiſcopo & Archi-Diacono Noviomensibus importunius aggravari, proponens, quod cum dudum idem Epiſcopus peteret in quadam ejuſdem Eccleſiæ grangiâ in procuratione ſibi & hoſpitio provideri, & quidam Canonicus Abbatis ipsius, cui hoc Epiſcopus ipſe mandaverat, ſe non poſſe hoc facere ſine Abbatis ſui licentia, reſpondiſſet, quidam ejuſdem Epiſcopi Decanus ruralis eandem grangiam de nocte cum quibuſdam complicibus ſuis ingreſſus, novem vaccas & duos equos eorum pro paſtu, ſicut dicebat, ſuo Domino denegato violenter abduxit. Quos non prius Epiſcopus memoratus reſtituit, uſquequò ei fuit pro procuratione petita, & detentorum expensis animalium pro ſuæ voluntatis arbitrio ſatisfactum. Nolentes igitur Præmonſtratenſes fratres contra indulta eis à ſede Apoſtolica privilegia moleſtari, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Epiſcopos & Archi-Diaconos Remensis Provinciæ ac Officiales eorum, ut prædictos conquerentes contra indultam eis à ſede Apoſtolicâ libertatem aggravare ſuper his & aliis non præſumant, nec imponant aliquas indebitas exactiones eiſdem, moneatis attentius, & efficaciter inducatis ipſos ad hoc, ſi neceſſe fuerit, diſtrictione quâ convenit, appellatione poſtpoſitâ compellentes prædictum Noviomenſem Epiſpiſcopum, ad reſtituendam prædam eandem, & ſatisfaciendo congruè de damnis & injuriis conquerenti, diſtrictione ſimili, veritate cognita coercendo, quod ſi non omnes his examinandis potueritis intereſſe, duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Datum Lat. Pontificatus noſtri anno 2do.

EPISTOLA VII.

Honorius III. Sueſſionenſem Epiſcopum & Gervaſium Abbatem Præmonſtrati deputat, ut pallium Remenſi Archiepiſcopo tradant & fidelitatis ab eo Sacramentum excipiant.

HONORIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Hamardo (*a*) Sueſionenſi Epiſcopo & dilecto filio Gervaſio Abbati Præmonſtratenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Licet Apoſtolica ſedes pallium plenitudinis, ſcilicet officii Pontificalis inſigne deſtinare ſoleat per ſuos Nuntios ſpeciales, qui tradentes illud ab his, quibus traditur, recipiant juramentum, nos tamen plenam de fide ac diligentia veſtrâ fiduciam obtinentes, pallium à nobis pro venerabili fratre noſtro Wilhelmo Remenſi Archi-Epiſcopo (*b*) cum debitâ inſtantiâ poſtulatum vobis de corpore Beati Petri ſumptum, per dilectos filios V. Cantorem Remenſ. & V. Lingonienſem Canonicum mittimus, ut illud vice noſtrâ cum congruâ ſolemnitate tradatis, ac recipiatis fidelitatis juramentum noſtro nomine ab eodem; formas autem juxta quas debetis ipſum pallium tradere, ac fidelitatis recipere juramentum, vobis ſub bullâ noſtra deſtinamus incluſas, devotionem veſtram rogantes attentius, ac per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus formas ipſas obſervantes per omnia, in ipſo negotio procedatis, ſic fideliter & prudenter, quod fidem & prudentiam veſtram debeamus merito commendare: quod ſi quid humanitus interim alicui veſtrûm, quod abſit, accidit, reliqua, quæ præmiſſa ſunt, nihilominus exequatur, quidquid autem inde feceritis, nobis per litteras veraciter intimetis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum 2.do nonas Maji, Pontificatûs noſtri anno tertio.

Forma dandi pallium Archi-Epiſcopale.

Ad honorem Dei omnipotentis & Beatæ Virginis & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Domini Papæ Honorii & Romanæ Eccleſiæ, nec non Eccleſiæ tibi commiſſæ tradimus tibi pallium de corpore Beati Petri ſumptum, plenitudinem videlicet Pontificalis officii, ut utaris eo infrà Eccleſiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab Apoſtolicâ ſede conceſſis.

Forma Juramenti.

Ego W. Remenſis Archi-Epiſcopus ab hâc horâ in antea fidelis & obediens ero Beato Petro, ſanctæque Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ & Domino meo Papæ H. ſuisque Succeſſoribus Canonicè intrantibus, non ero in

(*a*) *Hamardo*, lege Haymardo, cognomine de Provins, ex Canonico & Cantore Remenſi fit Sueſſionenſis Epiſcopus anno 1207. Epiſcopatum abdicavit anno 1219. ut Canonicam S. Auguſtini Regulam profiteretur in monaſterio Sti. Joannis de Vineis.

(*b*) *Willelmo Remenſi Archiepiſcopo.* Villelmus de illuſtri proſapia Dynaſtarum de Joinville ſatus, ex Lingonenſi Epiſcopatu ad Remenſem transfertur, mortuo Alberico Antiſtite, in Urbe Papienſi ad quam appulerat, poſt expletos aliquot in bello ſacro menſes, anno Chriſti 1218. in Vigilia nativitatis Domini. Pallium Willelmo ſucceſſori tranſmiſit Honorius 3. anno 1219. juxta modernum computum.

Consilio aut consensu, vel facto, ut vitam perdant aut membrum, aut capiantur malâ captione. Consilium verò, quòd mihi credituri sunt per se, aut per Nuntios suos, sive per litteras, ad eorum damnum me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum & regalia Sancti Petri adjutor eis ero ad retinendum, salvo meo. Ordine contra omnem hominem. Legatum Apostolicæ sedis eundo & redeundo honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo. Vocatus ad Synodum veniam, nisi præpeditus fuero Canonicâ præpeditione. Apostolorum limina singulis bienniis visitabo aut per me aut per meum Nuntium, nisi Apostolicâ absolvar licentiâ. Possessiones verò ad mensam nostri Archi-Episcopatûs pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, neque aliquò modo alienabo inconsulto Romano Pontifice, sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei Evangelia.



EPISTOLA VIII.

Gervasius Honorium III. certiorem facit de executione mandati Apostolici & de traditione Pallii facta Willelmo Remensi Archiepiscopo.

BEATISSIMO Patri & Domino H. Dei providentiâ sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici G. fratrum Præmonstratensium Servus humilis cum orationibus devotam obedientiam & pedum oscula.

Recepi litteras Sanctitatis vestræ Venerandæ memoriæ H. Suessionensi Episcopo & parvitati meæ in hæc verba transmissas. Honorius Episcopus Servus Servorum Dei *& ut supra.* Licet igitur ante susceptionem præsentium de morte præfati Episcopi, qui erat, in quantùm humano patebat judicio, vir Sanctus & timens Deum, plurimùm doluissem, in susceptione tamen vestri Mandati dolui acrius, eò scilicet, quòd in executione commissa duobus, habere non potui, tantum Patrem, non solùm Collegam, sed & Dominum & Rectorem, cum multâ namque festinatione vocatus occurri Domino Remensi Archi-Episcopo apud Ecclesiam Sancti Theobaldi de Castro-Portuensi, (*a*) ubi occurrerunt nobis viri Venerabiles V. Cantor Remensis & V. Lingoniensis Canonicus, postulatum pro eodem Archi-Episcopo & obtentum de gratiâ dignationis Apostolicæ pallium apportantes, qui & quasi pavore concussi dixerunt, quòd Clerici quidam; qui post ipsos recesserunt â curiâ, retulissent ipsis in via, quòd Sanctitatem vestram in infirmitate gravissimâ reliquissent, ita quòd diceretur, quòd infra biduum, cibum minimè sumpsissetis. Propter quòd rogavit idem Archi-Episcopus nunc nos, & quidam de majoribus Ecclesiæ Remensis, qui ob hoc venerant, & multi alii, ut devolutum ad me negotium exequi non tardarem, ne superveniret aliquis, qui nuntiaret de vobis aliquid humanitus accidisse; & sic oporteret ad curiam denuò laborare. Ego autem in angustiâ non modicâ constitutus; utpote qui de negligentiâ

(*a*) *Ecclesia Sti. Theobaldi de Castro Portuensi*, gallicè *Château-Porticu*, oppidum ad Axonæ ripas positum, binis à Regiteste horis, octo à Remensi Civitate dissitum; arce sive castro imminente munitum olim, nunc diruto.

gligentiâ redargui posse timebam à vobis, si extra Remensem Ecclesiam pallium assignarem, licet non esset in litteris vestris expressum; vel in publica peccare commoda, si per tarditatem meam differretur Pontificalis officii plenitudo, cujus executionem multi in proximo exspectabant. Demum de consilio multorum bonorum virorum, qui aderant, elegi potius, si esset alterutrini culpa mea, corripi & flagellari à vobis, quam ab eorum, qui maligna loquuntur, detractionibus, quasi fimbrias meas magnificans Crucifigi. Attendens igitur, quod nec per sacros apices vestros docebar, nec etiam per jus scriptum, ubi pallium esset reddendum, & quod etiam locus ille solemnis esset infra ipsam Remensem Diœcesin constitutus, clero & populo, Abbatibus videlicet, nec non & Canonicis Remensibus, Lingonensibus & multis aliis, qui aderant, convocatis; pallium sæpe dictum nuptiali veste indutus, cum processionali solemnitate susceptum detuli ad altare, finitóque processionis cantu, imprimis feci sacros apices vestros legi, & ipsum Archi-Episcopum ad præstandum fidelitatis juramentum, postmodùm evocavi. Ipse autem veste indutus nihilominus nuptiali; humiliter & reverenter ad altare accessit, & clarâ voce, nec non & altâ, sub Notâ in formâ data à vobis verbo ad verbum, petitum fidelitatis præstitit juramentum, ego etiam nihilominus clarâ voce tradidi ei pallium per eadem ipsa verba, quæ sub bullâ vestræ Sanctitatis inveni inclusa, ut à loco illo ad Ecclesiam Remensem, cum debitâ exultatione transiret, sicut et fecit. Cum itaque de illis nihil prorsus omissum, sicut credo; quæ in mansuetudinis vestræ litteris inveni expressa, si in eo deliqui, quod in ipsâ Remensi Ecclesiâ prædicta non feci, tanquam servus humilis ad flagellum me humilio, volens & gratum modis omnibus habiturus, quod alii pœna meâ docente, si opus fuerit, in consimili casu, futuris temporibus instruantur. Formas autem tradendi pallium, ac recipiendi fidelitatis juramentum præsentibus litteris censui nihilominus includendas, sicut eas inveni sub bullâ Sanctitatis vestræ inclusas.

EPISTOLA IX.

Gervasius apud Honorium III. intercedit pro absolutione excommunicationis & irregularitatis quas incurrerant Canonici Capellæ ex convictu & Colloquio cum Albigensibus.

IN præcedentis anni Capitulo Generali, venit ad me piæ recordationis Joannes (*a*) Abbas Ecclesiæ Cappellensis, quæ est juxta Tholosam, vir potens, dum viveret, in opere & sermone, qui non solùm causa visitandi Capitulum in partes venerat gallicanas, sed ut subveniret cum aliis Episcopis videlicet & nuntiis, qui laudabile ei testimonium perhibebant, per salubrem exhortationem Ecclesiæ Albiganensi, quæ tunc temporis affligebatur graviter, nec adhuc credo, quod afflictio ejus cesset. De statu autem Ec-

D

(*a*) *Joannes Abbas Ecclesiæ Capellensis:* Capella est Monasterium Ordinis Præm. à Casa-Dei filiali jure dependens, in eminenti monte positum, cujus radices allambit Garumna. B. Dominicum fundatorem Ordinis Prædicatorii, hospitio excepit Abbas Joannes dum apud Tholosates versaretur statûs.

clesiæ suæ interrogatus, dixit, quod in bono statu esse non poterat, quæ erat ita vicina Tholosæ, quia oportebat fratres suos pro repetendis ablatis, & pro relevatione oppressionum suarum civitatem intrare frequenter & communicare tam hæreticis, quàm Defensoribus eorumdem, sicut faciebant Hospitalarii, Templarii, & Cistertienses contra Generalem inhibitionem Domini Cardinalis (a) super quo quia credebant prædictos privilegiatos, & se ipsos, per generalia privilegia suorum Ordinum esse tutos, divina, contra generalem excommunicationem Domini Cardinalis, officia celebrarunt. Quod cum Abbas ipse non fecit, quia si bene memini, per duos annos & dimidium factus. exul, Ecclesiam propriam non intrarat ego autem abhorrui, & præcepi, ut quidquid alii facerent, ipse fratribus suis mandando præciperet, ut cessarent à sæpe dicto Domino Cardinali absolutionis & dispensationis beneficium petituri. Cum itaque ab ipso Abbâte ad fratres suos super hoc litteræ emanassent, portitor earum vix pervenit ad Ecclesiam Cappellensem, quando secutus est alius, qui Abbatem factum esse de medio nuntiavit, unde contigit, quod quando fratres accedentes ad Dominum Cardinalem, qui Abbatem dicebatur plurimum dilexisse, invenerunt eum post mortem Pastoris sui, minus propitium, itaque non nisi duo, qui personaliter accesserant ad eum, absoluti fuerunt ab excommunicatione tantùm, irregularitate manente aliis etiam universis & singulis excommunicatione ligatis, ita quod eis in Abbate provideri non potest. Cum igitur ad causam afflictionis hujus, per ignorantiam, & ad ipsam afflictionem, quæ est intolerabilis, per suam scilicet, quæ prædicta est, confessionem spontaneam sint didudi supplico Sanctitati vestræ cum omni devotione, quâ scio & possum, quatenus latorem præsentium fratrem Wilhelmum dicti loci Priorem, quem Abbas suus, adhuc vivens cum duobus aliis, Joanne videlicet provisore & Ervaldo Sacristâ mihi specialiter ac præcipuè de fortissimâ in tribulationibus patientia commendavit, misericorditer dispensetis, & aliis, qui sunt domi, per aliquam, quæ sit sinè suspicione, Personam beneficium absolutionis & dispensationis faciatis impendi, si inventi fuerint secundum ante acta, hoc beneficio non indigni, ne locus ille jam quasi ad extrema deductus, omnino vastetur & pereat in populo infelicior cum suâ familiâ, domus una.



EPISTOLA X.

Gervasius scribit Honorio III. in gratiam Philippi Cancellarii Parisiensis pro defensione suæ famæ romam citati & proficiscentis.

HUMANITATIS officium est velle præstare auxilium proximo in angustiâ laboranti,. & si ipsa voluntas non semper transeat in Effectum.

(a) *Domini Cardinalis*, Bertrandi tit. S. S. Joannis & Pauli, quem Honorius III. Legatum submisit ad conciliandos hæreticos Albigenses an. 1217.

Nuper ſanè occurrit mihi ad quædam Præmonſtratenſis Eccleſiæ negotia properanti, vir honore perſpicuus, Philippus Cancellarius (*a*) Pariſienſis, qui habito inter nos Sermone de pluribus, cum multâ, ut videbatur, amaritudine cordis, inter cætera dixit mihi, quod feciſſetis eum citari in octavis Sancti Michaëlis, famam ſuam in veſtrâ præſentiâ defenſurum. Propter quod rogavit, ut ei apud Clementiam veſtram, ſi poſſem vel precibus, vel teſtimonio ſubvenirem. Nec attendit inſtantia ſupplicantis, quod inter Reverendos Patres, Wilhelmum Remenſem Archi-Epiſcopum, Stephanum Decanum, & alios quam plures præclaræ opinionis Viros, qui per ſuas patentes litteras, quas inſpexi, celebre de ipſo teſtimonium perhibebant, non plus humilitatis meæ parvitas apparet, quàm inter cedros libani, modica & areſacta myrica deſerti. Obſtupui, nec mirum imprimis de eo, quod vir tanti nominis, tam inſtanter rogabat, ut rogarem pro ipſo; Sed & hoc ipſum ſine admiratione non fuit, quod rogandi cauſam intulerat ei, citatio ſupradicta, cum enim ab antiquis temporibus apoſtolicæ conſtantiæ familiare fuiſſe dicatur, quod non exaltet niſi defæcatæ opinionis viros, quos, poſtquam ſemel ſuſceperit exaltandos, non ſolum exaltat in dies, ſed & viriliter contra adverſantium defendit inſultus. Admirandum eſt meritò, qualiter fama ipſius apud vos potuerit obfuſcari, qui eum nuperrimè in tantam gratiam recepiſtis, quanta non niſi præclaris meritis & integræ famæ videtur potuiſſe competenter impendi. Verùm enim verò, quia ex humanâ fragilitate omnes proni ſumus ad lapſum, & ipſe poſt ſuſceptam â vobis gratiam, quæ ipſum â præteritis omnibus emundâſſe videtur, poteſt tanquam homo in aliquo deliquiſſe, mei ſemper erat conſilii, ut â fonte Apoſtolicæ pietatis, à quo hauſit gratiam abundantem, amaram, ſi opus fuerit, diſciplinæ corripientis & corrigentis humiliter & reverenter ſuſcipiat potionem; ſperans firmiter & conſtanter, quod accuſatores ſui, ſi verba eorum inventa fuerint carere pondere veritatis, quantùm moverunt ei diſcriminis, tantùm ei laudes acquirent, quando experti fuerint in eo ſuam impiam voluntatem, & innocentiam ſuam, ſi inventus fuerit innocens, reddiderint clariorem. Ego autem ſciens, quod ſit homo affabilis & benignus, & eminenter litteratorum virorum judicio litteratus, illos quoque, qui teſtimonium perhibent famæ ſuæ, maximè Dominum Remenſem Archi-Epiſcopum noſtrum, & Decanum & Capitulum Pariſienſe integræ famæ eſſe, & tales, quod dignè debeat eis credi, licet peripſema aliorum, qui intercedit pro ipſo, ad

(*a*) *Philippus Cancellarius Pariſienſis*, de Philippo Pariſienſi academiæ Cancellario narrat Raynaldus ad an. 1228. Epiſcopo ſuo Willelmo eunti de nocte ad Eccleſiam apparuiſſe, lugubrique voce exclamaſſe, æternis ſe inferorum incendiis damnatum quod ex ſacerdorii ſui redditibus egentes non levaſſet an ille idem ſit Philippus pro quo Guillelmus de Joinvilla Remenſis & Haymardus de Provins Sueſſionenſis Antiſtites, & Gervaſius Præmonſtati Abbas interceſſerunt apud Honórium, dicere non auſim licet ad dicendum moveat me Philippi eruditio, cujus monumenta refert Trithemius ante an. 1226. pro accuſati Apologia Epiſtolam ſuam ſcripſit Gervaſius cum Ordinis clavo ſederet adhuc, quem an. 1220. deſeruit ut Sagienſem adiret Epiſcopatum, imo cum Haymardus an. 1219. Schema Auguſtinianum induerit & pro Vindiciis Cancellarii ſcripſerit Epiſcopatu gaudens, neceſſe eſt an. 1218. nec ſerius provocatum fuiſſe ad tribunal Honorii Philippum.

pedes tamen Sanctitatis vestræ corde prostratus humiliter supplico & attente, quatenus eum, in quantum Apostolica permittet honestas, suscipiatis benignè tranctando, ita ut si fieri potest, intercessorum suorum preces sibi sentiat & gaudeat profuisse.



EPISTOLA XI.

Gervasius implorat Honorii III. auxilium adversus Clarholtensem Abbatem depositum, Abbatiæ & fratribus insidiantem.

OPORTET, ut ea, quæ vires parvitatis meæ transcendunt, ad vestram referam Sanctitatem, & quandoque forsitan, secundum quod urgent necessitates, importunior esse compellor. Sanè accidit olim; quod generosus quidam de illustri prosapia Ortus Fridericus (*a*) nomine, in Clarholtensi Ecclesia Præmonstratensis Ordinis, in Prælatum est promotus, cui cum non sufficeret professionis suæ paupertas, cœpit in brevi aspirare ad Monasteriensem Ecclesiam, quæ vacabat. Cum autem â quibusdam, qui adversabantur ei, & meritò, fuisset turpiter cum suæ tenuitatis confusione repulsus, datâ iterum occasione, quia non potuit esse Episcopus, voluit esse Abbas mitratus, de ordine nigrorum Monachorum electus â quibusdam seditiosis in Corbiensi Monasterio in Westphalia, quòd Pastore carebat. Verùm quia adversabantur ei viri fortes jus suum viriliter defendentes, de bonis pauperis Ecclesiæ Clarholtensis conatus est tamdiu procurare intrusionem suam, quòd ex delegatione vestra, nec non â generali Capitulo Præmonstrati, pro eo, quòd desistere noluerit, licet admonitus diligenter, sententiam excommunicationis susceperit: & quia nec sic potuit coërceri, tandem â parvitate meâ. & â capitulo prædicto generali, sententiam depositionis incurrit. nunc autem sicut homo datus in reprobum sensum, & derelictus â Deo, quia non potest in alios utpote fortiores, suam malitiam exercere, in Religiosum virum Luggerum Abbatem Clarholtensem successorem suum & fratres ei subditos exacuere dentes suos tanquam in pauperes indefensos & diripere bona eorum per satellites consanguineorum suorum, ita quod fratres Ecclesiæ, qui Deo servire deberent, nudi remanent, & paupertate afflicti, exspectantes quasi de die in diem, nec non solum quasi in rebus, verum etiam in personis contumelias & injurias patiantur. Cum igitur his omnibus obviari non possit, secundum quod meretur, nisi per materialem gladium, in quo Dominus Monasteriensis Episcopus majorem, quam aliquis alius, habere dignoscitur potestatem, supplico sanctitati vestræ, ut vel scribatis ipsi Monasteriensi Episcopo, ut coërcear malefactores prædictos, vel quod magis desidero, Osnaburgensi Episcopo, ut ipsum Monasteriensem

(*a*) *Fridericus quidam de illustri prosapia in Clarboltensi Ecclesia in prelatum est promotus*, Clarholtum præpositura est Nobilium Ordinis Præmonst. in Diœcesi Osnaburgensi, sub dynastia Rhedana à Rudolfo de Steufort instituta anno 1133. Fridericus ille oriundus de Stirpe Comitum de Tecklenburg Episcopatum Monasteriensem vacantem per Hermanni obitum ambiit, sed prævaluit Otto Comes de Benthem Ecclesiæ Bremensis Præpositus. *Vide infra Epist. 104. & 105.*

rienſem ad hoc veſtra authoritate compellat, ita quòd ſæpedictus Apoſtata, vel Ordinis ſui obediat inſtitutis, vel transferat ſe ad alios Religioſos, qui ſunt excellentiores Præmonſtratenſibus, quibus eligat obedire.

EPISTOLA XII.

Gervaſius Honorium III. de impoſito ſibi Viſitationis & correctionis munere erga Abbatem & Monachos S. Amandi informat.

Accepimus dudum litteras Sanctitatis veſtræ, ad inſtantiam Monachorum Sancti Amandi (*a*) in pabula, de Abbate, quem habebant tunc temporis, conquerentium, impetratas, ut ad prædictam Eccleſiam perſonaliter accedentes, ex officio viſitationis corrigeremus & reformaremus ibidem ea, quæ lima correctionis & reformationis egerent tam in capite, quàm in membris, nos autem mandato veſtro, ſicut debuimus, obtemperare volentes, emiſimus litteras continentes, ut Abbas & Conventus noſtrum certâ die exſpectarent adventum, cumque die ſtatuto veniſſemus ad locum, exhibita ſunt nobis quædam litteræ Præpoſiti (*b*) Warinenſis, & conjudicum ejus delegatorum â vobis, prohibentes ſub interminatione excommunicationis, ne procederemus in officio nobis injuncto, nec dicti Monachi nos ſuſciperent ad idem Officium exequendum, pro eo videlicet, quod Abbatem Sancti Amandi cruce ſignatum, & Monaſterium ſibi commiſſum ſuſceperatis ſub Beati Petri protectione & veſtrâ, & ipſum Warinenſem & conjudices ſuos conſtituatis, per litteras veſtras protectionis Apoſtolicæ defenſores. Inſpectis itaque litteris, quæ emanârant ad ipſos, licet non videretur quam pluribus diſcretis viris, & jure peritis, quòd protectio ipſa adverſaretur viſitationis officio nobis injuncto, quia tamen citatio noſtra non apprehenderat Abbatem, qui tanquam ſibi conſcius, ſecundùm quod poſtea clarum, in ſuis abſconditis latitans noſtram declinabant tam præſentiam, quàm examen, præfiximus diem alium, & præcepimus, ut Abbas interim citaretur, citavimuſque nihilominus conſervatores prædictos, ut in caſtro Balpamenſi occurrerent nobis, ſi vellent, de juriſdictione ſuâ & noſtra amicabiliter tractaturi. Ad quem locum cum ipſi minimè acceſſiſſent, reverſi ſumus ad Eccleſiam Sancti Amandi Officii noſtri executionem iterum offerentes; eo verò die venit Prior Aquicincti (*c*) & quidam alii ſubdelegati cum eo à judicibus memoratis, fulminantes verbis & comminationibus intonantes, ne præſumeremus procedere, nec Monachi nobis aliquatenus obedire. Sed & ex parte alterâ venit Nuntius cum litteris totiens dicti Abbatis patenter continentibus, quòd Prælationem Eccleſiæ Sancti Amandi penitus reſignaſſet, & habitum Ciſtertienſium in Clare-Valenſi Monaſterio ſuſcepiſſet. Perpenſis itaque cum deliberatione circumſtantiis negotii videntes,


*E

(*a*) *Sancti Amandi* Abbatia, tribus à Valencenis diſſita leucis, in pago & Diœceſi Tornacenſi ſecus Scarpam poſita.

(*b*) *Warinenſis*, Waren.

(*c*) *Prior Aquicincti*, gallice *Anſchin* Abbatia Pagi Hannonienſis, ad fluvium Scarpam, binis infra duaſum horis.

quòd Ecclesia Pastore careret, consuluimus Monachis, ut eligerent sibi Abbatem, & nos, si opus esset, postmodùm exequeremur officium nostrum tempore opportuno. Cùm igitur Monachi ipsi virum Religiosum, sicut credimus, commendabilem & ab omnibus commendatum dictum Walterum ejusdem Ecclesiæ Monachum sibi elegerint in Abbatem, & nos officii nostri executionem suspenderimus usque modò, non tam formidantes vesaniam Præfati Warinensis & conjudicum suorum, qui adhuc proterviunt & instigant Monachos contra Abbatem, ut dicitur, quàm instrui desiderantes à vobis ea quæ sunt necessaria, de processu vobis fideliter duximus intimanda, Sanctitati vestræ humiliter supplicantes, quatenus exoneretis sollicitudinem nostram, & secundum justam petitionem Abbatis Sancti Amandi, & Monachorum ibidem residentium, qui pacem quærunt, finem optatum negotio imponatis.



EPISTOLA XIII.

Gervasius Stephanum Cantuariensem Archiepiscopum interrogat super statu Regni Angliæ & monita insinuat quibus irati Regis placetur animus.

GERVASIUS Stephano (*a*) Episcopo Cantuariensi. Sine sollicitudine nescit esse dilectio, nec permittit charitas quiescere cor amantis, donec de dilecti statu aliquid certi cognoverit, unde debeat vel in adversis compati, vel in prosperis collætari. Solebant sanè sciscitanti mihi valdè læta de vobis ab intermeantibus responderi, quod illa videlicet dilectionis aurora, quæ post longam irarum caliginem illucescens dudum erga vos serenavit cor Regis, jam in perfectum diem profecerit, adeò, ut non auderet quis casum ponere, quo, qui videbatur fervor, deberet in vesperam declinare. Lætatus sum satis hinc non immeritò, quòd inde fuit nacta oportunitas, unde data facultas, ut in multitudine populorum, quæ vestræ sollicitudini est commissa, verbi Dei semina spargerentur, & lucra fierent animarum. Sed dum sustinui pacem, ut multiplicaretur in dies, dum quæsivi desiderio mentis bona, ut scilicet lætis lætiora succederent, ecce quidam auribus meis nuper inter alleluja paschalium gaudiorum triste aliquid insuderunt, videlicet, quod suscitata dissensio inter Regem (*b*) & Principes pacem regni turbâsset, & iratis invicem, qui

(*a*) *Gervasius Stephano Episcopo Cantuariensi.* Stephanus cognomine de *Langeton* S. R. E. Cardinalis procurante Innocentio 3. electus est Archiepiscopus Cantuariensis anno 1207, & Viterbii ab eodem Pontifice consecratus, obiit vir eruditione conspicuus 4. idus Julii 1228.

(*b*) *Suscitata dissentio inter Regem & Principes*, Regem scilicet Henricum 3. & Comites ac Barones Regni sibi infensos, quos expugnata Lincolnia in acie superatos edomuit, unde pax secuta est anno eodem 1217. inter Henricum & Ludovicum 8. Galliæ Regis filium incentorem perduellionis. Ab hujus tamen pacis Beneficio exclusit Anglus, Episcopos, Abbates, Priores qui Ludovico consilium præstiterant & auxilium maximè vero Simonem de Langeton, Cognatum Stephani Cantuariensis Archiepiscopi quod vehementer angebat Archiepiscopum velut sceleris conscium, sic enim audiebat apud Regem cui fides suspecta erat ex anteriore discordia quàm sub Joanne Patre Henrici Regis 3. excitasse incusabatur in Conventu Lateranensi, Rege ipso Joanne per suos oratores de crimine rebellionis Archiepiscopum impetente.

regere videbantur, in discrimen tribulationis & angustiæ, qui Regi debuerant offendissent. His igitur auditis incommodis non potui, fateor, non sollicitari pro vobis, attendens nimirum, quia paternè curaretis tumultuantes filios mitigare, hinc plebium pusillanimitatem erigere, quæ præ timore consolationem vix rapiunt, hinc effrænes Principum motus reprimere, qui præ feritate consilium non admittunt. Non enim potui de vobis præsumere, quòd sine mentis perturbatione possetis videre mala gentis vestræ, nec sine animi cruciatu majorum discordias, minorum formidines; & quod amplius est, intermissa animarum negotia sustinere. Sed postquam iratus fuerit, recordabitur misericordiæ suæ Deus, & rebus per gratiam suam, & laborem vestrum compositis, excocto jam semine lachrymarum; fructum vos faciet colligere gaudiorum, curretque, ut cœpit, velociter sermo ejus, per quem in cœlestes recubitus gregatim animæ inferentur. Sanè cum, sicut didici, desiderata pax inchoata sit, congratulor non immeritò non modicum ipsi paci, quæ licet nondum consummata sit pro voto, quia tamen, ut ait Philosophus, dimidium habet facti, qui cœpit, ipsam pacem inchoatam, non censui sine congratulatione debita relinquendam, plenam concipiens ex Dei benignitate fiduciam, quod qui cœpit in vobis, ipse perficiet, firmabit, solidabitque, & pacem desideratam jamdiu, concludet exitu glorioso. Sanè quia culpa est, sicut scitis, persequi culpam totam, necesse est propter malitiam dierum præsentium, & frigescentem in pluribus, & fere in omnibus charitatem, ut cum moderamine exerceatur severitas, & aliquid habeat admixtum mansuetudinis rigor Ecclesiasticæ pietatis, ne peccator cogatur contemnere, cum venerit in profundum, & qui delinitus potuit invitari ad veniam, exacerbatus provocetur ad culpam. Prorsus cum jam Regis ferocitas in parte non modicâ mitigetur, per quod dignè potest præsumi de eo, quòd Sanctæ Ecclesiæ sit satisfacturus ad plenum, si tamen tractetur non asperè; Sanctæ Paternitati vestræ consulo, quatenus in causâ Ecclesiæ, pro qua vos Dominus murum opposuit contra eum, in quantum permiserit justitia, & honestas, mansuetudinem exeratis, quæ si fuisset, ut credimus, exerta, jam pridem Ecclesia, pro quâ statis, non inferiorem fuisset gloriam consecuta. Valete.

EPISTOLA XIV.

Gervasius Honorii III. protectionem confirmationemque postulat pro Ecclesia de Heiligberg recens fundata.

SANCTISSIMO Patri & Domino Honorio, *& cætera ut in præcedentibus.* Vestræ insinuandum censui Sanctitati, quòd Illustris ac Deo devotus G. (*a*) Comes de Werningerotâ in Terræ sanctæ subsidium profecturus ex assensu quinque Fratrum suorum Præmonstratensi Ordini contulit quemdam locum, vocabulo Heiligbergh, in Bremensi Diœcesi constitutum, pro fundandâ ibidem ipsius Ordinis Abbatiâ, prout ex litteris dicti Comitis, quæ factam donationem confirmant, Vobis constare poterit evidenter.

(*a*) *G... Comes de Werningerotâ..* Gebehardus Comes Werningerodanus Senior cognominatus, anno 1260. fatis functus, cujus posteritas in Gebehardo 3. defiit anno 1325.

Attentiſſimè igitur Veſtræ ſupplico Sanctitati, quatenus ſub eâ protectione, quâ Clementia Veſtra Præmonſtratenſium Ordinem ſuſcepit, locum illum novellum velitis ſuſcipere, & donationem dicti Comitis, prout ab eo facta eſt, per Apoſtolicas litteras confirmare: ut Fratres Domino ſervituri eò poſſint multiplicari ibidem, quò locellus ille Apoſtolici Culminis favore fuerit ac protectione munitus. Hoc addito; ut Dominum Adulphum (*a*) Oſnaburgenſem Epiſcopum præfati loci & habitatorum ejus conſtituatis authoritate Apoſtolicâ defenſorem, ſi quis eis poſt receſſum dicti Comitis injuſtè voluerit adverſari. Valeat in Domino Sanctitas Veſtra, quam Deus Omnipotens Eccleſiæ ſuæ conſervet incolumem.

EPISTOLA XV.

Honorio III. gratias agit Gervaſius, ejuſque protectionem implorat adverſus Archidiaconum S.

SANCTISSIMO Patri & Domino Honorio, Dei Providentiâ Sacro-ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Summo Pontifici, Frater Gervaſius dictus Præmonſtrati Abbas, & ejuſdem loci Conventus, cum orationibus devotam obedientiam, & pedum oſcula.

Recepimus nuper nuntios noſtros à Sanctitatis Veſtræ clementiâ redeuntes, quibus ex conſuetâ Sedis Apoſtolicæ benignitate abundantem gratiam impendiſtis. Gratiam autem ipſis impenſam non eâ quâ debemus, ſed eâ quâ poſſumus, cum devotione & humilitate, omnimodâ gratiarum proſequimur actione; agentes in noſtris orationibus apud Deum, ut, quod parvitas noſtra non poteſt, retribuat piæ Paternitati Veſtræ bonorum omnium Retributor.

Verùm quia dicti Nuntii narrationem noſtram in quâdam petitione noſtrâ minùs ſufficienter contra S. Archidiaconum expreſſerunt: ſupplicamus Sanctitati Veſtræ, quatenus mandatum veſtrum in majorem, ſi placet, rigorem, auditâ pleniùs narratione, mutetis; ut ab oppreſſionibus, quas idem Archidiaconus infert nobis, ſub protectionis veſtræ præſidio reſpirare poſſimus.

Super ipſâ verò querelâ conſtituimus Procuratores dilectos in Domino Fratres noſtros Bartholomæum & Paganum Presbyteros, ratum habituri quidquid ſuper eâdem querelâ coram vobis fecerint; vel ambo ſimul; vel alter eorum (ſi alterum contigerit quocumque caſu abeſſe.) Valeat in Vero Sanctitas Veſtra, quam Deus Eccleſiæ ſuæ conſervet incolumem.

EPISTOLA XVI.

Gervaſius conqueritur apud Honorium III. de ablata Canonicis S. Joannis, Ambianenſis Parochia S. Germani.

SANCTISSIMO Patri & Domino Honorio, Dei Providentiâ Sacro-ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Summo Pontifici, Frater Gervaſius, Fratrum Præmonſt. ſervus humillimus, cum orationibus devotam obedientiam, & pedum oſcula.

Tribu-

(*a*) *Adulphum Oſnaburgenſem Epiſcopum.* Gerardo ad Bremenſem Eccleſiam translato anno 1211. Adolfus vir ſingularis induſtriæ, & devotionis non vulgaris inquit *Crantzius* l. 7. metrop. c. 19. Epiſcopus electus eſt, de Leproſi curatione per eum facta dum viveret, narrat & inſtar miraculi portendit idem Author & chronicon Oſnaburg., apud Meimbomium; obiit anno 1232.

Tribularer & timore concuterer vehementi, quando turbato per fraudem & malitiam petitorum aëre Apostolicæ lenitatis tonitruosa descendunt ab illâ Eminenti Sede mandata, ni scirem quòd etiam ipse Vicarius Jesu Christi, remigem Petri tenens, in similibus potest decipi tanquàm homo: cujus diem serenandum esse non dubito, quando discusso per Solem Justitiæ nubilo falsitatis, veritatis radius elucescet.

Nuper sanè cùm Magister Bartholomæus Custos Peronensis esset in Curiâ Romanâ, occasione illorum Nobilium Virorum de consanguinitate (ut dicitur) fœlicis recordationis Domini Celestini Papæ tertii atque Vestrâ (quos reduxit ad propria, cùm de manu Illustris Regis Francorum militare cingulum accepissent) à Vobis, sicut asseritur, mediantibus prædictis nobilibus impetravit, ut Ecclesiam S. Germani Ambianensis, (a) quam Canonicè acquisitam Abbas & Conventus Sancti Joannis Ambianensis per suos diu Canonicos procurarunt, Bernardo pauperi Clerico præciperetis per Archidiaconum Atrebatensem, & ejus Conjudices sub conditione conferri.

Iidem verò Judices conditiones litteris appositas non sequti, nec mentem (sicut certissimè creditur) mandatoris: præfatam Ecclesiam per difinitivam sententiam adjudicaverunt Clerico memorato; nec ob reverentiam appellationis, quam interposuerunt ab ipsâ sententiâ tanquam iniquâ prædicti Abbas & Fratres, executionem sententiæ suspendere voluerunt. Creditur etiam quòd Dominus N. faveat Judicibus ipsis occultè, & Clerico pro quo agunt: utpote qui Regulares omnes à Curis Parochialibus libentissimè amoveret, & ad hoc, in Generali Concilio plurimùm laboravit; non attendens honestatem quæ creditur esse in Religiosis, (qui etiam cùm delinquunt, possunt facilè amoveri) nec paupertatem quarundam Ecclesiarum Conventualium, quæ sine Parochialibus Ecclesiis antiquitùs sibi datis, unde viverent, non haberent.

Dicti siquidem Abbas & Fratres Sancti Joannis (qui in hospitibus recipiendis magis onerantur, quàm aliqui Religiosi qui sint in Ambianensi Diœcesi, sive Cistercienses, sive alii) attitulaverunt obventiones Ecclesiæ S. Germani, fabricæ cujusdam Ecclesiæ, quam inchoaverant in sede Conventuali, ut Deo in eâ commodius deservirent, & exirent de quadam Capellâ veteri & obscurâ, in qua utcumque latitant modò tanquàm sub caprinis pellibus veteris Testamenti.

Quia igitur non credo quòd membrum tam utile auferre intenderitis Fratribus memoratis, quorum magna est multitudo, ut provideretis uni tantùm pauperi Clerico, cui potestis in qualibet unâ de multis & quasi innumerabilibus providere: ad pedes Sanctitatis Vestræ corde, quia non possum corpore, humillimè provolutus, affectuosè supplico & instanter, quatenus provisionem dicti Clerici in partem aliam convertatis, ne exterminetur de Præmonstratensi Ordine Tribus una, quæ huc-usque in statione suâ firmiter figens pedem, viriliter & fortiter per gratiam Dei repulit Jebusæos, & Israëliticum populum confortavit: in cujus læsione, si nullum aliud fuerit vobis damnum, scire potestis quòd quantò rariores, Tribus illa, spirituales per depauperationem suam habuerit bellatores, tantò pauciores habebitis, qui pro

F

(a) *Ecclesia S. Germani Ambianensis.* Hæc parochia intra muros Ambiani, collata est à Widone Comite Ambianensi & Domino Flessicurtis in dotem Abbatiæ, eamque donationem ratam habuit Guarinus Ambiani Episcopus anno 1139. cum jam ab anno 1137. Innocentius 2. illam suo confirmasset diplomate.

Vobis manus & corda elevent apud Deum. Valeat in Domino Sanctitas Vestra, quam Dominus Omnipotens Fratribus nostris placabilem faciat & benignam.

EPISTOLA XVII.

Pro eadem causa Honorium III. litteris supplicibus conveniunt Abbates.

SANCTISSIMO Patri & Domino Honorio, Dei Providentiâ Sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, devotissimi Filii ejus J. (a) Sancti Petri antiquæ Corbeiæ, P. Sancti Martini de Gemellis, & Sancti Fussiani in nemore, Ambianensis Diœcesis Abbates, cum orationibus devotam obedientiam, & pedum oscula.

Divinæ Providentia Majestatis eâ confœderatione compegit membra Ecclesiæ quam fundavit, ut, læso quolibet uno eorum, doleant universa. Cum igitur de unitate illâ esse velimus, quæ secundum Apostolum *omnes Fideles efficit unum corpus in Christo Jesu:* de læsione charissimorum in Christo Fratrum nostrorum Abbatis & Conventus Sancti Joannis Ambianensis non possumus non dolere; quos Bernardus Clericus, tenuis, (ut dicitur) in litteraturâ, & moribus affligit graviter his diebus occasione quarundam litterarum Sanctitatis Vestræ, per quas ipsis Ecclesiam Sancti Germani Ambianensis auferre contendit.

Dolendum siquidem nobis est; nec mirum; quia propter charitativam compassionem quâ Fratrum nostrorum compati debemus & compatimur læsioni, timere possumus ne si in ipsis, quos inter alios Religiosos Ambianensis Diœcesis quasi lignum viride reputamus, levi suggestionis malitiosæ impulsu, talia admittuntur, in nobis, quasi in ligno arido facilè fiat idem.

Attendimus prætereà quòd nec fama eorum fœtet (quod absit) apud eos qui foris sunt, sed fragrat suavi Religionis odore: nec latera pauperum eorum velleribus maledicunt: nec panem suum comedunt soli, propter quod debeant sic affligi: quin potiùs semetipsos in consolatione, & sua in sustentatione largè & liberaliter erogant pauperibus Jesu-Christi.

His itaque rationibus animati, Clementissime Pater, ad pedes Sanctitatis Vestræ cum ipsis, & pro ipsis, cordis genibus provoluti, cum omni humilitate quâ possumus & instantiâ supplicamus, quatenus dicto Clerico, secundùm quòd Vobis est facile, provideatis alibi, si tamen curaris promotionem ipsius: & præcipiaris ut pauperes Fratres pacificâ Ecclesiæ suæ possessione gaudeant in futurum, & in tranquillitate cordium suo serviant Creatori, & devotiùs orent pro vobis; & nos ipsi etiam, necnon & alii pleniùs confidamus, quòd Religiosa loca & personas ad exemplar Venerandæ recordationis vestrorum Prædecessorum, quos temporibus nostris vidimus regere Navem Petri, contra malignanrium insultus protegere & defensare velitis. Valeat in Domino Sanctitas Vestra, quam Dominus conservet incolumem, & placabilem nobis reddat.

(a) *Filij ejus J. Sti. Petri antiqua Corbeia, P. Sti. Martini de Gemellis & Sti. Fussiani in nemore*, primus horum Abbatum Joannes vocabatur, ex priore Argentolii eligitur Abbas, an. 1219. obiit anno 1223. alter Abbas Petrus dicebatur, anno 1209. electus, moritur anno 1249. tertius Radulfus dictus, fuit Abbas S. Fussiani anno 1215. denascitur anno 1221. hinc collige epistolam hanc ante annum 1219. scriptam Honorio.

EPISTOLA XVIII.

Abbates octodecim pro eadem causa intercedunt apud S. R. E. Cardinales.

REVERENDISSIMIS in Christo Patribus ac Dominis Sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus universis, J. Sancti Petri antiquæ Corbeiæ; P. Sancti Martini de Gemellis, Sancti Fussiani in nemore, Ambianensis Diœcesis Abbates, *& alii inferiùs notati*, salutem & cum orationibus devotissimæ reverentiæ famulatum.

Divinæ Providentia Majestatis, *& cætera, ut in præcedenti epistolâ.* Ego Hugo Sancti Richarii in Pontivo Abbas supplico, & sigillum meum appono. Ego Richerus Abbas S. Walerici. Ego Guido Abbas Sanctæ Mariæ de Augo. Ego Hugo de Ulteriori Portu. Ego Erardus Sancti Luciani Bellovacensis. Ego Rogerus Hamensis. Ego Petrus S. Quintini Bellovacensis. Ego Gualterus de Monte Sancti Quintini. Ego Reinaldus Sancti Projecti. Ego Mathæus Sancti Quintini de Insulâ. Ego Baldwinus Sanctæ Mariæ de Humblieres. Ego Mathæus Sancti Nicolai de Ribemont. Ego Eustachius Sancti Petri de Honcourt. Ego Hugo Sancti Sepulchri in Cameraco. Ego Bertinus Sancti Auberti in Cameraco. Ego Rogerus Sancti Joannis Morinensis. Ego Odo Sancti Vedasti Atrebatensis. Ego Desiderius de Monte Sancti Eligii, Abbates. *Omnes isti apposuerunt sigilla sua litteris supra scriptis.*

EPISTOLA XIX.

Gervasius rursus Honorium precibus lacessit pro restitutione Ecclesiæ S. Germani.

SANCTISSIMO Patri & Domino Honorio, *& cætera, ut in præcedentibus.* Scripsi Sanctitati Vestræ dudum juxta quod scivi & potui humillimè supplicando, ut Abbatem & Fratres Sancti Joannis Ambianensis misericorditer & piè respiceretis tanquam graviter & injustè afflictos, liberaretis eosdem ab impetitione Bernardi Clerici, qui ipsos super Ecclesiâ Sancti Germani Ambianensis non mediocriter damnificavit laboribus & expensis, occasione quarundam litterarum, quas per subreptionem impetravit à Vobis, usque adeò (sicut dicitur, & ego credo) quòd Ecclesia deducta in litem usque ad septennium, non solveret expensas jam factas, præter illas quæ jam imminent faciendæ. Multi siquidem boni viri (inter quos inserui preces meas, licet aliotum peripsema) supplicaverunt Pietati Vestræ per litteras suas pro Abbate & Fratribus memoratis: nec video sufficientem causam, quare Clericus valde tenuis (pro-ut dicitur) in litteraturâ & moribus, tantam apud Vos debeat gratiam invenisse, ut tot Religiosis viris ad serviendum Deo congregatis in unum, plagam incutiat Indignationis Vestræ tam duram; ut in favorem unius personæ, quam multipliciter poteftis ditare, si vultis, tot bonos viros depauperare velitis.

Cùm igitur eidem Clerico in Ecclesiâ Sancti Germani, de qua agitur, nihil omnino Juris accedat, nisi tantummodò ex litteris vestris, & ex Vestræ Beneplacito Sanctitatis; nec aliquis de intentione Vestra judicare possit vel debeat meliùs, quàm Vos-ipsi: nesciens quomodò attentiùs supplicem, quàm

hactenus supplicavi, preces jam factas replico, reitero, & inculco: ut sanetis plagam & contritionem eorum, quos Apostolicæ Authoritatis gladius sauciavit: de meo namque consilio, ex quo semel cum adversario suo, in Vestrâ fuerint præsentiâ constituti, nunquam ampliùs litigabunt, disceptantes quam intentionem habueritis in hoc facto, qui percussistis quando voluistis, & statim cum volueritis, sanare potestis. (a) Valeat in Domino Sanctitas Vestra, quam Deus Omnipotens Fratribus nostris placabilem faciat & benignam.

EPISTOLA XX.

Gervasius conqueritur apud Honorium III. de violatione exemptionis & privilegiorum Ordinis Præm. attentata per Archiep. Brundusinum.

SANCTISSIMO Patri, & piissimo Domino Honorio, *& cætera, ut in præcedentibus.* Suus minimus, Frater Gervasius, dictus Abbas Præmonstratensis, cum orationibus devotam obedientiam, & pedum oscula.

Sicut omnia flumina de mari exeunt, & in mare revertuntur, ut iterum fluant: Ita omnes Ecclesiæ quasi ab utero Sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ derivantur, & in necessitatibus suis revertuntur ad ipsam.

Olim sanè circa salutem animæ studens bonæ memoriæ Margaritus Illustris Maritanorum Comes, ad honorem Beatæ Virginis in Parvo Ponte Brundusii quandam Ecclesiam construere, & de bonis à Domino sibi datis satis competenter dotare curavit, volens ut eidem Ecclesiæ ab Ordinis Præmonstratensis Fratribus serviretur. Sed & hoc-ipsum firmavit venerandæ recordationis Dominus Innocentius Papa tertius prædecessor vester, *ut Ecclesia ipsa ab Archiepiscopali jurisdictione exempta, ad Apostolicam Sedem haberet immediatè respectum.*

Nuper autem circiter primos dies promotionis (b) vestræ, cùm eadem Ecclesia Pastore careret, & tam Abbas S. Samuelis de Barolo (qui est prædicti loci Pater Abbas) quàm ipsius Ecclesiæ Fratres mihi per litteras, & per certum nuntium supplicassent, ut mitterem eis Abbatem & aliquas personas de partibus Gallicanis, Ego de eorum provisione sollicitus misi eis Abbatem, virum Religiosum, cum quo iverunt tres aliæ personæ honestæ & Religiosæ, sicut dicitur, non sine multo gravamine expensarum.

Personis autem, quæ cum Abbate iverant, viam universæ carnis ingressis, & ipso Abbate per ægritudinem gravem in lectum projecto, cœperunt insolescere dissoluti quidam nutriti in loco; & procuraverunt apud Dominum Archiepiscopum Brundusinum, quòd idem Archiepiscopus *contra Sedis Apostolicæ privilegia & contra Præmonstratensis Ordinis libertates*, abstulit præfato Abbati

(a) *Sanare potestis*, revera Honorius subrepticiam gratiam revocando, sanavit plagam quam intulerat Ambianensi Abbatiæ, Clericus falso titulo intrusus ejectus est anno 1218. & restituta Ecclesia, abhinc usque modo, gaudent S. Joannis Canonici pacifice.

(b) *Circa primos dies promotionis vestræ* Honorius 15. Kal. Augusti 1216. Pontifex renuntiatus est; ergo sub his temporibus in Ecclesiæ Parvi Pontis immunitates attentavit Brundusinus antistes contra tenorem privilegii ab Innocentio 3. indulti à limine fundationis & contra jus paternitatis acquisitum Abbati S. Samuelis.

Abbati infirmitate oppresso totam administrationem in temporalibus, & commisit eam cuidam Capellano suo Clerico sæculari, & dissolutis prædictis: qui non sine gravi scandalo inordinatè viventes & dilapidantes Ecclesiæ bona, Abbati suo & Abbati Sancti Samuelis, qui est Pater Abbas loci, omnimodam obedientiam & reverentiam denegarunt: confortati nimirum à dicto Archiepiscopo, qui gerit se procuratorem vestrum, ut Jura vestra conservet, asserens Ecclesiam illam Vobis tantùm debere obedientiam, & Præmonstratensi Ordini in nullo penitus respondere.

Cum igitur eadem Ecclesia *à primâ fundatione suâ obedierit & Ordini & Ecclesiæ Præmonstratensi; & receperit, tam ordinationem, quàm correctionem ab ea per Abbates Sancti Samuelis de Barolo successivè*; & ordinatoribus, necnon & correctoribus suis onerosa fuerit non mediocriter in expensis; nec temporalem, nec spiritualem fructum reddiderit usque modò: Sanctitati Vestræ humiliter supplico & devotè, quatenus, si placet Vobis, ut per Præmonstratensem Ordinem de cætero gubernetur, prædicti Archiepiscopi sua potiùs, ut videtur, quàm ea quæ sunt Vestra quærentis, Apostolicâ severitate reprimatis insultus: & Abbati Sancti Samuelis de Barolo firmiter injungatis, ut Ecclesiam prædictam (eliminatis Belial, qui jugum obedientiæ dedignantur) ordinet in personis, quæ *sacrificent Deo sacrificium laudis*; & illorum, qui modò sunt, fœtorem in suavis odoris oblectamenta commutent. Valeat in Domino Sanctitas Vestra, *& cætera ut in præcedentibus.*

EPISTOLA XXI.

Gervasius rogat Brundusinum Archiepiscopum ut ab illato gravamine Abbatiæ Parvi Pontis abstineat & emendet.

REVERENDO in Christo Patri & Domino P. (a) Dei gratiâ Venerabili Archiepiscodo Brundusii, Gervasius, ejusdem patientiâ Præmonstrati dictus Abbas Salutem & cum orationibus sinceram ad obsequia voluntatem.

A primis diebus quibus vestram in notitiam veni, hanc habui de vestra honestate fiduciam, quòd ad altiora promoti semper æquitatem deberetis diligere, & illis præcipuum impertiri favorem, qui morum curarent, atque Ordinis honestatem. Specialiter autem (ut aliquid pro me loquar) eam me credebam apud vos invenisse gratiam, quòd non-nisi ex magna & evidenti causa meam offenderetis personam; nec Ecclesias vel personas, quæ meæ sollicitudini sunt commissæ, aliquatenus læderetis.

Nuper sanè mihi est significatum, quòd ad suggestionem quorundam, qui in Ecclesia S. Mariæ de Parvo Ponte (quæ est Præmonstratensis Ecclesiæ Filia specialis) dissolutè viventes pacem ipsius non modicùm turbaverunt, fecistis in res ipsius Ecclesiæ *quasi pro Sedis Apostolicæ reverentia* manum mitti, eripientes Abbati loci omnimodam in temporalibus potestatem.

(a) *Reverendo in Christo Patri ac Domino P... Dei gratia Venerabili Archiepiscopo Brundusii...* Peregrino qui ex Canonico Astensi creatus est ab Honorio 3. Brundusinus Archiepiscopus anno 1216. obiit anno circiter 1223. post cujus mortem diu vacavit Ecclesia Brundusina. Habetur Epistola Honorii inscripta Peregrino qua prohibet omnibus ad portum Brundusii venientibus, ne cum Theodoro excommunicato communicent.

Cùm igitur Reverendæ memoriæ Dominus Innocentius Papa III. nunquam intenderit eam eximere ab Ordinis disciplina, licet eam habere voluerit in quibusdam ad Apostolicam Sedem immediatè respectum, ut per hoc fortior esset adversùs malitiam sæcularem: venerandæ Paternitati vestræ affectuosè supplico & attentè, quatenus ad exemplum pii Patris prædicti (qui dictum locum suâ protectione munivit, ut in eo tantò amplius vigor & rigor Ordinis haberetur, quantò ab insultibus malignorum suâ esset defensione securus) à cœpto gravamine per gratiam vestram desistatis; foveatis in loco Ordinem Præmonstrati, & prædictos dissolutos à sua sustineatis malitia per eundem Ordinem coerceri.



EPISTOLA XXII.

Pro eadem causa interpellat Gervasius protectionem Cardinalis tituli S. Adriani.

REVERENDISSIMO Patri & Amantissimo Domino St. Dei gratiâ S. Adriani venerabili Diacono (*a*) Cardinali Gervasius, Fratrum Præmonstratensium servus humillimus, Salutem & cum orationibus sinceram ad obsequia voluntatem.

Cùm me aliquod vel pulsat incommodum, vel urget necessitas, nescio ad quem potiùs tribulatus confugiam, quàm ad eum, quem auxilium ferre & posse scio, & velle confido. Meum est enim Ecclesiis, quæ Præmonstratensem Ordinem profitentur, & compati universis, ac subvenire pro posse; & reputare me læsum, quoties illarum alicui vel infertur læsio, vel injuria irrogatur.

Nuper sanè significatum mihi, quòd Reverendus Pater P. Archiepiscopus Brundusinus (quem credebam Ordini Præmonstratensi multum ob mei gratiam parcere ac deferre) ad suggestionem quorundam, qui in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Parvo Ponte Brundusii (quæ est Præmonstratæ Ecclesiæ Filia specialis) dissolutè viventes, pacem ipsius non modicùm turbaverunt, in res ipsius Ecclesiæ fecit, *quasi pro reverentia Sedis Apostolicæ*, manum mitti, eripiens Abbati loci omnimodam in temporalibus potestatem.

Cùm igitur Reverendæ memoriæ Dominus Innocentius Papa III. nunquam eam intenderit eximere ab Ordinis disciplina, licet eam voluerit in quibusdam habere ad Apostolicam Sedem immediatè respectum, ut per hoc fortior esset contra' malitiam sæcularem: venerandæ Paternitati vestræ affectuosè supplico & attentè, quatenus per litteras vestras (quas in hac parte credo multam esse efficaciam habituras) dictum Dominum Archiepiscopum moneatis, ut à præfati loci vexatione desistat, & in protegenda Ecclesia illa, se pii Patris memorati constituat adjutorem, permittens, imò & cooperans, ut in ea &

(*a*) *Reverendissimo Patri & amantissimo Domino Dei gratia S. Adriani Venerabili Diacono.* Stephanus vocabatur, & titulo S. Adriani post obitum Gerardi, ad Fridericum Siciliæ Regem quondam ablegati, sufficitur ab Innocentio 3. variis diplomatibus ab Honorio 3. datis Ordini Præm. apographum apposuit.

Sub iisdem verbis, & pro eadem causa scripsit Gervasius Raynero S. Mariæ in Cosmedin Cardinali Diacono, variis in Hispania legationibus pridem perfuncto, ad pacis Reges inter procurandæ finem, sicut & in Vasconia, ad compressionem Hæreseos Albigensium.

bonorum foveatur Religio, & dissolutè viventium malitia compescatur: moveor enim eò ampliùs super afflictione loci indebita, quò rariùs ei possum à tam remotis partibus subvenire.

Idem per omnia scripsit Domino Reinero Sanctæ Mariæ in Cosmidin Diacono Cardinali.

EPISTOLA XXIII.

Gervasius Abbatem de Parvo Ponte graviter increpat de subinducta in domum suam regula laxiori.

GERVASIUS Dei patientiâ Præmonstrati dictus Abbas, Venerabili in Christo Fratri R. Abbati Sanctæ Mariæ de Parvo Ponte Brundusii, salutem & sinceram in Domino charitatem.

Scribimus tibi tanquam homini, de quo nescimus utrum mortuus sit, an vivat? verumtamen, quia mortuis non scribitur, præsumentes utcumque de vita, Fraternitatem tuam attentè monemus, quatenus si convaluisti de infirmitate corporis, quâ (sicut dicitur) laborâsti, in majorem solitò animi vigorem consurgas; ut observantia Religionis in domo tuâ vacillans per tuam, si fieri potest, sollicitudinem reformetur, secundùm quod sperabamus de te quando te misimus *sicut sagittam electam* ad sagittandos adversarios JEsu Christi, non sine multo (quod meminisse deberes) gravamine expensarum.

Quid fecisti, homo miserrime? quid fecisti, quando (si tamen verum est) visitationem & correctionem recepisti ab Archiepiscopo Brundusino, & coram eo de inquisitione faciendâ præstitisti corporaliter juramentum? quis unquam Prædecessorum tuorum hoc fecit? nunquid ad hoc missus fueras à nobis? nunquid timebas ne tibi deesset panis Ordinis, si rediisses? vel quod te incarceraret Archiepiscopus Brundusinus, qui in te nihil juris habebat? siquidem super his omnibus eras meritò gravissimè puniendus; sed parcimus infirmitati tuæ, parcimus & incolatui tuo, parcimus etiam tibi, dilecto nostro, quem dileximus à multis retro temporibus affectione sincerâ.

Tu ergo si videris quòd consurgere possis ad pristinas vires corporis atque cordis; ita quod sufficias ad Ecclesiam defendendam, & ad recuperandas pristinas libertates, viriliter age, & esto robustus & neminem reformides. Verùm si tanta aut corporis aut animi infirmitate laboras, quòd Ecclesia tibi commissa abeat in deteriorem statum, pro eo quòd ei subvenire non potes; consulimus discretioni tuæ & monemus eandem, ut in manus venerabilis in Christo Fratris Abbatis Sancti Samuelis de Barolo, Prælationem tuam resignare procures, vel reversurus ad nos, vel apud Sanctum Samuelem, si volueris, moraturus. Valeas in Domino, qui Spiritum consilii cordi tuo infundat.

EPISTOLA XXIV.

Gervasius committit Abbatem S. Samuelis de Barolo pro visitanda abbatia Parvi Pontis.

GERVASIUS Dei patientiâ Præmonstrati dictus Abbas Venerabili in Christo H. Abbati Sancti Samuelis (*a*) de Barolo salutem & sinceram in Domino charitatem.

(*a*) *Abbati S. Samuelis de Barolo.* Hæc Abbatia in diœcesi Tarentina & Ducatu Apuliæ sita, à Præmonstratensibus ad alienos transiit.

Attulit nobis exultationis non modicum, veſtrarum prima facies litterarum; quarum, ſi finis reſpondiſſet principio, non deeſſet nobis in hac parte lætitiæ plenitudo. Exultavimus enim & lætati ſumus; ſed & grates egimus Deo Patri, audientes quòd unanimes habitetis in domo, & ſit vobis in Domino anima una & cor unum: & quòd, licet foris fatiget vos mundus (utpote qui ſeneſcens in malo, ſemper in deteriora ſe porrigit) intùs tamen, ſpe mercedis æternæ gaudetis circa Divina obſeqnia intenti pariter ac devoti.

Adauxit autem nobis lætitiam, quòd, ſicut dicitis, nihil de Eccleſiâ Sancti Petri de Camerot (*a*) nobis ſcribere ſciviſtis, niſi bonum. Verùm nulla fides Cœlo quod mane rutilat; ſed nec litteris, quarum frontem ſerenam textus ſubſequens decolorat. Subjunxiſtis ſiquidem quòd nihil nobis ſcribere poteratis ſuper ſtatu Eccleſiæ S. Mariæ de Parvo Ponte Brunduſiij, niſi malum &c.

Licet igitur rogaveritis nos, ne committeremus vobis negotium correctionis, utpote quod longè excedit & ſuperat vires veſtras: quia tamen non videmus ad præſens quomodò à partibus tam remotis poſſimus occurrere tanto malo, nec notæ ſunt nobis aliquæ perſonæ Ordinem noſtrum in Apuliâ profitentes, quarum humeris audeamus imponere tantum onus: Fraternitatem veſtram rogamus, ac mandamus vobis, ſed & in obedientiæ virtute præcipimus, & in remiſſionem injungimus peccatorum, quatenus ad dictum locum perſonaliter accedentes, cùm noſtrâ & Ordinis authoritate omnimodâ, & plenitudine poteſtatis, modis omnibus videritis expedire, ſubveniatis Eccleſiæ laboranti, non aliter compeſcentes malitiam perverſorum, quàm ut eliminati omnino nullum de cætero recurſum habeant ad afflictam Eccleſiam, quàm infamant.

Porro ſi creditis quòd ſibi cornua ſumant diſſoluti ex defectu Abbatis, qui (ut dicitur) eſt remiſſus corde, infirmus corpore, invalidus in utroque: moneri eum faciatis ut cedat: cujus demiſſione ſuſceptâ, inſtituatis alium loco ejus, qui pro malis reprimendis cor habeat, & pro Ordine reformando, reſiſtenti cuilibet ſe opponat.

Ad hoc, quia pravi quilibet faciliùs inſoleſcunt quando repreſſorem à remotis expectant, & ſollicitius ſibi cavent quando correctorem è vicino reformidant: volumus ut Eccleſiam illam reputetis veſtram filiam ſpecialem, ſicut à principio noſcitur extitiſſe: ut in vicino poſiti immineatis cervicibus malignorum, ſi fortè contra Ordinem eos coluber lividus aſſumere voluerit in miniſtros: illos autem qui digni inventi fuerint, ut in loco reſideant, faciatis jurare ſuper Sancta; quòd nunquam Paternitatis veſtræ jugum, vel ſucceſſorum veſtrorum à ſe tentabunt excutere quoquo-modo. Flagitioſos ſiquidem, ſi veſtræ ordinationi reſtiterint, authoritate Ordinis atque noſtra, excommunicationis ſententiæ ſupponatis, & denuntietis publicè eos eâdem ſententiâ involutos, donec ſatisfacturi veniant Præmonſtratum: niſi ita tolerabilis fuerit eorum rebellio, quòd vos volueritis circâ eos miſericorditer diſpenſare.

EPISTOLA

(*a*) *Sancti Petri de Camerot*, eſt etiam abbatia Ordinis Præmonſt. diœceſis Policaſtrenſis in Regno Neapolis.

EPISTOLA XXV.

Gervasius Archiepiscopum Trentinum exorat, ut Abbatem S. Samuelis in executione commissi muneris confortet.

REVERENDO in Christo Patri & Amantissimo Domino Bartholomæo (*a*) Dei gratia Venerabili Tranensi Archiepiscopo Gervasius, dictus Præmonstrati Abbas salutem & cum orationibus sinceram ad obsequia voluntatem.

Paternitati vestræ, de cujus Religione ac sinceritate confido pleniùs, attentè & obnixè supplico, quatenus virum Religiosum Abbatem Sancti Samuelis de Barolo in procurando viriliter quodam, quod injunximus ei, negotio confortetis: ne per ejus pusillanimitatem in castrum Domini Sabaoth irruptionem faciat inimicus ille homo, qui debellat virtutes, introducit propagines vitiorum. Qualitatem autem negotii, quod vobis videretur fortassis narratione prolixum, exponet vobis memoratus Abbas Sancti Samuelis, qui negotium totum novit.

EPISTOLA XXVI.

Gervasius à Friderico II. Imperatore postulat confirmationem cessionis Monasterii Sti. Quirici in Umbria.

ILLUSTRI & Excellentissimo Domino Frederico Dei gratiâ Serenissimo Romanorum Regi semper Augusto ac Regi Siciliæ, Gervasius, ejusdem patientiâ Præmonstrati dictus Abbas, salutem & cum orationibus paratam ad obsequia voluntatem.

Discretionem Regiam arbitror satis nosse, quòd qui suo confirmat assensu & munit privilegio, quod ab aliis noverit esse concessum, ex confirmatione præstitâ in se trahit meritum concedentis: nec eo apud Deum inferior æstimatur in præmio, licet posterior videatur in dono.

Sanè, cùm anno præterito (*b*) essem in Lateranensi Concilio constitutus, venerandæ memoriæ Dominus Innocentius Papa III. Monachos à Monasterio Sancti Quirici in Trodoco, pro eo quòd Abbatem suum necaverant & luxuriosè viventes dissipaverant bona loci, fecit expelli, eisque per diversa Monasteria collocatis, commisit Ecclesiam illam mihi, ut ei facerem per Fratres Præmonstratensis Ordinis deserviri.

(*a*) *Bartholomæo Tranensi Archiepiscopo.* In Elencho Archiepiscoporum Tarentin. apud Ughellum, non occurrit Bartholomæus, nisi ille sit quem tacito nomine, post Gualteri 2. obitum anno 1216. contra juris formam electum refert ab Honorio 3. amotum fuisse anno 1218. in cujus locum Nicolaus 2. anno 1219. Archiepiscopus sublectus est.

(*b*) *Sane cum anno præterito*, anno 1215. inquo Lateranense concilium coiit, Gervasius Abbatiam Sti. Quirici pulsis inde monachis patricidis, accepit ab Innocentio 3. hæc in Umbria, & diœcesi Reatina sita est. Licet verò Ecclesiastica potestate, in eam Præmonstratensium agmen immisisset Gervasius, voluit & sæculari Imperatoris authoritate à quo Spoletanus pendebat ducatus, in possessione adita confirmari, ita suadente Honorio Pontifice.

Cùm igitur miserim Fratres conversatione honestos, ac Religione probatos, & Reverendus Pater Honorius, qui in Apostolicâ Sede nunc agit, Serenitati Vestræ scribendum duxerit pro iisdem: precibus tanti Patris annectendas censui preces meas, Magnificentiæ Regiæ supplicans humiliter & attentè, quatenus Monasterium memoratum sub Vestrâ velitis Protectione suscipere, & concessionem Apostolicam Vestro Privilegio roborare: ut Fratres ibidem commorantes tantò sint apud Deum pro Vobis in oratione devoti, quantò à malitiâ sæculari, Vestrâ fuerint defensione muniti.



EPISTOLA XXVII.

Fridericus II. Imperator translationem Abbatiæ Sti. Quirici ad Præmonstratenses laudat & approbat suo diplomate anno 1217.

FREDERICUS Dei Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus & Rex Siciliæ, per præsens scriptum notum facimus tam præsentibus, quàm futuris quòd Nos Divinæ pietatis intuitu, & pro remedio animarum Divorum Augustorum Patris & Matris nostræ fœlicis memoriæ; pro nostrâ quoque salute, de gratiâ & consuetâ benignitatis clementiâ, Monasterium Sancti Quirici in Diœcesi Reatinâ, Abbatem ipsius, & Fratres cùm hominibus & obedientiis, Castellis, villis, & omnibus possessionibus suis, tam mobilibus, quàm stabilibus sub Nostrâ speciali Protectione ac defensione recepimus: Ordinem quoque & habitum, in quem olim Dominus Innocentius Papa ipsum Monasterium commutavit, ratum habemus, & ipsum præsentis scripti robore perpetuo confirmamus: mandantes & firmiter statuentes, ut nullus de cætero prædictum Monasterium de prædictis omnibus quæ nunc habet & possidet, & de his quæ dante Domino poterit justis titulis adipisci, impedire aut molestare præsumat. Ut autem hæc rata & firma permaneant, præsens scriptum fieri curavimus, & sigillo nostræ Celsitudinis roborari. Datum apud Hagenovue Anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo septimo-decimo, mense Aprilis, Indictionis quintæ, regnante Domino nostro Frederico, Dei Gratiâ Magnifico Romanorum Rege semper Augusto & Rege Siciliæ: Anno Romani ipsius Regni in Germaniâ quinto, & in Siciliâ nono-decimo, fœliciter Amen.



EPISTOLA XXVIII.

Respondet Gervasius ad interrogata Abbatis Sancti Quirici.

GERVASIUS Dei patientiâ Præmonstrati dictus Abbas, Venerabili in Christo Fratri G. Abbati S. Quirici salutem & sinceram in Domino Charitatem.

Quid actum sit de pecunia quam minùs sapienter asseritis Ecclesiæ vestræ fuisse collatam, tam per litteras nostras, quàm per Fratrem Richardum Canonicum vestrum, latorem præsentium poteritis & debetis pleniùs edoceri.

Ad hoc autem quòd quæritis, utrum consilio Domini Leonis in omnibus acquiescere debeatis? respondemus quòd ita, cùm sit vir consilio providus, & vestræ domui bona volens. Videatis tamen ne ignem in sinu vestro minùs provide abscondatis: absconderetis etenim, si vel ex ejus,

vel ex alterius consilio reciperetis in claustrum vestrum Monachos Abruchiæ, (*a*) qui nostrum voluerint Ordinem profiteri : sunt etenim Longobardi, astutissimi supra modum, & à diebus antiquis exercitati in adulationibus fraudulentis.

Præterea quia quæsistis, utrum vobis liceat distrahere libros vestros? Noveritis quòd satis nobis placet & benè volumus quòd libri Ecclesiastici, & Monachorum Ordini congruentes (si quos habetis) vendantur ita, ut in alios libros vel comparandos, vel scribendos eorum pretium convertatur.

EPISTOLA XXIX.

Gervasius Fratrem Bartholomæum Visitatorem Sancti Quirici deputat.

GERVASIUS Dei patientiâ Præmonstrati dictus Abbas, Venerabili in Christo Fratri G. Abbati Sancti Quirici & charissimis Filiis ejusdem loci Fratribus, salutem & sinceram in Domino charitatem.

De vestro tam spirituali, quàm temporali statu paternam, prout tenemur, gerentes sollicitudinem, Fratrem Bartholomæum, nobis & vobis in Christo charissimum, ad Ecclesiam vestram cum authoritate præsentium, gratiâ faciendæ Visitationis, & impendendæ vobis ex parte nostrâ consolationis, duximus destinandum : mandantes & præcipientes quatenus ad ejus consilium, si quæ in vobis corrigenda fuerint, salvo statu Capitis, corrigantur : & quæ secundùm Deum, & Ordinis instituta fuerint reformanda, prout ipse ordinaverit, à vobis tanquam obedientiæ filiis firmiter observentur.

EPISTOLA XXX.

Gervasius Cardinali Leoni secretum cordis aperit super revocatione Abbatis Sancti Quirici.

LEONI (*b*) titulo Sanctæ Crucis in Jerusalem Venerabili Presbytero Cardinali Gervasius. Cum præsentium lator frater Bartholomæus consanguineus meus per me transitum faceret ad Apostolicam Sedem supplicandi gratia processurus, rogavit, ut scriberem vobis pro eo, quem habuistis semper in gratiâ, ultra quam ego petere præsumpsissem. Ut igitur non solum satisfaciam postulanti, verùm etiam ut habeam occasionem salutandi humiliter Paternitatem vestram, & suggerendi vobis meæ memoriam parvitatis, scribo vobis pro eo, hoc solum petens

(*a*) *Monachos Abruchiæ*, hoc est Aprutii, gallicè *Labrousse*, provincia Neapolitani Regni, vetat Gervasius ut ad professionem in Ordine Præm. & in Abbatiam Sti. Quirici admittantur, sunt enim, inquit, *Longobardi*. Quid velit hoc epiteto innuere Gervasius, ambiguum est : an quia ex Mediolanensi ducatu, aut Pedemontana dictione erant oriundi? an quòd fæneratores & usurarii, aut usurariorum filii erant? haud scio. Putarem hoc nomine, quòd convitium sapit, aut morum accusat pravitatem, innuere voluisse, monachos tales, quales è Sancto Quirico expulit Innocentius 3.

(*b*) *Leoni titulo Sanctæ Crucis in Jerusalem Venerabili Presbytero Cardinali Gervasius.* Iste Leo ex Capellano Innocentii 3. in Senatum Cardinalium cooptatus est anno 1216. cum antea ab eodem Pontifice ad Calo-Joannem Regem Bulgarorum deinde in Germaniam annis 1204, 1206, 1207 & 1208. ablegatus fuisset.

& sufficere arbitratus abundanter, ut solitâ gratiâ non privetur. Cæterùm quia de Ecclesia Sancti Quirici, quam scio vos diligere plurimum, non possum non esse sollicitus, utpote circa quam aliquantulùm laboravi, & feci expensas, anxietatem cordis mei, quæ surgit ex eâ, vobis censui detegendam, ut vos, si placeat, & fieri potest honestè, consilium apponatis. In principio siquidem cum ordinaretur locus ipse, præcipua intentio mea fuit, ut personæ Religiosæ ponerentur in loco, & Abbas saltem esset aliqualiter litteratus. Hac autem intentione ductus de consilio plurimorum de mittendis ad locum personis, secundùm quòd prius conceperam, ordinavi. Abbas in rei veritate litteratus est & secundùm quod certissimè credo, valdè Religiosus, sed sicut nunc credo certius, quàm solebam, ita simplex, ut videatur esse quasi planta vitis infixa terræ, quæ virorem suum suum tantummodo retinens, nec in latum extendit palmites, nec in profundum extendit radices sine fructu & sine propagine, moritura, maximè cùm nec in fratribus recipiendis, quòd pertinet ad spirituale ædificium, nec in officinis construendis, quòd pertinet ad temporale commodum, proficere asseratur, nec in negotiis Ordinis sui in Romanâ curiâ promovendis in aliquo fructuosus existat. Proin si procurari posset honestè vellem ut persuaderetur Abbati ostensâ ei insufficientiâ suâ, ut infra instantem Nativitatem Beati Joannis Baptistæ in Franciam remearet, relaxationem super Prælationis suæ officio petiturus, turpè namque videretur mihi pro eo, quòd familiaris meus est, & Primus Abbas loci per innovationem, ipsum à partibus tam remotis, & quasi de sub alis Sacro-Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, datæ mihi authoritatis imperio turpiter revocare: Si autem contigerit, quòd Paternitas vestra consilium istud acceptet, & quòd idem Abbas de resignandâ administratione suâ vestro consilio acquiescat, ne Ecclesia periclitetur per diutinam sive absentiam, sive carentiam præsidentis, misi vobis litteras in cedula corii sigillatas, in quibus committo vestræ mansuetudini vices meas in recipienda resignatione ipsius Abbatis.




EPISTOLA XXXI.

Gervasius morem & modum quem tenuit in administratione Abbatiæ S. Quirici apologeticè exponit Leoni Cardinali.

LEONI titulo Sanctæ Crucis in Jerusalem presbytero Cardinali, Gervasius. Respondistis nuper humilitati meæ per litteras vestras super quibusdam pertinentibus ad Ecclesiam Sancti Quirici, de quibus scripseram vobis olim & satisfactum est mihi, quas vobis porrexi, licet desiderarem, quòd aliter eveniret, quia, ne haberent effectum, verecundia, quæ est valdè favorabilis, impedivit. Verum, quia in calce litterarum vestrarum erat expressum, quòd circa curam prædictæ Ecclesiæ mea videbatur diligentia tepuisse, vellem si placeret, qualiter ipsi Ecclesiæ prodesse possem, per vos expressius edoceri. In primâ enim susceptione loci, feci expensas magnas, & misi personas libris, & vestibus & expensis honestè munitas, quas loco imposterùm credidi profuturas, & postmodum plures misissem, nisi Abbas dissuasisset, paupertatem suam allegans, cum eum de mittendis pluribus præmonuissem. De spiritualibus autem credo, quòd non possim justè culpari, cum destinaverim ad eam visitatores idoneos, & corrigi fecerim ea, quæ

quæ credidi corrigenda. Vidi siquidem Monasterium Sancti Martini de *Viterpio*, & Monasterium de *Cathacumbis* in spiritualibus, & in temporalibus languere diu à multis temporibus retroactis, & vos ipsi, sicut credo, vidistis hoc ipsum, donec Sanctæ recordationis Innocentius Papa tertius, & Dominus Cancellarius, (*a*) & etiam Reverendus Pater Stephanus titulo duodecim Apostolorum presbyter Cardinalis loca ipsa in statum erigerent meliorem suâ sollicitudine & expensis, nec in aliquibus aliis locis vidi, quòd Patres Abbates Cisterciensis Ordinis, qui multò plus abundant in rebus, quàm Præmonstratenses, magnas fecerint expensas, ut subditas sibi filias Ecclesias promoverent, nisi ipsas expensas reciperent aliundè, quàm de suo. Quod autem prohibui, ne Abbas Sancti Quirici nova construere attentaret, eâ feci intentione pariter & cautela, ne per simplicitatem suam immergeret se in pelagus debitorum, quod evadere nec sciret, nec posset; attamen si creditis, quod eidem loco, vel in prædictis, vel in aliis, quæ usque ad tempora in meam memoriam non venerunt, possim aliquatenus subvenire, paratus sum ea reverenter audire à vobis, & humiliter obedire.



EPISTOLA XXXII.

Eidem Cardinali commendat Abbatiam Sancti Quirici &c.

LEONI Cardinali, Gervasius &c. Susceptis Paternitatis vestræ precibus dilectum in Domino Gerardum Abbatem Sancti Quirici super eo, quod non venit ad generale Capitulum Præmonstratense, & apud me ipsum habui excusatum, & eum apud alios excusavi. Porrò quia idem Abbas longè positus est à me; ita, quod nec ei possim aptatum præstare solatium, nec Ecclesiam suam, sicut oportet, personaliter visitare, supplico vobis humiliter, & instanter, quatenus pia Paternitas vestra in negotiis suis, in quantum honestas vestra permittet, contra malefactores suos tam Abbati, quàm fratribus esse dignetur defensio & munimen, & stimulus quandoque, si placet, exhortantis pariter & imbuentis, ut benè agendo viriliter se accingant. Cæterùm quia Præmonstratenses contra plerosque alios, & alii licet pauci, contra Præmonstratenses, quasi exasperati de privilegiorum suorum decurtatione protervè contendunt ad retinendas decimas laborum, quas per longum tempus, ante Concilium, & alicubi etiam post Concilium pacificè possederunt, sciatis, me velle, quod tam nostris, quàm aliis in perpetuum super decimis laborum usque ad Concilium sine contradictione solutis, imponeretur silentium. Licet nulli magis quàm Præmonstratenses damnificari debeant in hac parte, maximè cum constet, quòd nulli moderatiùs ipsis, fuerint hoc privilegio temporibus retroactis.

I

(*a*) *Dominus Cancellarius*, Joannes qui ex Capellano Innocentii 3. creatus est ab eodem Pontifice Cardinalis Diaconus tituli S. Mariæ in Cosmedin, & Cancellarius S. R. E. Eo nomine ab anno 1207. Innocentii bullas scripsit, ut videre est apud Balusium in collectione Epistolarum hujus Pontificis anno 1682. edita Parisiis.

EPISTOLA XXXIII.

Archiepiscopus Tyrensis Gervasium rogat, ut collectas ipsi ab Apostolica authoritate commissas pro sacra expeditione fieri procuret quàm citius per se vel per vicarios.

REVERENDO in Christo Fratri & amico speciali Gervasio Abbati Præmonstratensi, S. (a) Dei gratiâ Tyrensis Archiepiscopus Salutem in vero Salutari.

Revertentes à Flandria per oppidum Peronense, multos audivimus conquerentes super eo, quòd nec in propria persona, nec per Vicarium aliquem, negotium vobis Authoritate Apostolicâ à nobis commissum fueritis executi. Id ipsum audivimus à Noviomensibus & Cathalaunensibus Canonicis, quòd nec in partibus suis negotium prædictum consummatum fuerit, vel etiam inchoatum.

Verumtamen cùm corporali ægritudine, sollicitudo vestra fuerit impedita (unde plurimùm dolemus) & negotium istud non capiat dilationem: discretionem vestram rogamus attentiùs & hortamur, quatenùs vel in propriâ personâ, vel per vicarios ad hoc sufficientes & idoneos, ad Noviomensem & Cathalaunensem Diœceses accedatis; & ibidem ordinetis personas prudentes & fideles atque omni suspicione majores, quæ negotium ipsum prudenter & celeriter exequantur (Episcoporum tamen consilio mediante) cùm enim in aliis Diœcesibus Episcoporum consiliis usi fuerimus, turpe esset & absonum, istos solos ab executione negotii excipi & excludi: sed ita eos in partem sollicitudinis volumus evocari, ut ipsi nihil sine suis consentientibus, sed illi possint exequi sine iis.

Cùm autem istud negotium in aliis Diœcesibus ferè jam fuerit terminatum, necessarium est in istis quoque Diœcesibus, ut infra mensem, vel paulò post, executioni demandetur, si tamen fieri potuerit competenter. Renuntiate nobis de salute corporis vestri, quam tanquam nostram ptoptiam exoptamus.

EPISTOLA XXXIV.

Gervasius rationem reddit Archiepiscopo Tyrensi de collectis pecuniis in subsidium Terræ Sanctæ.

REVERENDISSIMO Patri & amantissimo Domino S. Dei gratiâ Venerabili Tyrensi Archiepiscopo, Frater Gervasius Præmonstratensium Fratrum servus humilis, Salutem & cum orationibus sinceræ devotionis affectum.

De eo quod dispensationem voti circa Sacerdotes, & Clericos, & matronas inutiles subsidio Terræ sanctæ, parvitati meæ (secundùm quod accepi à viro Venerabili Magistro Gerardo Capellano vestro) committere voluistis; cum multiplici vobis gratiarum actione assurgo; attendens non impendendum

(a) *S. Dei gratia Tyrensis Archiepiscopus.* Simon, successor Theobaldi in Archiepiscopatu Tyrensi.

mihi honorem, sed honorare volentis affectum. Verùm centuplo plures refero vobis grates de eo, quòd ab hoc proposito recessistis, considerantes nimirum necessitatem aliter ordinandi, quàm forma Apostolicæ commissionis diligenter inspecta vobis indixit.

Sanè de pecuniâ in voti commutatione receptâ, sicut injunxit mihi dictus Magister Gerardus ex parte vestrâ, ordinare curavi: excepto quòd litteras Episcoporum & Capitulorum testimoniales super hoc nec quæsivi, nec quæsiturum me credo: maximè cum quidam eorum sint indignantis naturæ, nec interfuerint personaliter (licet eorum intervenerit consilium & assensus) dispensationibus faciendis. Credo autem quantùm ad faciendam fidem, & ad suspicionem tollendam sufficere debere, si pecunia singularum Diœcesum in aliquo Religioso loco deponatur cum testimonialibus litteris collectorum, continentibus quid, & quantum, & à quibus personis nominatim & sigillatim expressis receperunt in singulis Decanatibus, & in singulis Parochiis decanatuum singulorum.

Cæterùm doleo plurimùm de pace Angliæ, (a) quæ, quando fuit quasi in janua, impedita est occasione tantummodò quatuor Clericorum, qui utinam nunquam litteras didicissent. Ad hoc, doleo de infirmitate vestra, desiderans salutem vestram atque meam; nam & *ego vobiscum infirmor*: Flagellum autem Domini cum gratiarum actione suscipiens, quo insolentiam carnis in illis, quos diligit, reprimit & castigat.

Ad hoc: in Alemanniam iturus in proximo, libenter loquerer vobis in reditu meo (si fieri posset) circa octavam B. Dionisii, antequam recederetis à partibus Gallicanis.

Pecuniam autem collectam in Noviomensi Diœcesi de commutato Crucis voto; sciatis esse apud Ecclesiam Sancti Bartholomæi Noviomensis: & eam quæ collecta est in Laudunensi Diœcesi, apud Ecclesiam Sancti Martini Laudunensis: & eam quæ collecta est in Cathalaunensi Diœcesi, apud Monasterium Sancti Petri-in Montibus; nisi à venerabili viro Magistro I. Archidiacono Cathalaunensi fuerit aliter ordinatum. In illâ autem Diœcesi, quamvis paucissimi respectu aliarum Diœcesum (secundùm quod didici) sint Cruce signati, non satis commendo obedientiam collectorum.

Licet autem negotium ipsum dicto Archidiacono & aliis Venerabilibus personis, cum eo vestrâ dudum à me fuerit authoritate injunctum, & vos-ipsi (secundùm quod ipse Archidiaconus dixit mihi) super hoc ei locuti fueritis vivâ voce; metuens tamen murmura & detractiones hominum, nihil adhuc in festo Sancti Laurentii fecerat de negotio memorato, sed se in proximo facturum esse promisit. Valeat in Domino Paternitas vestra.

(a) *Doleo plurimùm de Pace Angliæ, quæ impedita est occasione tantum quatuor Clericorum.* Pax illa tentata, forte illa est quam Walo Legatus Innocentii tertii tentavit, dum in Galliam missus Philippum Regem Franciæ avocare conatus est à præstando auxilio & consensu in expeditionem, quam Ludovicus filius ejus parabat in Angliam. Legati rationibus, teste Parisio, Rex motus, nec consilium, nec auxilium filio suo contra Romanam Ecclesiam, dare velle asseruit: nihilominùs renitente patre, suadentibus Magistro Simone de Langeton, Magistro Gervasio de Hobrugge præcentore Ecclesiæ S. Pauli Londinensis, Eustachio Monacho, qui sexcentas naves ad Caleti portum pro transfretandis Gallis militibus advexerat, iter Cismarinum aggressus est Ludovicus anno 1216. & ita pacis tentatæ spes omnis evanuit.

EPISTOLA XXXV.

Archidiacono Catalaunensi mandat Gervasius, ut collectam faciat pro subsidio Terræ Sanctæ.

VIRO Venerabili & specialissimo amico I. Archidiacono Cathalaunensi, Gervasius, Dei patientiâ Præmonstrati dictus Abbas, salutem & sinceræ constantiam charitatis.

Dominus Tyrensis Archiepiscopus nuper significavit mihi & per litteras, & per Capellanum suum, ut pecuniam (si quæ recepta est à Cruce signatis) simul collectam per singulas Diœceses, facerem in loco tuto reponi, ubi infrà festum Sancti Remigii sine ulteriori dilatione à suo possit nuntio inveniri.

Cùm igitur in Alemanniam profecturus, ad vos personalirer accedere non possim ad præsens, supplico vobis in Domino Jesu Christo, quatenus in negotio vobis commisso, vel de consilio Domini Episcopi (quem super hoc nuper credo recepisse mandatum) vel cum aliquo collegarum vestrorum procedere festinetis, ne peccetis in negotium Crucifixi, & in pauperes Cruce signatos, quibus potest per vestram sollicitudinem subveniri.

EPISTOLA XXXVI.

Joannes Jerosolimorum Rex statum Terræ Sanctæ describit Gervasio.

JOANNES (*a*) Dei gratiâ Jerosolimorum Rex, & Comes Brenensis, Gervasio Abbati Præmonstratensi totique Conventui, Salutem in eo, qui est Salus.

Discretioni vestræ statum Terræ sanctæ duximus intimandum. Sciatis itaque quòd de die in diem fit deterior, cùm nos summâ paupertate & defensorum paucitate laboremus. Treugas enim adhuc habemus, sed ex parte Saracenorum claudicantes: verùm cum nos eisdem simus viribus impares, & ipsi nostram attendant debilitatem, præsumimus & timemus quod treugas debeant interrumpere, & illud quod speramus auxilium prævenire. Unde vestram in Domino exoramus Humanitatem, ut Terræ Crucifixi, & nostri, prout & Filiæ nostræ in vestris orationibus sitis memores.

Præterea sciatis nos sanos esse & hilares, unà cum Filia (*b*) nostra: quòd de vobis audire peroptamus.

Cæterùm vobis significamus, nos de consilio Prælatorum & Baronum nostrorum, Filiam Illustris Regis Armeniæ (*c*) duxisse in uxorem; quo videlicet interveniente matrimonio magnum auxilium est nobis acquisitum.

EPISTOLA

(*a*) *Joannes* erat filius Erardi 2. Brenensis Comitis & Agnetis de monte Bellicardo, gallicè *Montbeliard*, Comitatum Brenensem rexit & Comitis assumpsit nomen ad annum 1220. donec Gualterus ejus nepos majoritatem attigisset.

(*b*) *Filia nostra*, Jolandis quam susceperat ex matrimonio primo, quod contraxerat cum Maria de Montferat.

(*c*) *Filiam illustris Regis Armeniæ duxisse in uxorem.* De his nuptiis ne verbum quidem, Brenensis familiæ scriptores, sed tantùm de Berengaria sorore Ferdinandi Regis Castellæ, in uxorem assumpta post Mariæ obitum loquuntur; in idque conjugium anno 1222. involasse Regem Joannem scribunt; sed de istis nuptiis informare

EPISTOLA XXXVII.

Joannem Jerosolimorum Regem solatur Gervasius, salutaria ei suggerit monita, Canonicos Sancti Samuelis commendat.

ILLUSTRI Domino & in Christo Charissimo Joanni, Dei gratiâ Jerosolimorum Regi, Gervasius Fratrum Præmonstratensium servus humillimus & Conventus, Salutem, & cum orationum instantiâ sinceram ad obsequia voluntatem.

Receptis ac lectis in Capitulo nostro litteris Magnificentiæ vestræ, gavisi sumus & egimus grates Deo super eo, quòd (sicut eædem litteræ asserebant) vos unà cum Illustri Adolescentula Filia vestra, incolumitate gaudetis. Sed & de matrimonio, per quod magnum vobis est auxilium acquisitum, sumus plurimùm (pro-ut decuit) jucundati; sperantes quòd per illud disposuerit Dominus Terræ suæ in parte aliqua subvenire.

Verumtamen verbum illud, quod in prima facie litterarum audivimus, non potuimus sine mœrore animi ac dolore cordis audire: videlicet, quòd status Terræ sanctæ sit de die in diem deterior, & laboratis præcipuè penuriâ defensorum; & vos insuper summâ gravamini paupertate: Treugæ quoque, quas adhuc habetis, ideò claudicant ex parte populi infidelis, quia sibi videtur & rebus & viribus adversùs populum Domini debere prævalere.

Sed quia *maledictus est*, secundùm Prophetam, *qui confidit in homine, & in propriæ virtutis multitudine gloriatur:* habeat sibi gens incredula currus & equites, & in servos Dei minas & blasphemias jaculetur: Vos verò totam confidentiam vestram conferatis ad illum, qui de Cœlo præsidens eò promptiùs adversas conterit potestates, quò sperantes in se videt ad se devotiùs confugisse, & in brachio virtutis humanæ minùs confidere vel sperare.

Proinde Serenitatem vestram monemus attentiùs & exhortamur in Domino, quatenus attendentes quibus Regibus disponente Deo successistis (David scilicet & Ezechiæ quorum vellemus coram vobis historias recitari) illos vobis sumatis in exemplum, maximè in hac parte; ut in omni tribulatione, quam pro defensione Terræ sanctæ, & liberatione populi fidelis sustinetis, auxilium velitis à supernis sedibus præstolari. *Nec* aliquatenùs *formidet cor vestrum*, aut *concidat vultus vester*, quantumcumque hostes Dei & vestri, fortes fuerint, sive multi, quia, *si Deus pro vobis, quis contrà vos* poterit (ut ait Apostolus) prævalere? Scire autem debetis (& satis credimus) quod Terram illam sanctam, quoties in diebus antiquis jugo infidelium premeretur, solet semper Omnipotens eò potentiori miraculo liberare, quò ad eam liberandam manus fuerit infirmior præliantis, & minor hominum fortitudo.

Sanè ad hoc quod rogastis nos, ut Terræ Crucifixi, & vestri, nec-non & Filiæ vestræ memores simus in orationibus nostris, scire vos volumus quòd

K

informare Gervasium Abbatem Præmonstrati non potuit Rex, ab annis duobus factum Sagiensem Episcopum. Ergo ignotam historicis secundam Principis uxorem, ab ipso-met addiscamus Principe, cui suffragatur testimonium Marini Sanuti lib. 3. p. 11. c. 9. referentis conjugii tabulas, asserentisque post expugnationem Damietæ & Regis Lievonis soceri sui mortem, anno 1219. se contulisse ptolemaidem ut inde peteret Armeniam adeundi Regni causâ, quod hæreditario jure obtigerat filio suo, sed interea, hoc est anno 1220. uxorem & filium interiisse ait.

jam anni aliquot transierunt, ex quo ad petitionem vestram (quam tunc, sicut & modo devotè suscepimus) illi orationi, quæ pro Terrâ sanctâ ab universâ frequentatur Ecclesia, unam in Ecclesiâ Præmonstratensi collectam adjecimus specialiter pro vobis dicendam in perceptione Hostiæ salutaris: & nunc nihilominus Fratribus nostris injunximus pro vobis, & vestris orationem de Spiritu sancto specialem.

Porrò quia de salute & hilaritate nostrâ veritatem desideratis audire: noveritis nos sanitate mentis, & corporis incolumitate gaudere, paratos pro posse & facultate nostrâ ad vestræ obsequium Dignitatis.

Pro reliquis autem Ordinis nostri, Fratribus scilicet Sancti Samuelis (quos ut in Terrâ sanctâ, memoria nostri Ordinis haberetur, voluit Dominus apud Accaron (a) residere) Excellentiam vestram affectuosè rogamus, quatenus foveatis eos in statu præsenti, & promoveatis, cùm Dominus locum dederit, ad antiquum.

De hoc autem vobis referimus grates multas, quod quoties in partes Gallicanas litteras destinatis, humilitatem nostram dignamini per litteras & nuntios visitare.



EPISTOLA XXXVIII.

Gervasius Hillinum Floreffiæ Abbatem Comitem Aconensis Episcopi & sacra petentem loca commendat Jerosolimitano Patriarchæ.

REVERENDO in Christo Patri & dilecto Domino (b) C. Dei gratiâ sanctæ Resurrectionis Venerabili Patriarchæ, Frater Gervasius Fratrum Præmonstratensium servus humillimus, salutem & cum orationum instantia devotam ad obsequia voluntatem.

Licet sollicitudo omnium Ecclesiarum tam ipsius Præmonstratensis, cui specialiter præsidemus; quàm totius Ordinis, cui insufficientes præficimur, animum nostrum detinuerit multipliciter occupatum: interno tamen affectu semper de Terræ sanctæ destitutione doluimus: & ut viderent oculi nostri diem, quo eam audiremus Christiano cultui restitutam, studiosè pro-ut permiserint negotia nostra, quæ nec differri poterant nec ommitti, interposuimus partes nostras; videlicet aut personaliter disseminando in populis verbum Dei, aut injungendo hoc-ipsum Fratribus Ordinis nostri, quos ad hoc credebamus & superiores vitâ, & clariores doctrinâ.

Sanè cùm Dominus Papa scripserit. Venerabili & dilecto Fratri Hellino (c) Abbati Floreffiæ Latori præsentium pro suscipiendo ad petitionem

(a) *Accaron* quæ & Cæsarea Palestina ab Herode dicta est; proscriptis è Campestri Abbatia S. Samuelis Canonicis Præmonstratensibus, ab irrumpentibus Turcis, assignata est in refugii locum, ab Joanne Rege.

(b) *Dilecto Domino Alberto* de Castro Valteri, antea Vercellensi Episcopo, deinde anno 1205. ad Patriarchatum Jerosolimitanum assumpto, ad quem prius Soffredus Cardinalis & Sedis Apostolicæ in transmarinis legatus communi crucesignatorum suffragio fuerat electus, sed cui succollare humeros noluit. Erat Albertus Parmensis origine, Canonicus Regularis Murtariensis professione, ex Bobiensi Episcopatu, ad Vercellensem translatus anno 1184.

(c) *Hellino*... Hujus meminit Leodiensis Ecclesiæ Hystoriographus Fisen ad annum 1213. meminerunt & fasti Floreffienses à Petro Herentalio conscripti, & Helinum scientia, probitate, facundia insignem claruisse in Gallia & in Palestina floruisse referunt.

Domini Acconensis (*a*) Episcopi peregrinationis onere transmarinæ; & idem Abbas laboriosâ peregrinatione susceptâ ad præsentiam vestræ Paternitatis accedat: vestræ pro eo Præeminentiæ supplicamus, quatenus ipsum habeatis in Domino commendatum; ut-pote virum vitâ commendabilem, & qui multos labores in terra sustinuit, ut ad liberandam hæreditatem Domini fidelium mentes & exemplo moveret, & verbo.

Specialiter siquidem vos rogamus, ut cum regratiatus populo suo Dominus funiculum hæreditatis suæ reddiderit adoratoribus crucis suæ, possessiones Ecclesiarum Ordinis nostri (videlicet Sancti Samuelis, & Sancti Abacuc, (*b*) quarum prima est Præmonstrati, secunda Floreffiæ filia specialis) eidem Abbati restitui jubeatis: ut, cum fidelis populus gaudebit gentium incredulitatem confusam, & terram debito cultui restitutam; nos quoque eò pleniùs possimus congaudere gaudentibus, quò prædictis possessionibus reversis ad Ordinem, nihil nostro deesse gaudio sentiemus.

Concessimus autem memorato Abbati tam in reconciliandis fugitivis, cùm opus fuerit, quàm in aliis operationibus, quæ ad Ordinem pertinere noscuntur, nostræ plenitudinem potestatis.



EPISTOLA XXXIX.

Bellovacensem Episcopum submonet Gervasius ut stet promissis factis Cardinali Gualæ.

REVERENDISSIMO Patri & amantissimo Domino Ph. (*c*) Dei gratiâ Bellvacensium Episcopo F. Gervasius Præmonstratensium Fratrum servus humillimus salutem, & cum orationibus sinceram & constantem ad obsequia voluntatem.

Cùm Paternitatem vestram magnis & multis negotiis frequenter implicitam esse sciam, nescio utrum ob multiplicitatem eorum à memoriâ vestrâ exciderit, quòd Romæ in Generali Concilio nuper præterito constituti, Reverendo Patri Gualæ, titulo S. Martini Presbytero Cardinali promisistis secundam præbendam, (*d*) quæ in Ecclesia vestra vacaret. Proinde hoc ipsum per præsentes litteras vobis censui ad memoriam revocandum, satis admirans quòd, cùm in Ecclesia vestra plures postmodum præbendæ vacasse dicantur, hujus promissi vestri non fuistis memores cum effectu: maximè cùm inter dona gratiarum plurima quæ habetis super hoc præcipuè vestra soleat Paternitas commendari, quòd habeat & fidem in verbis, & constantiam in promissis.

(*a*) *Domini Acconensis Episcopi*, Jacobi scilicet, de Vitriaco, qui Hellinum utpote verbo & opere efficacem, socium transmarinæ peregrinationis sibi junxit, Innocentio 3. ad opus excitante Hellinum, profectus est autem Abbas anno 1213. suæ prælationis primo.

(*b*) *Sti. Samuelis & Sti. Abacuc Ecclesias, quarum prima est Præmonstrati, secunda Floreffiæ filia.* Hinc emendandus Lairuelius qui Sti. Samuelis Abbatiam, facit filiam Sanctæ Mariæ in Nemore, nunc Mussipontanæ.

(*c*) *Domino Philippo* de Dreux, filio Roberti Comitis Drocarum & Branæ, Nepoti Ludovici 7. Galliæ Regis, electo in Episcopum Bellovacensem anno 1177. denato die 2. Novembris 1217.

(*d*) *Promisistis secundam præbendam.* Audi Cardinalem non dedignari Canonicatum, imò sollicitationibus suis, stante Lateranensi Concilio, præoccupasse vacantem.

Porrò non dubito, quin apud omnes bonos, veſtro nomini non modicùm debeat derogari, ſi apud tam Venerabilem virum in uno & eodem promiſſo veſtro inveniatur *eſt & non:* nec eidem aliquatenus gratum erit, cum audierit, quòd in conferendis præbendis, quæ poſtmodum vacaverunt, nullus nominis ſui fuerit recordatus; præſertim cùm Dominum Regem ac perſonam noſtram ac Regnum Francorum, in Romana Curia plus honoraverit, quàm aliquis, quem viderimus legatione fungi in Francia uſque modò: unde Paternitati veſtræ benignè conſulimus, quatenus quod hucuſque diſtulit, explere non differat cum ſe tempus obtulerit oportunum.

Licet enim idem Dominus Cardinalis modo agat in partibus Anglicanis, non idcircò Anglicus ſemper erit: imò adhuc & Francos fovere poterit & ſovebit pro meritis perſonarum, & vobis utilis eſſe poterit atque veſtris: ut-pote qui (quidquid dicatur de eo) & *fuit* ſemper, & erit *potens in opere & ſermone.*

EPISTOLA XL.

Gervaſius commendat Gualæ Cardinali & Legato in Anglia Eccleſias Ordinis Præm. in eodem Regno conſtitutas.

INTER Patres Reverendiſſimo, & inter Dominos Amantiſſimo Gualæ, (*a*) Dei gratiâ titulo Sancti Martini Venerabili Presbytero Cardinali, Sedis Apoſtolicæ Legato, Gervaſius, ejuſdem patientiâ Præmonſtrati dictus Abbas, Salutem, & cum orationibus ſinceram ac devotam ad obſequia voluntatem.

Dudum habui, & adhuc habeo pro conſtanti, quòd ſemper debeatis viros bonos diligere, & eorum negotia, in quantùm honeſtas permiſerit, promovere. Sanè quia rogaverunt me Fratres Ordinis noſtri de Romana Curia revertentes, ut veſtræ Paternitati cum ipſis ſupplicarem, tam pro ſuis Eccleſiis, quàm pro aliis Ordinis Præmonſtratenſis in Anglia conſtitutis: nolens eis debitum precum mearum auxilium denegare (licet alias Paternitatem veſtram pro iiſdem rogaverim) Sanctitati veſtræ affectuosè ſupplico & attentè, quatenus memoratas Eccleſias pietatis veſtræ curet ſollicitudo protegere, & ſalvas ab inſultibus malignantium (ſi qui apparuerint) conſervare.

Specialiter autem vos rogo, quatenus cum ſatis vobis conſtet (ut credo) quod à ſolutione Vigeſimæ dicti Ordinis Profeſſores per venerandæ recordationis Dominum Innocentium ſint exempti, eos ab exactione ejuſdem faciatis ſecuros pariter & immunes, ſi fortè ſuper hoc ab aliquibus Epiſcopis fuerint moleſtati. Si quid autem in mea poſſibilitate habetur, unde veſtræ poſſit Beatitudini obſequium exhiberi, paratus ſum & ero ſemper veſtræ obſequi beneplacito voluntatis.

EPISTOLA

(*a*) *Amantiſſime Guala.* Ab Innocentio 3. in Angliam miſſus Legatus anno 1216. Guala, vel Wualo, Ludovicum 8. Joanni Anglorum Regi ejuſque Diademati invidentem, & armis tentantem ſurripere, anathemate confixit. In Legatione ab Honorio 3. confirmatus, Henrici 3. cauſam ſtrenuè deffendit, Anglos perduelles Regi reconciliando, pacis velut arbiter, conditiones ſanxivit inter Henricum & Ludovicum anno 1217. ad Fridericum 2. Imperatorem anno 1225. ab eodem Honorio Legatus deſtinatus eſt, intra primæ legationis ſpatium, ſuam ſcripſit Gervaſius litteram, ſubindeque anno 1216. vel 1217.

EPISTOLA XLI.

Gervasius Gualæ Cardinali suum erga Rom. Ecclesiam affectum prodit & de Pace Anglicana ei aggratulatur.

REVERENDISSIMO in Christo Patri & Domino G. Dei gratiâ tituli S. Martini Venerabili Presbytero Cardinali, Sedis Apostolicæ Legato, Gervasius, Fratrum Præmonstratensium servus humilis, salutem & cum orationum instantiâ sinceram ad obsequia voluntatem.

Inter flagella quibus visitavit me Dominus his diebus, lætatus sum plurimùm, quòd idem Dominus castigatot meus quasi licentiam mihi dedit, ut Præeminentiæ vestræ scribam, aperuitque litteris meis viam, quâ ad vestram perveniant Sanctitatem. (*a*)

Sanè nullatenùs est credendum, quòd in causâ fuerit vel negligentia, vel charitas tepefacta, quare Sanctitati vestræ non scripserim usque modò: quin potiùs commeatuum transitus interclusus & suspicio, à cujus nota servandam censui sicut conscientiam, sic & famam: nihilominùs tamen sollicitus semper fui pro honore Sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ & vestro: & tunc maximè, cùm renunciaretur mihi de triplici formâ pacis, (*b*) quæ (ut dicitur) à Sede Apostolicâ emanavit: quarum quælibet (si fuisset ad effectum perducta) in totius Ecclesiæ & vestram nihilominùs ignominiam redundasset.

Verùm quoniam ultra spem omnium operatus est Dominus contra homines Ecclesiasticæ censuræ contemptores, & per sollicitudinem vestram Ecclesiæ suæ victoriam contulit insperatam: & gaudeo, & gaudebo; non quòd alicui quæram malum, vel quòd alicujus confusioni congratuler: sed quia meum reputo quidquid Sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ laudis accesserit & honoris.

Porrò quia desiderare vos credo de statu meo cognoscere veritatem: noverit Paternitas vestra quòd, ex quo recessi à vobis, multa invenerunt me mala, & maximè his diebus, quibus ita detineor, quòd nostro non possum Generali Capitulo præsidere.

Cæterùm quia multi Ordinis nostri Professores in Angliâ contra inhibitionem meam expressè factam inciderunt in canonem, timentes hominem plusquàm Deum, vestræ eos voluntati expono: hoc solùm rogans, ut simplicitas mitiùs, quàm malitia puniatur.

EPISTOLA XLII.

Narbonensis Archiepiscopus, Gervasii implorat auxilium pro extirpandis Albigensium reliquiis.

VENERABILI Fratri & in Christo dilecto Gervasio Præmonstratensi Abbati F. A. (*c*) Dei gratiâ Narbonensis Archiepiscopus, Apostolicæ Sedis Legatus, salutem in vero Salutari. L

(*a*) *Ad vestram perveniat Sanctitatem.* Hic Sanctitatis titulus passim Episcopis quandoque Imperatoribus & Regibus addici solitus, ad summos Pontifices ex privilegio dignitatis nec dum ætate Gervasii restrictus erat.

(*b*) *Forma pacis*, inter Henricum 3. & Ludovicum Principem, Galliæ Regis primogenitum, conclusæ anno 1217.

(*c*) *F. A. Dei gratia Narbonensis Archiep.* Hoc est frater Arnaldus cognomine Amalric

Olim Petri naviculæ ſapientiſſimus Gubernator ad extirpandam peſtem Hæreticorum, quæ per Provinciam Narbonenſem vicinaſque partes multiformium dogmatum ſuorum urentiſſimum virus effuderat; ita quod *à planta pedis uſque ad verticem vix ulla ſanitas remanſiſſet*, operarios deſtinavit *potentes in opere & ſermone:* qui cum apud illud genus damnatiſſimum, quorum erat oculus obturatus & exorbitatus, *& inſipiens cor eorum*, verbo prædicationis parùm proficere potuiſſent: authoritate illius, qui eos miſerat, vocati ſunt ad ſubſidium negotii hujus *gens ſancta, genus electum, & populus acquiſitionis* Regni Franciæ, Principes & Barones, aliique fideles Catholicæ fidei Zelatores.

Venientes itaque Chriſti exercitus, & miraculosè incipientes caput conterere inimici; tandem conſilio ſibi divinitùs inſpirato præfecerunt huic negotio, tanquàm ſpecialiter ad hoc miſſum à Deo, nobilem virum Simonem, Dominum Montis-fortis, obedientiæ quippe filium, atque *montem in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo;* ſortem quidem in eo, qui eſt *fortis & potens in prælio:* per cujus Signatorum ſudores virtus Dei altiſſimi, ſuæ incomprehenſibilis diſpoſitionis clementiâ, tot & tanta eſt mirabiliter operata, quòd excluſis & deſtructis pro magna parte hæreticis, & fautoribus, & defenſoribus eorundem, maxima pars terræ, quam ipſorum ſpurcitia longo defœdaverat tempore, data eſt in manu fideli, & divino cultui reſtituta.

Cum autem de perditiſſima gente illa reſtent adhuc reliquiæ, quæ, ſicut latens vipera ſerpit humo, per occulta & abdita incedentes inſidiantur calcaneo hujus negotii, & intendunt quòd laſſetur Catholicorum devotio, & zelus Cruce-ſignatorum tepeſcat, neceſſe eſt ut nos, qui (aliis de ſociis ad ſollicitudinem iſtam nobiſcum à Sede Apoſtolica deputatis jam coronatis martyrio, & aliis in ſancta confeſſione vocatis) in onere Legationis ſoli remanſimus, ad elidendam perverſorum intentionem totâ vigilantiâ intendamus.

Quo-circa rogamus diſcretionem veſtram in Domino, quatenus tam per vos perſonaliter, quàm per alias perſonas idoneas ſedulis exhortationibus Epiſcopos, & alios Clericos, Milites, & cæteros Chriſti Fideles, ut in ſubſidium præfati negotii contra hæreticos & fautores eorum veniant, moneatis attentiùs, & inducere procuretis; exponentes eiſdem in prædicationibus veſtris, quod illis, qui ſe accinxerint ad opus hujuſmodi pietatis, eadem remiſſio peccatorum à Deo, ejuſque Vicario eſt indulta, quæ transfretantibus in Terræ ſanctæ ſubſidium indulgetur. Perſonæ quoque ipſorum, & terræ, poſſeſſiones & homines, & cætera bona eorum, ex quo crucem ſuſceperint in pectoribus, in ſubſidium præfati negotii donec de ipſorum reditu vel obitu certiſſimè cognoſcatur, ſub protectione Sedis Apoſtolicæ exiſtant.

Speramus autem in Domino Jeſu Chriſto, cujus eſt ipſum opus, quòd per ejuſdem gratiam, & ſuccurſum Fidelium Signatorum, conſummationem prædictum negotium ſortietur in brevi: nam ſi caput draconis contritum fuerit, Tholoſa videlicet civitas, in qua ſe feré totæ vires inimicorum col-

ex Abbate Populeti & grandis Silvæ, factus Ciſtercii Abbas anno 1202. ab Innocentio 3. Legatus Pontificus & hæreticæ pravitatis inquiſitor adverſus Albigenſes deſignatus anno 1206. duodecim ſecum adduxit Abbates ſocios prædicationis. Anno 1212. Narbonenſis Archiepiſcopus conſtituitur, ſtrenuus pugil fuit adverſus Albigenſes & ad quiſquilias eorum extinguendas, Gervaſii imploravit auxilium anno 1212. Toloſâ necdum ſubactâ moritur Arnaldus 1225.

legerunt (quæ olim à Clodoveo Rege Francorum propter hæresim Arrianam legitur fuisse destructa; & nunc in angustiâ multâ ob simile vitium esse dignoscitur constituta) tunc vel nihil, vel modicum de prædicto negotio superserit faciendum.

Ut autem plures tam libentius, quàm liberius ad Dei servitium memoratum accedant, concedimus discretioni vestræ, vt tam per vos, quàm per alios idoneos injectoribus manuum in Ecclesiasticas seu Religiosas personas, (nisi eorum excessus extiterit difficilis & enormis, ut-pote si fuerit ad mutilationem membri, vel sanguinis effusionem processum, vel in Episcopum aut Abbatem violenta manus injecta) necnon & incendiariis valeatis absolutionis beneficium secundum formam Ecclesiæ impertiri, vt sic eos in succursum prædicti negotii transmittatis.

EPISTOLA XLIII.

Encyclica Gervasii Epistola per quam ex delegatione Archiepiscopi Narbonensis fideles ad expeditionem sacram contra Tolosates exhortatur.

UNIVERSIS Christi Fidelibus ad quos litteræ præsentes pervenerint Gervasius, Dei patientiâ Præmonstrati dictus Abbas, salutem in Domino.

Noverit Universitas vestra quòd litteras Reverendi Patris A. Archiepiscopi Narbonensis, Sedis Apostolicæ Legati suscepimus in hæc verba: Venerabili Fratri, & in Christo dilecto Gervasio Abbati Præmonstratensi, *& cætera ut supra.*

Cùm igitur propter occupationes domesticas (præter negotia totius Ordinis, pro quo nos sollicitari oportet) non possimus personaliter circumquaque discurrere: & idem Archiepiscopus non nobis tantummodò, sed & aliis, quos ad hoc negotium duxerimus evocandos, officium commiserit prædicandi: & indulserit etiam (prout ex litterarum suarum potest teriore perpendi) ut injectores manuum in Clericos seu in Religiosas personas, & incendiarios absolvamus, dummodò accingi velint ad injurias fidei propulsandas in partibus Tholosanis: dilectum in Domino Guidonem Fratrem & Canonicum nostrum ad vos mittimus, Universitatem vestram rogantes attentius & exhortantes in Domino Jesu, quatenùs illum eâ curetis devotione suscipere, quâ nos-ipsos: & attendentes quòd, cùm sola jam Tholosa refugium sit perversis, labor quem indicere vobis intendimus est non grandis, & remuneratio copiosa; tempus peregrinationis non multum, & ipsa peregrinatio non longinqua; & super hæc omnia, fides in causâ; in succursum fidei memoratæ signum salutis nostræ (videlicet signum Crucis) assumere non tardetis: ut dum ipsa in pectoribus vestris assumitur, ita semper vobis præ oculis habeatur, ut & vobis sit jugiter ad munimen, & hostibus ad terrorem. Datum Præmonstrati mense Februario, Anno gratiæ millesimo ducentesimo duodecimo.

EPISTOLA XLIV.

Gervasius apud Noviomensem Episcopum conqueritur de violentiâ Decani Hamensis.

REVERENDO in Christo Patri & Domino St. (*a*) Dei gratiâ Noviomensi Episcopo Frater Gervasius, Præmonstrati dictus Abbas, salutem & tam devotum, quàm debitum reverentiæ famulatum.

(*a*) *Domino St.* Stephano de Nemours de quo Epist. 5. apud Honorium fuerat graviter conquestus Gervasius, de eodem geminat querelas pro causa pari.

Decanus Hamensis, sicut quandoque novistis, Fratres nostros in vestrâ Diœcesi commorantes frequenter, valdè ignominiosè tractavit; & nos ejus impetum sustinuimus patienter, credentes quòd aliquo tempore, cùm haberemus apud vos gratiam, vestrâ compressus authoritate cessaret.

Nunc autem, quia de novo cœpit ab hominibus vestris adjutus prædam & vecturas nostras, & etiam farinam in usus Fratrum & Sororum Bonolii (*a*) convertendam: & quædam istorum detinet occupata, quæ etiam per plegium reddere dedignatur: rogamus Paternitatem vestram, quatenus faciatis nobis cum debitâ & condignâ satisfactione reddi ablata: & nos, (si ipse erga nos aliquid habuerit questionis) parati erimus stare juri ubi debebimus. Scitis enim quod secundùm consuetudines Gallicanas (à quibus ratio non discordar) qui alienum capit, & requisitus vel non reddit præcisè, vel per plegium non recredit, manifestissimus prædo, & fere deterior ruptario reputatur.

Unde volumus ut sciatis quod, nisi per vos nobis fuerit satisfactum, justitiam quæremus apud illos qui habebunt in ejus coërcitione per gratiam Dei plenariam potestatem: cùm non minùs ignominiosum reputetur apud quoslibet bonos viros à tali hoste sic gravari, quàm ignominiosum aliquid sustinere.



EPISTOLA XLV.

Gervasius apud Honorium III. pro afflictâ Ecclesia Veromanduensi intercedit.

SANCTISSIMO Patri & püssimo Domino Honorio, Dei Providentiâ Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, humilis ejus servi, Frater Gervasius, dictus Præmonstrati Abbas, & Ecclesiæ V. Conventus (*b*) cum devoris orationibus, obedientiam, & pedum oscula.

Quotiescumque pungimur ab ignitis serpentibus maliriæ sæcularis, quæ contra Religiosos quotidie invalescit, unicum habemus refugium, Apostolicam Sedem, in quam quasi in serpentem æneum aspicimus, ut sanemur.

Ad hoc devenit hodie Ecclesia Dei, quod inter illos qui habent nomen & officium pastorale, non meritum, mercenarii sunt non pauci, de quibus multùm gaudendum esset, si tantummodò mercenarii essent: ita-ut non plus nocerent, quàm quod lupo fugerent veniente: cùm constet quod gregem Domini-

(*a*) *Sororum Bonolij.* Bonolium, Parthenium erat Canonissarum Ordinis Præm. non longè ab oppido Hami, gallicè *Ham*; Primùm in Præmonstrati Archicœnobio habitabant, uno tantum à Canonicis muro sejunctæ, deinde Roserias translatæ sunt anno 1141. locum suppeditante Radulpho Dynasta Cociaci, gallicè *Coucy*; postmodum Fontenellam transmigrarunt; denique Bonolium ab Alardo Domino de Ham evocatæ. illic ultimam fixere sedem, & funestam monialibus cladem subierunt.

(*b*) *Ecclesia V. Conventus.* Ecclesia Veromanduensis in eadem Noviomensi Diœcesi constituta, iisdem Stephani Episcopi extorsionibus gravata ingemiscebat. Gervasius, ut patrem & caput ordinis decebat, summi Pontificis invocat protectionem ad sublevamentum attriti membri. Est autem Veromandia binis à San-Quintino horis distans, fuitque antiquitùs primariæ Veromanduorum civitatis sedes, cujus extant hodiè rudera. Præmonstratenses habent illic Abbatiam suo situ, & ædificiis sat splendidam.

Dominicum, quem pascere deberent ex officio sibi injuncto, verbo pariter & exemplo, & contra malignantium defensare insultus, graviùs & crudeliùs quàm ipsi Laïci sæculares dissipant & discerpunt: ad hoc solùm, ut videtur, modis omnibus laborantes, ut glorientur in domibus laqueatis; ut incedant in Regio apparatu; ut splendidè procurentur in mensâ; ut thesauros de rapinâ pauperum acquisitos, quos vita eorum licet voluptuosa non sufficit absorbere, congregent & conservent in loculis & in arcis: ut sic tanquam Principes accincti gladio timeantur, non ut amentur tanquam Pastores & Patres.

Cùm igitur inter alios, & quasi præ aliis N. oppressioni immineat Ecclesiæ N. ita-ut indignatio ejus, redemptionibus licet pluries repetitis, nequeat saturari: imò ex ipsa assuetudine rapiendi videatur crescere fames prædæ, usque-adeò, quòd flagellum persecutionis ejus sustinere ulteriùs non possimus; ad pedes Sanctitatis vestræ cum lachrymis & afflictione cordis humiliter provoluti, cum omni, quâ possumus, affectione & instantiâ supplicamus, quatenus extendatis virgam Vestræ Directionis in eum, & humilibus servis vestris, nihil quærentibus nisi justum, exhibeatis justitiæ complementum.



EPISTOLA XLVI.

Gervasius obstinatas Noviomensis Episcopi vexationes exponit Honorio III. & promptam ab eo reposcit satisfactionem per Judices à sua Sanctitate designatos.

SANCTISSIMO Patri ac Domino Honorio, *& cætera, ut in præcedentibus.* Calamitas quam patior ad supplicandum propellit & incitat me invitum: metuentem nimirum ne petitiones & preces toties repetitæ fastidium generent audienti: verùm quia qui pungitur & torquetur non clamare non potest ad Apostolicam Sedem, cui pietas deesse non solet; clamabo afflictus: & licet non multam ex merito, aliquantulam tamen fiduciam retinebo in eo, quòd à prima juventute mea Sacro-sanctam Romanam Ecclesiam diligere cœpi, & gessi me ejus servum in omnibus, in quibus se obtulit opportunitas serviendi: & certe (quod confidenter dico) pluries locum habui saltem inter vasa fictilia domûs Dei.

Nuper sanè cùm Sanctitas Vestra commisisset Judicibus causas quasdam, quæ inter Noviomensem Episcopum & Præmonstratensem Ecclesiam vertebantur; & ego, sicut decuit, ob reverentiam Episcopalem fecissem eum, antequam à Judicibus citaretur, per duos Coabbates meos, ut à vexatione Ecclesiæ mihi commissæ desisteret, humiliter admonere: oblatis ei ab iisdem Abbatibus sacris apicibus Vestris, in quibus continebatur inhibitio Apostolica de procurationibus in grangiis Præmonstratensis Ordinis minimè requirendis: idem Episcopus non solùm non acquievit precibus & admonitionibus cum humilitate porrectis, sed Apostolicas litteras inspicere vel audire contempsit; & postmodum in ira indignationis suæ misit satellites suos, qui infra octo dies exturbaverunt omnia, quæ ad Præmonstratensem Ecclesiam in Noviomensi Diœcesi pertinebant: alicubi annonam quæ Præmonstrato debebatur: alicubi decimas; alicubi ipsas grangias saisiendo.

Cùm igitur quotidie, ut-pote vir potens, possit & velit damna & injurias

innovare, supplico Paternitati Vestræ cum pauperibus Fratribus meis, in omni humilitate quâ possumus atque scimus, quatenus manum Protectionis Vestræ validiùs extendentes, præcipiatis Judicibus inferiùs exprimendis, ut nos ab ipsius Episcopi & suorum, quotiescumque fuerint requisiti, molestatione defendant, Justitiâ mediante: ne per defectum Justitiæ probrosè succumbamus sub homine, qui tam parum videtur aut timere Dominum, aut hominem revereri. Valeat in Domino Sanctitas Vestra, *& cætera, ut in præcedentibus epistolis.*



EPISTOLA XLVII.

Judices à Pontifice delegati Noviomensem Episcopum monent, adhortantur & peremptoriè citant in causa Abbatis Gervasii.

VENERABILI & dilecto in Christo Patri St. Dei gratiâ Noviomensi Episcopo, H. Decanus, & Magister G. Goin, & F. Canonicus Remensis, salutem & sinceræ dilectionis affectum.

Receptis dudum Apostolicis litteris per Viros Religiosos Abbatem & Conventum Præmonstratensem, qui inter Vos & ipsos asserebant, & adhuc asserunt (unde dolent) controversiam agitari, emisimus litteras simplicis citationis, ut satageretis feriâ secundâ post festum B. Egidii Remis vestram nobis præsentiam exhibere, vel mittere Procuratorem idoneum, dictis Abbati & Fratribus ad ea quæ objicerent responsurum.

Verùm quoniam ad præfatum diem non venistis, nec misistis alium loco Vestri: monemus Paternitatem vestram & exhortamur in Domino, sicut & per primas litteras meminimus nos fecisse, quatenus altâ magnanimitate cordis, motum indignationis omnimodè reprimentes cum pauperibus Jesu Christi, qui vobis non dubitantur esse impares in conflictu, amicabiliter convenire velitis, & satisfacere ipsis de datis injurijs atque damnis; attendentes quòd ignominia sit Potentis pauperes opprimere indefensos, quos sola necessitas miserrimæ fortunæ ad resistendum impellit; non quòd sperent victoriam, sed quòd miserrimo, miserior non expectetur eventus.

Verùm si exhortatio nostra (quod absit) non capit in vobis, peremptoriè vos citamus authoritate Apostolicâ, quâ fungimur in hac parte, quatenus feriâ sextâ proximâ post Festum Beati Dyonisii Remis coram nobis vel personaliter vel per procuratorem sufficienter instructum, comparere velitis, dictis Conquerentibus responsuri.

Hunc autem diem propter hoc vobis peremptoriè assignamus, quia spatium duorum vel trium continet edictorum; & quia vos quandoque agitis extra Diœcesim vestram, & non potestis facilè conveniri. Datum Remis feriâ tertiâ proximâ post Festum Beati Egidii M CC XVIII.



EPISTOLA XLVIII.

Stephanus Noviomensis Episcopus exemptionem Ordinis Præm. agnoscit & pro illatis injuriis & damnis satisfactionem offert.

VIRIS Religiosis & Amicis in Christo charissimis Gervasio Abbati & Conventui Præmonstratensi, St. Noviomensis Ecclesiæ Minister humilis, salutem & sinceræ dilectionis affectum.

Non ignorat discretio vestra, quòd divites & Potentes sæculi aut seducti consilio alieno, aut errore decepti, à via plerumque deviant æquitatis, & multa faciunt, quæ postmodum pœnitet eos fecisse, quando reversi sunt ad cor & ad notitiam veritatis.

Sanè suggestum fuit nobis olim, quòd in grangiis Præmonstratensium, quæ sitæ sunt in Noviomensi Diœcesi, debebantur nobis annuæ procurationes, ut-pote quæ Prædecessoribus nostris à pluribus retrò annis fuerant persolutæ. Nos verò nolentes ut temporibus nostris deperirent aut minuerentur jura Noviomensis Ecclesiæ, cui, licet immeriti, præsidemus: institimus acriter & frequenter petendo procurationes jam dictas. Et molestè ferentes quod nobis penitus negabantur, intulimus vobis molestias atque damna: & plura (ut verum fateamur) intulissemus, nisi motum iræ & indignationis nostræ timor scandali temperasset.

Nunc verò cùm intellexerimus qnòd muniti sitis privilegiis Apostolicis, quæ à solutione procurationum in grangiis Ordinis vestri eximant vos apertè, & Ordinem vestrum totum: nolentes indultæ vobis à Summo Pontifice libertati temerè contraire, sinceritatem vestram attentè rogamus, quatenus assignetis nobis aliquem certum diem, ad quem in certo loco possimus convenire vobiscum, ad tractandum de pace reformanda inter nos & vos, quam tantò propensius desideramus habere vobiscum, quantò estis nobis vicini, & novimus vos esse pacis & concordiæ amatores: nec aliquatenus dubitetis, quin parati simus ad satisfaciendum de injuriis & ad restituendum damna quæcumque à nobis occasione sæpe-dictarum procurationum vobis fuerunt irrogata.

Hoc autem volumus vos scire pro certo, quòd ad petendum procurationes ipsas non induxit nos, vel desiderium comedendi alienum panem, (cùm per gratiam Dei benè sufficiamus nobis) vel etiam intentio opprimendi aut gravandi Ecclesiam Præmonstrati, quam sincerè diligimus, & intendimus diligere ac fovere; sed solummodò zelus tuendi & conservandi Jura Noviomensis Ecclesiæ, quæ nollemus aliquatenus per defectum nostrum minui, ut prædiximus, aut perire.

EPISTOLA XLIX.

Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Adurensis, Abbatem Casæ-Dei in Episcopum postulat sibi dari.

CHARISSIMO in Christo Patri ac Domino Gervasio Abbati Præmonstratensi, Universitas Capituli Audurnensis, Salutem in eo qui est omnium vera salus.

Cum Pastorali Regimine destituitur grex ovilis, non est per quem errantes oviculæ ad pabula revocentur: imò dilaniandæ luporum dentibus potiùs exponuntur, nisi gregi provisum fuerit in Pastore, qui eas revocet ad ovile.

Sanè cùm Adurnensis Ecclesia honestissimæ conversationis & fidei religiosæ Pastorem habuerit virum (*a*) profectò providum & discretum, qui nunc peccatis populi exigentibus (quod non modico puncti doloris aculeo recitamus) diem clausit extremum: propter quod Ecclesia nostra procellis maris hinc-inde fluctuantibus periclitari compellitur, nisi mors Pastoris nostri, Successoris beneficio sit redempta.

(*a*) *Virum profectò providum*, Vitalem, nomine, humanis exemptum anno 1215.

Ad hæc sciatis (Pater charissime) quòd cum Abbas Casæ-Dei, *(a)* subditus vester, præditus sit sanctitate & moribus, & laudabilis testimonii extiterit longis retrò temporibus; ipsum à vobis unanimiter & concorditer postulamus: vos modis quibuscumque possumus deprecantes, quatenus ipsum miseratione Divinâ & pietatis intuitu, Ecclesiæ nostræ orbatæ Pastore, dignemini concedere in Prælatum. Scriptum enim est, *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Quapropter vos Ecclesiæ nostræ doloribus compatiamini, onus ejus alleviantes per concessionem Pastoris, ut Ecclesiæ mœror & lamentatio in exultationem & gaudium convertatur.



EPISTOLA L.

Gervasius Capitulo Adurensi postulatum Episcopum concedit.

VIRIS Venerabilibus & in Christo dilectis Decano & Capitulo Adurnensi, Frater Gervasius, Dei patientiâ Præmonstrati dictus Abbas, salutem & orationes in Domino salutares.

Receptis litteris Universitatis vestræ, nobis cum multâ devotione porrectis, non potuimus non moveri pietate, visâ primâ facie litterarum, pro eo quod scilicet Prælatus vester, qui in vitâ suâ vir fuit profectò providus ac honestate probatus, viam universæ carnis (sicut Domino placuit) sit ingressus; & quod Ecclesia Adurnensis tanto sit viduata Pastore, quæ (ut verbis vestris utamur) procellis maris hinc-inde fluctuantibus periclitari compellitur, nisi mors ejusdem Prælati, Successoris beneficio sit redempta.

Verùm, cum ex voluntate Domini, non ex meritis personarum, apud vos ita vigeat Ordo noster, ut ex ipso vobis assumere velitis Pastorem: Venerabilem in Christo dilectum Fratrem Abbatem Casæ-Dei (quem vobis unanimiter postulastis) amicabiliter concedimus *(b)* & benignè: rogantes ut serenitas vestra, & devotio quam erga Ordinem memoratum cognoscimus vos habere, in posterùm non tepescat. Supplicamus etiam vobis quatenus Ecclesiam Casæ-Dei, cum sit pauper in rebus, foveatis in quantum vestræ discretio permiserit honestatis. EPI-

(a) Abbas Casæ-Dei subditus vester. Casa-Dei, Abbatia Ordinis Præm. Auxitanæ Diœcesis, cæterarum Vasconiæ, imò & Hispaniæ mater, filia est Sancti Martini Laudunensis, proinde Præmonstrati Abbati non nisi mediatè subjecta, ut Capiti Ordinis. Abbas ab Adurensi, *Ayre*, capitulo postulatus in Episcopum, vocabatur Joannes, vir laudabilis testimonii, præditus sanctitate & honestis moribus, qui Ecclesiam Adurensem sanctè & laudabiliter rexit ad annum 1222. Prædecessoris mediati & confratris sui Martini, ex Abbate Sti. Joannis de Castella in Episcopum Adurensem assumpti anno 1188. vestigia secutus. Sic porro in Vasconiæ partibus florebat Præmonstratanus Ordo, ut non tantùm ex ejus gremio Episcopos eligeret, sed & Episcopi post aliquot reginimis annos valedicentes dignitati, ad Monasteria se reciperent, horumque antesignanus fuit Raymundus de *St. Martin* Adurensis Antistes, qui spretis infulis, Canonicam in Sto. Joanne de Castella regulam vovit anno 1266.

(b) Amicabiliter concedimus. Vides non licuisse, imò nec licere Præmonstratensi Canonico, prælaturam sibi ultro oblatam, sine Superioris consensu acceptare, quantominus ei licitum est in illam, per artes aut per abusum sæcularis potestatis procuratam involare, aut per sinuosos ambitionis cuniculos in illam se introducere.

EPISTOLA LI.

Gervasius & Capitulum generale precum participationem concedunt Reginæ Franciæ.

ILLUSTRI & Amantissimæ Dominæ Ing. (*a*) Dei gratiâ Reginæ Francorum, Gervasius, Dei Providentiâ Præmonstrati dictus Abbas, & ejusdem Ordinis Capitulum Generale Salutem, & cum orationibus devotam ad obsequia voluntatem.

Licet Religiosas omnes personas sincerè amplectamini & devotè, credimus tamen quòd spirituali quâdam affectione moveamini erga Ordinem Præmonstrati, quam potiùs excitavit in Vobis (ut credimus) zelus vester, quàm aliud quod ex meritis nostris emanaret. Cum igitur omnibus teneamur astricti, qui se nobis propitios exhibent ac devotos, tantò magis Vobis esse volumus & debemus obnoxii, quantò vestra dilectio nobis esse poterit ampliùs fructuosa.

Sanè petiistis ut orationes nostras dudum Vobis concessas curaremus per novas litteras innovare; quia fortè priores litteræ non fuerunt eâ quâ deceret diligentiâ custoditæ. Nos autem parati Vobis obsequi, non solùm in hoc quod petitis, verùm etiam in omni eo quod nos possemus, & vestra gratum haberet devotio vel acceptum: participationem orationum, & omnium spiritualium beneficiorum, quæ perpetuò fient in Ordine Nostro secundùm quod Vobis ante annos aliquot est concessum, præsentibus litteris duximus innovandam: addentes quòd, cùm obitus vestri dies innotuerit nostro Capitulo Generali, sub præsentium testimonio litterarum tantum fiet pro vobis, quantum pro quolibet uno nostrûm fieri consuevit in Missis, orationibus, & in Psalmis.

EPISTOLA LII.

Episcopus Bambergensis postulat à Gervasio & à Capitulo Generali participationem orationum Ordinis.

REVERENDIS in Christo Fratribus & Amicis Præmonstratensis Ordinis Abbatibus Universis, in suo Generali Capitulo ad honorem Domini congregatis, E. (*b*) Divinâ miseratione Bavembergensis Ecclesiæ Minister humilis salutem & Spiritu consilii & fortitudinis abundare.

(*a*) *Illustri & amantissimæ Dominæ Ing...* Ingeburgi filiæ Valdemari 1. Daniæ Regis & Sophiæ, Philippo Augusto deponsata est die 14. Augusti 1193. Ambiani; sed tribus necdum à connubio rato & consummato, evolutis mensibus repudiata, resumpta postmodum à Rege excommunicationis fulmine percusso, maritalem thorum repetiit anno 1201. Improlis moritur, 29. Julii 1236. Corbolii.

(*b*) *E....* id est Ecbertus Meraniæ Dux, post obitum Conradi electus Bambergensis Episcopus anno 1203, verùm electionem ejus ob ætatis defectum, improbante Innocentio 3. Romam petiit, & à Pontifice placato rationibus, confirmationis & consecrationis gratiam impetravit & jus pallii. De Crimine læsæ-Majestatis in Comitiis Augustanis insimulatus anno 1207. quod cum Andrea Rege

Cùm adeò, ſicut ſcitis, inundaverit malitia & iniquitas ſuper terram, quòd & ſervos Dei negotiis oporteat ſæcularibus immiſceri, quæ vix aut nunquam ſine peccato geruntur: valde nobis timendum eſt, pariter & dolendum, quibus cùm creditum ſit Divinæ diſpenſationis officium, ut *menſuram tritici familiæ Chriſti demus*, ſuper quam ſumus, licet immeriti, conſtituti, noſtrum tamen miniſterium non implemus; unde *in illius manus timemus incidere*, cujus juſto judicio *ſervus inutilis plagis vapulabit multis*, & *durum fiet judicium his qui præſunt.*

Inde equidem eſt (Fratres mei) quòd cum nobis apud Deum quaſi nulla ſuppetant ſuffragia meritorum, *nec ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos*, aliquam ad ipſum fiduciam habeamus, ad veſtras & aliorum virorum Religioſorum orationes aſſiduas, qui per vitæ celſitudinem montibus comparantur, *ad quos cum levaverimus oculos noſtros*, ſperamus quòd *veniat auxilium inde nobis*, duximus recurrendum: ut per ipſorum orationes & merita nobis Divina propitietur pietas, quæ per offenſiones noſtras continuas modis pluribus irritatur.

Sanè nuper exiſtentes Romæ in concilio Generali, Venerabilem in Chriſto Dominum Gervaſium Præmonſtratenſem Abbatem ſuppliciter exoravimus ac devotè, ut in orationes veſtras, & participium beneficiorum Ordinis recipere nos miſericorditer dignaretur: quòd cum nobis liberaliter conceſſiſſet, conſuluit & ſuggeſſit quatenus idem curaremus à vobis diligentiùs poſtulare.

Licet igitur de nullis noſtris meritis confidamus, ut vos ſuper aliquo debeamus rogare; quia tamen de benignitate veſtrâ, bona plurima referuntur, ſumpſimus nobis fiduciam exorandi veſtrûm ſingulos & pariter univerſos, quatenus eam nobis liberalitatem & gratiam, per veſtrarum concedatis teſtimonium litterarum, quam à dicto Domino Præmonſtratenſi Abbate, licet immeriti, meruimus obtinere: & nos inde vobis & toti Ordini Veſtro tenebimur ad gratias, & ad id faciendum pro vobis, quod veſtræ utilitati cedet & honori. Valete in Domino.

Hungariæ affine ſuo fœdus pepigiſſet, Imperio & Philippo Imperatori funeſtum, ſuſpicionem conſpirationis eluit, quam anno 1208. auxit, dum teſtis, fortè & miniſter extitit, aut ſaltem approbator nefariæ mortis illatæ Philippo Imperatori per Othonem Vuitellesbachium. Tanti ſceleris autores, publico edicto proſcripſit Otto 4. Hungariam ad ſororium ſuum præcipiti fuga ſe contulit Ecbertus. Ad annum uſque 1214. exul manſit, ſpectator intereà infœlix mortis cruentæ, quam Banchanus Reginæ Gertrudi Siccariorum more intulit, Ecberto, ut creditur, inhumano facinori anſam præbente. Fridericum Imperatorem habitu ſupplicantis aſſumpto, ſic movit lacrimis pœnitens Ecbertus, ut in Principis gratiam, poſtea in Eccleſiam Bambergenſem redierit. Vitam in melius cœpit emendare, res Eccleſiaſticas ſingulari cura inſtaurare, monaſteria cumulare poſſeſſionibus. Concilio Lateranenſi convocatus interfuit. Gervaſium doctrina & pietate celebrem illic novit de convictu, & fraternitatis ſacræ petiit ab eo fœdere conſociari, ſtante Capitulo generali ordinis anno 1217. ut voti fieret compos ſuam Patribus ſubmiſit ſupplicationem. Anno ſequente expeditioni ſacræ cui ſe devoverat, ſe committit, unde anno 1220. reverſus, magis politicæ & rei militari incumbens, (in utraque enim peritiſſimus evaſerat) quam paſcendo gregi, obiit 32. ſui Epiſcopatus anno, Chriſti autem 1235. & Bambergæ in Baſilica Cathedrali tumulatus eſt. V. Aventin. & annal. Bamberg. apud Ledwig.

EPISTOLA LIII.

Laudunensis Episcopus petit admitti in participationem orationum Ordinis.

VIRIS Religiosis, & Venerandis in Christo Presbyteris & Amicis Gervasio Abbati Præmonstratensi, & sacro Coabbatum suorum Collegio, in suo Generali Capitulo congregatis, A. (*a*) Laudunensis Ecclesiæ Minister humilis salutem & Spiritu consilii abundare.

Cum ex necessitate oporteat nos terrena negotia procurare, & Marthæ sollicitudinem gerere in hoc mundo; variis & multiplicibus eorumdem negotiorum curis tanquam quibusdam laqueis præpedimur, ne expeditè possimus *currere ad propositum nobis bravium;* & mundanæ sollicitudinis pondere incurvati; vix valemus aliquando erigere cor ad cœlum; & quasi dimisso ad horam onere, respirando cælestia meditari: unde necessarium valde nobis est, ut sub pressurâ ponderis titubantes, eorum precibus & meritis fulciamur, qui à strepitu sæculari & mente & corpore separati, quotidie *sedent ad pedes Domini* cum Mariâ, ut *audiant verbum ejus*, ac tantò puriores apud Altissimum fundunt preces, quantò habent mentes terrenarum cogitationum fœtulentiâ non infectas.

Cum igitur sit credendum, quòd sicut exteriùs nitidi apparetis candore habitus, ita nitore mundæ devotionis intrinsecùs fulgeatis: & quod eò-ipso *vestra conversatio sit in cœlis*, quò vobis nihil cum sæculo est commune: Sinceritatem vestram affectuosè rogamus, quatenus intuitu Dei, & habito respectu ad hoc, quòd Ordinem vestrum cunctis aliarum Religionum Professionibus semper in amore prætulimus, humilitatem nostram in participationem sanctarum orationum vestrarum colligere procuretis. Debetis autem credere, imò scire pro certo, quòd per hanc participationem, & nobis fructus non modicus acquiretur, & vestris meritis nihil penitus deperibit; ac inde nostra ditari poterit inopia, unde vestra in nullo abundantia minuetur.

EPISTOLA LIV.

Conceditur Episcopo Laudunensi precum petita participatio.

REVERENDO in Christo Patri & Domino A. Venerabili Laudunensi Episcopo, Gervasius, Dei patientiâ Præmonstrati dictus Abbas, & ejusdem Ordinis Abbatum Generalis Conventus, Salutem, & cum orationibus sinceram ad obsequia voluntatem.

Lectæ sunt nuper in auribus nostris litteræ Paternitatis vestræ, in quibus instanter & humiliter postulastis, ut Vos orationum nostrarum partici-

(*a*) *A.... Laudunensis Ecclesiæ minister.* Anselmus de Bercenaix, Roberto de Chatillon suffectus est anno 1215. illius mortem assignat Albericus in anno 1238. errorem detegit sepulchralis Anselmi inscriptio, quam ex tumulo ejus exscripsimus in monasterio Vallislucensis Ordinis Cistercii, *hic jacet Anselmus de Barcenayo natus, quondam Laudunensis Episcopus, qui obiit 3. nonas Septembris anno* 1248.

pes faceremus, respectum ad hoc habentes, quòd prærogativâ quâdam dilectionis amplectimini Ordinem Præmonstrati, & promotionem eius spirituali desiderio affectatis.

Cùm igitur pietas nos invitet ad orandum pro aliis, qui pro nostris nequaquam sufficimus exorare peccatis: spem ponentes in ipso, *à quo sufficientia nostra tota*, & credentes quod per vestra & aliorum pro quibus oramus merita debeat orationibus nostris, aperiri via pertingendi ad aures Dei, quam interclusimus propriarum mole culparum: Paternitatem vestram in participationem orationum, & omnium spiritualium beneficiorum, quæ terrarum ubicumque de cætero fient in universo Ordine nostro, hilari ac devota vobis concedimus charitate.

Attendentes verò fervorem devotionis, quam protestati estis in litteris vestris vos gerere spiritualiter erga Ordinem Præmonstrati, pro qua præeminentiæ vestræ cum intima & multimoda gratiarum assurgimus actione: speciali devotione censuimus annectendum, ut cum nobis de obitu vestro constiterit, tantum fiat pro vobis, quantum pro unoquoque nostrûm fieri consuevit in Missis, Orationibus, & in Psalmis.

Rogamus autem Sinceritatem vestram attentè; quatenus affectio memorata, quam erga nos & Ordinem nostrum, non ex meritis nostris, sed ex mera liberalitate animi concepistis, suscipiat in dies incrementum. XIV. Oct. MCCXVII.

EPISTOLA LV.

Anselmus Laudunensis Episcopus commendat precibus Gervasii & Conventus ejus animam defuncti nuper Episcopi Bellovacensis.

VIRIS Religiosis & Amicis in Christo charissimis, Gervasio Abbati & Conventui Præmonstratensi, A. Laudunensis Ecclesiæ Minister humilis, Salutem & sinceræ dilectionis affectum.

Meminisse potestis quòd constituti nuper in Capitulo vestro rogavimus vos attentè, ut Venerandi Patris (*a*) Domini Bellovacensis Episcopi, qui tunc

(*a*) *Domini Bellovacensis Episcopi.* Is erat Philippus de Dreux, regio Roberti Drocarum Comitis, & Agnetis de Brana oriundus sanguine, quem Helinandus in Chronico, Guillelmus Tyri Archiepiscopus l. 21. c. 30. Mathæus in hist. Angliæ sub an. 1196. Hovedenus, Rigordus, Neubrigensis, Guillelmus Brito & alii passim celebrarunt. Sacræ militiæ nomen dedit & Babilone carceri mancipatus redemptionem suam pretio paciscitur anno 1180. rursus crucem assumpsit cum Philippo Augusto Rege Franciæ an. 1187. & obsidione cinxit Acconam. Hoc tyrocinio, ad sæcularem militiam provocatus, Anglos Galliam depopulantes aggressus, medios subiit hostium cuneos, & ab illis captus est, homo, inquit Walsinghamus, Marti plus deditus, quàm cultor martyrum. In vinculis positus Cœlestinum 3. liberatorem invocavit, increpavit mediatorem lentum, poterat & culpare jocosum subsannatorem. Quod Richardus Rex ad mollem Pontificis intercessionem negavit, Joannes, Richardi successor sub pacto sex millium marcarum argenti, captivo concessit. Infœlici armorum exitu, neutiquam fractus antistes Bellicosus, tertiò arma in Albigenses movet anno 1210. Deinde in Boloniæ Comitem anno 1212. insurgit, Bovinensi pugnæ, militari clava indutus, feroci pugnans animo, manus cruentavit in sanguine Comitis Sarisberiensis. Tot

tunc gravi ægritudine laborabat, vestris orationibus memoriam haberetis. Nunc verò quoniam idem Dominus Episcopus (quod cum dolore intimo recensemus) in fata concessit: charitatem vestram monemus, pariter & rogamus in Domino, quatenùs cum devotis orationibus funus prosequamini tanti patris: & instetis nihilominùs piis supplicationibus apud Deum, ut vacanti Ecclesiæ, talem suâ ineffabili provideat pietate pastorem, qui subditum sibi gregem & à luporum morsibus tueatur, & ad virentia sempiternæ vitæ pascua verbo dirigat & exemplo.

Dolendum sanè est non modicùm de morte Præsulis memorati, in quo concussa est proculdubio una de firmioribus columnis Ecclesiæ Gallicanæ: nec apparet (unde magis gemendum est) quomodò possit facilè restaurari. Licet enim in pompâ sæculi gloriari videretur, ut-pote vir præclarus & dives; Ecclesiam tamen sibi commissam regebat prudenter, pariter & potenter, & in eminenti ac prospero statu conservabat: & quamvis *in multis offenderet* ut homo; multa tamen laudabiliter faciebat, quæ creduntur fuisse accepta in oculis Dei, qui solus librator est & censor operum humanorum.

EPISTOLA LVI.

Gervasius Cistercienses Monachos ad amicabilem pacem invitat.

REVERENDIS in Christo Patribus & Amicis C. Cistercii Abbati & sacro Coabbatum suorum Collegio, in suo Generali Capitulo congregatis, Frater Gervasius dictus Præmonstrati Abbas salutem & Spiritu consilii abundare.

Desiderantes habere pacem cum omnibus quantùm in nobis est, pacem annuntiamus iis qui propè sunt, & iis qui longè: & utinam quidam non minùs longè essent loco, quàm videntur esse affectu. Vobiscum siquidem tantò propensiùs desiderantes habere pacem, quantò celebriori famâ & excellentiori Religione polletis.

Scripsimus vobis jam pluries pro vicissitudine temporum, secundùm emergentes causas: & aliqua de quibus conquesti sumus nos & Fratres nostri, sed pauciora quàm necesse esset; gaudemus esse correcta; sed quædam esse dolemus, quæ sunt majoris ponderis, indecisa: ita etiam quòd veteribus injuriis atque damnis nova frequenter addantur.

Cùm igitur & nos-ipsi, & quidam fratrum nostrorum conquerantur de angustiâ pascuorum & de grangiarum limitibus non servatis, & maximè de claustris Sororum, quæ quasi in januis Conventualium Ecclesiarum nostrarum fundantur: (a) ad pedes vestros cum omnimodâ humilitate cordis geni-

O

Tot facinoribus bellicis, nullis Ecclesiæ obsequiis inclitus Præsul, maximè prorsus indulgentiâ, potentique intercessorum suffragio indigebat apud Deum; in cujus conspectu, haud scio, an elogium valuerit *tanti Patris*, quo mortuum prosecutus est Laudunensis Episcopus die 2. Novembris anni 1217. regiminis quadragenarii, non Episcopalis; sed militaris, rationem redditurus ad suum Judicem Philippus.

(a) *De claustris Sororum, quæ quasi in januis Conventualium Ecclesiarum nostrarum fundantur.* Occurrerat uterque Ordo huic querelæ, & quasi præverterat suis concordatis anni 1142. quæ à generalibus Capitulis consecrata, omnem videbantur præcidisse litem. Sic enim legitur, „ Nullus in utroque Ordine locum

bus provoluti Sinceritatem veſtram obnixè & affectuoſè rogamus, quatenus parcatis paupertati noſtræ in paſcuis conducendis, juxta quod in litteris Apoſtolicis, quas vobis mittimus, videbitis contineri: ne oporteat nos multiplicare & ſpecificare querelas adverſùs quoſdam veſtrûm quos ſincera diligimus charitate.

De grangiis autem & clauſtris Sororum, etſi non petamus ut ea diruantur, quæ jamdudum conſtructa ſine gravi ſcandalo & enormi diſpendio dirui non valerent, petimus tamen, ut ab illis (ſi placet) promovendis amodò deſiſtatis, quæ à quadriennio, vel circiter inchoata nunc primùm quaſi à ſuis exeunt fundamentis.

Verùm ſi veſtræ placuerit bonitati, ut computatio illa quæ inter Prædeceſſores veſtros & noſtros concepta fuit & redacta in ſcriptis, pro eo quòd multipliciter eſt concuſſa tam ex parte veſtrâ, quàm noſtrâ, expiret omnino: ſuper hoc-ipſo libenter habebimus conſilium cum Fratribus noſtris in Capitulo noſtro Generali.

Specialiter autem ſupplicamus vobis pro paupere Fratre noſtro Abbate Janduriæ, (*a*) cum cuius Eccleſiâ à viris diſcretis Abbate & Conventu Trium-Fontium, (*b*) necnon & à viro Venerabili Abbate de Chiminon (*c*) & Fratribus ſuis (ſecundùm quod ex parte credimus, & ex parte ſcimus) agitur minùs juſtè. Benè valetein Domino, & orate pro nobis. Anno 1218.

EPISTOLA LVII.

Gervaſius Scholaſtico Remenſi commendat juris Profeſſorem.

VENERABILI & in Chriſto dilecto Patri Magiſtro G. (*d*) Scholaſtico Remenſi, Frater Gervaſius dictus Abbas Præmonſtrati, Salutem & cum orationibus promptam ad obſequia voluntatem.

„ recipiat ad Abbatiam conſtituendam niſi infra quatuor leucas, ad menſuram „ uniuſcujuſque provinciæ, præterquam in Anglia, ubi duæ leucæ pro una com„ putantur, in Longobardia, duo milliaria pro una leuca, niſi forte antiqua loca „ ſint, quorum redditus & poſſeſſiones ad tenendum Conventum ſufficiant. „ De Grangia ad Grangiam, ſive de Grangia ad Abbatiam ad minus una ſem„ per interſit leuca. „ Iſtud fœdus Apoſtolicis litteris roboratum fuiſſe conſtat ex Gervaſii Epiſtola; attamen nullibi tales in Pagio reperias, forte temporum edacitate perierunt.

(*a*) *Pro paupere Abbate Janduriæ.* Janduria Ducatus Barrenſis Abbatia ad Salicis amnem poſita, filia Regiæ-Vallis anno 1140. fundata eſt, primumque illuc Abbatem, immiſit Herbertus, Theobaldum. Pauper verò ille Abbas de quo Gervaſius loquitur nomen habebat Gerardus.

(*b*) *Trium Fontium*, Abbatia Ordinis Ciſtercienſis in Diœceſi Catalaunenſi, unâ à Janduriis horâ diſtans, exordium habuit anno 1118. à Guillelmo de Campellis Epiſcopo Catalaunenſi, dotem ſubminiſtrante & fundum.

(*c*) *Abbate de Chiminon*, filia trium fontium, primitùs Regularibus Canonicis addicta, fundatorem habuit Hugonem Comitem Campaniæ anno MCX. Ad Ciſtercienſes tranſiit anno 1137. Canonicis ſe ſuumque locum devoventibus Regulæ Ciſtercienſi. Innocentius 2. hanc innovationem ſuo diplomate ſanxit.

(*d*) *Magiſtro G...* id eſt Garnerio, in Scholaſticum Remenſem electo anno 1192. Sedem Archiepiſcopalem tenente tum Willelmo, Theobaldi 3. Campaniæ filio, qui ob eruditionis præſtantiam quæ in Garnerio fulgebat, dignitatem dotis incremento decoravit, ut legitur in Cartha quam Marlotius retulit, t. 2. p.418. metrop. Remenſ.

Lator præsentium Magister P. de Norhant, dilectus & familiaris noster, qui rexit scholas Parisius aliquanto tempore in Decretis, intendit facere moram Remis, & in facultate suâ legere, si à vobis potuerit obtinere licentiam, ne marcescant otio dies sui.

Quoniam igitur desiderium ipsius honestum credimus & favorabile; nec videmus quod alicui esse debeat onerosum: pro ipso & cum ipso vobis supplicamus, quatenùs ei docendi licentiam concedatis. Super quo ut preces nostræ (quæ non confidunt in meritis peccatoris) apud benignitatem vestram faciliorem obtinere mereantur accessum, in ore Virorum H. Decani Sancti Petri Laudunensis, & Magistri G. Goin Concanonicorum vestrorum, quibus sumus notiores, quàm vobis, posuimus verbum nostrum.

EPISTOLA LVIII.

Scholastico S. Quintini commendat Gervasius Professorem.

VIRO Venerabili & discreto Magistro I. Scholastico S. Quintini, Gervasius Dei patientiâ Præmonstrati dictus Abbas Salutem & sinceræ dilectionis affectum.

Attendentes quantam utilitatem Ecclesiasticæ conferat unitati diligens agricultura litteralium studiorum, per quam ab agro Domini Sabaoth vepres hæresum & alia *hominis inimici zizania extirpantur*, atque è contrario triticea fidei Christianæ veritas elucescit: pium esse credimus intendere promotioni eorum, qui dies suos in scholis ponentes, pro lucro thesauros scientiæ effoderunt, de quibus absque ulla diminutione sibi facta, alienam possunt & sciunt reficere paupertatem.

Cum igitur præsentium lator à puerilibus annis sub scholastica desudans ferula in tantum profecisse dicatur, ut jam per biennium Parisiis sederit cum Magistris in cathedra Magistrali, ea, *sine fictione didicit*, *absque invidia communicans* atque docens; ipsum benignitati vestræ attentè duximus commendandum; affectuosè rogantes quatenus scholarum Sancti Quintini, quarum donatio ad vos spectat, ad annum instantem, ei regimen concedatis; ea videlicet intentione, ut loci prosit scholaribus, (quorum utilitatem procurare debetis) & ipse nihilominùs fructum aliquem percipiat ex labore, unde habeat initiales expensas ad sacram paginam audiendam, ad quam (ut dicitur) ferventi desiderio suspirat.

EPISTOLA LIX.

Gervasius rogat Episcopum Leodiensem, ut permittat Juvenculæ Claustrum ingredi.

REVERENDO in Christo Patri & Domino H. (a) Dei Gratiâ Leodiensi Episcopo, Gervasius Fratrum Præmonstratensium servus humillimus salutem & cum orationibus sinceram ad obsequia voluntatem.

(a) *Domino H...* Hugoni Petræpontis, gallicè de *Pierrepont*, electo Leodiensi Episcopo anno 1199. vivis autem exempto, anno 1229.

Cùm omnino pium sit, omnium in bono provehere voluntates; eorum maximè pium esse creditur desideria promovere, qui ita se volunt à tumultu mundi abscondere, ut sola possint cælestia cogitare: & sic elongare hujus sæculi dies malos, ut *annos* licitè *meditentur æternos*.

Sanè significatum est nobis, quod mulier quædam, dilecti in Christo B. Prioris nostri ex Sorore neptis, ætate quidem juvencula, sed moribus præmatura, adhæsit jamdiu quarumdam vestigiis fœminarum, quæ & nomen habent Religionis, & vultum exhibent pietatis: ex quarum salubribus documentis ita crevit in eâ semel cœpta devotio, ut mandatis earum aliquid velit adjicere, & traditiones suarum supergredi Magistrarum. Consideravit enim sibi, ut dicitur, in Diœcesi vestrâ quomodò inclusa nihil habeat commune cum sæculo, & orationi intenta vacet ac serviat soli Deo.

Cùm igitur didicerimus à Venerabili & dilecto Fratri H. (*a*) Abbate Floreffiensi, qui dictam juvenculam satis novit, quòd in conversatione ejus nihil habeatur impurum, nihil resideat fœtulentum, sed mera versetur sinceritas & honestas: Paternitatem vestram affectuosè rogamus, quatenus attendentes devotionis ejus affectum, pariter & fervorem, quo sexum superat, ætatem vincit, magnanimitatem etiam antecedit virilem, pium ejus propositum habere velitis effectum: ut cum gratia & benedictione vestrâ desideratum sibi latibulum concedatur, quo semel inclusa (*b*) soli suo de cætero serviat Conditori, & de numero sit eorum, quorum orationibus mundo pereunti Dominus miseretur.



EPISTOLA LX.

Gervasius ad postulationem Monasteriensis Episcopi, Canonicum Præm. è Parochiali Ecclesia revocatum, remittit ad Pastoratum & vicissim Episcopum rogat ne sit in posterum onerosus Varlariæ.

REVERENDO in Christo Patri & Domino O. (*c*) Dei Gratiâ Venerabili Episcopo Monasteriensi, Gervasius Fratrum Præmonstratensium servus humillimus Salutem & cum orationibus sinceram ad obsequia voluntatem.

Litteras vestræ Paternitatis recepimus continentes, quòd Venerabiles Fratres (*d*) A. Cappenbergensis, H. Knecstedensis, & F. Hamburnensis Abbates, fungentes

(*a*) *Fratre H... Abbate Floreffiensi*. Littera initialis H. Hillinum insinuat, neque enim in sillabo Abbatum Floreffiæ, quem Petrus de Herantal conscripsit, alius occurrit Abbas ætate Gervasii, cujus nomen à littera H incipiat, hinc argue Epistolam anno 1213. nec serius esse scriptam, siquidem hoc anno Hillinus transmarinam peregrinationem arripuit.

(*b*) *Inclusa*, quænam illa fuerit reclusa Virgo, incertum est, an Juetta celebris eo tempore Virgo Nosocomii Hoiiensis institutrix, quæ Floreffiensis Abbatis Disciplinæ suberat? an Christina cujus sanctæ vitæ exitum laudat Leodiensis Chronographus Fizen?


(*c*) *Domino O.* Ottoni de Lippia qui post Ludolfum præfuit Ecclesiæ Monasteriensi, cui successit Willelmus de Holte.

(*d*) *Venerabiles Fratres, A. Cappenbergensis, H. Knecstedensis, & F. Hamburnensis Abbates*. Andræas Cappenbergensis Ecclesiæ Abbas, electus anno 1210, vivere desiit anno 1232. Concilio Lateranensi generali 4 nomine Cleri Westphaliæ interfuit.

fungentes officio Circatorum (*a*) in Ecclesia Warlarensi (*b*) Fratrem Brocardum Canonicum ipsius loci, qui remissus fuerat ad curam Parochiæ Cosveldensis, revocaverunt in Claustrum, instituentes ejus loco dilectum in Christo I. quondam Abbatem, quem propter insufficientiam suam amoveri fecimus ab administratione Ecclesiæ N. per censuram nostri Capituli Generalis.

Postulatis igitur ut eundem B. memoratæ Parochiæ restitui faciamus, utpote utilem illi loco, & à Civibus castri illius cum multâ instantiâ postulatum. Cùm ergo neque hoc, neque aliud, quod cum honestate possimus, vestræ velimus Præeminentiæ denegare: noverit Paternitas vestra nos in mandatis dedisse memorato A. Cappenbergensi Abbati ut dictum B. remittat ad Parochiam supra-scriptam, dummodò possit ibidem Deo & proximo utiliter laborare.

Ad hoc; sicut ad ea quæ petitis, esse desideramus alacres & devoti, ita confidenter à vestrâ Paternitate petimus quæ scimus consona rationi: unde cum occasione guerrarum quas habuistis temporibus retro-actis, fueritis & Vos & Vestri, ut didicimus, supra-dictæ Ecclesiæ Warlarensi non mediocriter onerosi; Sanctitati vestræ attentissimè supplicamus, quatenus deinceps non tantùm parcatis eidem, imò & defendatis eam ab insultibus malignorum, habentes spem firmam, quòd & in guerris & in aliis occupationibus quas habetis, plus vobis possint & debeant Religiosorum orationes prodesse, quàm quodlibet emolumentum temporale & modicum, quod perciperetis ab eis violenter extortum.



EPISTOLA LXI.

Commendat Gervasius Bartholomæum Episcopo Tusculano.

REVERENDISSIMO Patri & amantissimo Domino N. Dei Gratiâ Venerabili Episcopo Tusculanensi (*c*) Frater Gervasius, Fratrum Præmonstratensium servus humillimus, salutem & cum orationibus paratam ad obsequia voluntatem.

P

interfuit. In Arduis tum Ecclesiæ, tum reipublicæ negotiis expeditissimus minister, utrobique sibi nomen grande fecit.

H. Knestedensis. ignoro Abbatem cujus nomen ab H. incipiat, & qui ætate Gervasii floruerit. Godescalcum invenio qui ab anno 1216. post Fortlini obitum, prælaturam gessit ad annum 1227. an catalogo Knechtedensi tutò danda sit fides, dicere nec ausim, nec licet. Est porro Knechtadium Diœcesis Coloniensis florens Abbatia, paludibus circumcincta, & splendens ædificiis.

F... Hamborna Abbas; ne de nomine quidem notus est nobis Prælatus ille Abbatiæ Hambornensis. Est autem Hamborna filia Steinfeldiæ, in Ducatu Cliviæ, medios inter acatholicos sita juxta Dusburgium, & quasi per miraculum subsistens. Nobiles tantum, iique Ordinis Equestris, ad instar Capenbergæ, ad eam habent accessum.

(*a*) *Officio Circatorum.* Sic solent apellari Visitatores Provinciæ, à Capitulis generalibus deputati, Etymon trahentes à circumeundo, quia tanquam exploratores per Monasteria circumeunt, unde & Provincia quæ eis in sortem visitationis obtigit *Circaria* solet nominari.

(*b*) *In Ecclesia Warlarensi*, præpositura est celebris Virorum nobilium, unius horæ spatio distans à Coesfeldia, fundatur anno 1123. à Comitibus Capenbergæ Godefrido & Ottone. Præposituram regebat Jordanus anno 1216.

(*c*) *Episcopo Tusculanensi.* Nicolao nomine. Is fuit electus Episcopus & Cardinalis Tusculanus anno 1205. in Angliam missus sacrum promovit bellum, anno 1219. decessit, successorem habuit Nicolaum de Claromonte Monachum Cisterciensem, variis in Germania legationibus perfunctum.

Licet satis timidè vobis scribam, pro eo quòd nulla se offert opportunitas, quâ beneficiis vestris respondeam secundùm meæ devotionis affectum: attendens tamen quòd intuitu Dei, non personarum respectu, & mihi & aliis, secundùm quod honestas sustinet, subvenitis; Sinceritatem vestram præsentibus interpellare præsumo, confidens pleniùs quod solitam bonitatem vestram, mea nunquam importunitas fatigabit.

Sanè cùm dilectum in Christo Fratrem Bartholomæum Canonicum latorem præsentium, ad Sedem Apostolicam curaverim destinare pro quibusdam negotiis Ordinis Præmonstratensis, & ipsius specialiter Ecclesiæ Præmonstrati, multis his diebus injuriis lacessitæ: Paternitati vestræ supplico humiliter & attentè quatenus eidem B. cùm ad vos accesserit aliquando gratiâ supplicandi, Paternitatem vestram, in quantum permittet honestas, inveniat affabilem & benignam.



EPISTOLA LXII.

Gervasius Præpositum & Præposituram de Heinelberg commendat Abbati Steinfeldensi.

GERVASIUS Dei patientiâ Præmonstrati dictus Abbas, Venerabili in Christo Fratri M.(a) Abbati Steinfeldensi salutem & sinceram in Domino charitatem.

Scripsistis nobis pro Viro Venerabili Præposito de Heinelberg (a) latore præsentium, ut absolveremus eum à curâ & onere pastorali: sed & ille hoc-ipsum cum multa instantia personaliter postulavit. Verum cùm idem apud vos subditorum alleget paucitatem, & credat se posse ac debere proficere in futurum, si haberet fideles in administratione sibi tradita adjutores: gratum nobis esset admodùm & acceptum, & rogamus vos etiam, quatenus attendentes quàm sit pium ad hoc instantiùs laborare, ut locus ille in statum debitum suscitetur, aliquos ei ex Fratribus vestris, quos idem utiles sibi fore crediderit, concedatis, ut eorum patrocinio possit ibidem aliquid ordinare, quod expediat & ipsi domui, & Ordinis honestati. Sin autem, cùm non possit solus regiminis onus sustinere, gratiùs nobis est ut authoritate nostrâ eumdem absolvatis, quàm ille in provisione domus expendat inutiliter dies suos: & cùm aliis prodesse non possit, sibi videatur obesse, cùm sit vir Religiosus & qui libenter æterna cogitet ac mansura.

Ad hoc, cùm locus ille sit à nobis remotus, & indigeat visitatione frequenti, Fraternitatem vestram rogamus obnixè, insuper & mandamus vobis, atque præcipimus quatenus, cùm requisiti fueritis, attendatis ad locum, & corrigatis quæ ibi apparuerint corrigenda, cum nostræ plenitudine potestatis.

Sanè cùm superiùs vos rogaverimus de Fratribus eidem concedendis, ut apud vos effectum habeant preces nostræ, ipsis precibus præceptum duximus annectendum.

(a) *Fratri M... Abbati Steinfeldensi*, Macario, qui anno 1211. Everardo subrogatus, ad annum 1247. Abbatiam tenuit.

(b) *Præposito de Heinelberg*. Hujus Præposituræ non meminit Pagius in Catalogo Monasteriorum Ordinis Præm. illam omisit Lairuelius in suo indice; si ab Amanvensibus erratum fuit, putarem legendum Heinsberg, Præpositura Virginum Nobilium Diœcesis Leodiensis, intra circariam Steinfeldiæ constituta, geminum olim habens Monasterium, sed virile ab aliquibus sæculis extinctum est.

EPISTOLA LXIII.

Abbatem Fusniaci rogat Gervasius, ut procuret justitiam sibi fieri.

VENERABILI & dilecto in Christo Patri N. Abbati Fusniaci (*a*) Frater Gervasius, Præmonstrati dictus Abbas, salutem & sinceram in Domino charitatem.

Credentes olim quòd in viris Religiosis; qui non solùm sua, sed & seipsos Domino obtulerunt, verior & sincerior deberet justitia inveniri, Apostolicas impetravimus litteras ad Dominum Abbatem, & Priorem B. (*b*) & Virum Venerabilem Decanum Guisiæ contra quemdam militem, qui nobis in quodam homine nostro injuriam inferebat. Idem vero Abbas & Prior, invito Collegâ suo, negotium ipsum valdè turpiter & intolerabiliter protelarunt. Præfixerunt namque plures dies; atque aut veniendo, quasi nihil penitùs facìebant, aut non veniebant omnino, dicentes pluries; non quòd venire non possent, sed manifestè quòd nollent.

Nos igitur, teste scripturâ, credentes quòd (ut salvâ pace vestrâ, & Ordinis vestri reverentia liceat nobis verùm loqui) scelus sit idololatriæ mandatis Domini Papæ, qui sedet loco Jesu Christi, minimè obedire; & admirantes non modicùm quâ conscientiâ dicti Abbas & Prior audeant sic tractare libram justitiæ sibi commissam: Paternitatem vestram affectuose rogamus, quatenus eos monendo, exhortando, & mandandò ad exhibendam justitiam taliter adhortemini, quòd non oporteat nós ex necessitate coactos suspendere principale negotium, & agere contra ipsos: tantùm autem inde faciatis, quantum in consimili casû pro vobis, aut prò vestris fieri optaretis.

EPISTOLA LXIV.

Abbas Romersdorffii Fratrem Hugonem Gervasio commendat.

REVERENDO in Christo Patri Gervasio, Dei gratiâ Præmonstratensi Abbati Frater B. (*b*) dictus Abbas in Rumestorp, promptam obedientiam cum debita & devota reverentia.

(*a*) *Abbatem Fusniaci.* Gallicè *Foigny*, Abbatia Cistercensis Ordinis, Diœcesis Laudunensis, in agro Terasciæ. Nullus in Elencho Abbatum, Abbas legitur qui tempore Gervasii nomen à littera N. incipiat, Simonem lego cui proximè successit Mathæus, qui anno 1232. reformationem invexit in Monasteria Benedictinorum Provinciæ Remensis.

(*b*) *Ad Abbatem & Priorem B.* . . . Haud dubito esse Bonifontis Abbatem, est vero Bonusfons Monasterium Ordinis Cisterciensis, Provinciæ Remensis & Dynastiæ de Ruminiaco, cujus fundator fuit anno 1152. Nicolaus Dominus Ruminiaci.

(*c*) *Frater B. dictus Abbas in Rumersborp*, alias Patrio nomine Romersdorff, Abbatia Ordinis Præm. Provinciæ Trevirensis, tribus infra Confluentiam horis, quondam Benedictini Schematis & ad Præmonstratenses translata anno 1135. procurante Alberone Trevirorum Archiepiscopo. Monasterium regebat ab anno 1214. Bruno de Braunsberg Prædicator Crucis ad Partes Rhenanas ex Apostolica commissione deputatus, vir pietate & doctrina spectabilis, qui ad annum 1136. magno Reipublicæ bono vitam & Regimen protraxit.

Fràter Hugo præſentium lator non valens ulteriùs manſionem extrà patriam ſuam cum patientia ſuſtinere, & nimis durum ſibi reputans locum noſtrum, in tantum noſtro Conventui ſe gravem exhibuit & moleſtum, ut victi importunitate ipſius, & Fratrum noſtrorum conſulentes commodo & quieti, permiſerimus eum ad præſentiam veſtram redire cum præſentium teſtimonio litterarum. Rogamus autem benignitatem veſtram attentiùs, (ſicut vos præſentes rogavimus vivâ voce) ut ſi nequaquam reſtitutionem in Eccleſia ſua potuerit obtinere, ſaltem alicubi intra patriam ſuam eum locare velitis.



EPISTOLA LXV.

Conradus ex Abbatia Augiæ in Vallem-Secretam translatus, Fratres ſuos ſolatur ſuper elongatione ſua.

FRATER Conradus (*a*) peccatis ſuis exigentibus, dictus Abbas Vallis-Secretæ, ſuis in Chriſto dilectiſſimis & ſemper diligendis Priori & Fratribus, nec-non & Sororibus Augiæ, ſalutem & gaudium in Spiritu Sancto.

Virtus obedientiæ, quæ Jonam trajectum per fluctus maris & per ventrem ceti miſit in Ninivem ad prædicandum, miſit me neſcio ad quam Vallem-Secretam, ac ſi in Augiâ peccata mea ſufficienter deflere non poſſem. Super quo, licet adhuc non poſſim ſufficienter conſortare me-ipſum, vellem tamen dilectiſſimam Congregationem veſtram in Domino conſortari, de quâ magis doleo, quàm de me-ipſo.

Rogo igitur Diſcretionem veſtram, & moneo, & exhortor in Domino Jeſu Chriſto, quatenus elongationem meam corporalèm velitis æquanimiter ſuſtinere; quia per Dei gratiam, affectu & devotione cordis, vobis in perpetuum præſens ero.

Hoc autem ante omnia rogo, ut unanimes habitetis in domo, nec ab invicem diſcedatis; ſed & in Paſtore alio eligendo exhibeatis vos Venerando in Chriſto Patri Alberto (*b*) Præpoſito Rothenſi tractabiles & benignos.

Sufficant vobis pauca, quia præ anguſtiâ cordis, ad præſens multa loqui non poſſum. Valete in Domino, & orate pro me.

EPISTOLA

(*a*) *Frater Conradus*, ex Abbatia Adelbergenſi ubi vota emiſerat, ad Præpoſituram minoris ſeu Candidæ Augiæ vocatus eſt anno 1203. eſt autem Augia minor germanicè *Weiſſnau*, Circuli Suevici Imperialis Abbatia, ſemi horæ ſpatio diſtans à Ravensburgo, fundatorem habens Gebizonem de Wiſemburg. Ab hac Præpoſitura translatus eſt Conradus ad Abbatiam Vallis-Secretæ anno 1217. poſt demigrationem Petri de Orcheio ad Cuiſſiacenſem Abbatiam. Vallis-Secreta à Caſtro-Theodorici, gallicè *Chateau Thiery*, ſeſqui horâ diſtat, primitùs in ipſomet Caſtro erat condita à Theobaldo Comite Campaniæ fundatore, anno 1133. ob tumultuantes curiæ ſollicitudines, quibus interior quies Monaſterii turbabatur, ad ſeceſſum ſolitarium deportata fuit anno 1140. Conradus Gervaſio ad Sagienſem Epiſcopatum ſublecto, ſuffectus eſt in Abbatem Præmonſtrati anno 1220.

(*b*) *Patri Alberto Præpoſito Rothenſi.* Albertus in Præpoſitorum Rothi Catalogo undecimus eſt, & Præpoſitorum antepenultimus; in Abbatiam quippe ſub Conrado 2. ſublimata fuit Præpoſitura Imperialis, Suevici Circuli inſigne Cœnobium, Regalia jura exercens, haud procul à Memingen ſitum in Diœceſi Conſtantienſi.

EPISTOLA LXVI.

Gervasius consolatur Augienses de translatione sui Abbatis eosque hortatur, ut de alio sibi per electionem provideant.

GERVASIUS Dei patientiâ Præmonstrati dictus Abbas, suis in Christo charissimis Priori & tam Fratribus, quàm Sororibus universis Augiensis Ecclesiæ, salutem & sinceram in Domino charitatem.

Recepimus litteras devotionis vestræ pietate plenas, & affectum scribentium (sicut veraciter credimus) exprimentes; quibus sicut præbuimus aurem libenter, ita & concessissemus eis suæ petitionis effectum, si possent ratione aliquâ exaudiri. Verùm quia scripsimus vobis dudum, nec est modò necesse sigillatim eas repetere, quas tunc ostendimus, rationes: oportet ut adhuc iisdem rationibus innitamur, nec debet pueriliter sperare Discretio vestra, quòd factum nostrum, Ordinis authoritate suffultum, & à multis bonis viris solemniter approbatum, debeamus aliquatenùs revocare: maxmè cùm translationes Abbatum nec sint insolitæ, neque novæ, neque nostris temporibus introductæ.

Monemus igitur devotionem vestram in Domino, & attentissimè exhortamur; quatenus translationem charissimi nostri Conradi Abbatis vestri, qui generaliter toti Ordini utilior esse poterit, quàm priùs, æquanimiter sustinentes, alium in Domino eligatis, sub cujus regimine probare possitis, utrum doctrina, quam plantavit & irrigavit in vobis per annos quatuordecim dictus Abbas, radicem adhuc alicujus habeat firmitatis.

EPISTOLA LXVII.

Gervasius Priorem Sancti Mariani Altissiodorensis monet, ut remissum Canonicum recipiat.

GERVASIUS Dei patientiâ Præmonstrati dictus Abbas dilecto Filio O. Priori Sancti Mariani Altissiodorensis (*a*) salutem & sinceram in Domino charitatem.

Cùm ante dies aliquot scripsissemus Venerabili Fratri L. Abbati Dei-Loci pro recipiendo Stephano quondam Canonico loci vestri, si non demeruisset in perpetuum domum suam: rescribens nuper insinuavit nobis, quòd cùm venisset in Capitulum vestrum, nostrum executurus mandatum, & interrogans nihil invenisset peremptorium contra eum, & ob hoc præcepisset ut idem Stephanus restitutione gauderet; vos, cùm Venerabilis Frater Norber-

Q

(*a*) *O... Priori S. Mariani Altissiodorensis.* S. Mariani Abbatia anno 1139. fundatur ab Iterio, cui Consilium & auxilium in operis consummatione subministrarunt Hugo Episcopus, Guillelmus Nivernensis, Theobaldus Campaniensis Comites. Varias translationes passum est hoc Monasterium, quas Robertus Canonicus S. Mariani & Chronographus recenset. Nunc populari lingua Sta. Maria extra muros, *Ste. Marie de dehors*, & per sincopen, *Ste. Marie de la dors* dicitur.

tus (a) Abbas vester sponderet se mandato voluntariè pariturum, ducti fortè zelo Ordinis, Obedientiæ vestræ renunciastis continuò, sedem ipsi obedientiæ debitam relinquentes.

Et quidem quia de vestra multùm præsumimus honestate, zelum facti in parte aliqua commendamus, factum verò, non ita; pro eo quòd videtur aliquatenùs ex impatientia processisse. Proinde, licet hoc fortè ea de causa feceritis, quod aliqua de eo novistis occulta, quæ ad repulsionem ejus proferre non potestis in publicum: consulimus vobis quatenus ita taceatis, quòd decet, ut nihilominùs faciatis quòd expedit, & occultorum examen summo Judici committatis; qui, cùm ventilaverit aream suam, *separabit à grano paleam*, & *à tritico zizania :* maximè cùm idem Stephanus receptus expelli poterit, si fortè voluerit incorrigibilis (b) apparere.

Cæterùm cùm domus vestra (prout didicimus) debitis teneatur, & aliqui vos urgeant ad ædificandum refectorium Conversorum: monemus vos, quatenus patienter sustinere velitis, ut debita penitus exolvantur, & postmodum (si invenerit manus vestra unde ædificetur refectorium memoratum) faciatis in nomine Domini & illud & alias officinas, quibus Ecclesia videbitur indigere, ædificari de novo, & veteres resarciri.

Volumus autem & præcipimus ut in officium & locum Prioris sicut obedientiæ filius redeatis; ne & dictum Stephanum innuatis infamem, & personam vestram faciatis credi in impatientia pertinacem.

EPISTOLA LXVIII.

Suppriori & Conventui Sancti Mariani Altissiodorensis pro eadem causâ scribit Gervasius.

GERVASIUS Dei patientiâ Præmonstrati dictus Abbas, dilectis in Christo Filiis I. Suppriori & Conventui S. Mariani, salutem & sinceram in Domino charitatem.

Cùm ante dies aliquot scripsissemus Venerabili Fratri L. Abbati Dei-Loci pro recipiendo Stephano quondam Canonico loci vestri, si non demeruisset in perpetuùm domum suam: rescribens nuper insinuavit nobis, quòd, cùm nostrum executurus mandatum in Capitulum vestrum venisset, & interrogans, nihil invenisset peremptorium contra eum, & ob hoc præcepisset ut idem Stephanus restitutione gauderet; omnes assidentes devotum præbuistis assensum, præter dilectos Priorem, & duos Provisores; quos non credimus receptioni ejus velle obloqui, nisi eam suspicarentur vel scirent debere rationabiliter impediri; licet non velint scandalum facere de occultis.

Porro quia in occultis vel dubiis debemus esse benigni, & ad meliora semper speranda proclives, favori quem impendistis, eidem nostrum impertientes

(a) *Venerabilis Frater Norbertus Abbas vester.* Bernoaldo successit anno 1207. & obiit anno 1222.

(b) *Expelli poterit.* Incorrigibiles ex præscripto Regulæ S. Augustini & Statutorum Ordinis Præmonst. debent ejici ex Societate fratrum, non per excommunicationem tantùm quâ segregentur à convictu fratrum, sed etiam per emissionem ad sæculum, ne Contagione pestifera plurimos perdant. Incorrigibilitas autem qualis esse debeat, & quibus argumentis probari, declarant Statuta Ordinis.

assensum, mandamus eum recipi, ut vestro aggregatus consortio, conscientiæ suæ labefacta restauret, & dies perditos devotione recuperet innovatâ.

Vobis autem districtè præcipimus, ne pro contradictione interpositâ aliquatenùs molesti sitis, vel Provisoribus, vel Priori; quin potiùs honoretis eosdem sicut sincerissimos & ferventissimos claustralis munditiæ zelatores: scituri quòd si fuerit secùs factum, in eum aggravabimus manus nostras, quem didicerimus reum esse.

Cæterùm quia domus vestra (prout didicimus) debitis detinetur, & aliqui vestrûm instant ad ædificandum refectorium Conversorum: monemus vos quatenùs bono & æquo animo sustineatis ut debita primitùs exolvantur, & postmodum (si in vestris potuerint loculis inveniri unde ædificetur refectorium memoratum) faciatis in nomine Domini & illud, & alias officinas, quibus Ecclesia videbitur indigere ædificari de novo, & veteres si opus fuerit resarciri.

EPISTOLA LXIX.

Gervasius dispensat cum vidua habitum Religionis postulante.

GERVASIUS Dei patientiâ Præmonstrati dictus Abbas, Venerabili in Christo Fratri G. (*a*) Abbati de Nehus Salutem & sinceram in Domino charitatem.

Non debet calamitas animum patientis obruere, quæ spei plena ad statum meliorem viam aperit, & dolori diutino finem parit. Sanè significastis nobis quòd, cùm ad partes aquilonaris Angliæ transiretis, executuri vestræ visitationis officium, dilectam in Christo N. quàm sincerè diligimus intuitu suæ prolis, invenistis in Domo de Ghines mœrore confectam, & animo consternatam; defunctòque Marito, ac perditâ substantiâ suâ, consilio destitutam? Petitioni igitur vestræ, quam nobis porrexistis pro ea, Discretionis vestræ consilium adjunxistis; ut secundùm desiderium cordis sui, quod per instantiam lacrimarum & precum satis suplex exponit, in domo illa, ei Religionis habitus concedatur, dispensatione habitâ circa illam.

Porro attendentes quòd Dominus *circa horam undecimam venientes* à cultura vineæ suæ non repellit; imò æquat eos in præmio, his *qui pondus diei & æstus* ab adolescentia *portaverunt:* ejus commendamus propositum, volentes ei assistere in hac parte in quantùm cum honestate possumus; ut effœto jam corpore, Deo serviat jam annosa, & *immolet ei* saltem *sacrificium vespertinum.*

Verùm quia domus illa de Ghines (*b*) nobis est omninò ignota; nec aliquid scimus de numero illo, quem (ut dicitis) in instituendis Sororibus non licet supergredi, cùm jam sit integer & perfectus: Fraternitati vestræ committimus in hac parte omnimodas vices nostras, ut dispensetis secundùm quod

(*a*) *Fratri G. Abbati de Nehus.* Hæc est prima Ordinis Præmonst. Abbatia in Lincolnensi Episcopatu à Petro de Golsa anno 1147. fundata, & cæterarum mater quæ in Anglia pullularunt, matrem ipsa habuit Liskam, gallicè *Licques*, quatuor à Caleto leucis separatam Abbatiam.

(*b*) *Ghines.* Hujus Parthenonis non meminit Monasticon Anglicanum, illum præterit Harpsfeldius in Catalogo Religiosarum Ædium. Non legitur in Præmonstratensi, neque in Sillabo Lairuelii. Est porrò ille Parthenon situs in Agro Northumbrensi & Diœcesi Dunelmensi, matrem habens Alnewik.

vobis visum fuerit circa eam; quatenus à sæculi impedimentis jam libera, in orationibus & colloquiis divinis claudat vesperam vitæ suæ; & dolorem, qui ex morte mariti & damno rerum accidit, moderetur & temperet adepta quies corporis, & ampliata animæ spes salutis.

Videtur autem nobis quòd ei satis competenter concedi potest habitus regularis: ita tamen quod ab usu veli suspendatur usque ad Capitulum Generale, in quo curabimus ei super hoc per Dei gratiam providere.

EPISTOLA LXX.

Supprior Præmonstrati, Benedicto Abbati de Alnewick fratri suo salutaria scribit anno 1212.

REVERENDO in Christo Patri ac Domino Benedicto, Dei gratiâ Abbati de Alnewic (*a*) Frater R. dictus Supprior Præmonstratensis, Salutem & dilectionis Fraternæ debitam firmitatem.

Recepi litteras vestras, quæ utinam crebriores existerent, ne videretur ex parte vestra Fraternitatis affectio deperisse: quia, licet vulgatiter dici soleat *omne rarum charum*, illas tamen non facit earum raritas, chariores: nec si sufficiunt vestra vobis, (unde refero grates Deo) ideò deberetis vestros negligere; eos maximè, qui nullum à vobis expetunt commodum temporale: quia (ut aliquid pro me loquar) nec ad vos fortasse veniens in manus vestras respiciam, ut à vobis subascellatus recedam; nec, si veneritis Præmonstratum, curabo ut dextera vestra exeniis repleatur. Absit igitur ut in vobis naturam vincat tenacitas: quia apud me non est pretiosa dilectio concinnata muneribus: quoniam favor emptus ad interiora non penetrat, nec per eum voluntates consentiunt, corda simul non veniunt, animi non cohærent.

Sanè legens in litteris vestris quòd sedet in tristitia Mater vestra, mortuo jam marito: fateor (& indulgeat mihi Deus) quod parum dolui de dolore quo premitur, pro eo quod lætificavit me ampliùs mors mariti, quem & durè flagellatum (ut didici) ex longo langore transmisit ad requiem (sicut credo) & Matri vestræ, cui languens, fuerat onerosus, ad statum meliorem viam aperuit; & dolori diutino finem fecit.

Gratanter siquidem hoc accepi, quod ab omnibus sæculi impedimentis jam libera, religionis Propositum, quod ante hos triginta annos concepit me conscio, jam sexagenaria vult ad effectum perducere, & laxatis pellibus, consumptâ jam carne, immolare vult Domino rugas suas, & effœtum corpus in obsequiis divinis fatigans, diem ultimum expectare. Super hoc noveritis quod factum est verbum Domini Præmonstratensis ad Venerandum Patrem G. Abbatem de Nehus committentis eidem plenarie vices suas, ut authoritate suâ dispenset prout ei visum fuerit circa eam: quatenùs in domo de Ghines habitum desideratum suscipiens, in vitæ suæ vespera sacrificio redimat vespertino, quod omisit junior, ex laudibus matutinis.

Cæterùm si subjectis fas esset consilium dare majoribus & Prælatis, benignè vobis consulerem & fraternè, ut Præmonstratensem Ecclesiam Matrem vestram

(*a*) *Benedicto Abbati de Alnewick*. Est prima Nehusis proles in agro Northumbrensi Diœceseos Dunelmensis, fundatorem agnoscens Eustachium de Vescy.

vestram sæpiùs, quàm huc-usque feceritis, vestro honoraretis accessu, vel litteris saltem per nuntium specialem, vel per aliquem sine expensis vestris intermeantem directis, quod quidem Præmonstratenses pro loco & tempore sufficiens reputarent: quoniam si vos movet carnalis affectio ut Matrem carnis vestræ secundùm litteram legis, quæ attentè hoc præcipit, honoretis, & ex hoc mereri vos creditis apud Deum; proculdubio tempore gratiæ revelatæ quo jubemur spiritu ambulare, si spiritualem Matrem vestram debito frequentetis honore, tantò ampliùs meritorium vobis erit, quantò non erit in causa caro & sanguis, sed qui ab alto hoc inspicit solus Deus.

Præterea cùm (ut didici) multa sit dissolutio domûs vestræ (sed in aure hoc dixerimus, non prædicaverimus super tecta) ex familiaritate habitâ cum Domino Præmonstratensi Abbate incuteretur vobis ad eam reprimendam tam sufficiens, quàm necessaria fortitudo: sumeretis enim ab eo cornua, quibus efficaciter & confidenter possetis in omnes, quantumlibet fuerint vehementes in malo, impetum facere; & omnem, si qua est, subjectorum proterviam ventilare. *Possent* audacter *arripere judicium manus vestræ*, & *gladius oris vestri viventes in carne devoraret.*

Nunc autem dicitur quòd Abbas de Alnewic comparatur subjectis insipientibus & similis factus est illis, satagens ut inter eos cum honore & pace transigat dies suos. Sed verba hujusmodi, quæ fortè disseminavit relator incertus, vaniloquus, & mentitor, refellunt evidenter litteræ Patris-Abbatis vestri de vobis sic loquentes in fine: *homo vitâ laudabilis bonique testimonii, & apud eos qui foris sunt gratiam multam habens.* Cui testimonio tanti Patris subjungo: utinam; adeò ut (sicut desidero & sicut forsitan res se habent) in parte sollicitudinis vestræ erexeritis labefacta Ordinis ruinosi, & lucra feceritis animarum, ac reddideritis domum vestram debitis liberam, temporalibus opulentam, religione famosam.

Ad hoc: videtur mihi secundùm rationes neque invalidas neque paucas, quòd deberet vobis cedere ad gloriam & honorem, quòd *de stirpe vestra suscitaverit Dominus sibi virum*, cui sedenti in Cathedrâ Præmonstrati inclinentur cervices omnium, quicumque Præmonstratensem Ordinem profitentur, non tantùm *à Dan usque Bethsabee*, imò *usque ad terminos Orbis terræ:* cui si ita noti essetis devotione & familiaritate, ut nomine; *scio cui credidi & certus sum* quòd magnum esset hodie nomen vestrum, non tantùm in aquilonari Anglia, imò in ipso Capitulo Generali; ubi multi qui magni in se creduntur & prominent apud suos, præ multitudine & respectu majorum modici reputantur.

Sanè si in scribendo ista nimius vobis fui, indulgete obsecro, quia factus sum quasi plenus rimis, verbis affluens ex vestræ desiderio honestatis: *æstuavit in me spiritus meus*, cum multi multa de Fratre meo aliter, quàm volui, loquerentur; & *defeci ferre non sustinens*, cum nuntium invenissem, qui cogitationes cordis mei vobis per præsentes litteras præsentaret.

Valeatis in Christo, & super commissis vobis filiis hominum bonam possitis coram Deo reddere rationem.

Hoc autem inter modica præcipuè caveatis, ne, quoties Abbati Præmonstratensi scribendum fuerit, in salutatione præmissâ nomen *obedientiæ* taceatur, ut videlicet sic dicatur: *Salutem & devotam obedientiæ voluntatem*: possent ob tacitum verbum illud litteræ tam vestræ, quam Patris vestri Abbatis indignanter suscipi, sed Matris vestræ negotium non debuit remorari.

Salutetis, obsecro, & attentè & intimè Matrem meam, quæ jam nihil habens commune cum sæculo, sit apud Dominum memor mei, ut quæ mundo me peperit filium iræ & virum dolorum, charitatis visceribus & orationum instantiâ pariat Christo in adoptionis filium & gloriæ possessorem.



EPISTOLA LXXI.

Pro reparatione Ecclesiarum Sancti Joannis Ambianensis fideles ad Eleemosinam provocat.

UNIVERSIS Christi Fidelibus, ad quos litteræ præsentes pervenerint Gervasius, Dei patientiâ Præmonstrati dictus Abbas, & Abbatum ejusdem Ordinis Generalis Conventus salutem in omnium Salvatore.

Cùm ex Evangelio moneamur *dare eleemosynam, ut omnia munda sint nobis*; æquum est & salutare, ut fidelis quisque, qui ipsius veritatis, quæ Christus est, magisterium recognoscit, eleemosynas faciendo vocem Domini monentis ita obedienter audiat, ut in executione mandatorum ejus, & ipse honoretur instructor, & mundationem promissam consequatur auditor.

Verùm cùm inter opera charitatis illud credatur esse præcipuum, quod Ecclesiis fuerit reparandis oblatum: ad Ecclesias Dei vel faciendas de novo, vel reparandas post lapsum, quisque ex eo se debet exhibere devotum, quo munus ejus coram Deo creditur pretiosum: quia nimirum si grata est Deo eleemosina quâ reædificatur domus proximi, proculdubio gratissima erit illa, quâ reparatur diruta domus Dei: & tantò potest quis expectare securiùs mercedem à Domino, quantò quod Ecclesiis reparandis contulerit, impensum creditur ipsi Deo.

Sane cùm Ecclesiæ, quæ ad Ecclesiam Sancti Joannis Ambianensis, quæ est nostri Ordinis, pertinebant, in illo incendio, quod nuper magnam partem Ambianensis Civitatis involvit (a) (quod sine dolore non dicimus) redactæ sint in favillam: condolentes plurimùm Sanctæ Ecclesiæ, quæ in duarum Ecclesiarum suarum conflagratione dignoscitur non mediocriter læsa esse: Universitatem vestram cum ipsa & pro ipsa cui ad reparandas illas non suppetunt facultates, affectuose rogamus & exhortamur in Domino, quatenus intuitu & amore illius, qui Ecclesias manufactas constitui sibi decrevit in terris, ut cultoribus suis longè gloriosiorem *redderet non manufactam in cælis*, ex bonis ab ipso collatis ad reparationem dictarum Ecclesiarum aliquam velitis transmittere portionem, copiosam ab Altissimo percepturi mercedem, cui inter homines præparaveritis mansionem.

Nos verò, ut devotionem Fidelium, qui obtentu retributionis æternæ aliquam illuc miserint pecuniæ portionem, eâ quâ possumus gratitudine compensemus, communicationem omnium spiritualium beneficiorum, quæ in Orationibus, Missis, Psalmis, vigiliis fiunt, vel fient, per Ecclesias Ordinis nostri universas, devotâ eis concedimus charitate, obsecrantes humiliter ut devotionis suæ percipiant ibi fructum, ubi est & veritas Beatitudinum & æternitas præmiorum.

(a) *Incendio quod magnam partem civitatis involvit.* Hoc incendio, quod tempore Everardi Episcopi accidit, & ipsa conflagravit Cathedralis Ecclesia, quam à fundamentis, & in ingentem, sicut nunc visitur molem, erigere cœpit, perficere non potuit morte præventus præsul.

EPISTOLA LXXII.

Gervasius Cancellario Wellensi amico suo quædam salutaria scribit.

VIRO Venerabili & speciali Amico Magistro L. Cancellario Wellensi (*a*) Gervasius, Dei patientiâ Præmonstrati dictus Abbas salutem & sinceræ constantiam charitatis.

Jucundum est nobis & dulce, sed & solatium reputamus vestræ scribere charitati, cum nobis vel offertur nuntius, vel oportunitas commendatur. Sanè credentes non immeritò quòd in desiderio habeatis, ut de statu nostro vobis veritas intimetur, hoc vos ad præsens scire volumus, quòd præter incolumitatem corporis, quâ gaudemus, illa mortificatio statûs nostri, de quâ vobis aliquando conquesti sumus, jam per Dei gratiam (prout nobis videtur) in meliùs convalescit, & quasi post langorem diutinum jam sanitatem recuperat & resurgit: in multis enim Ecclesiis Ordinis divinâ operante clementiâ (quæ sollicitudinem nostram & prævenit & comitata est usque modò) Ruinosa Ordinis restaurari incipiunt; quæ plenam in brevi restitutionem reciperent, si haberemus in spiritualibus & in temporalibus adjutores.

Porrò quia ex litteris vestris didicimus, quòd plurimos habeatis litteratissimos auditores, cum quibus & in quibus multùm proficitis; desideramus scire quis sit ille profectus, quem habetis in illis, pariter & cum illis? quia, cum illi sint litteratissimi, docendo illos quid aliud agitis, nisi quòd mari rivos infunditis, & solem facibus adjuvatis? Sed & illi audiendo, quid aliud faciunt, quàm quasi pleno stomacho cibos ultra satietatem intrudunt? Multò ergo salubriùs & vos doceretis indoctos, & illi quasi per Orbem diffusi ex abundantia litteraturæ, quam habere eos dicitis, jacerent semen bonum, ut viderentur didicisse, non sibi ad gloriam, sed aliis ad salutem. Credimus igitur pro constanti, quòd is est profectus, quo debent proficere litterati.

EPISTOLA LXXIII.

Gervasius Canonicum Tuamensem in Hibernia Viconiam ad tempus mittit.

GERVASIUS Dei patientiâ Præmonstrati dictus Abbas, Venerabili in Christo Fratri W. (*b*) Abbati Viconiæ salutem & sinceram in Domino charitatem. Lator præsentium Isaac Canonicus Ecclesiæ Sanctæ Trinitatis (*c*) in suburbio

(*a*) *Cancellario Wellensi*, Cathedralis Wellensis, quam Joannes Episcopus, de Consensu Willelmi Regis, Bathoniam transtulit anno 1092, teste Parisio.

(*b*) *Fratri W. Abbati Viconiæ* Walterus, Radulpho sponte cedenti successit anno 1211. Prælaturæ Viconiæ. Est autem Viconia Cœnobium insigne in Hannoniæ partibus, bino à Valencenis milliari dissitum, cui Guido, Præmonstrati quondam incola, initium fecit & Præmonstratensibus transcripsit anno 1129. primumque illic Abbatem constituit Garinum è Laudunensi submissum Monasterio, Gualterus.

(*c*) *Isaac Canonicus Ecclesiæ Sanctæ Trinitatis*. Hæc Ecclesia in suburbio Metropolis Tuamensis fundatorem habuit Clarum Mac-Mailin Archidiaconum Elphinensem circa annum 1215. juxta Varæum lib. de *Antiquitatibus Hiberniæ* p. 263. Quæ sequuntur verba Gervasii, æquivocationem pariunt. *Subdit enim in sub-*

Metropolis Tuamensis, quæ sola nostrum Ordinem in Hiberniâ profitetur, venit nuper ab extremis illius terræ finibus Præmonstratum, ab Abbate suo missus in Franciam causâ gallici idiomatis addiscendi, & videndi disciplinam Ordinis & rigorem, quem in Ecclesiâ suâ fortè propter raritatem Fratrum, & gentis illius barbariem non videret.

Placuit autem nobis satis hæc illius intentio: quæ tamen multò ampliùs placuisset, si competenter vestitus nobis oneri non venisset. Anno siquidem præterito circa Adventum Domini, quando hiems erat asperior, venerunt ab eâdem Ecclesiâ Præmonstratum tres Fratres, singuli singulas tunicas habentes, & illas quidem vetustate tenues, texturâ subtiles: venerunt autem, ut libros Ordinis & Ecclesiasticos & secundùm usum nostrum conscriptos, ad propria reportarent. Oportuit igitur ut curaremus eorum succurrere nuditati, & multiplici eorundem indigentiæ subvenire.

Cum igitur hoc anno fuerimus gravati & illis, & aliis septem hospitibus, quibus omnibus provideri oportuit in vestitu; nec sufficiant nobis vellera ad omnes, qui veniunt, vestiendos: non valentes soli onus Ordinis sustinere, dictum Isaac ad vos mittimus, rogantes ac mandantes vobis, quatenus illum detineatis ad tempus, supplentes ex reliquiis Fratrum vestrorum suarum vestium paucitatem, & solantes eum nihilominùs tanquam hominem in claustri arctitudine vel Ordinis rigore non nutritum.

EPISTOLA LXXIV.

Gervasius Abbatem Antuerpiensem committit pro visitandis Ordinis Monasteriis.

GERVASIUS Dei patientiâ Præmonstrati dictus Abbas, Venerabilibus Fratribus &c.

Licet non solùm Ecclesias nostras Filias speciales, sed & alias extraneas & remotas, quæcumque Præmonstratensem Ordinem profitentur, ex nostro teneamur officio visitare: quia tamen tam domesticis negotiis, quàm aliis causis imminentibus præpediti, ad præsens visitare non possumus nec prope positas, nec remotas; Viro Religioso & discreto ac speciali amico Venerabili Fratri A. (a) Abbati Antuerpiensi hac in parte commisimus vices nostras, ut in cunctis Ecclesiis

urbio Metropolis Tuamensis, quæ sola nostrum Ordinem in Hiberniâ profitetur. Si enim ad Ecclesiam quæ in suburbio existebat, verba hæc intelligas, falsitatis convincuntur; siquidem testante Varæo, aliud præexistebat cœnobium cognomine, sub exitum Regni Joannis 1. id est anno 1207. vel sub initium Henrici 3. hoc est anno 1208. erectum in quo ordinem & regulam Præmonstratensem Canonici profitebantur, antequam in suburbicano Tuamæ cœnobio vigeret. Si verò ad Metropolim Tuamensem hæc Gervasii verba referas, innuent, solam Metropolim Tuamensem profiteri Ordinem Præmonstratensem in tota Hiberniâ. Ita interpretandam esse Gervasii phrasim suadent Pagius, & Miræus, asserentes in Cathedralem Ecclesiam illud cœnobium processu temporis fuisse immutatum, stante nihilominus regulâ Præmonstratensi.

(a) *Venerabili Fratri A. Abbati Antuerpiensi*, Arnoldo de Erpte, Hugonis successori anno 1208. translato postea per viam postulationis ad Abbatiam Bonæ spei anno 1221. ex quâ deinde avulsus, iterum ad Antuerpiensem reversus est anno 1234. ibique fatis cessit anno 1242.

Ecclesiis Ordinis nostri, ad quas venerit, authoritate Ordinis & Nostrâ, & suâ etiam ubi locus & opus fuerit, corrigat quæ invenerit corrigenda. Vobis igitur præsentium authoritate præcipiendo mandamus, quatenus ei in omnibus, quæ in locis vestris ordinanda viderit aut mutanda, obediatis per omnia tanquam nobis. Cæterùm est quoddam verbum secretum, quod de consilio, & pro utilitate ipsius Ordinis posuimus in ore ipsius, in quo ei similiter volumus & præcipimus obediri.

EPISTOLA LXXV.

Archidiaconum Parisiensem rogat ut inducias peregrinationis Cruce-signato concedat donec Edicto Apostolico cæteri milites iter arripiant.

REVERENDO Patri & speciali Amico Archidiacono Parisiensi (a) Frater Gervasius Fratrum Præmonstratensium Servus humilis, salutem & cum orationibus sinceræ dilectionis affectum.

Cùm lator præsentium G. serviens Ecclesiæ nostræ, olim signatus Cruce ut iret in Terram-sanctam, propositum suum non fuerit aliter executus, nisi quod ivit in partes Constantinopolitanas cum illo solemni exercitu, qui ibidem posuit itineri suo metam; consuluimus ei ut in partes Albigensium proficiscens, indultam aliis pro peregrinatione illuc factâ indulgentiam obtineret cum induciis prosequendi votum suum, donec solemne edictum proficiscendi in Terram-sanctam à Sede Apostolicâ emanaret: maximè cum non credamus expedire ad præsens, ut partes adeat transmarinas. Proinde Paternitatem vestram rogamus, quatenus secundum quod Parisiis loquuti fuimus vobis nuper, tam super indulgentiâ, quàm super induciis Patentes ei litteras concedatis.

EPISTOLA LXXVI.

Gervasius Abbatem de Perrodio præsidem nomine suo ablegat, qui cessionem Abbatis Stellæ admittat, & successionem ei designet.

GERVASIUS Dei patientiâ Præmonstratensis dictus Abbas, Venerabili in Christo Fratri D. (b) Abbati de Perreio Salutem & sinceram in Domino charitatem. S

(a) *Archidiacono Parisiensi.* Credo esse Guidonem, qui & Guillelmus appellatur in historia Albigensium sub annum 1210. c. 58. „Tempore illo Guillelmus Venerabilis Archidiaconus Parisiensis, & quidam alius Magister Jacobus de Vitriaco, de mandato & ad preces Episcopi Uticensis, quem D. Papa pro negotio fidei contra hereticos Legatum præfecerat... prædicationis officium assumpserunt.„ Biterrensem Episcoparum ad quem communi Canonicorum suffragio adlectus fuerat recusavit.

(b) *Venerabili in Christo Fratri D... Abbati de Perreio.* Nullum reperio Abbatem in serie Abbatum Perreii, gallicè *Perray-neuf*, qui nomen suum à D. auspicetur, usque adeo mutilus est catalogus, neque enim illud D. Dominum indicat, titulum ætate Gervasii prorsus inusitatum in Ordine Præmonstratensi, Perreium pagi Andegavensis cœnobium primitus in Bosco-Ranulphi situm, Robertum dynastam Sabolii, gallicè *Sablé*, fundatorem habuit, translatorem verò Guillelmum de Rupibus Senescallum Andegaviæ.

Venerabilis Frater Abbas de Stella (*a*) *laborem & dolorem* in administratione *considerans*, quos jam experimento cognoscit, cum multâ nos rogavit instantiâ, ut relaxaremus eum ab onere, quod fastidit: & ut efficaciùs quod postulat assequatur, quasdam causas allegat, quarum intuitu dignum & justum est eum exaudiri.

Cum autem hæc Abbatis voluntas non lateat Fratres loci; illi de successore solliciti in quandam personam (ut didicimus) unanimiter consenserunt, quam postulant in Pastorem.

Verùm attendentes quòd, si mulier viro suo vivente postulaverit aliquem in maritum; cum ille decesserit, non potest legitimè contrahere cum petito, prout in Ecclesiastico Jure pleniùs est expressum: petitioni dictorum Fratrum nequaquam censuimus annuendum, ut Abbate suo adhuc agente concedamus eis quem postulant in Rectorem.

Quia tamen preces eorum nolumus nec omnino repellere, nec penitus exaudire; mittimus vobis tribus clausa sigillis trium nomina personarum, quarum, una est persona, quæ est à Fratribus postulata.

Fraternitati igitur vestræ præcipiendo mandamus, quatenus ad locum illum personaliter accedentes, Abbatis dimissione susceptâ, faciatis in Conventu Missam de Sancto Spiritu solemniter celebrari; & in Capitulo postmodum eodem Spiritu invocato, habeatis in manu tria sigilla prædicta, ut accedens unus è Fratribus, coram cunctis unum accipiat quodcumque voluerit ex sigillis, & cujus nomen inventum fuerit illo fracto, ille indubitanter & sine refragatione aliquâ suscipiatur ab omnibus in Abbatem. (*b*)

Factâ ergo obedientiâ ei quem Dominus taliter suscitaverit in Rectorem, frangantur & alia sigilla, ut cognitis nominibus aliorum, quos Dominus in hac parte videbitur reprobasse, comperiatur à cunctis cum quanta sinceritate processerimus in hoc facto.



EPISTOLA LXXVII.

Gervasius Huberto Angliæ supremo Judici gratias agit de protectione ab eo data Ecclesiæ S. Radegundis, pro aliis Ecclesiis partem rogat protectionem impendi.

ILLUSTRI & amantissimo Huberto (*c*) de Burgo Justic. Angl. Frater Gervasius, dictus Præmonstratensis Abbas, Salutem & cum orationibus sinceram ad obsequia voluntatem.

(*a*) *Venerabilis Frater Abbas de Stella*, quintus ordine erat, isque Michaël vocabatur. Cessionem fecit anno 1218. de consensu Gervasii, ad eam excitatus sanè ob devastatam incendio Domum, cui reparandæ imparem se sentiens, in alium transmisit onus, est autem Stella filia Præmonstrati, in Pago Vindocinensi posita, tribus à Castro-Reginaldi milliaribus.

(*b*) *Suscipiatur in Abbatem.* Insolita prorsus eligendi forma, quæ nec juri Communi, nec Statutis Veteribus, neque novis Præmonstratensibus concordat, imitatus nihilominus Apostolicæ electionis normam, quam fortè secutus est Gervasius, de concurrentium merito æquali certus, & de præponendo ambiguus, electionem sorti commisit.

(*c*) *Huberto de Burgo.* Factus est magnus Angliæ Justitiarius anno 1205. post obitum Huberti Cantuariensis Archiepiscopi. Anno 1232. ab Henrico 3. amovetur ab officio per Consilium & artes Petri Vintoniensis Episcopi.

Gaudemus plurimùm quòd *Juſtus Dominus diligens*, imò & remunerans *æquitatem*, reſpexit ab alto conſtantiam atque fidem, quam inter varios eventus habuiſtis; & vos *ſuper principes exaltavit*, ut in Angliæ Regno *Judicium & Juſticiam faciatis*, ac per Strenuitatem & Diſcretionem veſtram quieſcant ſemitæ perverſorum, & bonorum ſimplicitas ſit ſecura: & quidem hoc ſemper obtinet apud Deum fides conſtans & veritas perſeverans, ut à magno provehatur ad majus, & aſcendens in altum ſedem habeat inter ſummos.

Sanè ſuper eo quod domum Sanctæ Radegundis (*b*) (quæ ab initio pauper fuit, & poſt direptiones quas nuper ſuſtinuit, nunc, ut didicimus, quorumdam calumniis laceſſitur) ſub veſtra Protectione voluiſtis intuitu pietatis ſuſcipere, & favorem ei impendere ſpecialem; grates vobis referimus copioſas, rogantes attentiùs, ut à gratia eidem impenſa non ſint aliæ Eccleſiæ noſtri Ordinis alienæ, ſed quod cœpit benevolentia veſtra circa illam, piè velitis proſequi circa omnes: ſcituri quod dum ſtudium veſtrum exercueritis circa illam, Eccleſias Dei contra inſultus malignantium protegendas, retributor omnium bonorum Deus honorem veſtrum ampliabit in terris, longè ampliorem vobis reſervans in cœlis.

Porro licet ex favore domui memoratæ præſtito, debeantur vobis non immeritò orationes & ſpiritualia beneficia Ordinis Univerſi, & eadem petieritis Vobis per patentes litteras concedi: quia tamen non ſolemus uti ſigillo noſtri Capituli Generalis, niſi in ipſo Generali Capitulo, non ſit Vobis moleſtum aut grave, per Abbatem aliquem vel nuntium, qui venturus eſt Præmonſtratum hoc anno, hanc petitionem veſtram ipſi Capitulo præſentare. Nos enim ut exaudiatur petitio ipſa adhibebimus dante Domino operam efficacem.

Cæterùm quia *bonum eſt & jucundum Fratres in unum habitare*, & ſecuriùs pugnat contra hoſtem viſibilem, & inviſibilem, qui habet à latere adjutorem: deſideravimus dudum pro animarum ſalute, & noſtri Ordinis honeſtate, ut Eccleſia Sanctæ Radegundis & Eccleſia Langhedonæ (quarum utraque tenuis eſt & pauper) in unam Eccleſiam conflarentur, & conſerrentur ad commodiorem locum, qui haberet aquam officinis Eccleſiæ ſervituram.

Rogamus igitur Diſcretionem veſtram, quatenus attendatis diligentiùs, quanta ſalus animarum, & quanta cuſtodia honeſtatis ex hoc facto valeat provenire: & laboretis ut deſiderium noſtrum hâc in parte conſequatur effectum. Nec reformidetis difficultatem operis inchoandi, ſcituri pro certo quod gratiam Omnipotentis Dei in hâc parte habebitis adjutricem.

Valete in Domino: & Venerabilem Amicum noſtrum Lucam Capellanum veſtrum ex parte noſtrâ præcipite ſalutari.

De Fratre autem Thomâ, quem pro Domini Regis ſervitio retinetis, ſatis patienter ſuſtinemus, dummodò non faciat aliquid, quod non conveniat Religioni, & quod non deceat honeſtatem Ordinis.

(*b*) *Domum Stæ. Radegundis*, in Cantiæ Provinciâ non longè ab oppido Dubriæ ſitam, & à Galfrido Comite Pertici fundatam tempore Richardi primi Regis. Tenuem Monaſterii fortunam auxit Hubertus collatione Parochialium Eccleſiarum de *Porteſlade* & de *Adelrtone*. Benefactores alii miſerantes ſortem exiguam loci præverterunt ejus caſum, & incorporationem cum Langdona poſtulantes.

EPISTOLA LXXVIII.

Abbates Teplensem & Lutomissensem Visitatores Monasterii constituit Gervasius.

GERVASIUS Dei Patientiâ Præmonstratensis dictus Abbas, Venerabilibus in Christo Fratribus Wilhelmo de Teplâ & Hermanno de Lutomissel Abbatibus, (*a*) salutem & sinceram in Domino charitatem.

Quàm sincero affectu Venerabilem in Christo Fratrem A. Abbatem N. dilexerimus usque modò, novit Deus cui nihil occultum, & ipsa etiam operis exhibitio comprobavit: ipsi scitis.

Nuper autem venit ad nos Frater Wilhelmus ejusdem loci Canonicus, cum litteris testimonialibus fide dignis: & conquestus est, quod prædictus Abbas ipsum de servitio Domini P. Episcopi (*qui persecutionem patitur propter justitiam*) & cum litteris ipsius Episcopi revertentem recipere recusabat: propter quod & supplicavit, ut eum recipi faceremus.

Cum igitur scripserimus eidem Abbati & Conventui suo, rogando, monendo, mandando, præcipiendo, ut prædictum Wilhelmum Collegio suo aggregare curarent. Fraternitati vestræ mandamus, & in virtute obedientiæ districtè præcipimus, quatenus si idem Abbas & Conventus mandato nostro contempserint obedire, vos sæpe-dictum Wilhelmum Authoritate Ordinis atque Nostrâ recipi faciatis, & charitativè tractari, injunctâ ei aliquâ moderatâ satisfactione propter Ordinis honestatem, si inveneritis eum in aliquo deliquisse.

Cæterùm licet dictum Abbatem diligamus plurimùm, sicut prædiximus, & honoraverimus usque modò, & intendamus eum in posterum in quantum cum Deo poterimus honorare: quia tamen *Deo* præcipuè *sumus debitores*, volumus, & sub præfatâ districtione præcipimus, quatenus ad Ecclesiam N. personaliter accedentes inquiratis de statu interiori & exteriori, plenariè veritatem & depositiones Fratrum redactas in scriptis, sub sigillis vestris nobis ad Generale Capitulum transmittatis inclusas: ut habeamus unde vel possimus excusare & absolvere innocentiam hominis accusati injustè; vel unde debeamus (quod absit) gladium ultionis exerere contra ipsum: ne Dominus Papa, qui est Caput Universalis Ecclesiæ, negligentiam Ordinis atque nostram corrigi faciat per diligentiam aliorum. Datum Præmonstrati anno Gratiæ millesimo ducentesimo decimo-octavo, quarto nonas Maji.

EPISTOLA

(*a*) *Willelmo de Tepla & Hermanno de Lutomissel Abbatibus.* Iste Willelmus deficit in Elencho Abbatum Teplæ, ejusque loco Joannem commentitium subrogarunt, quem primum Monasterii in tota Bohemia, ex sui Regii fundatoris *Hroznata* stemmate, insignis, Abbatem fingunt. Nec est scrupulus in hac nominum emendatione: cum temporibus Gervasii, anno scilicet 1200. hæc Abbatia nata promovente Gervasio adoleverit. Hermannus Abbas Lutomislensis Monasterii ab Henrico Episcopo Olomucensi in Bohemia fundati anno 1145. Historiam narrant Dubravius & Hagetius, ipsumque ajunt in sedem Episcopalem suffraganeam Pragæ fuisse subvectum, servato tamen ibidem Ordine Præmonstratensi, eamque immutationem accidisse referunt sub annum 1324.

EPISTOLA LXXIX.

Gervasius rogat Episcopum Roffensem, ut confirmare dignetur Donationem de Grenviz.

REVERENDO in Christo Patri & Domino Benedicto, (*a*) Dei Gratiâ Venerabili Roffensi Episcopo, Gervasius, ejusdem patientiâ Præmonstrati dictus Abbas salutem &c.

Insinuatum est nobis, quod Vir Nobilis Galfridus de Saï (*b*) intuitu Dei & suæ salutis obtentu; Ecclesiæ de Begeam, quæ est Ordinis nostri, contulit in perpetuam eleemosynam Ecclesiam de Grenviz, quæ est vestræ Diœcesis, & cujus donatio spectabat jure patronatus ad ipsum.

Cum igitur operi charitatis præemineat Religiosarum domuum fundatio; nec sit inferioris meriti apud Deum fundatis locis collata firmare, quàm bona conferre, Paternitati Vestræ supplicamus attentè, quatenus dictam donationem Nobilis memorati vestro confirmare velitis assensu pariter & sigillo, ut eleemosyna Nobilis sæpe-dicti, quæ ex donatione est sua, ex confirmatione vestra fiat, & pares sint conferens & confirmans in præmio. Valeat in Domino Paternitas Vestra.

EPISTOLA LXXX.

Begehami Abbatem deputat Visitatorem Ecclesiæ Sanctæ Radegundis.

GERVASIUS Dei patientiâ Præmonstrati dictus Abbas, Venerabili in Christo Fratri Abbati de Begeam, Salutem & sinceritam in Domino charitatem.

Cùm Ecclesia Sanctæ Radegundis, quam habemus solam in Angliâ filiam specialem, (*c*) indigeat consolatione frequenti, utpote novella, & pau-

T

(*a*) *Domino Benedicto ... Roffensi Episcopo.* Successit Gileberto de Glanvile anno 1216: cum esset antea præcentor Sti. Pauli Londinensis, consecratus est anno eodem 7. Kal. Martii, moritur anno 1227, ei suffectus est Henricus de Stanford Cantuariensis Archidiaconus.

(*b*) *Vir Nobilis Galfridus de Sai ... Ecclesia de Begeham contulit Ecclesiam de Grenviz.* Ecclesia de Begeham in Comitatu Sussexiano & Diœcesi Cicestrensi, surrexit tempore Henrici 2. Regis fundum & dotem concedente, Radulpho de *Dene*, in loco qui *Otham* dicebatur, unde Canonici ob soli & cœli intemperiem transmigrarunt in *Begeham*, multos à translatione, eosque beneficos sensit proceres, quos inter eminuit Galfridus de Say miles; qui præter varia donaria, tradidit Ecclesiam de *Grenviz*, de assensu Gilberti Roffensis Episcopi, sed quoniam scripto non approbarat istam unionem, Benedictum successorem Cathedræ interpellavit Gervasius; ut ipsam diplomate suo roboraret.

(*c*) *Ecclesia Stæ. Radegundis quam habemus in Anglia solam filiam specialem.* Miror tot filias Præmonstratensi Ecclesiæ à Pagio ascriptas in Circaria Angliæ, cum unicam prolem sibi vindicet Gervasius, eamque novissimam. Sed mirari desino, attendens ad immutationem paternitatum, quam anno 1294. Capitulum generale, ad cautionem disciplinæ & regiminis accuratiorem providentiam, invexit, post habito plerumque originis & filiationis naturæ, titulo.

per, & minùs quàm expedit informara Ordinis disciplinâ: Fraternitati vestræ præsenrium authoritate mandamus, quatenus eam singulis annis loco nostri visitetis, correcturi in eâ, quanrùm ad merum jus Paternitatis attinet, quod apparuerit corrigendum, donec mandatum nostrum præsens per nos, vel alium fuerit revocarum.

Porro de omnibus pro quibus ad vos recursum fuerit, quoties vocati fueritis, agatis plenariè vices nostras, hoc solo excepto, quòd ad abscissionem Capitis (*a*) nunquam manus extendaris.

EPISTOLA LXXXI.

Brabantiæ Ducem rogat Gervasius, ut faveat translationi Parthenonis Postellensis.

ILLUSTRI Domino & in Christo charissimo H. (*b*) Marchioni Romani Imperii ac Duci Brabantiæ, F. Gervasius dictus Præmonstratensis Abbas, salutem, & cum orationibus sinceram ad obsequia voluntatem.

Cùm ad petitiones nostras (quas videbatis ratione niti, & fulciri honestate) multoties invenerimus vos pararos, & desiderare quandoque ut aliqua corrigerentur in Ordine, quæ secundum zelum vestrum limâ videbantur correctionis indigere: concepimus fiduciam, ut vestrum non tantùm assensum, sed & auxilium postularemus ad Ordinis honestatem in aliquâ parte promovendam.

Sanè cùm Venerabilis Frater N. (*c*) Abbas Floreffiæ piâ (ut credimus) intentione ductus intendat Sorores, quæ nunc apud Postellam (*d*) commorantur, ad alium locum transferre, ubi earum & honestas & fama meliùs conservetur. Strenuitatem vestram affectuosè rogamus, quatenus eidem velitis Abbati assistere in hoc facto, non tantùm annuentes, ut expleat quod proponit, verùm etiam compescentes sæculares quoslibet vestræ jurisdictioni submissos, qui pro arbitrii sui motu ordinationibus Ecclesiarum Ordinis nostri se immiscent.

Credimus autem quòd, si dictus Abbas perfecerit quod intendit de Sororibus transferendis, honestas inde Ordinis, & salus proveniet animarum.

(*a*) *Abscissionem Capitis.* Hoc est depositionem Abbatis, quam sibi Gervasius, ut causam majorem reservavit.

(*b*) *H.* Henrico.

(*c*) *Frater N.* Nicolaus Hellini successor, Vivis exemptus anno 1220.

(*d*) *Sorores quæ nunc apud Postellam commorantur.* Postella est Monasterium Virginum Ordinis Præm. cum celeberrimo hospitali, in mediis Campaniæ Brabantinæ Ericetis, ubi omnibus diu noctuque venientibus, hospitium præbetur. Primus loci hujus fundator extitit Fastradus vir nobilis anno 1173. accesserunt postea alii Benefactores, qui largissimæ hospitalitatis contulerunt fundos, quorum administrationem, sicut & hospitum curam gerebant Virgines, nullis proinde strictioris clausuræ legibus tunc addictæ. Nunc verò Floreffienses Canonici soli, in Cœnobio Postellæ agunt, monialibus extinctis. Quo anno esse desierint necdum mihi compertum est. Suspicor Walteri Abbatis ætate, anno 1278. Sensim emortuis Virginibus, nullisque suppositis, quæ speciem propagarent, abiisse in nihilum virgineam sobolem, in cujus ruinam generale Capitulum anni 1270. conjurarat, instigatore præcipuo Waltero de Obbais Abbate Floreffiensi.

EPISTOLA LXXXII.

Abbati executori apostolicæ commissionis mandat Gervasius, ut emendet quod contra juris ordinem fecit.

GERVASIUS Dei patientiâ Præmonstrati dictus Abbas, Venerabili in Christo Fratri H. Abbati de F. (*a*) salutem & sinceram in Domino charitatem.

Scripsit nobis acerbè nimis & crude Vir Illustris R. (*b*) Comes Suessionensis, conquerendo insinuans, quòd Petrum Filium Hugonis de Amblegny Ballivi sui, Canonicum S. Petri in foro Laudunensi, quadam præbendâ suâ spoliaveritis, juris ordine prætermisso.

Quia igitur de præbendâ illâ multa audivimus, quæ & famam totius Ordinis generaliter, & quarumdam personarum in Suessionensi & Laudunensi Diœcesibus, specialiter denigrarunt: mandamus vobis, quatenus (cum in causâ ipsâ collegas habeatis, qui sicut & vos habeant cognoscere de eodem) sustineatis ut ipsi exerceant vices suas: & si quid fuerit à vobis contra juris ordinem attentatum, non erubescatis corrigere incunctanter: nec ex pronitate subveniendi aliquibus familiaribus vestris in causâ, vobis arrogetis in officio Judicis, præ collegis vestris aliquid singulare, unde notari possitis, & unde innocentia gravetur: maximè cùm non solùm dictus Comes, verùm etiam Petrus (*c*) Tristanus, Camerarius Domini Regis (qui se gerit cognatum dicti Clerici) nobis scripserit pro eodem: nec credimus quòd minùs possit nobis nocere in hoc statu suo, quàm Comes.

EPISTOLA LXXXIII.

Gervasius pro Abbate iniquius vexato apologeticam scribit Epistolam Episcopo præjudiciis affecto.

REVERENDO in Christo Patri ac Domino Dei Gratiâ Venerabili A. Episcopo, Frater Gervasius dictus Præmonstratensis Abbas, Salutem & cum orationibus sinceram ad obsequia voluntatem.

Litteras sinceritatis vestræ suscepimus, quibus quorumdam Fratrum V. voluistis conamina prævenire; qui (prout vobis suggestum esse comperimus) in Abbatis sui gravamen intendunt, & ut discurrentes licentiùs mores exerant juveniles, in dejectionem senis aliquid machinantur.

Sanè non est nostræ consuetudinis aurem rumusculis inclinare, nec de Abbatum gravitate malè sentire, de facili ad suggestiones varias subjectorum; nec in Ecclesiâ memoratâ aliquem credimus ita ausum, qui contra honestatem

(*a*) *Abbati de F. Salutem.* Nullam lego in tota Circaria Franciæ Abbatiam, cujus initialis littera ab F. incipiat, nullam video in Pontini Circaria, nullam in Floreffiæ, si Floreffiam exceperis, sed Abbatem non invenio, cujus nomen ab H. auspicetur, si Hellinum demas. Putarem Abbati Fusniaci inscriptam Epistolam, nisi præceptiva vox *mandamus*, adhiberetur à Gervasio, superioritatem innuens, quam nullatenus in extraneum Abbatem exercere poterat.

(*b*) *Vir illustris R...* Radulphus 2. Comes Suessionensis.

(*c*) *Petrus Tristanus*, erat ille filius Gervasii Tristani, Camerarii Philippi Augusti, Regis Franciæ.

Abbatis nobis aliquid perſuadere præſumeret: cùm liquidò conſtet univerſis, quod partes ejus ſoverimus uſque modò, & contra omnes obloquentes exaltaverimus cornu ejus.

Scire tamen vos volumus, quòd longo fractus ſenio, & ætate decrepitâ fatigatus, in debilitatem jam incidit corporis atque mentis; ita quòd apud ſubjectos nec reverentiæ ſit nec timori: unde licet olim litteratus fuerit & honeſtus: licet in diebus ſuis exteriùs benefecerit Dominus loco illi, & interiùs vigere fecerit Ordinis diſciplinam: quia tamen anni ejus recedentes ſecum, hæc omnia adimere jam cœperunt, expedire credimus dictæ domui, ſecundum utrumque ſtatum, ut emeritus jam cingulum militiæ ſolvat, & de futurâ vitâ cogitans privatus vivat, qui hùc-uſque publicis commodis militavit.

Verumtamen ne videamur aut ſuggeſtione adverſantium moti eſſe: aut veſtro interventui (cui devotè aſſurgimus) adverſari, ipſum in adminiſtratione ſibi credita cenſuimus ſuſtinendum, ut ex detrimento Eccleſiæ vobis conſtet, quòd amoto eo oporteat alium ſubrogari, cui adſit pleniùs & robur mentis, & ad benè operandum efficacia voluntatis.

Sanè ſi fortè ceſſerit, curabimus Deo dante, ut inſtituatur alius, qui Eccleſiæ ſupra-dictæ ſufficiat, & honorificè eum tractet, prout decuerit tantum virum. Super prædictis autem reſcriptum Veſtræ Beatitudinis præſtolamur.



EPISTOLA LXXXIV.

Gervaſius unâ cum Capitulo Generali aggratulatur Joanni de Brenna ſuper exaltatione ad Jeroſolimæ Coronam, & ſuffragia Ordinis ſpondet pro fœlici armorum ſucceſſu.

GENERALE Capitulum Jeroſolymorum Regi. (*a*) Oblata nobis ex parte veſtrâ petitio inter curas multiplices, quibus circa negotia noſtri Ordinis occupamur, exhilaravit nos plurimum, & ex promotione veſtrâ in Regem, (*b*) lætitiam attulit cordi noſtro. Licet enim in vobis refulgeat probitas militaris, & multos potentes ac nobiles, ſicut generoſitate natalium, ita etiam virtute militiæ tranſcendatis, ex eo tamen, quod non intenditis in gladio veſtro poſſidere terram, ſed jactatis cogitatum veſtrum in Domino, & de cœlo auxilium poſtulatis, ex eo quidem fiduciam cœpimus, & ſpem bonam, quòd per manum veſtram diſpoſuerit Dominus, & gentium incredulitatem confundere, & noſtræ fidei injurias vindicare. Proin poſtulationibus veſtris hilarem præbentes aſſenſum, participationem omnium ſpiritualium beneficiorum, quæ in Eccleſiis Ordinis noſtri fiunt, & futuris temporibus ſunt facienda, devotâ vobis concedimus charitate, ſtatuentes, ut illi orationi, quæ ſolet fieri pro ſubſidio Terræ Sanctæ, una ſpecialis collecta pro vobis, per omnes Eccleſias noſtri Ordinis adjungatur. Veſtræ igitur Præeminentiæ affectuoſiſſimè ſupplicamus, ut cum confirmaverit Dominus vos in regno, ad quod ſuâ providentiâ vos vocavit, loca illa, in quibus Ordo noſter ante ſubverſionem Terræ Sanctæ antiquitus

(*a*) *Generale Capitulum Jeroſolimorum Regi* Joanni Brennenſi.

(*b*) *Promotione veſtra in Regem.* Anno 1209. in Regem aſſumptus eſt unanimi procerum voto, & à Regno amotus anno 1223. Friderici Imperatoris ambitione & potentiâ.

antiquitùs habebatur, personis Ordinis nostri per vestram gratiam restitui faciatis, recepturi pro gratiarum munere tanto uberius ab eisdem orationum suffragia, quantò per munificentiam vestram se sentierit locis suis restitui, & restitutos vestrâ magnanimitate protegi pariter ac defendi.

EPISTOLA LXXXV.

Episcopo Bellovacensi Concambium petenti, locum & diem offert pro ejusmodi permutatione ineunda.

GERVASIUS Bellovacensi electo (*a*) Episcopo. De domo vestrâ de Nauvel, de quâ locuti estis nobis pluries, non possumus vobis per nuntium sufficienter respondere, sed si volueritis, ut concedatur vobis, assignetis nobis aliquem diem, & locum distantem per diætam unam ab Ecclesiâ Præmonstratensi, infra quindenam, quæ præcedit ascensionem Domini, vel infra quinque dies sequentes ipsam ascensionem, & nos ad præsentiam vestram libentissimè accedemus, Vobis pro utilitate vestrâ, & honore nostro de hoc & de aliis locuturi. Notetis etiam diligenter dies vacationis nostræ superius memoratos, ne videamini hoc, quod mandamus vobis, quasi in speculo inspexisse, & propter occupationes vestras statim tradidisse oblivioni, ferè quidquid vobis duximus intimandum, quod ex litteris vestris videtur posse colligi manifestè, quæ insinuationi nostræ nunquam plenè respondent.

EPISTOLA LXXXVI.

Scribit Gervasius Episcopo Tullensi Ecclesiam non esse alligatam debitis alterius Ecclesiæ, nec unam alterius esse vadem in Ordine Præmonstratensi.

GERVASIUS Tullensi Episcopo. (*b*) Super eo, quod vestra nobis insinuavit Paternitas, ut quibusdam vestris civibus, qui se dicunt Ecclesiæ de Belleval (*c*) pecuniam credidisse, satisfieri authoritate & potestate nostri Ordinis faceremus, id vestræ discretioni volumus esse notum, quod dudum ex parte Generalis Capituli, vestræ civitatis hominibus fuit per litteras denunciatum; ut nullus eorum aliquam crederet summam pecuniæ Ecclesiæ supra-dictæ. In nostro enim ordine hæc consuetudo habetur, ut unaquaque Ecclesia per se

V

(*a*) *Gervasius Bellovacensi electo Episcopo.* Miloni de Chastillon de Nantueil, qui anno 1217. Philippo de Dreux subrogatus est. Priusquam sacraretur Episcopus, in Terram Sanctam profectus anno 1219. captivus abducitur ante Damietam. Libertate restitutâ Galliam repetit anno 1220. qui fuit supremus regiminis Gervasii.

(*b*) *Tullensi Episcopo.* Reginaldo Boutillier de Senlis, destituti per Innocentium 3. Mathæi à Lotharingia, successori anno 1210.

(*c*) *Ecclesia de Belleval.* Pagi Argonensis, anno 1133. ab Alberone Episcopo Virdunensi fundatæ in Diœcesi Remensi. Præerat Abbatiæ anno 1214 & 1218. Odo, ille idem est forsan, qui mutuo pecuniam accepit à Tulli civibus, ut villam Belli Clari (*Beau-clair*) ædificaret communibus expensis, cum Goberto Dynastâ Asperi montis.

teneatur propriis debitis obligara; nec reliquæ teneantur super aliarum debitis respondere. Inde est quod à vobis petimus & rogamus, quatenus à civibus vel hominibus vestris, occasione, quâ dicta est, non permittatis alicui personæ, vel Ecclesiæ nostri Ordinis gravamen inferri, vel pecuniam, nisi ab his, quibus fuit credita nominatim, aliquatenus extorqueri, cum sit justum & omni consentaneum rationi, ut ab eo, cui quidquam creditur, vel commirtitur, idipsum principalirer & non ab alio exigatur.

EPISTOLA LXXXVII.

Commendat Gervasius Cancellarium Parisiensem Cardinali Reginaldo.

GERVASIUS Magistro Reginaldo Diacono Cardinali. (*a*) Vir Venerabilis Philippus Cancellarius Parisiensis (*b*) dum olim Cathedralium Ecclesiarum Provinciæ Remensis, tanquam Generalis Procuraror, in Romanâ curiâ negotia procuraret, mihi & Ecclesiis insufficienriæ meæ commissis, & quibusdam aliis devotis vestris, non solum, sicut vos meminisse credo, fuir inutilis, sed damnosus, propter quod indignarionem vestram extunc incurrisse se credit, & eam adhuc non esse omnino deletam. Super quo, cum ex suscepto procurationis officio, cui honestè deesse non porerat, apud quemlibet discretum virum sufficienrer possit & debeat excusari, vellem, ut si ego, vel aliqui ad humiliraris meæ regimen pertinenres, occasionem dederint, quia affectus vester obligaretur ab ipso, reconciliationis impetrandæ essemus apud vestram clementiam adjutores, maximè cum ego eum in omnibus suis locis & causis invenerim satis amicabilem & benignum. Cum igitur nuper irruerir super eum, sicut ipse retulit mihi vivâ voce, inopinata quædam & repentina tempestas ex suggestione quorundam, qui famam suam apud Dominum Papam plurimum obfuscasse dicuntur, & propter hoc teneatur coram ipso Domino Papâ certo tempore comparere, suam innocenriam defensurus, Paternirati vestræ obnixis precibus supplicamus, quatenus deletâ, intuitu Dei & precum mearum instantiâ, præteritorum memoriâ delictorum, ipsum in affectionem paternam & gratiam admittatis, ita ut manus protectionis vestræ, in quantum sustinebit honestas, in hac afflictione suâ dignetur esse eum eo. Videtur enim ei, ut asseritur, nec credo quod fallat, quod pro fœlicirare præcipuâ reputabir, & cum universis hostibus suis audebit congredi confidenter, si tantummodo gratiam vestram habuerir adjutricem, qui per misericordiam Dei, & subventionem â fornace tribulationis hujus ereptus, vestris, tanquam devotus filius, de cætero acquiescet consiliis & mandatis.

EPISTOLA LXXXVIII.

Inquirit Gervasius de conversatione & moribus suorum Religiosorum apud Episcopum Thebanum, rogatque ut bonos protegat & corrigat malos.

DOMINO Hardumunio Episcopo Thebano (*c*) Gervasius. Sicut jucundum esse consuevit plantare vires, quæ extendunt palmites suos latè,

(*a*) *Magistro Diacono Reginaldo Cardinali.*
(*b*) *Philippus Cancellarius Parisiensis.* Vide quæ diximus de hoc Philippo in Epistola X.
(*c*) *Episcopo Thebano*, id est Thebæ Philippi Urbis Thessaliæ in Græcia, quondam Episcopalis & suffraganeæ Larissæ, nunc verò Archiepiscopatu gaudens, nomine *Zeitun.*

& reddunt suis temporibus fructum bonum, ita in fastidium verti solet, quando propagantur tales, quæ propagatæ latius degenerant in labruscas. Dudum sanè significatum est nobis, quod fratres quidam Præmonstratensem Ordinem profitentes in Diœcesi vestrâ (*a*) fortiti sunt locum, ut ibidem Domino famularentur, secundum Ordinis instituta, de quorum conversatione, quoniam diversa audivimus à diversis, non possumus solliciti non esse de ipsis, utpote qui desideramus, ut universi & singuli ad humilitatis nostræ regimen pertinentes, regia viâ incedant, & sic currant in stadio, ut æternæ beatitudinis bravium apprehendant. Verum quia singulas Ecclesias, ad Præmonstratensem Ordinem pertinentes, non possumus personaliter visitare, nec subvenire eisdem, nisi vestrum, & aliorum Patrum & Dominorum vestrorum, auxilium sentiamus, Paternitati vestræ humiliter supplicamus, quatenus intuitu Dei, & respectu orationum ac Spiritualium beneficiorum totius Ordinis, quorum participationem devotâ vobis concedimus charitate, prædictos Fratres, si videritis, quod habeant facies euntium in Jerusalem, & quod habeant quasi cor unum & animam unam, ad serviendum Domino Jesu Christo, protegere, ac manutenere velitis, & contra insultus malignantium, si qui fuerint, defensare. Porro si videritis, quod conversatio eorum limam correctionis exposcar, super hoc ipso ut corrigerentur, vellemus, dummodo non esset vobis molestum, quod vestræ Paternitatis diligentia vigilaret: nollemus enim ut Præmonstratensis Ordinis Professores, sive nobis vicini, sive remoti à nobis, essent aliquibus odor mortis in mortem, sed odor vitæ in vitam. De statu autem eorum desideramus, & petimus certificari per vestræ litteras sanctitatis, cum vel à vobis, vel à nobili viro Thoma Domino Salone, aliquem ad partes nostras contigerit nuntium destinari.

EPISTOLA LXXXIX.

Willelmum Archiepiscopum Remensem pro resarcienda pace inter Episcopum Virdunensem & Abbatem Sancti Pauli implorat.

DOMINO Wilhelmo Remensi Episcopo Gervasius. Dominus Virdunensis Episcopus, à primâ promotione suâ, pauperculæ Ecclesiæ Sancti Pauli Virdunensis (*b*) cœpit esse valdè molestus, & adhuc ad eam gravandam sumptâ qualibet levi occasione, cum minori, quam deceret honestatem suam, gravitate movetur: Ego autem personaliter accedens ad locum, aliquando eam reconciliavi gratiæ suæ, quam cum crederem diutius esse duraturam, nescio, quis Borealis ventus eam, tanquam non habentem, unde erubesco,

(*a*) *Præmonstratensem Ordinem profitentes in Diœcesi vestra*, Nomen silet Monasterii Gervasius, quod in Thebana Diœcesi consistebat. In Catalogis Pagii & Lairuelii nullum invenio cœnobium in hac Diœcesi positum, usque adeò lacunis abundant.

(*b*) *Ecclesia S. Pauli Virdunensis*. Cœnobium antiquitus Ordinis Sancti Benedicti, quod prius anno scilicet 973. Clericis Regularibus mancipatum erat, Alberone de Chisneio, ad Episcopalem Cathedralem sublecto, pulsis procul monachis, rursus ad primigenium statum rediit anno 1135. dum Canonicos Præmonstratenses invexit è Præmonstrato accersitos Episcopus, Ordinis zelator, quem postea abdicata dignitate professus est.

radices, leviter exsufflavit. Significatum namque est nobis, (*a*) quod nuper farsierit ferè omnia bona Ecclesiæ, quæ sunt in Diœcesi suâ, & ea per interdictum detineat occupata, pro eo solo, quòd Abbas & Fratres Sancti Pauli, ipso irrequisito, associaverunt Illustrem Virum H. Comitem Barriducis ad Villam in quodam territorio faciendam, quæ nec est de Dominio Domini Episcopi nec de Diœcesi Virdunensi. Cum igitur & ratione consanguinitatis & obligatione familiaritatis, vestra dicatur aliquantulum, licet fortassis non quantum deberet, consilia revereri, Paternitatem Vestram affectuosè rogo, quatenus scribatis ei, rogando pariter & monendo, ut à Pauperum Fratrum molestatione desistat, qui se ipsum in aliquo offenderint, de satisfactione præstandâ me, si opus fuerit, compellente, vestro stabunt per omnia consilio & mandato.

EPISTOLA XC.

Gervasius cum Capitulo generali gratias agit Episcopo Vintoniensi ob fundatam Abbatiam de Halle, eique in gratitudinis testimonium offert preces, & spiritalium bonorum participationem quæ fiunt in Ordine.

DOMINO Petro (*b*) Wintoniensi Episcopo Capitulum Generale. Significatum est humilitati nostræ, quod inter quotidianas curias Regis & Regni, quæ vobis incumbunt, de salute animæ, quod pauci faciunt, his diebus sollicitè cogitantes, fundaveritis ad honorem Dei, & Beatæ Mariæ & omnium Sanctorum, quandam Præmonstratensis Ordinis Abbatiam. Laudabile siquidem fecistis opus & pium, & providè ordinastis, ut sicut habetis, quando incumbit necessitas, pro defensione Fidelium Jesu Christi tales, qui sciunt materialem gladium contra hostes Visibiles exercere, ita & habeatis milites Spiritales, qui contra invisibiles inimicos, jugi eleemosynarum & orationum instantiâ, sciant & velint habere conflictum. Super hoc autem, quod in abbatiâ construendâ humilitatis nostræ Professores præ cæteris Professoribus elegistis, grates vobis cum omni devotione, quâ possumus, & gratiarum referimus actiones, Paternitati vestræ humiliter supplicantes, quatenus laudabiliter inchoastis, intuitu illius, cui hoc præstitistis obsequium, laudabiliori fine prosequi studeatis. Nos autem ut beneficio nobis impenso, cum aliquâ gratitudine occurramus, præter Generales Orationes & Eleemosynas, quæ in perpetuum in Ecclesiis Ordinis nostri fient, quarum participationem devotâ vobis concedimus charitate, statuimus, ut quantumcunque temporis, & ubicunque terrarum obitus vester innotuerit nobis, sub præsentium testimonio littera-

(*a*) *Significatum est nobis*. Summum discordiæ Caput inter Robertum de Grandpré Episcopum, & Joannem 2. Abbatem Sancti Pauli, hoc fuit quod Abbas irrequisito Episcopi consensu, Henricum Comitem Barri associaverat dominio & fructibus Villæ, quam Comes in fundo Abbatiæ construxerat, qui nullatenus clientelari jure ab Episcopali mensâ pendebat.

(*b*) *Domino Petro Vintoniensi Episcopo*. Petrus de Rupibus Godefrido successit anno 1204. procurante Joanne Rege. Vir fuit bellicis rebus eruditus, zelo fidei & crucis propagandæ flagrans, ob pacem restitutam inter Summum Pontificem & Imperatorem Fridericum de Republicâ Christianâ benè meritus, plurimorum tam in Angliâ quam in Palestinâ Cœnobiorum magnificus fundator, obiit anno 1236.

litterarum, tantùm in singulis Ecclesiis Ordinis nostri fiat pro vobis, quantùm pro singulis fratribus in loco suo fieri consuevit; brevia autem obitûs vestri distribuenda per singulas Ecclesias, continere debent hæc verba. Tali die obiit Venerandæ recordationis Dominus Petrus Venerabilis Wintoniensis Episcopus, Fundator Abbatiæ de (*a*) Hales, Præmonstratensis Ordinis, cui in eodem Ordine debetur in singulis Ecclesiis, quidquid in orationibus & eleemosynis debetur Fratri, qui in loco suo decedit. Vos igitur tanquam discretus Pater provideatis, si placet, dum licet, ut animæ vestræ negotium fidelibus executoribus & nuntiis committatis. Datum in translatione Beati Augustini. Anno gratiæ 1219.

EPISTOLA XCI.

Capitulum Generale participationem suffragiorum Ordinis concedit Archiepiscopo Senonensi.

DOMINO Senonensi Episcopo (*b*) Capitulum Generale. Cum omnibus, qui Ordini nostro vel beneficia conferunt, vel collata conservant, simus non immeritò, in communicandis orationibus debitores, vos tamen inter præcipuos computamus, quibus in communicandis orationibus tenemur astricti, pro eo, quòd, prout litteræ vestræ perhibent, & res ipsa restatur, Ecclesias nostri Ordinis, quæ in vestrâ potestate consistunt, diligitis, & in dilectionis ejusdem argumentum, illæsas à pravorum vexationibus conservatis. Petistis igitur tam vos, quàm amicos vestros commendatos orationibus nostris haberi. Proin petitioni vestræ, cui devotâ mente censuimus assurgendum, benigno animo faventes & prompto, participationem omnium orationum & spiritualium beneficiorum, quæ in Ecclesiis nostris fiunt, vel futuris sunt temporibus facienda, vobis eâ devotione concedimus, quâ vos eam credimus postulasse, optantes, ut concesso vobis orationum participio, eundem fructum consequi valeatis, quem nobis optamus tetribui, qui in illis transigemus dies nostros. Sanè ad hoc, quod pro Nepote vestro H, qui de medio, ut didicimus, est sublatus, postulastis vobis concedi, ut quilibet presbiter nostri Ordinis celebret missam unam, & ab alio quolibet ipsius Ordinis Professore aliquod ei orationis suffragium impendatur, respondemus, quod tam pro ipso, quàm pro aliis omnibus jam defunctis, pro quibus rogamur in nostro Capitulo Generali, celebrari statuimus, infra instans Dominicum natale, tres missas à quolibet nostri Ordinis non emerito Sacerdote, ab aliis autem, qui vel non sunt Sacerdotes, vel ab hoc officio aut debilitate, aut senio sunt exempti, psalterium unum infra terminum memoratum, præter alia totius Ordinis benefacta; hoc ipsum autem & vobis concedimus, cum per præsentes litteras nobis constiterit de obitûs vestri die, statuentes, ut tantum fiat pro vobis in missis, orationibus, & in psalmis, quantum pro defuncto Abbate Ordinis fieri consuevit.

(*a*) *Abbatia de Halles.* Filia de Welbeck, in Diœcesi Wigorniensi fundatur anno 1218.
(*b*) *Domino Senonensi Episcopo*, Petro de Corbeil, à Cameracensis Ecclesiæ Cathedrâ ad Senonensem translato, anno 1199. obiit Junii 3. 1222. omnium sui temporis, & posterioris ævi scriptorum elogiis consecratus.



EPISTOLA XCII.

Gervasius commendat Waltero Episcopo Candidæ Casæ, religiosos Ecclesiæ Cathedralis Canonicos.

DOMINO Waltero Episcopo Candidæ Casæ, Gervasius. Fratres nostri, qui viderunt faciem vestram, quam & nos utique vidissemus, annuntiaverunt humilitati nostræ multa bona de vobis, & dederunt nobis spem certam, quòd religiosas personas diligere debeatis, quas merito vitæ & morum honestate credideritis diligendas. Cum igitur pauperibus Fratribus nostris, & illis maximè, qui sunt remoti à nobis, non compati non possimus, pauperes Fratres illos, qui in Ecclesiâ vestrâ Deo deserviunt, (a) Paternitati vestræ humiliter & attentè in Domino duximus commendandos, rogantes, ut exhortemini eos paternâ benignitate ad bonum, & ipsos in Domino confortantes, effectum probantes, quod velitis, ut sine offendiculo perturbationis cujuslibet observent sui Ordinis instituta. In hoc enim honori vestro nihil decrescet, sed accrescet potius meritum apud Deum, in cujus domo mansiones multæ sunt, & ad eam per diversas, licet non adversas vias & semitas pervenitur, nec impedit professionum varietas, sicut scitis, quin sicut diversa membra unius corporis unum corpus, ita & diversæ professiones unius Diœcesis, in Episcopalis apice Dignitatis, habeant unum Patrem, cujus faciem venerantur. Nos autem & Fratres nostri, licet in quantùm ad disciplinam Ordinis pertinet, innitamur privilegiis nostris, Episcopos tamen nostros, tanquam Patres & Dominos reverenter & humiliter intendimus honorare, quibus per privilegia nostra non honorem subtrahimus, sed laborem.



EPISTOLA XCIII.

Ivoni Cracoviensi Episcopo reddit gratias Gervasius de affectione quâ Ordinem Præmonstratensem prosequitur, ejusque perseverantiam enixè rogat.

GERVASIUS Ivoni Episcopo Cracoviensi. (b) Audivimus & lætati sumus plurimum in his quæ dicta sunt nobis, videlicet quod reversi à scholis Pari-

(a) *In Ecclesia vestra . . ., Domino deserviunt.* Cathedralis Candidæ Casæ Ecclesia, in Galluveyæ provincia Regni Scotiæ, tempore Christiani Episcopi, anno 1177. Præmonstratensibus cessit, è Viridi-stagno evocatis, primusque post Christiani obitum Episcopus præfuit Walterus, qui antea sub Prioris titulo fratres regebat, & cui Adamus Præmonstratensis soliloquiorum *libros duos* nuncupavit, nunc primum luci editos in *Thesauro anecdotorum Patris Pez* tom. 1. par. 2. pag. 337. ex codd. mss. Carthusiæ Gemnicensis & Monasterii Mellicensis. En tibi verba, „ Dominis suis venerandis & amicis in Christi visceribus, dilectis viris „ illustri Domino Waltero priori, & universis Fratribus in Ecclesia Sancti Andreæ Christi servitio mancipatis, frater Adam, Dei & servorum Dei servus „ inutilis & indignus „ Waltero mortuo, ad Episcopatum Candidæ Casæ assumptus est ipse Adamus, unde & in fronte *soliloquiorum*, à coæquali scriptore hæc fuit apposita Epigraphes, *Adami Præmonstratensis Candidæ Casæ in Scotia Abbatis & Episcopi, Soliloquiorum libri duo.* Dempsterus tres in Candida Casa extitisse Ecclesias Ordinis Præmonstrat. asserit, Cathedralem, Abbatialem, & Prioralem.

(a) *Gervasius Joanni Episcopo Cracoviensi.* Gervasius tam strictè necessitudinis vincu-

ſienſibus, ad regimen Eccleſiæ Cracovienſis divinâ fueritis, ſicut certiſſimè credimus, vocatione aſſumpti, ſuper quo duplici nobis ratione gaudendum eſſe cenſemus, quia ſcilicet talem conſtituit Dominus in Eccleſiâ ſuâ Paſtorem, qui creditur, imò ſcitur eſſe fidelis & prudens, & quia indubitanter ſperamus, quod pauperes Fratres noſtros benigniori affectione debeatis complecti, quàm veſter fuerit anteceſſor, qui licet fuerit pluribus commendandus, non tamen erga noſtros, in quantùm potuit per exteriora perpendi, nam, quam debuit, non habuit charitatem. Cum igitur divinâ gratiâ per promotionem veſtram, ſaltem ex conceptâ ſpe bonâ ſerenaverit diem noſtrum, Paternitati veſtræ attentiſſimè ſupplicamus, quatenus intuitu Dei, & orationum totius Ordinis Præmonſtratenſis, quarum participationem devotâ vobis concedimus charitate, pauperes Eccleſias noſtri Ordinis, in Poloniâ conſtitutas, paternâ recipiatis affectione fovendas, & animetis Prælatos eorum, ut ad exercendam regularis diſciplinæ virgam in ſubditos fortius ſolito convaleſcant, diſcretâ tamen pietate admixtâ, quam excludere non volumus, nec debemus. Sanè quia rogaſtis in concilio Generali de Sororibus in Plocheta (*a*) conſtitutis, & promiſiſtis, cum formidaremus curam earum, quod ad fundandum & conſtruendum clauſtrum Canonicorum Conventuale, quorum Prælatus regeret eas, impenderetis bonâ fide, ſi commodè fieri poſſet, ſtudium & operam diligentem, rogamus diſcretionem veſtram obnixè, quatenus pro diligentiori obſervantiâ Ordinis, nec non & honeſtatis, memores ſitis illius promiſſi, & ad hoc laborare velitis, in quantùm honeſtas veſtra permittet, ut promiſſio procedat in effectum; cæterum quia devotus noſter ac fidelis Randulphus, quondam Supprior noſter, circiter illud tempus, quo receſſiſtis à Franciâ, conceſſit in fata, rogamus, ut faciatis rogari pro ipſo.



EPISTOLA XCIV.

Excuſationem Præpoſiti Scheidenſis admittit Generale Capitulum ex intuitu interceſſoris Engelberti Archiepiſcopi Colonienſis, cui Capitulum commendat Clarboltenſem Abbatiam.

ENGELBERTO (*b*) Epiſcopo Colonienſi, Capitulum Generale. Sanctæ Paternitatis veſtræ litteras recepimus continentes, dilectum in Domino Fratrem noſtrum Præpoſitum Skeidenſem (*c*) occaſione quorundam nego-

lum nexuit cum Ivone, dum Pariſiis ſtudiorum cauſâ degeret, ut vix ad propria redux Ivo benevolentiæ ſigna, quæ Gervaſio exhibere abſenti non poterat, præſentibus Hebdovicenſibus Canonicis Præm. Ordinis in Polonia dederit, decimas illis patrimoniales concedendo, ut referunt Gromerus & Bielſcius.

(*a*) *De ſororibus in Plocheta conſtitutis.* In civitate ſcilicet Plocenſi conſtitutis anno 1190. Iſtud Parthenium fundatum eſt à Vito Epiſcopo Plocenſi. Ab Ivone autem additum eſt Parthenio virorum cœnobium, præpoſituræ titulo gaudens, & utrique Monaſterio præſidet præpoſitus.

(*b*) *Engelberto Epiſcopo Colonienſi* de Altena, filio Comitis Adolfi de Berg. Ex primicerio Colonienſis metropoleos, ad Archiepiſcopatum aſſumptus, anno 1216. pro deffenſione libertatis Eccleſiaſticæ trucidatur 16. idus Novembris 1225. à Friderico Iſemburgi Comite cognato ſuo.

(*c*) *Præpoſitum Skeidenſem*, erat ille Volmarus rerum agendarum peritiſſimus, doctrinâ præcipuus, & in regendâ Diœceſi Colonienſi Engelberti adminiſter, eo præſertim tempore quo Fridericus ſecundus Cæſar moderatorem Henrici Filii

tiorum veſtrorum, quibus exequendis ipſe multis aliis peritior habebatur, à noſtro Capitulo Generali remorari, & humiliter petiiſtis, ut haberemus, intuitu veſtri, ejus abſentiam excuſatam. Nos autem peritionem veſtram hilariter & benignè duximus admittendam, utpote qui Præeminentiæ veſtræ nihil penitus negaremus, quod cum noſtrâ poſſemus concedere honeſtate. Cæterùm Reverendæ Paternitati veſtræ cum affectione multimodâ ſupplicamus, quatenus Eccleſiam Clarholtenſem, quæ graves & multas afflictiones jam longo tempore toleravit, nec non & Abbatem ejuſdem loci nuper promotum, quem credimus eſſe virum providum & prudentem, ac zelum religionis habere, piâ & paternâ benevolentiâ protegere, ac fovere velitis, & conſilium adhibere, ut Eccleſia ipſa diutinis adverſitatibus flagellata, diu deſideratæ reſpirationis ſolatium aſſequatur. Valeat veſtra Sanctitas. 1218.



EPISTOLA XCV.

Willelmum de Rupibus Seneſcallum Andegaviæ rogat, ut favorem non impertiatur ultra Abbati Perrodi-inovi, pro quo amovendo commiſſarios ablegavit Gervaſius.

WILHELMO de Rupibus Seneſcallo Andaviæ, Gervaſius. Scripſimus vobis olim, & rogavimus cum affectu, ut pauperem Eccleſiam de Boſco Ranulfi, (*a*) quæ in veſtrâ ditione conſiſtit, veſtro foveretis auxilio, & illis præcipuè ſolatium præſtaretis, qui in eâ & virtutes inſerere, & vitia ſatagerent extirpare; ita ut labor, quem impenderetis ad illud, & Eccleſiæ fieret incrementum Ordinis, & vobis cederet ad augmentum ſalutis. Verùm cum nuper nobis ſignificatum ſit, quod illum Paſtorem (*b*) reprobum foveatis, qui in eâ nomen Rectoris occupans, bona Eccleſiæ, quæ pauca, efficit pauciora per hoc, quod ad captandum favorem ſæcularium delitiosè & frequenter convivatur cum ipſis; miramur plurimum, ſi tamen hæc vera ſunt, quod vos, qui tanti eſtis nominis & tantæ diſcretionis & famæ, ad hoc aliquatenus potuiſtis vel mentem veſtram inducere, vel animum inclinare, ut illum aliquâ ratione revocaretis in gratiam, cui vos ipſi exprobrando objeciſtis in faciem quoddam verbum, quod dignum memoriâ nullatenus eſſe debet. Proin cum à longis retro temporibus conſtet nobis,

ſui & Germaniæ pro-Regem conſtituit Engelbertum. Skeida in Comitatu Markano, non procul à Civitate Unna & in Diœceſi Colonienſi, filia nobilis eſt illuſtris Capenbergæ, fundatores habens anno 1143. Dominos de Ardeya.

(*a*) *Eccleſiam de Boſco Ranulfi*, Gallicè *Boiſrnould*, nunc verò *le Gault*, Diœceſis Andegavenſis, anno 1189. illic fundatum, & anno 1209. ad Perrerium ſecus Ripas Sartæ translatam à Guillelmo de Rupibus Seneſcallo Andegavenſi, & Sabolii, (*Sablé*) Toparchâ, cui ex hoc Capite acceſſit Fundatoris Titulus ab Innocentio 3. aſſertus, in ſuo diplomate anni 1209. Hunc quoque aſſumpſit Guillelmus ipſemet in Carthâ translationis ab eo conſcriptâ anno eodem, nihilominus primam nativitatem & dotem ſuam debet Cœnobium Roberto Domino Sabolii, & Petro de Brion. Primigeniæ ſuæ originis appellationem, multis à translatione ſuâ annis retinuit Monaſterium.

(*b*) *Illum reprobum Paſtorem foveatis*, Stephanum Abbatem Perrerii ordine quintum, Epulis frequentibus & delitioſis captantem ſæcularium benevolentiam, Chriſti & pauperum bona conviviis decoquentem, & ob id criminis, à ſua dignitate amotum anno 1216. primo regiminis dilapidatorii anno.

nobis, quod sitis vir bonus faciens justitiam & promovens æquitatem, cum etiam è contrario per multorum relationem veridicam nobis constet, quòd Abbas ille ob multimodam insufficientiam non tantùm inutilis, imo & damnosus sit loco illi, cujus bona plus dilapidat, quàm dispensat, magnanimitatem vestram affectuosè rogamus, quatenus cum nuntii nostri, quibus ordinationem loci commisimus, injunctum sibi negotium exequuntur, si opus fuerit, in auxilium sitis eis, ut à vite, quam plantavit dextera Domini, amoveatur ille ficulneus inutilis, ille spurius oleaster, & instituatur Abbas alius, qui sicut oliva in Domo Domini, ita bonorum operum ubertate fructificet, ut & exemplo ipsius informentur subjecti, & bonis temporalibus promptuaria repleantur.



EPISTOLA XCVI.

Blancham Comitissam Campaniæ informat de excessibus Canonici Bellilocensis, eamque rogat ne pro flagitioso, suam protectionem intercessionemve interponat.

BLANCHÆ Comitissæ Campaniæ, Gervasius. Cum ad Ecclesiam Belli-loci, quæ ratione Ecclesiæ, cui permittente Domino præsidemus, nobis subjecta est, (*a*) personaliter accedentes quosdam ipsius Ecclesiæ Fratres, tum pro suis excessibus, tum pro necessitate Ecclesiæ invenissemus emittendos, & illos vellemus emittere in aliis claustris pro tempore moraturos, Frater H. jam dictæ Ecclesiæ Canonicus, pro quo vestras ad nos litteras direxistis, ut Ordinis justitiam eluderet, & censuram, quosdam sæculares de suis, ut dicebatur, consanguineis, quos nobis præparaverat, eduxit ab insidiis, qui manu armatâ in Capitulum venientes, tam nobis, quàm Abbatibus & aliis Fratribus, qui nobiscum erant, crudelissimè minabantur. Nolentes igitur, quòd aliqui, qui dicunt, quod nihil fecerit, pro quo ei debeat venia denegari, vestram circumveniant excellentiam verborum composita falsitate, rogamus vos divinæ miserationis intuitu, quatenus si ipse filius Belial in suæ nequitiæ nutrimentum ad vos accesserit, ipsius preces nullatenus admittatis, scientes quòd cum non excludimus à veniâ, licet ad propriam Ecclesiam non remittamus eundem, quam perpetuò demeruit secundum Ordinis instituta, sed parati sumus ob vestri gratiam, eum ad aliam Ecclesiam destinare.

(*a*) *Cum ad Ecclesiam belli loci, quæ ratione Ecclesiæ, cui permittente Domino præsidemus, nobis subjecta sit.* Bellus-locus Filius Præmonstrati in Campaniæ agro, ad Albæ ripas & à Barrensi oppido septem milliaribus distans, in Diœcesi Trecensi positus, anno 1112. in Monasterii formam sub B. Augustini Regulâ coaluit. Anno 1140. ad Præmonstratenses eorumque vivendi normam spontè transierunt Augustiniani, quibus Hugo Præmonstrati Abbas præfecit Odonem Abbatem. Tempore Petri Abbatis Belli loci accidit illa tumultuantium fratrum rebellio, quam Gervasius describit.

EPISTOLA XCVII.

Aleidis uxor Simonis Montfortii Gervasium de sui conjugis morte certum facit, ejus preces & auxilium implorat.

ALEIDIS Comitissa Tholosæ, & Filii ejus Amauricus & Guido (*a*) Abbati & Conventui Præmonstratensi. Venerabilibus in Christo Patribus Dominis suis charissimis & amicis specialibus Gervasio Abbati, totique Conventui Præmonstratensi A. mulier miserrima quondam Domini Simonis montis-fortis & A. & G. montis-fortis filii orphani miserabiles, & miserorum miserrimi salutem, quam non habent, & paratam ad obsequia voluntatem.

Luctus, dolores, suspiria, angustias & lamenta, quæ pro infœlici morte, imo glorioso Martirio clarissimi Patris & Domini nostri, & amici vestri specialissimi, totiusque cleri, dum viveret, singultibus verba nostra intercipientibus, vobis, voce vel litteris non possumus explanare. Cum enim hæretici Tholosani, Scismatici, Apostatæ cum filiis perditionis, ruptariis, qui omnes venerant ibidem, ex improviso insultum facerent in exercitum Jesu Christi, dictus Pater noster more solito dicti hostis viribus præ aliis se opponens, & ipsos usque ad fossata sua potenter repellens, tandem proh dolor! percussus fuit in capite super galeam quodam lapide de quadam machinâ Tholosanâ emisso, & paulò post peccatis nostris exigentibus, vel occulto Dei judicio, percurso vitæ stadio ad cæleste bravium evolavit, pro labore martyrii promissam recepturus coronam. Nos igitur in mœrore tanto positi, & ferè omni consilio desolati, ad vos tanquam ad fontem scientiæ, consilii, & virtutis recurrimus universitatem vestram exhortantes, obsecrantes per viscera Dei nostri, quatenus sacris orationibus, exhortationibus, prædicationibus vestris in Jesu Christi & subsidium nostrum, consilium vestrum & auxilium apponatis. Confidimus enim in misericordia Jesu Christi, & in potentiâ virtutis ejus, quod si nobis consilium & auxilium exhibueritis, terram multorum Martyrum sanguine acquisitam, ad Honorem Dei & Sanctæ Ecclesiæ poterimus retinere. Sin autem sciatis, quod nos moriemur cum eo, & quòd hucusque tantis laboribus est promotum, totaliter destruetur, & in chaos revertetur antiquum. Cæterùm super omnia vos rogamus quatenus pro dicti Patris nostri anima, qui sicut vos non latet, pro pace, fide & Ecclesia tuendis laboravit fideliter, quoad vixit, tanquam pro uno fratrum vestrorum mortuorum faciatis officium celebrari, in omnibus bonis, quæ per domos vestras fient, ipsius memores existentes. Datum in obsidione Tholosæ in vigilia Apostolotum Petri & Pauli Anno Domini 1219.

(*a*) *Aleidis Comitissa Tholosa & Filius ejus Amauricus & Guido.* Aleidis filia Bochardi de Montmoranciaco & Lauræ de Hannonia, nupserat Simoni 3. filio Almaurici Comitis de Monteforti & Amiciæ Comitissæ Leycestrensis. Iste Simon Machabæus Evangelicus, facundiâ disertus, affabilitâte comis, contubernio amabilis, castitate mundissimus, humilitate præcipuus, sapientiâ præditus.... in militiæ exercitiis sedulus, in suis actibus circumspectus, in incipiendis arduus, in perficiendis indefessus, totus Divinis Servitiis mancipatus, inquit Petrus Vallisfarnensis, dum urgeret Tolosæ obsidionem, ac perduelles illic in persugio constitutos vellet edomare, Tholosanis ex Urbe erumpentibus, totoque impetu in Castra penetrantibus cum eos repulisset, staretque fortiter ad novos eorum Conatus excipiendos, lapide à balistâ contorto, ictus corruit, ac

EPISTOLA XCVIII.

Gervasius consolatur Aleidem & pro sponsi animâ orationum suffragia spondet, jam ex parte præstita, temporalibus quoque auxiliis superstitem juvare paratum esse profitetur.

GERVASIUS *Personis supra.* Amantissimæ in Christo Dominæ Ducissæ Narbonensi, & Comitissæ Tholosæ, & illius tribus viris, ac dilectissimis in Domino filiis ejus A. Duci Narbonensi, & Comiti Tholosæ, nec non & G. Comiti Bigorensi, frater Gervasius & in eo, qui est salus omnium sperantium in se, solatium atque salus.

Litteras sigillis vestris munitas recepimus in hæc verba: Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis suis Charissimis, & amicis &c. *ut supra.* Inspectis itaque litteris Excellentiæ vestræ, & suscitatâ memoriâ illius invictissimi athletæ Chrsti, non potuerunt non innovari suspiria dudum concepta de morte ipsius, quem, dum viveret, tenerrimè diliximus, sed & ipse, secundùm quod credimus tenerrimè nos dilexit. De morte siquidem dilectissimi nostri nec potuimus, nec possumus, quia hoc habet naturalis affectio, non dolere, sed solatium percipimus in eo, in quo & vos confortari debetis, quia pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum ejus, quod autem rogastis, ut in auxilium, & consilium vestrum, imo Ecclesiæ Dei & fidei christianæ orationibus, exhortationibus, & prædicationibus consurgamus, secundùm quod intelligimus nobis esse concessum à Domino, libentissimè faciemus. Sed Apostolica, sicut scitis, authoritas, vel saltem litteræ Domini Cardinalis, qui apud vos est, super hoc valde necessariæ vobis essent, in eâ scilicet formâ, quod vel Dominus Papa, vel saltem, sicut dudum dixit, Dominus Cardinalis (*a*) mihi Abbati destinaret litteras, ut per Fratres & Coabbates meos super hoc negotio prædicari facerem, & indulgentiam Apostolicam recitari. Verùm quia & hoc adjecistis, ut pro inclitæ recordationis Domini Comitis animâ oraremus, & faceremus de ipso, sicut de uno fratrum nostrorum, sciatis, quòd ante receptionem litterarum vestrarum feceramus hoc ipsum, & ego Abbas post solutas tres missas, quæ eis à singulis Sacerdotibus debebantur, & alias orationes, nec non & eleemosinas secundum consuetudinem Præmonstratensis Ordinis faciendas, obsequium iterum in ipsâ Præmonstratensi Ecclesiâ, & in multis aliis Ecclesiis tam imperii, quàm regni, quas visitavi, postmodum feci solemniter innovari, & in illis quas visitabo, infra nostrum Generale Capitulum, & in ipso Generali Capitulo innovabo, ipsius dum vixero,

---

mox vulneribus quinque à sagittariis confossus, ut Christo morienti similis, Christi miles moreretur, fœlicem animam cœlo exhalavit anno 1218., & juxta Parisium 1219., cui concordare videtur Epistolæ Aleidis, chronologicus caracter. Ex matrimonio susceperat Almauricum V. militiæ Christianæ Ducem post fata Patris. Guidonem Bigerrensem Comitem, qui unâ cum Matre, Gervasio lamentabilem Patris occasum litteris transmittunt. Præter illos filios habebat Simonem Leycestrensem Comitem, Amiciam Galterio de Joigny deponsatam, Lauram uxorem Gerardi de Pequineio, Vicedominum Ambiani, denique Petronillam Monialem Sti. Antonii in Campis Parisiorum.

(*a*) *Dominus Cardinalis.* Bertrandus tituli S. S. Joannis & Pauli presbyter Cardinalis Legatus ab Honorio 3. missus contra Albigenses anno 1217.

per gratiam Dei, devotam in orationibus memoriam habiturus, quem, dilectus ab ipso à tenerâ suâ juventute, dilexi. Valeat & confortetur in Domino dilectio vestra.



EPISTOLA XCIX.

Ottocaro Regi Bohemiæ pro Abbate Montis-Syon intercedenti respondet Gervasius.

PORRECTAS nobis litteras Serenitatis vestræ per quendam Nicolaum Canonicum Montis-Syon suscepimus eâ reverentiâ & veneratione, quâ decuit, & quæ continebantur in illis, legimus ac notavimus diligenter: siquidem commendastis in eisdem dilectum in Domino Adam Abbatem Montis-Syon, (*a*) utpote virum providum, mansuetum, benignum, & domui suæ utilem provisorem, sed à subjectis suis, qui malevolè quærunt eludere Ordinis disciplinam, apud nos ideò falsis accusationibus impetitum, quia propter distantiam terrarum facilius potest rei veritas nos latere, quàm illos, qui habitant in vicino. Ad quod vestræ Præeminentiæ respondemus, quòd cum Dominum Papam, qui homo est sicut & nos, lateat veritas super multis, quæ etiam in regionibus diversis ac remotis aguntur, qui tamen in loco suo habitat fidem adhibens referentibus fide dignis, non debetis mirari, si nobis licet modicis respectu ipsius constet de veritate multorum, quæ fiunt in Ordine Præmonstratensi, licet ad singula loca, quorum statum facimus inquiri per alios, nequaquam personaliter accedamus, speramus autem in Domino, quòd, cum cognoveritis, quàm sincerè dilexerimus personam Abbatis, & quamdiu pepercerimus ei, compescentes omnes obloquentes eidem, donec nos vinceret conquerentium multitudo, & honestas referentium, quibus oportuit dignè credi, favorem vestrum & illustris viri H. Marchionis Moraviæ Fratris vestri, quem dicitis domui illi, & aliis nostri Ordinis subtrahendum, nisi detrahentibus illi silentium imponatur, non modò non subtrahetis, sed ampliabitis Deo dante, cum videritis Ordini nostro tantùm inesse vigoris, rigoris, & zeli, ut quantumlibet magnos puniat, si inventi fuerint Ordinis transgressores, nec tamen hoc dicimus ideò, quòd dictum Abbatem gravare citra justitiam intendamus, sed potius ad preces vestras deferre eidem, in quantum poterimus salvâ conscientiâ & Ordinis honestate: volumus autem Præeminentiam vestram nosse, quòd licet sæpe dictus Abbas à vobis fuerit plurimùm commendatus, multùm tamen & famæ & causæ ejus detrahit vestrarum portitor litterarum, qui comparentibus contra eum duobus de domo suâ Fratribus coram nobis, disparuit, quia malè sibi conscius, & recessit nec datâ sibi licentiâ, nec petitâ.

EPISTOLA

(*a*) *Adam Abbatem-Montis Syon.* Adamus Abbas Strahoviæ, seu Montis-Syon, in Urbe Pragensi, ordine quintus, ab authore *Montis Syon incliti* ubertim laudatur, & de propagatione Norbertinæ Religionis & de proventuum incremento, nullatenus autem veræ aut falsæ accusationis aliquatenus labe aspersum fuisse refert. Mons-Syon insigne & primarium est totius Bohemiæ Monasterium Ordinis Præm. filius Stinfeldiæ & Seminarium Episcoporum Olomuci & Pragæ, ab Henrico Zdik Olomucensi Episcopo fundatum.

EPISTOLA C.

Respondet Gervasius Henrico Marchioni Moraviæ Fratri Ottocari II. Regis, pro eodem Abbate Adamo, intercedenti.

GERVASIUS, Henrico Marchioni Moraviæ Fratri Otacri Regis Bohemiæ. Porrectas nobis litteras Serenitatis vestræ per quendam Nicolaum Canonicum Montis-Syon, suscepimus eâ reverentiâ & veneratione, quæ decuit, & quæ continebantur in illis, legimus ac notavimus diligenter. Siquidem commendastis in eisdem dilectum in Domino Adam Abbatem Montis-Syon, utpote per quem ritè & rectè administratur Ecclesia sibi commissa, sed à Domino Pragensi Episcopo (*a*) gravibus ideò injuriis lacessitum, quòd apud Illustrem O. Regem Bohemiæ Fratrem vestrum, cujus fideles idem Episcopus gravat ubique, propterea prout potest, gratiam creditur invenisse. Noverit igitur Præeminentia vestra, quòd si dicti Rex & Episcopus sint discordes, nos in neutrius favorem interponimus partes nostras, sed oramus pariter pro utroque, ut pax Christi exultet in cordibus eorundem; ita ut & de charitate mutuâ & de subjectis sibi bonam possint coram Deo reddere rationem, sed cum de dicto Abbate nobis aliqua referuntur, quæ vel tangunt Ordinem, vel in suæ cedunt Ecclesiæ læsionem, non permittit nos conscientia nostra surdis auribus præterire, quin de auditis faciamus inquiri diligentiùs veritatem, & puniamus secundùm Deum & Ordinem vel prævaricatorem Abbatem, vel relatorem mendacem, cum nos, qui sumus omnibus Præmonstratensem Ordinem profitentibus debitores, non deceat habere pondus & pondus in dictandis sententiis, vel judiciis proferendis. Cum autem dictum Abbatem &c. *ut supra.*

EPISTOLA CI.

Agneti Abbatissæ Sancti Georgii & Sorori Regis in gratiam ejusdem Abbatis intervenienti respondet Gervasius.

AGNETI (*b*) Abbatissæ Sancti Georgii Sorori Regis Bohemiæ. Recepimus Nobilitatis vestræ litteras, in quibus pro Abbate Montis-Syon nos rogastis, quem utique virum bonum creditis & honestum, continebatur autem in ipsis

(*a*) *Domino Pragensi Episcopo.* Andrea, qui anno 1214. Danieli Milik suffectus est. Graves cum Rege Ottocaro 2. discordias, ex zelo vindicandæ libertatis Ecclesiasticæ habuit, & teste Jaroslao Regem & Regnum anathemate perculit anno 1216. septem annis sub interdicto gemuerunt. Anno 1221. Gregorius Cardinalis illud relaxavit. Favebat Regiæ factioni Abbas Montis-Syon, unde ab Episcopo postulatus est reus apud Gervasium Abbatem & Ordinis Caput; pro causâ accusati steterunt fortes apologistæ, qui quod rationibus non potuerunt evincere, nominis pondere obtinuerunt & Abbatem firmaverunt in suâ sede nutantem.

(*b*) *Agneti Abbatissæ Sti. Georgij Sorori Regis.* Agnes Vladislai Regis & Gertrudis Filia, Præmonstratense institutum professa est Doxanæ donec anno 1200., Ottocaro Rege & fratre Germano agente ad Sti. Georgii Abbatissatum promota est. Vide Cruregium & Balbinum tomo 2. hist. Bohem. p. 53.

litteris, quod Fratres illi Theobaldus, scilicet, & Conradus, qui apud nos accusaverant Patrem suum, alter de vestro, alter verò de alieno quodam claustro duas abduxerint Moniales; sustineat itaque Reverentia vestra, ut, si vera sunt, quæ asseruntur à vobis, ex evidentissima ratione minùs commendabilem judicemus, quem nobis attentius commendastis, Abbatem prædictum, de quo quidem manifestum se porrigit argumentum, quod cæterorum subjectorum suorum malè alligaverit alas vinculis disciplinæ, aut custodiâ Magistrali, qui transgressoribus memoratis tam perniciosè evagandi tribuit libertatem, ut passim per claustra Religiosarum Fœminarum discurrant in dispendium honestatis. Verùm licet administrationi sibi creditæ in spiritualibus & temporalibus ipsum inutilem noverimus, & insufficientem omnino, ne tamen putetis quod illustrium Dominorum O. Regis Bohemiæ, & H. Marchionis Moraviæ Fratrum vestrorum, vestrasque simul preces & litteras admittere recusemus, intuitu vestræ Magnificentiæ & gratiæ noveritis vos, noverint & illustrissimi Fratres vestri, nos tantùm pro nominato Abbate facturos, dummodò non sufficienter, imo mediocriter, valeat excusari, quod in parte, ut credimus, lædi oporteat & nostram & Ordinis honestatem; vellemus autem summopere, quod ad Fratrum vestrorum non ambigimus pertinere præsens commodum & futurum, quatenus quæ ex liberali eorum munificentia Ecclesiæ Montis-Syon sunt collata, aut instanter expeterent, aut saltem cum benevolentia sustinerent prudenti ac discreto dispensatori committi.



EPISTOLA CII.

Gervasius Abbati Teplæ præcipit, quæ ab eo utpote suo commissario sint agenda in Monasterio Montis-Syon circa Priorem & Suppriorem amotos &c.

GERVASIUS Wilhelmo (*a*) Abbati de Tepla. Cum significatum sit nobis, quod in Ecclesia Montis-Syon quidam Fratres à suis obedientiis sint amoti occasione inquisitionis quam per vos & collegam vestrum fieri fecimus in eadem, discretioni vestræ præsentium authoritate mandamus atque præcipimus, quatenus ad dictum locum personaliter accedentes, Priorem & Suppriorem, qui dicuntur amoti, & omnes alios perturbatos occasione prædictâ in gradum pristinum restitui faciatis, nec non & dilectos filios Theobaldum & Conradum, qui ad nos venerunt ex parte Conventus, faciatis benignè recipi, & charitativè tractari, omnes quoque illos, quos cognoveritis in obedientiis suis damnosos, amoveri ab eis, & institui alios in eisdem, donec nobis super dicta fuerit inquisitione responsum; specialiter autem præcipimus Fratrem Nicolaum Cellarium amoveri, quem intelleximus loco suo non tantùm esse inutilem, sed damnosum; ipse verò veniens Præmonstratum, ut Abbatem suum super impositis sibi ostenderet innocentem, in hoc & causam & famam dicti Abbatis non modicè pejoravit, quod comparentibus contra eum dictis Theobaldo & Conrado Fratribus coram nobis; evanuit ab oculis nostris velut malè sibi conscius, & disparens recessit nec datâ licentiâ, nec petitâ. Cum eo etiam

(*a*) *Gervasius Willelmo Abbati de Tepla.* De hoc Willelmo Consule quæ observavimus in Epist. 78.

præcipimus amoveri Fratrem G. qui moratur apud sorores de Dochan, (a) si tamen intellexeritis, quòd se & famam suam custodierit minùs cautè: sanè omnes illos quos in his vel in aliis horum contradictores inveneritis, vel rebelles, excommunicationis sententiæ districtissimè supponatis nullius formidantes personam, nullius metum habentes præ oculis, nisi Dei.

EPISTOLA CIII.

Priori & Suppriori Montis-Syon à suo Abbate motis officio scribit Gervasius, quid lite pendente agere debeant.

GERVASIUS Priori & Suppriori Montis-Syon. Recepimus litteras devotionis vestræ, quas nobis per dilectos vestros Th. & C. Concanonicos vestros mittere curavistis, & eas penes nos conservamus tempore opportuno, si opus fuerit, proferendas; ut autem taceamus multa in ipsis litteris comprehensa, quæ non habent locum ad præsens, hoc solùm volumus memoriter vos tenere, quod in calce earum petebatur ex parte vestra, ne adhiberemus fidem quibusdam litteris præterito anno dictatis, donec reciperemus vel certos nuntios Venerabilium in Christo Fratrum Wilhelmi de Tepla, & Hermanni Lutomisel Abbatum, vel ipsos Abbates facie ad faciem videremus, qui ad inquirendum de Ecclesiæ vestræ statu constituti fuerunt examinatores à nobis, quia verò petitio ipsa videbatur esse conveniens rationi, admisimus eam benignè, & suspendimus totum negotium usque ad instans Capitulum Generale, nec acquievimus Fratri Nicolao, qui præveneràt nuntios vestros cum litteris memoratis, nisi in eo solo, quòd per ipsum & per litteras Illustribus & Charissimis in Christo Domino O. Regi Bohemiæ, & H. Marchioni Moraviæ, qui nobis pro dilecto nostro Adam Abbate vestro scripserant, voluimus respondere, si idem Nicolaus ipsas litteras voluisset expectare, qui visis nuntiis vestris, subitò & clanculò à facie nostra disparuit & recessit. Nunc verò quia solliciti sumus de statu Ecclesiæ vestræ diu, & adhuc sumus, & etiam erimus, donec veritas illucescat, ita ut eâ cognitâ possimus reprimere malè agentium potestatem, & illos absolvere, qui opprimuntur injustè, devotionem vestram monemus, & attentius exhortamur in Domino, quatenus insistatis attentis & devotis orationibus apud Deum, ut concedat nobis in Spiritu Sancto recta sapere, & ea, quæ justa fuerint de fratrum & Coabbatum nostrorum consilio judicare, nec aliquis vestrûm contra Ecclesiæ vestræ Prælatum irreverenter interim insolescat, salvo tamen eo, quod bona Ecclesiæ vestræ, quantùm in vobis erit, & in quantùm vestra possibilitas se extendet, interiùs & exteriùs conservetis illæsa. De Ordinis observantia sitis solliciti, ita ut omnes tam obedientiarii, quàm alii, simul jaceant in dormitorio, comedant in refectorio, & sedeant etiam quandoque legentes in claustro, restrictius se habentes, quasi Ecclesia vestra plenâ pace gauderet, ne objiciatur vobis ab æmulis vestris, quòd ad hoc suscitetis lites, ut possitis excutere obedientiæ jugum, & effugere Ordinis disciplinam. Præterea si prædicti nuntii vestri pro necessitate supplendi expensas

(*b*) *Qui moratur in Dochan.* Doxan scribendum esset: Parthenium insigne Ordinis Præm. in Bohemiâ & in Diœcesi Pragensi fundatum, anno 1144. à Gertrude Conradi Cæsaris sorore & Vladislai 2. Bohemorum Regis conjuge piissimâ ibidem anno 1152. tumulata.

neceſſarias viæ ſuæ contraxerint aliquod debitum moderatum, faciatis illud ſine difficultate perſolvi. Porrò ſi qui fuerint inter vos uſque adeò inordinatè ambulantes ſive Canonici, ſive Laici, ut etiam portent arma, vel de nocte vel de die exeant extra terminos ſibi præfixos, vel extra infirmitorium, cum infirmi fuerint, & licentiam habuerint, veſci carnibus (*a*) non formident; tales omnes haberi volumus à vobis tanquam ethnicos & publicanos, & vel ab Eccleſia omnino expelli, vel ut miſericorditer agatur cum eis, infra Eccleſiam arctiori cuſtodia deputari & debitâ pœnâ puniri. Ad hoc ſi aliqui fuerint, qui faciant de incontinentia ſua, vel aliquo alio criminali ſcandalum, volumus ut ſicut fit apud nos, ita apud vos generaliter obſervetur, videlicet, ut tales omnes ſive convincantur, aut confiteantur, ſive non, dummodò ſcandalum ſit de ipſis; emittantur à domo ad Eccleſias remotas, ut in illis ſub gravi pœnitentia moraturi per longum tempus, utpote per biennium aut triennium ad minùs, donec totum ſcandalum conquieſcat. Verùm ſi fuerit tam grave, quod factum non poſſit ſine aliquâ tergiverſatione negari, & apud honeſtas perſonas & graves fuerit divulgatum, ejiciantur ab Eccleſia in habitu ſæculari, (*b*) nec recipiantur de cætero ſine præcepto Capituli Generalis, aut noſtro. Valete.



EPISTOLA CIV.

Gervaſius Arnulfo Epiſcopo Oſnaburgenſi & Abbatibus Hambornæ & Arnsbergæ mandat depoſitionem Friderici Præpoſiti Clarboltenſis.

GERVASIUS Arnulfo Oſnabrugenſi Epiſcopo & Hamburnenſi & Arneſbergenſi Abbatibus. (*c*) Recepimus nuper litteras Reverendis Patribus Conrado

(*a*) *Extra infirmitorium veſci carnibus non formident &c.* Vides ſtrictam, ætate Gervaſii, carnis abſtinentiam floruiſſe in Ordine Præmonſtratenſi, ſolisque infirmis, & quidem in infirmitorio tantùm, licuiſſe veſci carnibus, adeò ut prævaricatores æquipararentur Ethnicis. Nunc aliis vivunt moribus Præmonſtratenſes Canonici, ſi paucos exceperis, qui Reformationem ſequntur à Layruelio Abbate S. Mariæ Muſſipontanæ invectam, cæteri ex diſpenſatione Pontificia carnes comedunt.

(*b*) *Ejiciantur ab Eccleſia in habitu ſæculari.* Ex antiquâ Ordinis diſciplinâ grande facinus, idque pervulgatum, projectionem è ſocietate operabatur, & incorrigibilitas conſtans ex frequentiore lapſu, quem coercere non potuit medicinalis pœnitentia.

(*c*) *Gervaſius Oſnaburgenſi Epiſcopo & Hamburnenſi & Arnsburgenſi Abbatibus.* Nullum in Crantzio & in Chronico Epiſcoporum Oſnaburgenſium apud Meimbomium Epiſcopum reperi *Arnulfum* nomine, Arnoldum invenio annu 1186. humanis exemptum. Adulphum lego Gerardi ſucceſſorem, qui tempore Gervaſii Epiſcopatum gerebat, & huic credo inſcriptam Epiſtolam, mutilato per amanuenſes nomine & converſo in Arnulfum.

Abbas Hamburnenſis, Fridericus vocabatur à Gervaſio Circator Provinciæ deputatus, magnam in Ordinis Regimine partem habuit, & in negotiis publicis obeundis dexteritate pollebat. Anno 1227. obiit.

Abbas Arnsbergæ Hermannus de Stophenberg dictus anno 1219. Prælaturam adiit anno eodem à Gervaſio Judex in Cauſâ Friderici Clarholtenſis delegatus eſt. Paſſim Arnsberga, dicitur & Windeghuſà à Philippo Arnsbergæ Comite fundata anno 1170. in Diœceſi Colonienſi.

Conrado Abbati de N. Præposito de N. & Th. Scholastico de N. nobis per dilectum in Domino L. Corbejensem Monachum destinatas, quibus iidem Patres insinuare curarunt, quòd cum ex mandato Domini Papæ causam Ecclesiæ Corbeiensis, quæ inter Abbatem Sancti Michaëlis in Hildesem, & dilectum olim Fridericum Præpositum Claholtensem vertitur, suscepissent, & ipsi authoritate commissionis sibi tactæ cum sæpe ac legitimè in judicium evocâssent, ipse nec personaliter venire, nec pro se curavit procuratorem idoneum destinare, unde juris tandem necessitate coacti, cum licèt inviti pro absentiâ contumaci, excommunicationis sententiæ subjecerunt, denuntiantes, eum nobis eadem sententiâ innodatum, & instituentes memoratum Abbatem Sancti Michaëlis in plenam & omnimodam administrationem Ecclesiæ Corbeiensis, contradicente quolibet, excommunicationis vinculo involuto. Recepimus nihilominus litteras Paternitatis vestræ, Reverende Pater Episcope, continentes, quod cum ex parte Ecclesiæ Claholtensis deferrentur ad vos querimoniæ & multiplices & frequentes super eo videlicet, quod pestilentes quidam damna intolerabilia eidem inferrent, insuper & annonam & certa victualia, nec non & pannum ad Fratrum vestituram paratum, imò etiam & ornatus Ecclesiæ, calices scilicet, thuribula & casulas, & alia ad æstimationem marcarum quingentarum & amplius, sustulissent, vos cum Abbatibus, quibus super hoc scripseramus, accedentes ad locum, & causam dilapidationis Ecclesiæ diligentiùs inquirentes, ex confessione dicti F. Præpositi loci ipsius, qui & electus Corbeiensis dicitur, didicistis, quòd omnia damna hæc de mandato ipsius & per eum Ecclesia eadem incurrisset, unde rogavit humiliter, & ut videbatur, devotè, quatenus veniam sibi dignaremini super tot excessibus impertiri, quam ut à vobis plenius impetraret, promisit firmiter, quòd si posset usque ad pascha prætetitum, tolerari ex tunc aut omnino ad Corbeiense Monasterium se transferret, aut illâ intentione depositâ, in loco suo residens restitueret damna, quæ intulerat, prout posset. Impetrato igitur, quod petebat, ex indulgentia sibi præstitâ pejor factus, velut promissi immemor provisorem laicum, qui omnia pro voluntate suâ ordinet, & disponat, instituit, & damnis prioribus, nova super addere non formidat, unde cum citatus à vobis secundo & tertiò minimè compareret, excommunicationis sententiam in eum protulistis. Rogastis igitur nos ut Ecclesiam Claholtensem ferè usque ad exinanitionem exhaustam respicientes pietate paternâ, secundùm rigorem justitiæ, consuleremus eidem. Quocirca intelligentes subversum esse hominem hujusmodi, quem ita cæcavit ambitio, ut nec Deum timeat, nec censuram Ecclesiasticam vereatur, de correctione ipsius, si ampliùs toleretur, spem aliquam non habemus, nisi supernus inspector auferat lapideum cor ab eo, & det ei cor carneum, quod tremat ad minas, quod & flagella sentiat, quod denique igne S. Spiritûs coqui possit, proin cum correptus totiens, nec correctus à suâ nequaquam ambitione desistat, per quam Ecclesiam suam lædit vehementer, de consilio Coabbatum nostrorum sententiam in eum depositionis protulimus, excommunicationibus prioribus nostram & Ordinis adjungentes, si forte timore Dei postposito, huic nostræ sententiæ præsumpserit contraire. Denuntiavimus ergo eum vobis non velut inutilem, sed damnosum, & Petri gladium contemnentem, & extra Ecclesiam per latas in eum sententias constitutum, authoritate Ordinis atque nostra depositum & fratres Claholtenses ab ejus obedientia penitus absolutos. Rogamus igitur affectuosè Paternitatem vestram Reverende Pater Episcope,

Aa

vobisque Fratres F. Hamburnensis & Amesbergensis Abbates præcipiendo, quatenus vice nostrâ, cùm sit Ecclesia illa nostra filia specialis, accedentes ad locum, alium instituatis Præpositum loco ejus, qui cum gratiâ Dei & auxilio vestro, Domine Pater Episcope, dispersa congreget & congregata conservet, durum etenim videbatur ob gratiam unius hominis, licet eum satis dilexerimus usque modò, ad tot querimonias porrectas nobis tam à vobis, quàm à delegatis nostris, quorum litteras similes vestris recepimus, quàm etiam delegatis à Domino Papa judicibus supra dictis aures claudere, & præsumptiones ejus, quas novit populus ignorare. Datum Præmônstrati &c.

EPISTOLA CV.

Gervasius Episcopo Monasteriensi scribit in causa Friderici Clarholtensis.

OTHONI (a) Monasteriensi Episcopo, Gervasius. Ad notitiam Paternitatis vestræ satis credimus pervenisse, quàm indiscretè Frater Fridericus dudum præpositus Claholtensis nobis olim valde dilectus & adhuc utinam diligendus, ad Corbeiensis Monasterii regimen aspiravit, cujus occasione facti, tam ipsum Corbeiense Monasterium, quàm Ecclesiam Claholtensem debitis quasi insolubilibus oneravit, & tam mirabiliter, quàm miserabiliter depauperavit utramque. Cum propter præsumptuosam temeritatem suam, & multos excessus, à quibus desistere noluit, licet admonitus diligenter, depositionis sententiam susceperit contra ipsum in nostro Generali Capitulo solemniter promulgatam, & Fratribus ejusdem loci potestas data fuerit eligendi, Venerandus Pater & Dominus Adolphus Osnaburgensis Episcopus, & dilecti Fratres nostri de Sceida & de Arnesberg Præpositi, quibus commiseramus vices nostras in electione regendâ, prorogaverunt electionis diem usque ad feriam sextam ante Lætare Jerusalem; sed quâ intentione hoc fecerint, ignoramus. Licèt igitur credamus, quod dilatio ista Ecclesiæ Claholtensi esse debeat valde damnosa, quia tamen non est malè opinandum de hominibus tam discretis, nolentes confusionem inducere super ipsos, sustinemus utcunque, ut datus ab ipsis terminus expectetur. Verùm quia non est nostræ intentionis, ut dictus F. instituatur ibidem, quin potius volumus, ut ipse & consanguinei sui, si ita futurum est, Ecclesiam destruant manifestè, quàm quod umbram habeant qualiscunque nostri assensus, Paternitati vestræ flexis genibus supplicamus, quatenus elapso termino memorato, si à Fratribus loci fueritis requisiti, dilecto in Christo Fratri Præposito Arnesbergensi securum detis conductum, quo accedere possit ad Ecclesiam Claholtensem, & electionem regere celebrandam secundùm quod ei commisimus, si Dominus Osnaburgensis Episcopus secundùm quod nobis dudum promisit vivâ voce, noluerit interesse, scimus siquidem, quod super hoc faciendo habeatis per gratiam Dei plenariam potestatem, & credimus, quod supplicatio nostra apud vos assequatur effectum, & intuitu Dei, qui est omnium bonorum Retributor, & respectu orationum ipsius Ecclesiæ, & totius Ordinis Præmonstratensis, quarum participationem devotâ vobis concedimus charitate. Valete.

(a) *Ottoni Monasteriensi Episcopo Gervasius.* Otto de Lippia, ejus nominis secundus post Ludolphum præfuit Ecclesiæ Monasteriensi.

EPISTOLA CVI.

Monet Gervasius Priorem & Conventum Clarholtensem, qualem debeant Abbatem eligere, qui Friderico destituto succedat.

GERVASIUS Priori & Conventui Claholtensi. Intelleximus ex quibusdam litteris vestris, quæ non erant sigillo munitæ, quibus tamen satis credidimus & ex aliis, quæ habebant sigilla, quod Venerandus Pater A. Osnaburgensis Episcopus & Collegæ ipsius, videlicet de Sceida & de Arnesberg Præpositi, quibus commiseramus electionem in Ecclesiâ vestrâ, vice nostra regendam, electionis diem usque ad quintam feriam ante Lætare Jerusalem propagârunt, eâ fortassis intentione, ut Fridericus olim Præpositus vester, interim à vobis obtineat restitui in prælationem Ecclesiæ vestræ quam ad majoris Prælationis culmen nimis avidè aspirando, amisit, hinc volumus ut sciatis pro certo, quòd non est nostræ intentionis, quidquid contingere debeat, ut eum vobis restituamus invitis. Volumus autem, ut ob reverentiam supradicti Osnaburgensis Episcopi, præfixus ab eo & Collegis suis terminus expectetur, quo completo, sine dilatione qualibet procedatis in electione Pastoris, adjuti à Reverendo Patre Monasteriensi Episcopo, cui super preces & litteras duximus dirigendas. Monemus igitur vos attentè, & exhortamur in Domino, quatenus præsentis temporis malitiam attendentes, talem vobis eligatis personam, qui non sit in exteriorum providentiâ nimis simplex, cum dicat Beatus Gregorius quod tales præficiendi sunt in Ecclesiarum regimine his diebus, qui non solùm de cura cogitent animarum, verùm etiam in administratione temporalium sint providi & prudentes, sciant quoque à contemplatione Mariæ, ad Marthæ sollicitudinem se transferre. Hoc autem, quod petitis vobis concedi sigillum, (*a*) sciatis esse contra Ordinis instituta, nec vellemus temporibus nostris novas in Ordine consuetudines introduci, quæ imposterùm Ecclesiæ vestræ & aliis præjudicium generarent.

EPISTOLA CVII.

Abbates Capenbergæ, Hamburnæ & Varlariæ hortatur Gervasius, ut Clarbolti Abbati electo & afflicto subveniant.

GERVASIUS Cappenbergensi, Hamburnensi, Varlariensi Abb. Si considerassetis verbum illud Ethnicum sed & ethicum: *Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet*, non reliquissetis virum religiosum Fratrem & Coabbatem vestrum de Claholto (*b*) solatio & consilio destitutum, pro quo nullus vestrum,

(*a*) *Petitis vobis concedi sigillum.* Petebant Clarholtenses, vacante Ecclesiâ, sigillum concedi sibi, illud negat Gervasius, quia in Ordine Præmonstratensi solus Abbas sigillum habere antiquitùs consuescebat, suum postea habuit quisque Conventus idque perpetuum, præsertim à tempore quo commendæ invaluerunt, aut mensarum separatio inducta fuit.

(*b*) *Non reliquissetis religiosum virum fratrem vestrum & Coabbatem de Clarholto solatio & consilio destitutum.* Electione factâ Henrici in locum Friderici, illico provinciæ illius Magnates & consanguinei Friderici vexaverunt neo-electum Abbatem, in personam ejus attentarunt & ex insidiis appetitum, tractarunt inhumanitus, circumvicinos Abbates, oppresso confratri minùs compatientes, ad vindictam & auxilium stimulat Gervasius.

ut dicitur, movet pedem, ut faltem pro eo fupplicet, vel apud illos qui eum gravant, ut ceffent, vel apud illos, qui eum juvare poffunt, ut fubveniant homini indefenfo. Quia igitur alter alterius onera portare debemus, rogamus difcretionem veftram, & exhortamur in Domino, nec non & in meritum obedientiæ, fed & in remiffionem injungimus peccatorum, quatenus ad fubveniendum ei, magnanimitate debitâ confurgatis & adeatis cum eo & pro eo Epifcopos & terræ veftræ Magnates, adhibitis obfecrationibus tam importunis, quàm oportunis, ut reprimat hominem derelictum à Deo, videlicet Fridericum, qui benefactorum noftrorum oblitus, prædictum Abbatem, qui, quantum in eo eft, defiderat pacem habere cum omnibus & fincero corde Domino famulari, per fe & per alios conturbare non timet. Timere quidem poffunt & meritò idem Fridericus & omnes fautores fui, ne vox fanguinis fratris fui clamet contra eos de terrâ, & inducat fuper eos maledictionem Cain, qui fine causâ fratrem fuum Abel juftum & fimplicem interfecit. Si enim de fimilibus idem judicium, qui pares funt in flagitiis, pares in fuppliciis effe debent, & dignum eft, ut potenter peccantes, tormenta potentiùs aliis patiantur.



EPISTOLA CVIII.

Præpofitum & Conventum Burgalenfem informat Gervafius de ftatu & itinere Eskili Canonici.

GERVASIUS Præpofito & Conventui Burgalenfi. (*a*) Porrectas nobis litteras veftras recepimus, quibus nos rogaftis, ut fiquid certum haberemus de Fratre Eskilo, qui dudum ad Sedem Apoftolicam profectus pro negotio domûs veftræ, necdum ad vos, ut afferitis, eft reverfus, noftro vobis fignificaremus refcripto; fuper quo fcire vos volumus, quod idem E. in Lateranenfi Concilio nuper præterito ad nos venit nudus & pauper, & ita egenus, ut videretur, quafi de manibus non hominum fed Dæmonum evafiffe. Super quo fcire vos volumus, quòd idem etiam bene veftitis videretur, quafi mifer & inops. Venit idem E. tunicâ folâ contentus & pallio, vel cappâ, fublato caputio (*b*) in modum pallii transformatâ, unde nos afflictionum & miferiæ condolentes, dedimus ei ftatim cappam & fcapulare noftrum, fed & quidam amicorum noftrorum ob gratiam noftri dedit ei viginti folidos pruvinienfium pro tunicâ comparandâ. Expenfas, quas fecerat feu pro victu, feu pro hofpitio, quod nimirum tempore

(*a*) *Præpofito & Conventui Burgalenfi.* Burgalenfis Præpofitura, in Lundenfi Archiepifcopatu, & in Regno Daniæ, nunc verò Sueciæ fita, vix habet rudera, quibus illuftris Monafterii typus cognofcitur, fundatorem habuit Eskilum Archiepifcopum Lundenfem anno 1178.

(*b*) *Tunicâ folâ contentus & pallio, vel Cappâ fublato caputio.* Incedentes Præmonftratenfes cappam geftare folebant, cui adhærebat caputium, hanc habitus formam itinerantes Dominicani retinuerunt, veterum Ordinis Præm. ftatutorum fequaces, hoc folo excepto, quod diffutum & cappæ fuperpofitum caputium amplum habeant. Ut moribus vivunt diverfis, fic veftititu diverfo quoad formam & ufum incedunt modo Præmonftratenfes. Cappam divinis deputarunt per hiemem officiis, cui propenfum pené ad talos quædam Provinciæ imponunt caputium, aliæ verò brevius: & ut Canonicos fæculares æmulentur, fubtus utrumque, rochetum lineum geftant Flandrica & Gallicana Circariæ, limbos caputii ornantes pellibus Armenicis.

tempore Concilii carum fuit, nos integrè folvimus atque planè. Sed & Notario, qui petitionem ejus habebat, cum quo nihil habebamus omnino, jussimus solidos C. dari rogantes quendam alium Notarium amicissimum nobis, ut si ille Notarius tepidus esset in ejus negotio promovendo, ille intuitu nostri illud celeriùs promoveret. Cùmque postmodum discessissemus à curiâ & ille adhuc moraretur ibidem, remisimus ei viginti solidos à Viterbio Civitate. Porro cum in anno jam ferè præterito proficisceremur, ad colloquium habendum in octavâ Apostolorum circa Saxones apud Confluentiam super Rhenum, invenimus eum Calendis Julii apud Helencinas (a) Ecclesiam scilicet nostri Ordinis in Hasbano, ubi didicimus ab eodem macie & languore confecto, quod multam moram fecisset tum ibidem, tum apud Steinvelt, ubi ei una tunica data fuit, pro eo, quòd illuc venerat compassione egens, & miseratione dignus, utpote qui in reditu, ut dicebat, inciderat in latrones. Ostendit autem nobis litteras quasdam obtentas à Curiâ, de Domo vestrâ in loco idoneo transferendâ, quæ aliquantulùm bonæ erant, excepto quod in eis de Ecclesiâ vestrâ nulla mentio facta fuit, quod esset Ecclesia Catholica. Postmodum verò veniens Præmonstratum circiter Calendas Septembris, moram fecit nobiscum usque ad Capitulum Generale. Sanè, quia tunica, in quâ venerat, dura ei & aspera videbatur, & verè sic erat, data sunt ei apud nos & tunica & alia, quibus eum vidit vestiarius indigere. Verùm quia quondam Reverendus Pater Innocentius Papa jam fuerat factus de medio, consuluimus ei, licet esset duri animi vix consilium admittentis, ut pro innovandis litteris suis, quæ aliàs non haberent effectum, ad Sedem Apostolicam laboraret. Recedens igitur à nobis tulit secum privilegium Ordinis transcriptum, & quoddam aliud de non recipiendis Sororibus, (b) quorum utrumque muniri fecimus Sigillo Capituli Generalis. Hæc ut præscripta sunt, de eo novimus, quò posteà devenerit nos nescimus.

Bb

(a) *Apud Helencinas*, vulgò *Helissem.* Abbatia Ordinis Præm. in confinio Leodiensis pagi, Dormaliæ præfecturæ membrum, à Tenis, gallicè *Tillemont* oppido Brabantiæ, altero lapide dissitum, fundatur anno 1130. à Renero de Setru.

(b) *De non recipiendis sororibus.* Istud Pontificium diploma aut ignoravit, aut dissimulavit Pagius Bibl. p. 354. absolutum enim decretum de non recipiendis sororibus manasse negat ab Apostolica Sede, sed modificatum, hoc est de non recipiendis simul, & in idem contubernium cum viris, sicut primitùs fuerat factitatum. Sed pace authoris dicam, absolutum penitùs fuisse illud Apostolicæ Sedis sancitum, de quo loquitur Gervasius, cui Sinchronus Gervasio, Jacobus de Vitriaco concinit, Capituli Generalis statum referens, quo unanimi Patrum suffragio firmatum est, quod fœminæ de cætero in Ordine non reciperentur, in cujus decreti vim prodiit Pontificia Sanctio, illud idem decernens, ad instantiam Ordinis. Quo tandem evanuerit istud decretum Romanum haud scio, fortè in Archivis Præmonstrati latitat, nec placuit Pagio, erga sexum fœmineum indulgentiori, evulgare, scio equidem, sive per intercessionem Principum, sive per monialium resistentiam, in plerisque Europæ provinciis, irritam cassamque abiisse Pontificum Sanctionem: unde Marchtallenses, Stingadenses, & alii Prælati, ut robur restituerent enervato Pontificis statuto, solemni se ligarunt Sacramento, de non admittendis ad habitum monialibus, ut paulatim deficientibus Canonissis, eàrum Monasteria interirent.

EPISTOLA CIX.

Excusat se Gervasius apud Abbatem Sancti Auberti à concessione gratiæ quam pro moniali relapsâ postulabat.

ABBATI S. Auberti Cameracensi (*a*) Gervasius. Solemus plurimùm & non possumus non confundi, quòd cum erubescentiâ compellimur non admittere preces urgente causâ peremptoriâ sed occultâ, quæ vobis non potest sine dedecore nostro & Ordinis aperiri. Veruntamen cum illa, pro quâ nuper rogastis, non desistat pro reversione ad domum, per Viros Venerabiles & Nobiles nos rogare, ipsa instantia precum compellit, ut causa repulsæ in medium deducatur. Sanè cum ante paucos annos oportuisset eam à Domo suâ, culpâ exigente, emitti, & ad preces multorum & magnorum Virorum permissa esset in Domo sine titulo loci cum Sororibus habitare; de peccato suo fecit ibi scandalum, ob cujus peccati scandalum etiam Fratres loci infamiâ sunt respersi. Postmodùm verò cùm ad interventum multorum & magnorum Virorum ex multâ dispensatione & gratiâ illuc permitteretur reverti, iterum incidit in idipsum, propter quod oportuit eam emitti secundò, etiamsi fuisset ipsius loci conversa. Emissâ autem illâ, facta est occasione ipsius institutio in nostro Capitulo Generali, quod si aliqua conversa nostri Ordinis totiens & taliter deliquisset, emissa de cæterò nullum reversionis suæ beneficium expectaret. Verum cùm nec adhuc multi & magni Viri desisterent intercedere pro eâdem, licet ei nihil ex ordine deberetur, ex multâ tamen gratiâ & abundanti pietate obtentum est, ut ad Domum de Harcies, (*b*) ubi nunc habitat, mitteretur, in quâ honestè poterit, nisi per eam steterit, conversari, eo quòd ei suppeterent & temporalia ad corporis victum, & sororum conversatio ad honestatis exemplum, ita ut ex peccato, propter quod coacta est domum relinquere, videatur non tam pœnam, quàm præmium reportare. Proin discretionem vestram attentè rogamus, ut inspicientes diligentiùs & factum ipsius, & impensam ei gratiam & institutionem factam, contra quam non est licitum sine Generali Capitulo dispensare, addiscatis ex ipsis, utrum debeatis in eo, quod rogastis, vel desistere, vel instare. De eo autem, quod ad Domum reverti desiderat, sic argumentamur vobiscum, quod si bona est, illuc erubescet, imò & nolet omninò reverti, ubi constat eam tam enormiter & toties deliquisse. Si mala: illuc reverti non debet, ne reversa ad locum revertatur pariter ad peccatum.

EPISTOLA CX.

Mandat Gervasius Priori Præmonstrati nihil posse relaxare de sententiâ quam tulit adversus Priorissam & socias ejus criminis reas.

GERVASIUS Ruperto Priori Præmonstratensi. Vitare non possumus, quin scandala quandoque eveniant, sed si per præsumptionem nostram aliqua-

(*a*) *Abbati S. Auberti Cameracensi.* Abbatia Canonicorum Regularium S. Augustini, quæ priùs erat sæcularium, quos Lietbertus Cameraci Episcopus amovit anno 1066. ut regulares mystas induceret.

(*b*) *Ad Domum de Harcies.* Harcia olim Monasterium Virginum pendens ab Abbatiâ Viromandiæ, nunc autem prioratus simplex & regularis, de jure patronatûs Abbatis Viromanduensis.

temus evenirent, deberet nos nostra super hoc conscientia remordere. Sanè quod petitis, ut Priorissam & socias delicti sui à latâ in eas sententiâ, timore scandali absolvamus, nobis nec honestum videtur, nec justum, cum melius sit, ut oriatur scandalum, quàm veritas relinquatur. Nobis autem videtur & evidenter est verum, quod justitiæ veritas deperiret, si absolveremus eas, nisi per interpositum juramentum, maximè cum jam contempto mandato nostrô, quod virtute obedientiæ fuerat & pœnâ excommunicationis subnixum, non videamus restare, nisi juratoriam cautionem, quâ eis absolvendis credere debeamus; Porrò cum ad immoderatam & inordinatam satisfactionem post præstitum juramentum processerimus contra eas, poterunt cum favorabili colore excusationis ad Dominum Noviomensem (*a*) Episcopum, vel ad Consanguineos suos recurrere, vel potiùs ad Patres ordinis, ad quos est, cum fortè excesserimus, recurrendum. Verùm ne aliæ sorores vel fratres etiam contaminentur ex societate illarum; in hoc latam sententiam temperamus, ut licitè eis ubique communicent, præterquam in Ecclesiâ, & in mensâ, & in consilio dando, ut in suâ contumaciâ non perseverent; Quod si fecerint eadem sententiâ induantur. Proin mandamus vobis, quatenùs illuc personaliter accedentes, eis & rationes nostras & temeritatem suam attentiùs exponatis, & moneatis easdem, ut de salute suâ sollicitè curent, & humiliter obediant, quia etsi absolveremus eas non præstito juramento, cum præcipiamus eis ut jurent, scire debent, quia imaginaria absolutio nihil prodest. Unde & vos & eas scire volumus, quòd cùm inobedientes absolvi non possint, & in hoc inobedientes se exhibeant manifestè, quòd indictum juramentum præstare detrectant, eas nisi præstito juramento ipso, nullatenus absolvemus, quantumcunque inde debeat scandalum exoriri. Porro ut etiam servorum Naamani verbis utamur, etsi rem grandem præcepissemus eisdem, certè facere debuissent, maximè cum satis parvum sit in actu, licet magnum in virtute, hoc ad petitionem nostram facere, ad quod de jure sine juramento tenentur.



EPISTOLA CXI.

Abbatem Laudunensem pro resignatione acceptandâ Viconiensis Abbatis & electione successoris regendâ deputat Gervasius.

ABBATI Sancti Martini Laudunensi. (*b*) Transmissæ nobis litteræ Venerabilis in Christo Fratris Abbatis Viconiæ (*c*) insinuare curarunt, quòd idem

(*a*) *Nisi ad Dominum Noviomensem.* Stephanus de Nemours, intra cujus Diœcesim erat Parthenium, in quo Priorissa deliquerat, quod aliud esse non potest à Bonolio, seu Fontanellâ matricis Præmonstrati Ecclesiæ filiâ, aut Harchiâ filiâ Viromandiæ, hæc enim gemina tantum habebat Ordo Præm. Virginum asceteria, in Diœcesi Noviomensi, quibus posteà accessit Genliacum.

(*b*) *Abbati Sti. Martini Laudunensis.* Reinaldo de Ribemonte, qui ex Canonico Sti. Martini, monachus Sti. Vincentii evasit, postmodùm verò facti pœnitens, ad prima vota rediit de Consilio metropolitæ. Sui levitatem animi, virtutis constantiâ, morum gravitate & doctrinâ abstergens, in Abbatem eligitur anno 1206.

(*c*) *Abbatis Viconiæ*, Radulfi Canonici Viconiensis, primi Abbatis Castelli super Moritaniam, unde ad Viconiensem anno 1197. mortuo Arnulpho, evocatur. Vitam egit virtutibus & miraculis illustrem, sed humilitate præsertim admirandam. Anno 1211. ex animi demissione prælaturam abdicavit, & anno 1217.

longo fractus senio, & confectus ætate, ita debilis est effectus, quòd ad regimen sui non sufficiat, nec ad res Ecclesiæ ministrandas, quam ut didicimus, & diu & strenuè gubernavit. Quapropter discretioni vestræ præsentium authoritate mandamus, quatenùs ad dictum locum personaliter accedentes, eum à Prælationis onere absolvatis, & ipsius resignatione susceptâ, alium instituatis ibidem, de quo debeat spes haberi, quod tanti Patris imitator devotus Ecclesiæ debeat præsidere ad commodum, & subditis ad salutem. Præterea volumus, ut Abbati & Capitulo Ecclesiæ memoratæ ex parte nostrâ dicatis, quod circa Jordanum, qui à Domo suâ vestes & libros Ecclesiæ secum ferens, fugitivus abscessit, bene in memoriâ habeamus preces suas, decernentes ut si quæ litteræ à nobis fuerint impetratæ, præsentium litterarum non habitâ mentione, robore careant firmitatis.

EPISTOLA CXII.

Rogat Priorem Montis-Dei, ut currus ad lignorum vecturam pro reparandis Præmonstratensis Ecclesiæ stallis accommodet.

PRIORI Montis-Dei (*a*) Gervasius. Quàm sincero affectu vestram veneremur professionem, quam novimus excellentem, & diligamus personam, quam religiosam didicimus & honestam, honoris exhibitione propensius testaremur, si locorum distantia non obstaret. Velle quidem nobis adjacet, & parata devotio vestram obsequiis notitiam promereri, perficere autem non invenimus, eò quòd à nobis remotus est locus vester, nec aliqua in partes nostras negotia vos adducunt. Sanè cum materiam lignorum, quæ pro reparandis stallis nostris veteribus pridem cæsa, servatur nobis in Ecclesiâ quadam bellæ vallis, oporteat usque ad Axonam fluvium adduci, ut inde ad nos per prona fluvii decurrentis enatans deferatur, nostras illuc vecturas sine immoderato sumptu mittere non valemus, nec in partibus illis conductitias invenimus, quæ ad quasdam materias grossiores

sine beato quievit; in navi Ecclesiæ sub lapide marmoreo & prominente tumulatus est sub hac epigraphe: *A judiciis tuis timui Domine.* Ad pedes: *Vir fuit hic lenis, parcus sibi, largus egenis.*

(*a*) *Priori Montis-Dei*, Engelberto, qui ab anno 1197. prioratum adiit. Celebris Carthusia Montis-Dei in Pago & Diœcesi Remensi constituta, fundatorem habuit, ut vulgi fert fama, Odonem Abbatem Sti. Remigii Remensis, quem honorem ei eripit Innocentii 2. Diploma confirmativum dotis & statûs Monasterii anno 1136. ubi hæc legi: „ Terminos autem loci vestri propriis terminis „ duximus exprimendos, ab eodem scilicet Monte-Dei, usque ad montem qui „ est juxta Seronam, versus orientalem plagam, sicut dederunt ipsam terram „ Nicolaus de Burgo & Willelmus. Versus occidentem usque ad aquam *Bairone*, à meridie usque ad antiquum aggerem, qui vadit de Ponte *Barrone* usque ad Mosomense Castrum; à septentrione usque ad fagos in fundo vallis „ sylvæ, quæ est Comitis *Regitestensis*, cujus voluntate & concessione hoc „ donum factum atque firmatum est.

De Odonis benificentiâ ne quidem verbum invenias in totius diplomatis contextu, sed totus quantuscunque Monasterii fundus, à Nicolao de Burgo & Willelmo, nec non à Comite Regitestis donatoribus, processit. Eugenii 3. Bulla posterior, Odoni fundationis & dotis honorem, priùs adjudicatum aliis, restituit, penes quem veritas stet, esto judicium saniùs sapientis, si antiquitas præscribit contra novitatem, causa finita est.

grossiores sufficerent transvehendas. Proin cum vos carros habeatis, qui ad hoc opportuni creduntur, sinceritatem vestram affectuosè rogamus, quatenus duos nobis vel tres carros ad hoc urgens negotium concedatis, & quia in instanti Pascha iter estis, ut audivimus ad Cartusiense Capitulum arrepturi, dilectionem vestram iterato rogamus, quatenus si apud vos locum habuerint preces nostræ, ante recessum vestrum taliter ordinetis, ut cum fratres nostri in partes illas venerint ante Penthecosten, quod instat, eos habere possint pro negotio memorato.

EPISTOLA CXIII.

Encyclicas litteras & exhortationes scribit Gervasius.

GERVASIUS Abbas, Omnibus fidelibus. Quoniam, ut ait Apostolus, omnes stabimus ante Tribunal Christi, recepturi, prout in corpore gesserimus, sive bonum fuerit, sive malum, oportet nos diem messionis extremæ, misericordiæ operibus prævenire, & ea pie seminare in terris, quæ Domino reddente, fructu multiplici colligamus in Cœlis. Quoniam qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam. Cum igitur Vir religiosus Walterus Prior Ecclesiæ in quâ corpus Beati Cobani Martyris requiescit, (a) secundùm quod quibusdam nostrum aperuit vivâ voce, quibusdam per nuntium insinuare curavit, corpus ipsius Martyris, quod ligneo vase repositum requievit, ob reverentiam ipsius Martyris, in pretiosiori vasculo, collocare disponat, nec ad perficiendum, quod pio concepit intuitu, propriæ suppetant facultates, universitatem vestram rogamus, monemus & exhortamur in Domino, quatenus ad opus tam commendabile cosummandum, ex bonis vobis à Deo collatis, secundùm quod inspiraverit vobis ipse bonorum omnium Retributor, partem aliquam destinetis, ut ex honore impenso Beato Martyri possitis ad ejus consortium in cœlestibus sublimari. Nos verò omnibus, qui memoratum opus rerum suarum largitione promoverint, plenam participationem orationum, & spiritualium beneficiorum, quæ in Ecclesiis nostris vel nunc fiunt, vel perpetuis sunt temporibus facienda, devotâ concedimus charitate, ut nos ipsi Beati Martyris intercessione ac meritis adjuvemur, qui concessione orationum nostrarum ad locum requisitionis ejus honorandum alios adhortamur.

EPISTOLA CXIV.

Permittit Gervasius Abbati Bellipodii & quibusdam Religiosis ingredi Ordinem Carthusianum.

ABBATI Casæ-Dei, Gervasius. (b) Scripsit nobis W. Bellipodii Abbas arroganter & temerè, ut ipsum à Prælationis suæ onere absolutum cum qui-

Cc

(a) *In quâ Corpus Beati Corbani requiescit.* In nullo biographo invenire potui Sanctum qui vocetur hoc nomine, fortè Corbinianum scribere voluit, cujus festum die 17. Junii occurrit. Invaluerat pridem in Ecclesiâ mos circumcursandi per vicos & civitates, & per manticularios emungendi fidelium Bursas, ad Ecclesiarum aut lipsanarum instaurationem; hac arte, vastata à Normannis templa resurrexerunt, atque ut efficacius ad liberalitatem Girovagi questuarii emoverent fideles, sacra secum pignora deferebant, quandoque etiam supposititia, ut testatur Guibertus de Noviento.

(b) *Abbati Casæ-Dei.* Vasconiæ Monasterium & cæterorum parens, est Casa-Dei,

busdam fratribus suis Ordinem Carthusii permitteremus intrare, (*a*) alioquin licentiâ non obtentâ nihilominus pertransiret, tutus venerandæ recordationis Innocentii Papæ tertii decretali, per quam allegat denegato sibi etiam superioris assensu, ad vitam se posse arctiorem transferre; attendentes igitur, quòd Ecclesiæ, cui præest, non multum, sicut dicitur, fuerit utilis usque modò, & prætereà, quòd nolimus super prædictæ decretalis juribus disputare, quam inclytæ memoriæ prælibatus Pontifex promulgavit, cujus anima in benedictione sit, qui nos dilexit in vitâ suâ & plurimùm honoravit, mandamus vobis atque præcipimus, quatenus prædictum W. denuntietis depositum, & fratres Ecclesiæ Bellipodii ab ipsius obedientiâ penitus absolutos, ne idem forte W. materiam habeat conquerendi de nobis, quòd impediremus votum suum. Inhibeatis autem tam eidem W. quàm fratribus, qui secum decreverunt exire, sub pœnâ excommunicationis, ne ultra triduum, postquam depositus fuerit, in Domo morentur, sed statim effectui mancipent, quod voverunt, hoc proviso sub pœnâ latæ sententiæ pariter & adjecto, quod nec equos ducant secum, aut domus mobilia deferant, nisi tantùm singuli cappas singulas, scapulare unum, & tunicas duas, ut ipsius habitûs mediocritate prætendant, quòd vitæ melioris frugem in veritate expetant sub titulo paupertatis. Quòd si post ipsum exire triduum recusarint, de cetero pro non fratribus habeantur in loco, sed ab omnibus tanquam Ethnici & publicani districtiùs evitentur.



EPISTOLA CXV.

Regi Jerosolimorum plura ad ejus laudem, & ad acuendum animum ejus rescribit Gervasius.

JEROSOLIMORUM Regi, Gervasius. (*b*) Serenitatis vestræ benigna mansuetudo dedit nobis fiduciam scribendi vobis, quia humilitatem nostram in benedictionibus dulcedinis prævenistis, scribentes nobis affectuosè pariter & attentè, nec non & rogantes, ut pro vobis & pro Serenissima Domina Regina Uxore vestra, & pro inclytæ indolis Regiâ prole Filiâ vestrâ, quam de priori suscepistis Uxore, preces effunderemus ad Dominum, qui omnem disponit & continet Principatum. Fecimus siquidem, quod rogastis, & fecisse gaudemus,

gallicè *la Case-Dieu*, anno 1135. à Frelone fundatum in Diœcesi Ausciensi episcopante Willelmo, primum Abbatem primosque inquilinos ex Abbatiâ Sancti Martini Laudunensis eduxit, paternitatis jus ex hinc consecuta.

(*a*) *Ordinem Carthusii permitteremus intrare.* Willelmus Abbas Bellipodii fretus Decretali Innocentii 3. demigrationem istam primus in Ordine Præm. tentavit, vetitam usque modò Summorum Pontificum decretis, ut videre est apud Pagium in bullis ab eo recensitis. Qualis porrò fuerit itinerantis Religiosi Præm. habitus, præscribit iterum in hac suâ Epistolâ Gervasius, Cappa nempe, Tunica, & Scapulare. Bellipodium in Cataloniæ Principatu, & Diœcesi Urgellensi locatum, binis à Balagar leucis, patrio idiomate *Bellquig* dictum filius est Casæ-Dei, fundatores habens Armengaudum Comitem Urgellæ & Dulciam ejus Conjugem anno 1154, Congregationi Hispanicæ unitum fuit illud Cœnobium anno 1577. sed unitatis rupit paulo post vinculum, suis ut viveret legibus.

(*b*) *Regi Jerosolimorum.* Joanni de Brienna, de quo superius actum est epist. 36. ubi ex primo matrimonio cum Maria Montis-ferrati inito, prolem habuisse advertimus, Iolandem scilicet nuptam Friderico Imperatori.

credentes firmiter & constanter, non quod meritis nostris, qui ultimi sumus aliorum, & quasi peripsema religionis, sed sanctis intercessionibus aliquorum, qui majores sunt nobis, & gratiores forsitan apud Deum, in hac parte simus cum aliis exauditi. Ostendit namque Divina Potentia probabilibus argumentis, quòd Rex Regum & Dominus Dominantium, qui pendens in cruce Joanni Virgini Matrem Virginem commendavit, in his diebus novissimis, novum sibi Joannem elegit, in quo, quia Joannes interpretatur gratia Dei, Divina gratia resideret. Videtur enim Terræ Sanctæ, quam suo sanctissimo sanguine consecravit, cum videret eam fœdatam spurcitiis Paganorum, & quasi stantem & lugentem juxta crucem illius, qui natus est, & secundum hominem nutritus in ea, dixisse: terra Juda, quam elegi in hæreditatem mihi, ecce tuus filius hæres meus, & vobis nihilominus dixisse videtur: ecce non Francia, non Campania, non Brena, sed Jerusalem mater tua, contra contumelias volo, ut vindices, & à loco, à quo cum victoria ad patrem meum ascendi, tu quoque post triumphatas ignominiosæ gentilitatis exprobationes ad me victor ascendas, nec dubitandum de solutione promissi, cum ipse, qui verax est, & solvere potest, in apocalipsi, primo Joanni promiserit, nec deficiet in secundo, adhuc quotidie clamans & dicens: qui vicerit, dabo illi sedere mecum in Throno meo, sicut & ego vici & sedi cum Patre meo; audivimus siquidem non ratione unius, sed omnium, qui redeunt de partibus transmarinis, quàm legitimè & quàm viriliter certetis die & nocte in negotio vobis commisso, pro corona quàm Deus diligentibus se promisit, quantùm prosit providentia vestra in consiliis, quantùm valeat manus vestra in præliis, quæ non educit gladium otiosè, nec eductum reponit sine confusione & diffusione gentilium, in vaginam. Gaudemus itaque & exultamus in Domino, & cum jucunditate gratias agimus bonorum omnium Largitori, qui sicut speramus, per vos perficiet, quod incepit: nec deerit prævenienti gratiæ, gratia quæ conservat; nostræ autem humilitatis devotio, licet cum materiali gladio non possit in prælio stare vobiscum, offert tamen, sicut hucusque fecit, cum intimâ devotione cordis, sacrificium labiorum, nec cessabimus clamare ad ipsum, manus cum Moyse elevantes, donec ipso miserante, cujus miserationes multæ, & misericordiæ ejus super omnia opera ejus, cedat cum gloria sui Atlethæ infatigabiliter certantis pro ipso, adversitas præliorum. Verùm ne occupatis auribus fastidium importemus hucusque locuti ex abundantiâ cordis, cum conceptum gaudium non cohibeatur de facili, quin erumpat in vocem, eruptioni exultationis nostræ ponemus modum, Serenitatem Regiam rogantes pariter & monentes, ut cor vestrum in Domino confortetur, & nos interim repulsâ exclamatione exterius, ad clamosum orationis silentium interiùs convertemur. Ceterùm de fratribus Sancti Samuelis, qui Præmonstratensem Ordinem profitentur, nec unquam per aliquam adversitatem, quantumcunque eis gravis fuerit, à suâ potuerunt professione divelli, mansuetudini vestræ cum omni, quâ possumus affectionis instantiâ supplicamus, quatenus eos, ubicunque inventi fuerint, dignos protectione regiâ censeatis, ita ut saltem jure suo gaudeant, cum Dominus restituerit hæreditatem suam cultui Christiano, & propagent, si placet, palmites vitis suæ, secundùm quod Dominus dignatus fuerit vestræ Dominationis terminos dilatare in fine. Latorem præsentium Magistrum O. qui in Ordine nostro sub quodam avunculo suo Ordinis nostri Canonico, Viro religioso & artifice glorioso in adolescentiâ suâ, quæ secundum modum scholarium fuit laudabilis & honesta, nutritus fuit, & de vobis prædicat multa bona,

Serenitati vestræ plurimùm commendamus, rogantes ut intuitu Dei & precum nostrarum habeatur commendatus à vobis, cum tamen credamus satis eum esse commendabilem per se ipsum. Datum &c.

EPISTOLA CXVI.

Acontium Subdiaconum Honorii III. rogat, ne ad solutionem vicesimæ cogat Abbates Hungariæ.

MAGISTRO Acontio Domini Papæ Subd. Cum à multis retroactis temporibus in Sacro-Sanctâ Romana Ecclesiâ geram fiduciam, quòd eam quam inveni, & me gaudeo invenisse gratiam semper in Capite, debeam invenire in Membris, quia membra tanti Capitis non consueverunt à suo capite dissentire, maximè cum rerum natura hoc exigat, & ratio sic exposcat, ut membra sequantur caput & gubernentur ab eo. Dudum sanè cùm sanctæ recordationis Dominus Innocentius Papa tertius in generali Concilio statuisset, ut Ecclesiæ omnes & Ecclesiasticæ personæ solverent vicesimam de universis proventibus Ecclesiasticis, quos haberent, refundendam in subsidium Terræ Sanctæ, quibusdam religiosis exceptis, quos ipse meritò duceret eximendos, & soluto Concilio, virum religiosum Abbatem Cisterciensem & me, qui eramus præsentes, & Dominum Cluniacensem Abbatem, (a) cui pro solutione debitorum suorum dedit vicessimam Ordinis sui, cum omnibus Ecclesiis Cisterciensis & Præmonstratensis Ordinum, à vicesimâ solvendâ exemit, & in litteris, quas misit per diversas regiones, pro vicesima colligendâ, hoc ipsum manifestè & evidenter expressit, quarum litterarum transcriptum usque in hodiernum diem pro rei gestæ memoriâ observatur: cum igitur nec credam, nec credere debeam, quod pauperes Fratres & Coabbates meos quatuor tantummodò cum locis sibi subjectis in Hungariâ constitutos, contra præfatam relaxationem à Sanctissimo etiam Patre nostro Honorio tertio approbatam scienter gravare velitis, supplico discretioni vestræ omni affectione quâ possum, quatenus intuitu Dei & orationum, nec non & spiritualium beneficiorum Ordinis Præmonstratensis, quorum participationem devotâ vobis offero charitate, tam paupertati, quàm paucitati prædictorum Abbatum Hungariæ deferentes, à vexatione ipsorum super petendâ vicesimâ desistatis, ne ultra omnes alios, quod absit, quibus idem negotium in aliis regionibus est commissum, de immisericordiâ redargui debeatis.

EPISTOLA CXVII.

Abbatibus Hungariæ notificat adventum Rabodonis in Galliam, conqueritur de eorum absentia à Capitulis Generalibus.

ABBATIBUS in Hungariâ. Lætati sumus plurimùm in adventu dilecti nostri & fidelis vestri Rabodonis Clerici, per quem fraternitatis vestræ recepimus literas

(a) *Religiosum Abbatem Cisterciensem . . . . & Cluniacensem.* Arnaldus 2. anno 1212. Abbas effectus Cisterciensis, Concilio Lateranensi quarto interfuit anno 1215. ad Philippum Regem Franciæ Legatus missus est ab Honorio 3. decessit 3. Kal. Augusti 1217.

Abbas Cluniacensis Giroldus, Guillelmi successor Abbatiam adiit anno 1214. ad Episcopatum Valentiniensem promotus est anno 1220. inde anno 1230. ad Patriarchatum Jerosolimitanum postulatus ibidem obiit.

literas plus angustiæ, quàm gaudii continentes, unde non potuimus post subitum gaudium, subitò non dolere, maximè cum non haberemus penes nos, unde vobis subvenire possemus. Cum enim habuimus de relaxata nobis à Domino Papâ vicesimâ, quinque paria testimonialium literarum, in Generali Capitulo proximè prætcrito dedimus ultimas literas in Pictaviam deferendas, quæ propter emergentes casus usque ad ipsum Capitulum fuerant reservatæ, nunc autem quia nescivimus aliam viam subveniendi vobis, nisi, quòd Romam misimus dictum Rabodonem, consulimus & etiam mandamus vobis, quatenus sustineatis patienter & fortiter; donec idem R. de præfatâ Curiâ redierit Domino annuente. Super hoc autem non estis sine culpâ, quòd nunquam aliquis vestrûm veniat Præmonstratum, ut vel ipsam Ecclesiam, & nos, vel ut Generale Capitulum visitaret, cùm jam à tempore Concilii quadriennium sit elapsum; parcimus tamen vobis & parcemus ad præsens propter afflictiones instantes, sed mandamus vobis atque præcipimus, quatenus vos & alii fratres nostri Abbates Hungariæ, anno sequente venire curetis, nisi legitimâ fueritis excusatione detenti, eo etiam tenore, quòd de impedimento singulorum, qui non venient, constet nobis per literas patentes & per nuntium competentem. Valete in Domino & orate pro nobis, & Spiritus Consilii sit vobiscum.



EPISTOLA CXVIII.

Commendat Rabodonem Cardinali.

GERVASIUS.. N. Diacono Cardinali. Malitia hominum, quæ invalescit in dies, compellit me, Sanctitatem vestram precibus importunis tantò crebriùs fatigare, quantò frequentiùs à pauperibus fratribus meis opem postulantibus, ego ipse fatigor. Sanè in Hungariâ, sicut credo, quatuor tantummodò Abbatiæ Præmonstratensis Ordinis, & non plures, & illæ etiam satis de novo plantatæ, nec mirum, cum & ipsa Præmonstratensis Ecclesia ab eo die, quo fuit primùm primo fundatori suo à Sede Apostolicâ confirmata, non habeat adhuc integrè nonaginta quinque annos, quæ tum propter turbationes Regis & regni, tum propriam paupertatem suam & impotentiam resistendi, damna frequenter gravia patiuntur. Inter alias siquidem angustias, quas patiuntur ad præsens, imminet eis Venerabilis Dominus Acontius Domini Papæ Subdiaconus, & ejusdem aut nuntius, aut legatus, qui ex inopinato petit ab eisdem vicesimam attitulatam subsidio Terræ Sanctæ. Cum igitur literas, quas misistis mihi, dudum in diversas destinaverim partes olim, & eædem literæ licèt cum multâ difficultate, locum tamen demum habuerint apud omnes, præterquam apud quem, nescio, Romanum, qui colligit vicesimam in Hispaniâ, & apud Episcopum Tullensem, (*a*) Paternitati vestræ supplico eâ devotione, quâ possum, quatenus latori præsentium, qui ad me venit, ut auxilium postularet, quem etiam ad vos mitto, auxilium, quod

(*a*) *Episcopum Tullensem.* Odonem nomine qui Gerardo de Vadanomonte suffectus est anno 1218. juxta Albericum, ad illum ergo spectat querela Gervasii, quam quadriennio à Lateranensi Concilio instituit, ut habet Epistola præcedens, anno igitur 1219.

ego non possum, & consilium impendatis, ut vel cum literis apostolicis, si eas habere potuerit, vel cum vestris, si creditis, quod sufficere debeant, lætus ad Dominos suos & ad propria revertatur.



EPISTOLA CXIX.

Abbatem Milovicii visitatorem & reformatorem monasteriorum Bohemiæ, Moraviæ & Hungariæ constituit.

ABBATI Milovicensi, Gervasius. (*a*) Rumores, quos audimus frequenter de Personis & Ecclesiis nostri Ordinis in Bohemia, Moravia & Poloniâ constitutis, grave super nos doloris & sollicitudinis onus inducunt, eo quòd pauci inveniantur, aut nulli, qui adhibitis infirmitatibus, admonitionis, & obsecrationis & correctionis sentiant medicinas. Misimus visitatores & correctores non semel, sed pluries, de quibus ita contigit, si fideles habuimus relatores, quòd vel commissum eis officium neglexerunt, vel ab illis, ad quos fuerunt missi, cum condignâ admissi reverentiâ non fuerunt. Proin omnibus aliis commissionibus, quas fecimus temporibus retroactis, quarum executio adhuc pendet, penitus revocatis, fraternitati vestræ mandamus, & in meritum obedientiæ districtè injungimus, quatenus accito vobiscum aliquo nostri Ordinis Abbate, quem ad hoc judicatis idoneum, Ecclesiam vestram propriam in primis, & postmodum singulas Ecclesias Ordinis nostri in Bohemiâ & Moraviâ constitutas singillatim personaliter visitare curetis, & corrigere in eisdem quæcunque secundùm Deum & Ordinis honestatem judicaveritis corrigenda, potestatem super hoc, authoritate Ordinis atque nostra plenariam habituri, tam in capite, quàm in membris, nec respiciatis, gratiam personarum, sed quantò diutiùs expectata est infirmantium in moribus correptio, quæ non venit, tantò severiorem, ubicunque opus fuerit, sentiant disciplinam, ita quòd diligentia vestra in omnipotentis Dei honorem & honestatem Ordinis convertatur. Quod ipsum etiam in Ecclesiis Poloniæ & Hungariæ per vos fieri vellemus si posset eo tenore; quod si de finibus vestris nequiveritis sine gravi dispendio exire, liceat vobis sub præsentium litterarum testimonio committere cuilibet alii vices vestras, dum tamen persona sit talis, quòd de ipsius zelo & discretione sufficienter fidere debeatis. Sanè quia crimen proprietatis in partibus vestris usque adeò invaluisse asseritur, ut quidam dicunt, non esse proprium, si quid datum fuerit eis vel à Parentibus, vel à familiaribus, vel quod laboribus manuum suarum acquiritur, vel quod mercimoniis augmentatur, miramur plurimùm quâ cœcitate seducti aliqui nutriti in Ordine ad tantum errorem devenerint, ut hoc dicant, cum audierint in Regulâ B. Augustini, quæ legi debet eis singulis septimanis, hæc verba: *Nemo sibi* &c. & alibi: *Omnia opera vestra in unum fiant majori studio & frequentiori alacritate, quàm si vobis singulis propria faceretis*, & in sequenti Capitulo, quod sic incipit: *Consequens ergo est* &c. de rebus collatis prohibet manifestè,

(*a*) *Abbati Milovicensi.* B. Gerlaco primo Milovicii Abbati visitationis munus committit Gervasius, meliori & sanctiori non poterat committere, quem virtutes, doctrina, regularis disciplinæ zelus exornabant, quique ob crebra curationum miracula, ad sacros ejus cineres patrata, sanctorum fastis ascriptus est. Anno 1200. fundatæ Milovicensi Canoniæ in Diœcesi Pragensi, haud procul ab Arce Przibenicensi, à Bavore Comite de Strakowitz, immissus est Abbas à Siloensi Abbate, Gerlacus.

ne recipiantur occultè, subjungens, quod si aliquis rem sibi collatam celaverit, furti judicio condemnetur, & in actibus Apostolorum legitur de Anania & Saphira, quod quia priùs acquisita, cum coram Apostolorum Principe renuntiarent propriis, temerè occultarunt, subitaneâ morte ad increpationem Petri sunt percussi. Per prædictas autem authoritates & multas alias satis patet, quòd undecunque res proveniant ei qui renuntiavit propriis, intelligendum est, quod acquiritur Ecclesiæ non personæ, & reduci debet protinus in commune, ut à Prælato, cui necessarium fuerit, tribuatur; cum igitur fures & proprietarii singulis annis excommunicentur in Generali Capitulo, & denuntiari debeant in singulis Ecclesiis Ordinis cum infamatoribus, conspiratoribus, falsariis & incendiariis eidem vinculo subjacere, advertant miseri & miserabiles, in quanto periculo versati fuerint usque modò, qui vel in excommunicatione susceperint sacros ordines, vel præsumpserint fungi susceptis, qui omnes procul dubio irregulares sunt, & in criminali peccato, nec celebrare debent aut possunt, nisi dispensetur misericorditer circa ipsos. Cum autem contineatur in institutionibus, quod proprium dicimus, quidquid habetur contra vetitum, vel sine debitâ licentiâ, mandamus vobis, quotquot inveneritis præfato crimine irretitos, denuntietis excommunicationis vinculo innodatos, nec ipsos, nisi valdè humiliter petierint veniam, absolvatis, irregularitate mansurâ, donec circa eos fuerit dispensatum. Credimus autem, quod circa eos, qui non fuerint in erroris sui defensione hactenus pertinaces, à nobis possint absolvi ex indulgentiâ Domini Honorii, cujus transcriptum, cum transcripto cujusdam alterius indulgentiæ vobis duximus transmittendum. Ceterùm, quia claustra sororum à quibusdam tam clericis, quàm conversis, in partibus vestris nimis licitè frequentantur, ita ut discurrant per officinas & confabulentur cum eis seminantes verbum Diaboli, & non Dei, mandantes vobis, in virtute obedientiæ districtè præcipimus, quatenus familiaritatem illam omni sollicitudine, quâ potueritis extirpetis, sub interminatione gravis pœnæ districtiùs inhibentes, ne aliquis frequentet Grangias, sive curtes, in quibus sorores habitant, nisi ipsum ad hoc alicujus negotii exequendi necessitas manifesta deducat. Illi autem, qui pro diversis officiis certam habent in sororum domibus mansionem, claustrum earum non intrent, nisi duabus de causis, videlicet ut vel administrent infirmantibus Ecclesiastica Sacramenta, vel ut ordinent ædificia reparanda vel facienda de novo. Vestram itaque fraternitatem obsecramus in Domino & coram Domino, cujus conspectum opera vestra latere non possunt, quatenus circa prædictorum executionem eam diligentiam impendatis, unde possitis & debeatis justi judicis, qui non decipitur, & etiam hominum Deum diligentium gratiam promereri, habituri in prædictis perpetuam potestatem, donec fuerit revocata vel à Generali Capitulo, vel à nobis. Datum &c.

EPISTOLA CXX.

De relaxatione Pœnarum indulgenter concessa Willelmo Canonico Sanctæ Mariæ Brundusii, monet Abbatem S. Samuelis.

GERVASIUS Abbati Sancti Samuelis apud Barolum. Licet multò terrarum spatio sitis remoti à nobis, propinqui tamen estis nobis sollicitu-

dine & affectu, nec minori, imò tantò majori curâ & affectione sollicitamur pro vobis, quàm parati sumus ostendere in tempore oportuno, quantùm propter interjacentium distantiam regionum difficilius & rarius nobis potest de statu vestro, aut Ecclesiæ vestræ certum aliquid nuntiari. Sanè misimus vobis olim diversis temporibus, si bene meminimus, duo paria literarum, unum scilicet per quendam Laurentium negotiatorem Trecarensem, de quo quia non rescripsistis, nescimus, utrum ad vos fortè pervenerit, aliud per quendam Rog. nostri Ordinis Professorem, qui quasdam à vobis literas reportavit, quas quidem licet suscceperimus satis læte & perlegerimus multò lætiùs, intelligentes ex illis, quòd institutiones Ordinis & servetis veteres & novas insuper postulatis, tamen lætissimum Nobis esset & Ecclesiæ vestræ, si quas fortè sicut & illæ, quæ in circuitu vestro sunt, tribulationes sustinet aut pressuras, cedere possent, ut credimus, ad munimen, & Ordini nihilominus ad profectum, si quando vel per vos, vel per aliquem ex vestris visitaretis matrem vestram Ecclesiam Præmonstrati, sicut fecerunt nuper quidam ex remotis finibus Hyberniæ, & alii, qui nobiscum morantur, adhuc tam ab occidente Arragones, quàm ab oriente Frisones, qui pro conscribendis his, quæ sive in spiritualibus, sive in temporalibus suis creduntur Ecclesiis profutura, in Præmonstratensi Ecclesia convenerunt, visitati frequenter à Dacis, Polonis, Anglis, qui omnes Præmonstratense magisterium recognoscunt, solos Appulos expectamus, ut eorum adventum fraterno suscipientes affectu, eis statu illorum cognito, & congaudeamus, si gaudent, & feramus auxilium, si eorum aliter res se habent. Ceterùm latorem præsentium W. Canonicum Sanctæ Mariæ Brundusii, sicut dicit, qui ad nos laboravit à partibus Brundusinis cum multâ difficultate itineris & periculo sanitatis, ad vos duxi destinandum mandantes vobis, quatenus attendentes, quòd si quid in Ecclesia sua deliquit, dummodò eam demeruerit per excessum enormem, totum expiasse debet tam longi itineris difficultas, & laboris plurimi magnitudo, curetis eum vel restituere loco suo, vel penes vos, si malueritis, retinere, vel apud S. Stephanum in nemore collocare; nec tepidiùs aut remissiùs mandatum nostrum exequamini circa eum, si deferentes vobis, hoc vobis simpliciter & mansuetè mandamus, quod vicinis Abbatibus solemus dare arctiùs in præceptis, & in vestræ præterea salutis periculum redundaret, si mandato præsenti tepidiùs effectui mancipato, ad nos cogeretur denuò laborare.



EPISTOLA CXXI.

Super irregularitate quondam contracta ab Abbate de Tuphelm respondet Gervasius Episcopo Lundensi.

CARDINALI Episcopo Londensi, (a) Gervasius. Accessit ad nos lator præsentium venerabilis in Christo Frater H. Abbas de Tumetolph proponens, quòd cùm olim, in apostasiâ Diaconatûs ordinem suscepisset, & postmodum

(a) *Cardinali Episcopo Lundensi.* Is erat Andræas Sunonis, suffectus anno 1201. Absaloni, cujus è fratre fuit pronepos, à Regibus genus ducens. Cardinalitia purpura insignitum ignorarunt Ciaconius, Pontanus, discimus ex Gervasio Legatione Apostolicâ, & Archiepiscopali dignitate, apud Danos claruit. Cessit anno 1222. Abbatia Tumpthol, seu potius *Tumetolph*, in Archidiœcesi Lundensi sita est.

modùm à quodam apostolicæ sedis legato circa ordinem susceptum, fuisset misericorditer dispensatum, processu temporis à vobis fuit in Presbiterum ordinatus ad petitionem pariter & ad preces nostri Capituli Generalis; cum autem nuper promotus fuerit canonicè in Abbatem, dicitis vos mirari, quare prohibeatur in majori altari divina officia celebrare, cùm ipsum sufficentia & honestas, Ecclesiæ suæ necessarium esse probent, quia igitur, quòd si ei prohibitum., penitus ignoramus, quidquid à Paternitate vestra circa ipsum actum est., habemus humillimè & gratantissimè approbatum, ex quo sufficienter dispensatum est cum eo, & vos possetis adhuc, si opus esset, cum ipso ex vestræ legationis officio dispensare, & quoniam ipsum tam de sufficientiâ, quàm de fidelitate administrandi habetis in literis, quas ex parte vestrâ recepimus, commendatum, volumus ut administrationis suæ officio pacifice gaudeat atque plenè, & tam in majori altari, quàm ubicunque necesse fuerit, cum eâ solemnitate, quâ decet Prælatum, Divina officia celebrare, non obstante aliquo constituto edito in nostro Capitulo Generali contra ordinatos in apostasia, vel aliquibus literis per surreptionem à nobis, vel à nostro Generali Capitulo impetratis. Valete.

EPISTOLA CXXII.

Scribit Archiepiscopo Coloniensi causas extraordinarias & criminales Ordinis, non nisi à tribunali Ordinis debere examinari & judicari.

DOMINO Archi-Episcopo Coloniensi, (*a*) Gervasius. Ex concordi testimonio Fratrum & Coabbatum nostrorum, nec non & ex humilitate, quam in scribendo nobis, servastis, aliquando præsumimus vehementer, quòd omnes illos diligere debeatis pariter & fovere, qui honestatis & religionis procurant & diligunt incrementum. Nec est dubium, quin discretio vestra satis attendat, quòd omnes, qui piè volunt vivere, persecutionem patiuntur pro nomine JESU CHRISTI. Nuper sanè significatum est nobis, quòd viri Religiosi M. (*b*) Steinfeldiensis & B. de Romersdorff, Abbates, H. Saynensis,

Ec

(*a*) *Domino Archiepiscopo Coloniensi*, B. Engelberto de Altena.

(*b*) *M. Steinfeldensi*, Macario qui anno 1211. Prælaturam iniit, anno 1247. vita defungitur.

B. de Rumersdorp. Brunoni de Braunsberg Abbati Romersdorffii electo anno 1214. denato anno 1236. sacræ expeditionis per Rheni tractum famoso prædicatori, Ludovico Landgravio Hassiæ & S. Elizabeth ejus conjugi à conscientiæ & status Consiliario.

H.... Saynensi, Hermanno primo Abbati Seynæ in Diœcesi Trevirensi, non longè à Confluentia Abbatiæ, ab Henrico & Everhardo Seynæ Comitibus fundatæ anno 1202.

J.... Hinsbergensi Joanni, primo Hinsbergæ præposito, insignis ut dictum est, Canonissarum, Ducatus Juliacensis, parthenonis.

Magistram de Vossenich, vulgo *Fassnich*, Virginum Ordinis Præm. Cœnobium Hambornæ filiale, in Diœcesi Coloniensi, prope Tulpetum, gallicè *Tolbiac*, constitutum anno 1146. ab Hermanno & Petra ejus conjuge civibus Coloniensibus. Hæc Magistra, quam falsæ accusationis temeritas impetiverat, vocabatur Imza, ab anno 1180, ad annum 1226. prænobilis Cœnobii, gubernio præfecta, quod-

& J. Heinsbergensis Præpositi, excitati à vobis ad claustrum Sororum de Vossenich personaliter accedentes inquisierunt diligenter, sicut debuerunt veritatem de quibusdam querelis, quæ inter Abbatem Haburnensem & Magistram de Vossenich ex unâ parte, & quasdam Sorores adjutas ab omnibus ferè conversis Laicis de Vossenich, ex parte alterâ versabantur: qui cum in inquisitione suâ manifestissimè comperissent, quod præfatæ Sorores cum ipsis Conversis ab hoste antiquo seductæ famam Abbatis, quem certissimè credimus esse virum religiosum, nec non & Magistræ niterentur malitiosis infamationibus incrustare, pepercerunt accusantium multitudini propter scandalum, & denuntiaverunt Abbatem, nec non Magistram habere zelum Dei & religionis; & esse super his, quæ eis imponebantur, penitus innoxios & immunes. Verùm quia consuetudo est hostis antiqui, nec non ministerialium suorum, per quos operatur, ut licet sæpe confusi & victi, ad prælium tamen reverti minimè reformident, dictum est nobis, quòd quidam prædictorum accusantium in suâ malitiâ adhuc persistentes obtinuerunt à vobis, ut inquisitio jam facta, personis aliis committatur, licet memorati Abbates & præpositi omni sint exceptione majores, & in negotio longè majori debeat eis credi, ne tamen Paternitati vestræ quisquam suspicionis scrupulus relinquatur, sustinemus ut secunda inquisitio rursum fiat. Rogamus tamen discretissimam benignitatem vestram, quatenus secundi inquisitores de Ordine Præmonstratensi existant, & ut adjungatur eis Venerabilis in Christo frater dictus Abbas de Rumerstorp, apud quem non est, sicut publicè creditur, acceptio personarum. Causas enim Ordinis nostri extraordinariis personis apostolica committi privilegia non permittunt. Præmissis autem adjicimus humiliter supplicando, ut coërceatis tam conversos, quàm sorores, qui contempserint sui ordinis disciplinam, sustineatis etiam si placet, ut sororum numerus determinatus ad vestram petitionem in nostro Capitulo Generali tam in præfato Claustro, quàm alibi observetur. Valete.



EPISTOLA CXXIII.

Episcopus Tornacensis petit sibi in Socium & Contubernalem concedi Canonicum Clari-fontis.

EPISCOPUS Tornacensis Abbati Præmonstratensi. Viro venerabili amico in Christo charissimo Abbati Præmonstratensi, W. (*a*) divinâ gratiâ & miseratione Tornacensis Ecclesiæ minister humilis, salutem & paratam ad obsequia

que tam laudabiliter rexit, ut Adolphus Coloniensis Archipræsul illud in suam protectionem susceperit anno 1194, *Monasterium* inquit *Dominarum in Wufnich, in quo sanctè & religiosè Deo servitur sub nostram &* .... anoo 1216. S. Engelbertus Adolphi successor, Canonissarum Fussnichii cooversatione sancta motus in ampliationem dotis, contulit illis jus patronatus Ecclesiæ in *Bettenhoven*. Tale donum arguit bonos magistræ mores, necdum calumniosa inspersos labe, ergò hoc tempore posterior debet esse Gervasii Epistola.

Abbas verò Hambornensis de crimine insimulatus, erat Fridericus qui innocentia sua in diversis tribunalibus abundantius probata, Circator Proviociæ à Capitulo Generali fuit renunciatus anno 1220.

(*a*) *W.... divina miseratione Tornacensis Ecclesiæ minister.* Walterus de Marvis anno 1218. Goscelino suffectus, fundator Abbatiæ monialium de Pratis, è vivis eximitur 16. Febr. 1251.

voluntatem. Qui me segregavit de utero matris meæ, ut essem initium aliquod creaturæ ejus, eidem placuit nos nuper vocare in gratiam suam, videlicet, constituere caput populi sui, ut simus non salus illi, sed saluti, nam ipse de se solo dicit: salus populi ego sum, credita sanè est mihi dispensatio. Ascendi in montem, non propterea tutiorem, fortius sum locum, sed difficiliorem, sed periculosiorem: cum itaque difficultatibus & periculis circumdatus sum & tenebris, quid restat, nisi ut invocem de tribulatione, & loquatur os meum in amaritudine animæ meæ, & advocem non solum à sinistris fideles dispensatores rerum temporalium, verum etiam à dextris viros probatos in sanctimonia & conversatione, viros religiosos, qui orationum sint socii, sint invitatores, sint denique suâ præsentiâ mihi memoriale, quoniam Maria optimam partem elegit, idcirco eam me debere summopere imitari. Ego igitur, quem quasi opem argumentosam esse deceret, & expediret, de ordine vestro & re & superficie florido, unum de Canonicis Ordinis vestri non excerpere, sed quasi mutuare cupiens, vestram dilectionem, quo possum, exoro, affectu, quatenus Fratri Nicolao Canonico Clari-fontis, (*a*) quem in socium & collateralem meum mihi elegi, mecum commorandi licentiam benignè concedatis, sic autem has primitias precum nostrarum exaudiatis, ut toti ordini vestro me meritò efficiatis familiariorem & loco & tempore favorabiliorem. Valete.

EPISTOLA CXXIV.

Episcopo Fornacensi concedit Nicolaum Clari-fontis Canonicum.

EPISCOPO Turnacensi, Gervasius. Recepimus literas Paternitatis melleam devotionis dulcedinem sapientes, & ea quæ continebantur in ipsis, notavimus diligenter. Postulastis autem, ut fratri Nicolao Canonico Clari-fontis concederemus licentiam morandi vobiscum in officio Capellani, ut idem ipse tanquam vir contemplationi addictus, sollicitudini vestræ inter discurrentes Marthæ turbationes, Mariæ sedentis ad pedes Domini, quandoque memoriam repræsentet. Laudabile siquidem Propositum, & omni acceptione dignum, ut Patres in Pontificatûs apice constituti quærant & faciant sibi latera bona, per quæ possint in sui statûs rectitudine sustentari, ne declinent ad dextram vel sinistram. Et utinam idem Nicolaus talis esset, qui in alterutro vobis prodesse posset, videlicet vel in contemplationis studio, vel in discursibus actionis. Verùm quia non semel accidit, quòd fratres nostros à magnis viris cum instantiâ magnâ petitos, & cum integritate famæ decenter emissos, cum confusione & scandalo quandoque recepimus revertentes, formidamus, nec mirùm, plures rerum eventus, utpote, qui experti sumus, quòd, quamvis lucerna non debeat poni sub modio, sed super candelabrum, cautè tamen providendum est, ne ventorum discursibus exponatur. Tutus sanè locus est claustrum, ubi quot oculi, tot custodes, ubi claustralis viri non aduritur fama de facili uredine boreali. Ad has itaque rationes circa subditos nostros habentes sollicitâ consideratione respectum,

(*b*) *Canonici Clari-fontis.* Abbatia est in Pago Terasciæ & Laudunensi Diœcesi anno 1130. Ordini Præmonst. transcripta, quæ prius à Clericis solitariam sub Alberico Magistro vitam profitentibus incolebatur, nunc autem ad Villeriam, gallicè *Villers-Coste-Rez*, translata subsistit languens.

vellemus, dummodò placeret mansuetudini vestræ, ut dictus Nicolaus resideret in Claustro, & vobis prodesset orationibus licet absens, ac fratribus suis præsens, utilis esset religionis exemplo, attamen quia non solùm primitias, sed & decimas precum vestrarum magni pendendas esse censemus, utpote qui de vobis famâ referente multa bona audivimus, eligentes potius ex devotione & causa exponere nos periculo, quàm prudentiæ nostræ, quòd absit, temerè innitentes, deesse Patri & Domino postulanti, scripsimus viro Religioso Abbati Clari-fontis, ut concedat vobis Canonicum sæpe dictum, nisi placuerit vobis ab hac petitione desistere, & aliundè eligere meliorem. Valete.

EPISTOLA CXXV.

Abbates Angliæ docet quales falsario litterarum suarum, pœnitenti imposuerit pœnam.

ABBATIBUS de Alnevic, de Vellebec &c. (*a*) Gervasius. Mandavimus vobis nuper, ut Fratrem R. Canonicum de Eglestone (*b*) denuntiaretis excommunicatum, & faceretis eum ab omnibus evitari, pro eo, quòd falsaverat litteras nostras ad te Frater de Neuchus, & ad collegas tuos super Ecclesiæ de Eglestone ordinatione transmissas. Verum quia idem R. ad nos accedens humiliter veniam postulavit, licet turbasset nos ultra modum, sed minus fortassis, quàm excessus qualitas exigebat; attendentes, tum quoniam misericordia superexaltat judicio, tum ad petitionem Fratris P. de Welbec de Romana curia venientis, tum ne confusionem induceremus insolitam super capita gentis nostræ, commissum facinus punivimus mitius justo, & remisimus ei de pœna debita non modicam quantitatem. Ne tamen hujus excessus impunitas aliis subministret audaciam delinquendi, injunximus ei, ut omni sextâ feriâ usque ad septennium jejunet in pane & aqua, nisi festum duplex occurrerit, vel ipse minutus fuerit vel infirmus. Singulis etiam septimanis dicat psalterium unum, & recipiat correptionem unam, & usque ad Assumptionem Beatæ Virginis

(*a*) *Abbatibus de Alnewick, de Vellebet, de Neubus, de Croxtone.* Quatuor Abbatiæ Ordinis Præm. in Anglia. Harum prior est in agro Northumbrensi, intra fines Diœcesis Dunelmensis anno 1147. ab Eustachio de Vescy, Barone de Alnewick fundata.

Wellebet. Filia Neuhusii Diœcesis Eboracensis Abbatia, authorem habens Thomam de Flemmangh anno circiter 1167.

Neubus. De illis actum est in antedictis. *Croxtone*, Filia Neuhusii in Diœcesi Lincolniensi, tempore Henrici 2. Regis à Willelmo Parcario de *Linus* fundatore manavit.

(*b*) *Canonicum de Eglestone*, meminit Pagius in Abbatiarum sillabo, *Englestone* in Eboracensi Diœcesi, positæ, talem in Catalogo Religiosarum ædium, non recenset Harpsfeldius sub illa Diœcesi, sed in Comitatu Suffolciæ, *Leystone* appellat Albarum Canonicarum Præmonstratensium Monasterium. Nullibi verò Eglestone invenias, quare emendandos puto & Gervasium & Pagium qui *Eglestone* pro Leystone scripserunt, non vacat etiam errore Harpsfeldius, qui quod Viris deputatum erat cœnobium, Virginibus adjudicavit. Cartha Richardi 2. Regis quæ jacet in Monastico Anglicano, falsitatem revelat Harpsfeldii, est enim Abbati non Abbatissæ locus traditus à Radulpho de Granvill, temporibus Henrici 2.

Virginis abstineat à divinis. Præterea volumus & mandamus vobis, quatenus ipsum in Ecclesia aliqua nostri ordinis, in qua faciat obedientiam, collocetis, salvo eo, quòd nec in Ecclesia de Wellbec, nec in Ecclesia de Croixtone, aliquatenus commoretur. Sanè si ad Cistercienfem Ordinem duxerit divertendum, sufficere poterit pœna illa pro omnibus supra dictis. De Ecclesia verò de Eglestone, quia videtur, quod tu Frater de Neuhus & collegæ tui de Croixtone, de Wellbec Abbates in hoc concordetis, quod Ecclesia de Eglestone maneat Abbatia, ea quæ ibidem facta sunt de restitutione Abbatis, & de aliis, sustinemus & sustinebimus patienter, nisi nobis contraria, quod absit, de eadem Ecclesia fuerint nuntiata, alia verò quæ per falsatas litteras facta fuisse noscuntur, ut irrita esse censemus. Adhæc quia Helias quondam Canonicus Sanctæ Agathæ (a) falsavit sigillum nostrum, sicut confessus est Frater R. propriâ manu suâ, mandamus vobis, quatenus si in partes vestras venerit, faciatis eum ab omnibus arctius evitari, donec vel absolutionis sententiam à nobis receperit, vel se super objecto crimine purgaverit competenter.

EPISTOLA CXXVI.

Præcipit Suppriori Sancti Mariani Altissiodorensis electo Abbati Dei-loci de Jardo acquiescere suæ electioni sub pœna excommunicationis.

ABBATI Dei-Loci, (b) Gervasius. Si attendissent dilecti nostri, & utinam diligendi Abbas (c) & J. Supprior Sancti Mariani Antissiodorensis, quod primus sit humilitatis gradus, secundùm beatum Benedictum, obedientia sine mora. Si iterum in memoria habuissent, quod quasi peccatum sit ariolandi, nolle obedire, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere; neuter eorum contexuisset occasiones vel excusationes, per quas perturbarent sollicitudinem nostram multipliciter occupatam, vel Ecclesiæ Dei-Loci in Jardo, (d) quæ vacat, negotium retardarent; alter siquidem eorum, videlicet Supprior, injunctum sibi in virtute obedientiæ administrationis onus stultè, ne verò parcamus, & pertinaciter recusavit; alter verò Abbas scilicet, & Fratres Loci-Dei, qui ad eum de longinquo venerant, misit ad nos, quasi ruptis loris modulum quæsituros, ut Præmonstrati consulerent sapientiam Salomonis, qualiter Supprior, quem præceperamus cogi, si contradiceret electioni suæ, per ipsum Abbatem cogi deberet, mirabilis quæstio, & utinam nunquam facta, cum satis constet religioni & discretioni suæ,

Ff

(a) *Canonicus Sanctæ Agathæ*, hæc Abbatia secus Richmundiam in Diœcesi Eboracensi, Roaldum habuit fundatorem Regis Angliæ Constabularium.

(b) *Abbati Dei-Loci*, gallicè *Dilot*, Diœcesis Senonensis Abbatia, à metropoli quinque dissita horis, filia Vallis-secretæ anno 1132. à Ludovici cognomento Crassi liberalitate sumpsit initium. Præerat tempore Gervasii isti Abbatiæ Petrus.

(c) *Abbas & J. Supprior Sti. Mariani Altissiodorensis.* Abbas ille Norbertus erat, qui ex prioratu ad prælaturam ascendit anno 1207, quam anno 1222. fato urgente dimisit.

(d) *Dei-Loci in Jardo.* Abbatia Ordinis Præm. Diœcesis Pictaviensis, cujus fundationem & dotem sibi vindicat Richardus Angliæ Rex in suo diplomate dato sub annum octavum Regni sui, id est sub annum 1196.

quod nec per mutilationem membrorum, nec per incarcerationem compellimus ad obediendum subditos nostros, sed per virtutem obedientiæ, quæ debet esse cuilibet religioso quasi tuba de cœlo sonans, & per excommunicationis sententiam, quæ rebelles & obstinatos afficit tædio, donec ab errore suo consultius resipiscant, maximè cum vexatio stolidis, & indurati cordis hominibus dare consueverit intellectum. Quia igitur neuter eorum, unde gravissimè conturbamur, ea quæ Dei sunt, in hoc facto ostendit, nec suum aliqua authoritate, vel exemplo potest excusare peccatum, quantumcunque abundent scientiâ litterarum. Fraternitati vestræ præsentium authoritate mandamus, & in virtute obedientiæ districtè præcipimus, quatenus ad Ecclesiam Sancti Mariani personaliter accedentes sæpedictum Suppriorem, sive præsens fuerit, sive absens, excommunicetis in Capitulo publicè, & faciatis eum tanquam excommunicatum ab omnibus arctius evitari, donec electioni de se factæ humiliter acquiescat, sciturus pro certo, quòd nunquam à nobis per alterius, vel per aliquorum quantumcunque potentium preces absolutionis beneficium obtinebit, donec susceperit onus sibi injunctum, & ierit ad Ecclesiam Loci-Dei, & receperit obedientias Fratrum, & administraverit in officio suo ad minus usque ad proximum Capitulum Generale, & interim à Domino Pictaviensi Episcopo, vel ab alio per ipsius, vel Ecclesiæ suæ mandatum receperit, quantùm in eo erit, benedictionem Abbatis, nec speret aliquatenus, quòd ad nos veniens animum nostrum, de cujus mollitie plusquàm deceret, plerique confidunt, ab hujus executione mandati debeat revocare.



EPISTOLA CXXVII.

Rogat Abbatem Branæ, ut Clericum sæcularem ad Religionis habitum admittat.

ABBATI Branensi, (*a*) Gervasius. Cum exigente charitatis affectu nulli Ecclesiæ gremium debeat esse clausum, profectò manifestum se porrigit argumentum, quòd non debet illis claudi, qui sibi columbæ pennas assumunt, ut volent, & elongent hujus sæculi dies malos, & in solitudine claustrali manentes exspectent eum, qui cor humiliatum nunquam despicit & contritum; sanè cum lator præsentium B. Clericus ad nos veniens rogaverit nos humiliter & devotè, ut ei religionis habitum concedere curaremus, nos attendentes piam ejus devotionem, quam in modo petendi prætendere videbatur, nos recepissemus eum, sed sumus satis onerati receptis, & vellera nostra non sufficiunt ad omnes, qui ad nos venerint, vestiendos. Nos tamen ipsius B. devoto proposito nolentes omninò deesse, ipsum Fraternitati vestræ, de quâ plurimùm confidimus, duximus transmittendum, rogantes attentè, quatenus tum charitatis intuitu, tum precum nostrarum interventu ipsum recipiatis in Canonicum, & in Fratrem, ut in Ecclesiâ vestrâ annos suæ immolans juventutis sicut oliva fructifera in domo Dei, bonorum operum fructificet ubertate, & nos inde vobis teneamur ad gratiarum uberes actiones.

(*a*) *Abbati Branensi* Stephano, qui Abbatiam adiit anno 1214. postquam, Benjamin ejus prædecessor Moncellum postulatus migravit.

EPISTOLA CXXVIII.

Abbati d'Alnewic scribit Gervasius pro admissione Clerici ad habitum Religionis.

ABBATI de Alnevic, Gervasius. Si secundum Apostolum mutuam inter nos volumus charitatem habere, non debemus avertere manum nostram ab his, qui consilium nostrum in animâ suâ ponunt, & sic dum tempus habent, illuminare curant oculos mentis suæ, ut relictâ Ægiptiacâ servitute confugiant in desertum, ubi vacent ac serviant soli Deo. Sanè lator præsentium Philippus clericus, quem, secundùm quòd dictum est nobis, esse credimus vitæ ac conversationis honestæ, hujus mundi vanitates attendens ac cupiens ad exemplum pueri Samuelis sub tunica ad mensuram suæ humilitatis parva, tabernaculo deservire, nobis humiliter supplicavit, ut ipsum in Ecclesia vestra recipi faceremus, in qua possit secundùm ordinem suum Domino famulari. Nos verò attendentes, quod debemus devotis non solùm viam ostendere, quâ possint in Jerusalem proficisci, verùm etiam aperire portas ut ingressi confiteantur ac serviant Jesu Christo, ipsum Philippum ad vos duximus transmittendum, rogantes, quatenus intuitu Dei & nostri, eidem religionis habitum concedatis, tantùm inde facientes, quòd preces nostras sibi sentiat profecisse, & nos vobis teneamur ad gratiarum uberes actiones. Valete.

EPISTOLA CXXIX.

Archiepiscopus Rothomagensis Epistolam Portuensis Episcopi sibi inscriptam suis suffraganeis notificat, ut comprimendis Albigensibus auxiliatrices manus suppeditent.

G. ROTH. Episcopus Suffraganeis suis. (*a*) G. Dei gratia Archiepiscopus Roth. Venerabilibus Fratribus omnibus Suffraganeis suis salutem, gratiam & benedictionem. Litteras Venerabilis Patris C. (*b*) Portuensis & Sanctæ Rufinæ Episcopi Apostolicæ Sedis legati recepimus in hæc verba. Venerabilibus Patribus Dei gratia Archiepiscopo Rothom. & ejus Suffraganeis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Capitulis in Rothom. provincia constitutis C. ejusdem miseratione Portuensis & sanctæ Rufinæ Episcopus Apostolicæ Sedis legatus salutem in Christo Jesu. Dum pro sponsa veri crucifixi vestrum cogimur auxilium postulare, potius compellimur lacerare singultibus, & plorare. Ecce enim derelicta est filia Syon ut umbraculum in vinea, sicut tugurium in cucumerario, & sicut Civitas quæ vastatur. Dicere compellimur cum

(*a*) *G. Roth Episcopus suffraganeis suis*, Gaufridus Rothomagi Archiepiscopus creatus anno 1111. eloquentia pollens, clerum & populum catholicè docuit, Ecclesiæque Dei septemdecim annis præfuit, inquit Goffridus Brito. Obiit 4. Kal. Decembris 1228.

(*b*) *C. Portuensis Episcopi* Conradi, qui anno 1210 Legatus Apostolicæ Sedis adversus Albigenses ab Honorio transmissus, concilia indixit anno 1223. Parisiis & Senonis pro extirpatione hæreseos Albigensium, & Epistolam hanc scripsit, quam ex parte transcripsit Parisius & post Parisium Raynaldus sub annum 1223.

Propheta: Noli incumbere ut consolemini me super vastitate filiæ populi mei. Dies enim est interfectionis, conculcationis & fletuum, non est, qui sustentet eam ex omnibus filiis, quos genuit &c. Ecce annus retributionis Syon, possidet eam onocratalus, hericius, & ibix. Ecce extenditur super eam mensura in desolationem, & perpendiculum, ut redigatur in nihilum. Ecce pro foribus in facie nostra lamiæ nudatis mammis catulos suos lactant, irruunt in Dominum, servis videntibus & præsentibus vespiliones & ysauræ perfidiæ, nec est qui arripiet gladium ultionis; qui derident Sabbatha nostra, & Dominum dereliquerunt, blasphemant sanctum Israël, nec est, qui causam astruat crucifixi. Clamat Propheta, sed altissimus per Prophetam: surdi audite, & cæci intuemini ad videndum, qui cæcus, nisi servus meus, & surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? quem non moveat, quòd Dagon erectus est contra arcam, conculcatur & confringitur. Ecce quod vidimus loquimur, & quod audivimus testificamur. Ille homo perditus est, qui extollitur super omne quod colitur, aut quod dicitur Deus, jam habet perfidiæ suæ præambulum hæresiarcha, quem hæretici Albigenses Papam suum vocant, habitantem in finibus Burgarorum, Croaciæ & Dalmatiæ juxta Hungarorum nationem: ut per Antipapam de cætero moras Anti-christi breviores esse minimè dubitetur, dum novus Lucifer novis arrogantiæ follibus intumescens sedem suam contendit ponere in lateribus aquilonis, non tam ut sit similis altissimo, Apostolorum principis successori, quàm ut ipsum cum universali Ecclesia deprimat, & annullet. Hinc est, quod Papa perfidiæ, qui maceriam vineæ Domini Sabaoth jam magna parte dedit in direptionem, & singularis ferus vineam depascitur & conculcat; ad eum confluunt hæretici Albigenses ut ad eorum consulta respondeat, ejus inhiantes doctrinis, & ejus damnatæ sectæ judicia complectens. Iste Sathan quendam suæ perversitatis hominem usque in Agensem Diœcesin destinavit nomine Bartholomæum Cartes, (a) est enim de Carcassona oriundus, vices illius Antipapæ agentem, ut illis corruptis partibus propinet uberius fel Draconis in calice Babilonis. Cui Bartholomæo Vigorosus de Barcelona Episcopus funestam exhibendo reverentiam, sedem & locum suum concessit in villa, quæ dicitur Poreus, & se ipsum transtulit in partes Tholosanas. Iste est Bartholomæus, qui in litterarum suarum undique discurrentium pio salutationis alloquio se intitulat in hunc modum: Bartholomæus servus servorum hospitalis sanctæ fidei, tali salutem. Ipse etiam, quod est detestandum dictu, & horrendum auditu, creat Episcopos, & Ecclesias perfidiæ ordinare contendit. Et inter has & alias enormitates nullus prosilit Mathathias, qui irruat in Judæum idolis sacrificantem; nullus est Othoniel, qui velit liberare Israël à jugo Chusan Rasathaim; nullus ascendit Samgar, qui vomere percutiat Philistæos; non est Gedeon, qui liberet Israël de manu Madian. Ecce vir levites concidit in duodecim frusta uxorem, quam acceperat de Bethlehem Juda, & misit in terminos Israël, quâ habitatores turpiter Gabäa sunt abusi; sed heu filii Israël pariter non congregantur, ut hujus perpetratores flagitii persequantur. Queritur fides Jesu Christi, & non est, & qui opponat se murum pro domo Israël, non est, qui ex adverso ascendat, & tandem sanguis perditorum de manu negligentium requiritur. Hinc est, quod vos monemus instantiùs,

(a) *Bartholomæum Cartes*, hic Albigensium pseudopapæ vicarius, Barcinonensem Episcopatum, ex cessione Reverentiali titularis Episcopi invasit. Mutilatam hinc agnosce, à Parisio relationem Epistolæ Portuensis Episcopi, in qua fusior ista nominum & rerum narratio omissa est.

instantiùs, rogamus attentiùs, & per aspirationem Sanguinis Jesu Christi propensiùs obsecramus, atque authoritate Domini Papæ, quâ fungimur in hac parte, districtè præcipientes, quatenus veniatis Senonam in octavis Apostolorum Petri & Pauli proximè futuris, ubi & alii Prælati futuri favente Domino congregabuntur, parati consilium dare negotio prædicto, & cum aliis, qui tunc aderunt, providere super negotio Albigensi, alioquin inobedientiam vestram Domino Papæ curabimus significari. Datum VI. Nonas Julij 1223.

EPISTOLA CXXX.

Fridericum Imperatorem pro restitutione Sancti Samuelis & Sancti Abacuc exorat.

DOMINO Imperatori Gervasius Præmonstrati Abbas. Magnifico & Serenissimo Domino F. Dei gratiâ Romano Imperatori semper Augusto, Regi Jerusalem & Siciliæ illustri, Gervasius, Dei patientiâ Præmonstrati dictus Abbas salutem, & cum orationibus paratam ad obsequia voluntatem. Congratulari & gaudere debet meritò devotio populi Christiani, pro eo, quòd in negotio peregrinationis transmarinæ providit Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui ante multitudinem signatorum posset intrare & exire, scilicet vos, (a) qui, secundùm quod speratur de gratiâ conditoris, sub cujus potentiâ omnes nationes existunt, posuit vos quasi alterum Josue, ut in terram promissionis introducatis populum Christianum dexterâ Domini adjutrice, & ab eadem spurcitias gentilium extirpetis, ut effugatâ idololatriæ fœditate inferatur ibidem & servitus & religio JESU CHRISTI, & mater nostra Jerusalem, quæ peccatis exigentibus sub jugo infidelium permansit ancilla, restituatur pristinæ libertati. Sanè cum inter alias religiones, quas in orbe terrarum summus agricola mirâ varietate plantavit, professionis nostræ semen suderit in terrâ, quam proprio sanguine consecravit, in duabus Ecclesiis, videlicet Sancti Samuelis & Sancti Abacuc, quæ fundatæ fuerunt ibidem & destructæ postmodùm, cum gentes venerunt in hæreditatem Domini, & templum sanctum suum ex spurcitiis suis polluerunt, Magnificentiæ vestræ attentissimè in Domino supplicamus, quatenus intuitu Dei, & totius Ordinis orationum, in hoc per gratiam vestram sentiamus auxilium & consilium vestrum in tempore opportuno, cum dexterâ illa sanctâ expulsi fuerint Chananæi gentium incredulitate fusa, quòd illæ duæ prænominatæ Ecclesiæ, quarum alteri, videlicet Ecclesiæ Sancti Samuelis præfecimus latorem præsentium virum venerabilem Magistrum Ægidium Capellanum vestrum, Ordini nostro reddantur, ut quasi Jordane transito Fratres nostri quasi duodecim lapides in testimonium & memoriam ipsius Ordinis de arcâ professionis reponantur, & collocentur ibidem.

(a) *Providit Dominus Deus Spirituum .... qui ante multitudinem possit intrare & exire, scilicet vos.* Hæc Epistola anno 1220. scripta est, dum Fridericus I. Imperator in Norimbergicis Comitiis pollicitus est Honorio 3. velle incunctanter transmarinum iter aggredi, quod usque modò variis fucatisque coloribus distulerat arripiendum.



EPISTOLA XXXI.

Gregorius nonus suam promotionem Archiepiscopo Remensi, ejus Suffraganeis & Provinciæ Abbatibus denunciat, ac cruce signatos ad sacram peregrinationem suscipiendam cogendos esse suadet.

GREGORIUS Papa Remensi Archi-Episcopo. Gregorius servus servorum Dei Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Remensi & Episcopis ac dilectis Filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, & eorum Capitulis in Remensi provincia constitutis salutem & Apostolicam benedictionem. Alto illius, qui est sacerdos in æternum secundùm ordinem melchisedec, concilio agitur, ut cum ejus Vicarii sibi succedentes vicissim morte prohibeantur diutius permanere, interdum ad sponsæ ipsius regimen infirmitate circumdati assumantur, ut ex seipsis cognoscant, qualiter infirmis compati debeant, & his qui ignorant & errant, valeant condolere, non sibi sumentes honorem, sed tanquam Aaron divinitus evocati, ac manifestè appareant, quòd non ab homine, nec per hominem, sed ab ipso solo, qui est benedictus in sæcula, regatur sponsa sua. Sanè bonæ memoriæ H: Papa prædecessore nostro, decimo quinto calendas aprilis (*a*) soluto debito carnis de præsenti sæculo nequam erepto, & in crastinum juxta morem ejus celebratis exequiis, & ipsius corpore ad tumulum deportato, unà cum Fratribus nostris ad eligendum convenimus successorem, & Missâ, ut moris est, in honore Sancti Spiritûs devotè & solemniter celebratâ, post aliquantulum tractatum de substitutione pontificis, omnes pariter ad imbecillitatem nostram quasi divinitus inspirati oculos direxerunt, & nobis renitentibus & invitis cum multâ instantiâ & etiam violentiâ conati sunt humeris nostris imponere onus istud, cujus gravitatem pertimescendo non modicè non posse portare; licet suscipere fuerimus plurimùm reluctati; metuentes tamen, ne videremur inspirationi Divinæ resistere, tandem submisimus humeros ad portandum, sperantes in eo, qui jugum suave misericordiâ suâ facit & onus leve præduce charitate; quòd ipse qui vota Fratrum aspirando prævenit, adjuvando etiam prosequetur: fiduciam enim talem habemus per ipsum ad Deum, non quòd sufficientes sumus aliquid cogitare à nobis, quasi à nobis, sed nostra sufficientia ex Deo, qui nos suos voluit esse ministros. Sollicitudine igitur Ecclesiasticæ provisionis susceptâ & de vobis plenâ conceptâ fiduciâ, quos nobis providentia conditoris ad tanti oneris gravitatem faciliùs perferendam, ad participium nostræ sollicitudinis evocavit, universitatem vestram rogandam duximus & monendam exhortantes in Domino, quatenus insufficientiam nostram apud Deum, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, orationibus adjuvetis, ut quod possibilitas nostra non obtinet, suâ nobis gratiâ largiatur, & sic susceptum ministerium peragamus, qui ad Dei cedat honorem, nostram salutem, & totius populi Christiani. Vos ergò Fratres Archiepiscope, & Episcopi circa commissam vobis Dominici gregis curam diligenter & utiliter vigilantes nostrum satagatis

(*a*) *Quinto Calendas Aprilis soluto debito carnis.* Anno autem 1227. moritur Honorius 3. & Hugo Cardinalis tituli Sti. Eustachii natione Campanus de Anagnia & de Comitibus Signiæ, Pontifex assumitur feria sexta hebdomadæ quintæ Quadragesimæ.

humiliter supplere defectum, & injunctam nobis pastoralis oneris gravitatem vigilanti studio comportetis; nos enim vos tanquam principalia membra Ecclesiæ honorare intendimus, & in quantùm concesserit Dominus, in vestris necessitatibus adjuvare. Ad hoc volumus & mandamus, ut singuli vestrûm cruce signatos suarum Diœcesium efficaciter moneant & inducant, si necesse fuerit, sublato appellationis obstaculo, Ecclesiasticâ censurâ compellant, ut se viriliter & potenter ad iter peregrinationis transfretantes ad Terræ Sanctæ subsidium in instanti passagio disponant, & sic reddituri Domino vota sua, quòd in oculis Divinæ Majestatis complaceant, & præmium vitæ recipere mereantur ab eo in retributione justorum. Valete.



EPISTOLA CXXXII.

Parcensis Abbas pro avertenda calamitate imminente suo Monasterio Gervasium interpellat.

PARCENSIS Abbas (a) Abbati Præmonstratensi. Reverendo Patri & Domino suo in Christo charissimo Domino G. Dei providentiâ Abbati Præmonstratensi Frater H. Parcensis Ecclesiæ dictus Abbas, salutem & cum debitâ obedientiâ devotissimam reverentiam. Viri illustres & magnifici Principes Dux Brabantiæ, & Comes Flandriæ (b) collecto exercitu, sicut pro certo tenetur, præparant se ad bellum mutuum, & ad sæviendum in terram alterutrius propter vecordiam conceptam inter eos, quæ ex negotiis Domini Engelberti de Algeren, & Domini Sigeri filii ejus maximâ ex parte processit. Cùm autem idem Dominus Sigerus indignationem suam effuderit super nos, eo quod à Domino Duce ad virum nobilem Comitem Flandriæ pro legatione suâ fuerimus destinati, timemus utique, ne fortè, si Dominum Comitem cum virtute exercitûs in terram Brabantiæ intrare contingat, Dominus S. occasione acceptâ sæviat in res & bona Parcensis Ecclesiæ, abducendo prædia de ipsis rebus, vel ædificia & domos per incendium penitus subvertendo. Inde est, quòd quasi de ventre inferi & de tribulatione ingruenti clamamus ad vos, venerande Pater, vestram clementiam humiliter implorantes, quatenus à Domino Ingelrammo obtinere dignemini, ut litteras suas ad Dominum Sigerum & ad Dominam de Ninive dirigat, ne per eos, vel suos fiat violentia in rebus Parcensis Ecclesiæ, sicut nec fieri debet, cum à nobis, vel à Fratribus Ecclesiæ nostræ nihil prorsus sit actum vel dictum, quod in eorum sit contumelia convertendum. Valete.

(a) *Parcensis Abbas.* Hivanus, sive Ivuanus claro Bierbacensium Baronum Genere satus, ad Abbatiam Parcensem promotus anno 1212, illam morte interveniente deservit anno 1226.

(b) *Viri Illustres Dux Brabantiæ & Comes Flandriæ.* Henricus I. Brabantiæ Dux, & Ferrandus ex Joanna Conjuge, Flandriæ Comes, quos inter bellum sæviisse, dum narrat Abbas, ex negotiis Engelberti de Algeren procedens, factum refert, quod in Chronicis Flandrensibus & Brabantinis nusquam legi.

EPISTOLA CXXXIII.

Abbas Sancti Judoci in Nemore excusatorias absentiæ suæ à Capitulo Generali litteras scribit Gervasio.

ABBAS Sancti Judoci (a) Abbati & Capitulo Præmonstratensi. Reverendo Patri & Domino G. Dei gratiâ Præmonstratensi Abbati, cæterisque Abbatibus ad Generale Ordinis Capitulum in Christi nomine congregatis, Th. ejusdem patientiâ Sancti Judoci in Nemore qualiscunque dictus Abbas, salutem in Domino & filialis obedientiæ humilem in omnibus famulatum. Quamdiù & quam libenter vestrum Capitulum nostra parvitas frequentare satregerit, Vestram Sanctitatem non credimus ignorare. Nunc autem disponente Domino de nobis, in manu cujus mors & vita hominum, qui flagellat omnem filium, quem recepit, tam gravi & tam periculosa corporis invaletudine laboramus, quòd vobis ad præsens nostræ parvitatis præsentiam non possumus exhibere. Unde dilectum Suppriorem nostrum P. latorem præsentium ad vos procuravimus destinare cum ipso & pro nobis vestram misericordiam exorantes, quatenus causâ tam rationabili prætensâ nostram sufficienter excusatam absentiam habeatis. Nos enim per gratiam Dei semper fuimus, & vitâ comite semper parati erimus unitati Ordinis obedire. Valete.

EPISTOLA CXXXIV.

Gervasius probibet ne quisquam immutare præsumat formam cantûs & ceremoniarum, nec non constitutiones quas Emo Abbas Floridi-Horti ex Præmonstrato exscriptas, invexerat in suum Monasterium.

GERVASIUS Dei patientiâ Præmonstratensis dictus Abbas. Venerabilibus in Christo Fratribus Ordinis Præm. Abbatibus universis, has litteras inspecturis, salutem & sinceram in Domino charitatem. Non facilè debet convelli, quod cum labore conficitur, nec à filiis immutandum, cui patrum autoritas suffragatur, quin potius in sua debet semper integritate persistere, quod constat esse, & multâ diligentiâ comparatum, & providâ patrum sanctione statutum, sed & propriâ insuper honestate subnixum. Sanè dilectus in Christo Emo (b) Floridi-Orti Provisor nuper veniens Præmonstratum, multo sategit studio,

(a) *Abbas Sti. Judoci*, postea Domni Martini à translatione sedis, Abbas dictus, Thomas erat Joannis 1. successor factus anno 1210, mortuus mense martio anni 1214. Est autem Abbatia hæc in Artesiæ agro. Primum rectorem habuit B. Milonem Taruanensium anno 1131. electum antistitem. Anno 1124. in Sti. Judoci eremo fundamenta Canoniæ locata sunt, & anno 1163. ex Sti. Judoci nemoroso secessu, ad Domni Martini prædium ædes transtulit Adamus Abbas.

(b) *Emo Orti-Floridi Provisor.* Emo primùm plebanus fuit Husdingi, hodie *Husinge*, uno à Groninga milliari, vitæ solitariæ succensus desiderio, cum æquivoco Emone de Romerswerf, in Werumensem secessum, dimisso pastoratu se recepit, & factus

studio, multâ curavit instantiâ, ut in Ecclesiâ suâ, quæ adhuc nova est libri Ecclesiastici haberentur secundùm usum omnino & ordinem quo ipsa Ecclesia Præmonstratensis utitur in cantu. Ordinarium quoque ad exemplum nostri, & Institutiones conscripsit, & quas in scriptis non invenit expressas. Quoniam ergo omne totum pulchrius elucescit, si partes à se ipsis non discrepant, & membra eò rectius disponuntur, quò suo capiti cohærentia, conformantur, Nos ipsum Emonem, qui ad hoc sollicitiùs laboravit, ut Ecclesia sua, suo toti, hoc est Ordini conveniret, & suo capiti, videlicet Ecclesiæ nostræ per identitatem consuetudinum cohæreret, attentiùs in Domino commendamus, præcipientes districtiùs in virtute Spiritûs Sancti, & sub pœnâ excommunicationis, quatenus usus legendi, pariter & cantandi, quem ad uniformitatem Ordinis conservandam, secum tulit à nobis, in Ecclesia Floridi-Orti, perpetuò modis omnibus habeatur. Nec Priori, Abbati, nec alicui Ordinis nostri Professori aliquatenùs liceat, omnium eorum quæ notavit, aut scripsit, jota unum, vel unum apicem immutare: sciturus qui hoc fecerit, se ex eâ horâ sententiam excommunicationis incurrisse, quâ aliquid prædictorum omnium immutare præsumpserit, nisi mutationem illam in Præmonstratensi Ecclesiâ factam esse noverit & receptam. Datum Præmonstrati VI. Idus Junij anno M CC XIV.



EPISTOLA CXXXV.

Gervasius Hortum-Floridum ut Filiale Monasterium in se suscipit & Præmonstrato adjicit.

GERVASIUS Dei patientiâ dictus Abbas Præmonstratensis, omnibus in perpetuum. Notum esse volumus tam præsentibus quàm futuris, quòd cum Ecclesia Floridi-Orti in Frisiâ per gratiam Dei dilatari cœpisset, ita quòd surgens de paupere fundamento, jam haberet incrementum, quoniam vir religiosus Emo ejusdem loci præpositus, qui fuit unus de duobus primis habitatoribus & fundatoribus dicti loci, idem præpositus tandem veniens ad Generale Capitulum Præmonstrati, se obtulit, & locum suum, Ecclesiæ & Ordini Præmonstratensi, quem elegit & professus fuerat, à primis Ecclesiæ sibi commissæ fundamentis, ipsamque Præmonstratensem Ecclesiam immediatè matrem elegit, ut Ecclesia Floridi-Orti, tanquam filia specialis Præmonstrati, (a) per Præmonstratensem Abbatem, tamquam per Patrem regatur, secundùm

& factus est multorum discipulorum Pater, quos secum normæ Præmonstratensi ascripsit. Florebat ingenio, eruditione, pietate & doctrinâ Emo. Chronicon scripsit à Clar. D. Mathieu typis vulgatum. Multis post mortem miraculis refulsit, à continuatore Chronici relatis. In beatorum albo locum Emo obtinuit etiam apud exteros, qui ante subversionem Floridi-Horti ad tumulum supplices concurrebant, gratias sanitatum sæpius experti.

Floridus-Hortus patrio idiomate, & à villa in qua situs erat, denominationem repetens, *Werum* dicebatur, Groningam inter & Dammonam positus, anno 1214. Ordini Præm. attitulatus est, & anno 1561. in vim diplomatis Pii 4. Collegio Cathedralis Ecclesiæ Groninganæ cessit. Paulò post & Monasterium & Cathedralem deglutivit hæresis.

(a) *Tanquam filia specialis.* Ratione paternitatis, acquirit Abbatia paterna jurisdi-

quòd Ordinis exigunt instituta. Nos autem devotionem ipsius & suorum, in Domino commendantes, sicut erat meritò commendanda, recepimus eum in filium & Ecclesiam suam in filiam spiritualem. Ne igitur futuris temporibus super hoc possit aliquis scrupulus suboriri, præsentes litteras, in testimonium rei gestæ conceptas, sigilli nostri appensione duximus roborandas. Actum anno gratiæ M CC XVII.



EPISTOLA CXXXVI.

Honorius III. Cives Flandriæ & Brabantiæ ad auxilium Terræ Sanctæ adhortatur.

HONORIUS Papa, Flandriæ & Brabantiæ Fidelibus. Honorius Episcopus Servus Servorum Dei universis Christi Fidelibus per Flandriam & Brabantiam constitutis salutem & Apostolicam benedictionem justus Dominus in omnibus viis suis, qui unicuique pro meritis condignâ retributione respondet, circa negotium Terræ Sanctæ spem populi Christiani fovit aliquando prosperis, & aliquando debilitavit adversis. O quantùm Christicolis videbatur arridere prosperitas; O quantùm illuxisse videbatur Fidelibus fœlicium aura successuum, quando cruce signatorum exercitus Ægyptum aggrediens post turrim captam, post transitum fluminis, post hostes exterritos, in adversariorum stationibus castra fixit, & Damiatam quæ robur censebatur Ægipti, duris obsidionibus & angustiis coarctavit. Res quidem agebatur mirabilis, cum Dominus, qui elegit infirma mundi, ut confunderet fortia, civitatem expugnationi difficilem eo tempore tradidit gentibus belli ejus, quo invaluerat multum partis adversæ potentia, & abreviatus erat non modicum nostrorum numerus bellatorum, habebat autem in his universitas Christiana, unde protenderet quasi certæ spei fiduciam in futurum. Verùm succedentibus prosperis victores obliti nomen Domini post triumphum; dato virtutibus libello repudii sic contraxere cum vitiis, quod detrahebatur fidei, ubi convertendi fuerant infideles, & major erat peccatorum commissio, ubi major remissio sperabatur. Quapropter provocatus Dominus dexteram in sinistram, & gratiam mutavit in iram, citharam nobis vertit in luctum, & gaudium transtulit in mœrorem, cum nostris in manu hostili conclusis & prædictâ Damiatâ, brevi dierum numero sic exinaniti sunt temporis longi labores, quòd non solum blasphemorum injuriis nomen est expositum Christianum, verùm etiam quod ad aliquos, qui aliquando communicaverant fidei, contemptui datus est ipse Christus; unde facta est durior post prosperitatem adversitas, & eo minus habuit consolationis afflictio, quô minus argumenta prosperitatis præteritæ subsecutæ jacturæ pati poterant esse jacturam. Sed licet iniquitates nostræ quandoque diviserint inter nos, & Deum nostrum, non est tamen aggravata ejus auris, ut non exaudiat, nec abbreviata manus ejus, ut salvare non possit, misericordiam quippe non continebit in ira, quia saltem propter nomen suum, ne ulteriùs blasphemetur in Gentibus, potenter exurgens judicet causam suam, & exaltans humiles in sa-

ctionem & præeminentias in filiale monasterium; jus nempe visitationis, correctionis morum, præcedentiæ, appellationis, & alias prærogativas, quæ tam in veteribus, quàm in modernis constitutionibus Ordinis Præm. exprimuntur.

lutare, iniquos abigat & consternat elatos. Ecce ipsius inspiratione, ut firmiter credimus, charissimus in Christo filius noster Fridericus illustris Romanorum Imperator semper Augustus, & Rex Siciliæ emissis multis arduisque negotiis, quorum onus honorem imperialis celsitudinis sequebatur, venit ad nos Campaniam nobiscum de prædictæ terræ subsidio tractaturus, ibique præsentibus venerabili Fratre nostro Patriarchâ, atque aliis, quos ad tractatûs hujusmodi de diversis partibus mundi vidimus adhibendos, singulis quæ natura negotii requirebat, diligenti meditatione pensatis, idem Imperator ad nostrum beneplacitum, & consilio prædictorum transfretandi terminum in festo S. Joannis Baptistæ post biennium proximè secuturo pararâ voluntate suscepit corporale super hoc exhibens spontaneus juramentum. Denique ut ad id plenius suum manifestaret affectum, & plus fidei daretur negotio, ac omnis suspicionis contrariæ scrupulus tolleretur, ad instantiam Patriarchæ prædicti se ducturum in uxorem legitimam filiam Regis, eidem jusjurandi religione firmavit. Sanè probabili præsumptione probamus, quod à Domino factum est istud, & ut vobis fidelium optatæ rei successus exsolvat. Sanè quia tempus, ut tollatur confusio, quâ filii ancillæ insultant in filios liberæ, terram nostri principis detinendo miserabiliter occupatam, tempus est, ut hi, qui ære peccatorum se diabolo vendiderunt, amissam recuperent libertatem, & per salutiferæ redemptionis remedium animas redimant à fraude Diabolicæ captivatatis. Exurgat nunc, qui dormit, & ab operibus mortis excitetur, ut illuminet eum Christus. Nos autem juxta generalia statuta Concilii personas & bona eorum, qui crucis charactere insigniti, recipientes sub protectione sedis Apostolicæ speciali, omnibus qui laborem istum in propriis personis subierint, & expensis, plenam suorum peccaminum, de quibus corde veraciter fuerint contriti, & ore confessi, veniam indulgemus, & in retributionem istorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in propriis personis illuc accesserint, sed in suis duntaxat expensis juxta facultatem & qualitatem suam viros idoneos destinarint, plenam suorum concedimus peccatorum remissionem. Hujus quoque remissionis volumus esse participes juxta quantitatem subsidii & devotionis affectum, omnes, qui ad subventionem ipsius terræ, de bonis suis congruè ministraverint, aut circa prædicta consilium & auxilium impenderint oportunum. Valete in Domino. (a)

Sed & Filia exigere potest & debet ex paternâ Abbatiâ auxilium, consilium, deffensionem, protectionem &c.

Porrò jus paternum procedit ex multiplici fonte, nunc ex collatione fundi in quo structa est filialis Abbatia; aliquando ex transmissione coloniæ primorum fratrum; quandoque ex spontanea deditione acephali cœnobii, aut quod erat alterius Ordinis. Aliàs ex recuperatione amissi, aut restauratione ruentis aut lapsi monasterii, sive in disciplinâ, sive in ædificiis. Sub finem sæculi 13. Capitulum Generale plerarumque Abbatiarum paternitates, spreto originali earum jure, attento meliore & commodiore Ordinis bono, transtulit in alias Abbatias.

(a) Hoc breve Apostolicum scripsit Honorius anno 1223, postquam Fridericus 2. Jolandem Comitis Brennæ & Jerosolimorum Regis filiam desponsaturum promisit, & tabulas matrimonii approbante Honorio 3. Rege Jerosolimorum præsente & laudante, firmavit suo sacramento & apographo Romæ existens Imperator in mense Julio.



EPISTOLA CXXXVII.

De Morte Gervasii.

DIRI vulneris novitate perculsi & tacti dolore cordis intrinsecùs in effusione lacrymarum, & cordis amaritudine vestræ scribimus charitati, (*a*) nimirum, cum, sicut nobis nuper veraciter est relatum, sublatus sit de medio venerandus Pater, homo magni consilii, vir honestus, Dominus videlicet Gervasius, Episcopus Sagiensis, in cujus siquidem occasu vergit decor Ordinis ad occasum, & honor ejusdem pro parte maximâ detrimentum sortitur; dum hic, qui tanquam lucerna sub modio non absconsa, sed posita super candelabrum lucens & ardens, lucebat in mundo famâ & operibus veritatis, extinctus est tam subitò, & subtractus est à nobis, & qui nuper conversabatur inter homines potens in opere & sermone, assumptus ex hominibus, imò raptus nunc tanquam abortivum, quod de vulva projicitur, reputatur. Cecidit, cecidit corona capitis Ordinis Præmonstratensis, concussa est una de columnis firmissimis domûs Dei, unde non immerito cythara convertatur in luctum, & organum Ordinis in mœrorem. Heu, heu, quis dabit capiti nostro aquam, & oculis nostris fontem uberrimum lachrymarum, ut in lachrymis absque mensurâ lugere possimus Dominum & amicum, virum prudentem, servum fidelem, quem constituerat Dominus super familiam suam, tanquam dispensatorem strenuum & fidelissimum suo gregi, & valeamus funus prosequi tanti Patris. Furtim sublatus, & nusquam comparet, ut vel saltem exanimi debitas exequias impendamus, & defuncto corpori congruis honoribus assistamus. Suscipiat eum Christus, qui vocavit eum, cui devotissimus, dum viveret deservivit; & animam ejus cum sanctis ac fidelibus collocet in excelsis, ubi laborum suorum fructum recipiat centuplò cumulatum. Verè confidimus, quòd à Deo, apud quem est misericordia copiosa, misericordiam consequetur, quia etsi mors peccatorum pessima, mors tamen bonorum in conspectu Domini pretiosa. Verùm quia non possumus non dolere defuncto charissimo, difficile lachrimas cohibemus; unde & sollicitudo maxima sollicitat mentem nostram, ut Ordinem rei gestæ plenius cognoscamus, qualiter videlicet obiit dictus Pater, & de rebus suis, priusquam moreretur, qualiter ordinavit, quare Fraternitatem vestram attentè rogamus, & mandamus vobis, quatenus per litteras vestras speciales, & per latorem præsentium nos de prædictis abundantiùs instruatis, videlicet qualiter & ubi obierit, & quâ die, & quomodo de rebus suis ordinaverit, & quale fecerit testamentum, & si fortassis, dum legaret aliis, memor fuerit Ecclesiæ Præmonstrati, quam plurimùm diligebat, & quæ eundem etiam honoravit non modicùm & dilexit. Valete. ARCHI-

(*a*) Hujus Epistolæ author est Conradus Abbas Præmonstrati & Gervasii successor. Ad Silleienses, aut Falesienses Præmonstratenses intra Diœcesim Sagiensem constitutos scripsisse illam suspicor, utpote eventûs jam divulgati certiores, & à quibus certitudinem requierit obitûs & circumstantiarum mortis Gervasii, hanc subiit anno 1228. & in Ecclesia Silley sub hac Epigraphe tumulatus est:

Anglia me genuit, nutrivit Gallia, Sanctus
Justus, Thenolium, Pramonstratumque dedere.
Abbatis nomen, sed mitram Sagia, tumbam
Hic locus, oretur ut detur spiritus astris.

ARCHI-PRIORATÛS

HYREEVALLIS,

ORDINIS

CANONICORUM


REGULARIUM

S. AUGUSTINI

IN VOSAGO,

SACRÆ

ANTIQUITATES.



ANTIQUITATES HYREEVALLENSES.

HYREE-VALLIS, ſive Aſpera-Vallis, gallicè *Hérival*, Prioratus eſt Canonicorum Regularium Ordinis Sti. Auguſtini, intra Voſagi montium fauces, uno, ultra Romaricomontum lapide, bino à Plombariarum Thermis, poſitus eſt, ſuo ſitu ſolitudinem ſpirans, imò horrorem incutiens ſuo aſpectu. Hinc enim à Septentrione, incumbentis proceri montis, (*a*) jugo conſtringitur. Illinc ab imminenti cacumine montis alterius, (*b*) clauditur ab Oriente. Ab Meridionali plaga, conſurgit mons alius (*c*) minaci faſtigio nubibus illudens. Ab Occidente verò, ſinuoſos inter collium flexùs, panditur iter anguſtum ad Vallem Ajonenſem, gallicè *Val d'Ajo*.

Mediis hiſce in montibus, porrectis in amphitheatrum, vernantibus abietibus, & gracili aquarum dilabentium murmure, fœcundis, quæ piſcinas efficiunt, & ſerrata molendina in ſuo vertunt decurſu, aſſurgit lepida domus, dormitorio eleganti & templo venuſto inſtructa, ſed ex aquis paſſim ſcaturientibus, uliginoſo ſatis. Primus ſolitudinis hujus horridulæ incola extitit Eugibaldus patriâ Romaricomontenſis, nobilis genere, qui ſpreto ſtemmate ſæculari, opibus & vitæ commodis poſt habitis, totum ſe contemplationi & pœnitentiæ tradidit, in ſeceſſu, hominibus impervio.

Monaſterio Sti. Romarici præerat Giſla, & Tullenſem regebat Epiſcopatum Pibo, dum Eugibaldus latebras Hyreevallis petiit, ſæculi decimi anno ſupra ſeptuageſimum quarto currente, & Theodorico Lotharingiæ moderante Ducatum. Laudabilis propoſiti primos conatus, Giſla probavit, & ad ardua nitentem Eugibaldum provocavit verbis, fovit beneficiis, largâque manu, ſub proprietatis titulo, allodium Hyree-Vallis tranſcripſit religioſo ſolitudinis accolæ. Socios illicò inſtituti ſui ſectatores, non paucos adunavit Eugibaldus, quos inter claruerunt Wichardus Eugibaldi germanus frater, & Conſtantinus collecti gregis futurus aliquando Dux & Magiſter.

Auſteram pœnitentium vitam, laboribus temperatam & orationibus, nulli ſpeciali regulæ attitulatam inierunt ab origine in tuguriolis abditi fratres, patris ſui æmulatores fervidi, charitate concordes, hominibus ignoti, abſconditi in Chriſto. Wichardus congregationis nomine, fratrem ſubmonuit ut Oratorium ſtrueret, in quo ſacris operaretur, & ſodales divino reficeret pabulo, in quod ſuſpirabant omnes. At Eugibaldus humilis ultra menſuram ſacerdos, indignitatis ſuæ conſcius, & quaſi alienæ interpres, nec ſacra facere, nec ſanctis participare voluit fratres, quibus deſiderium ſufficere communionis, aiebat, manducationem verò corporis Chriſti præſumere, temerarium putabat eſſe & arrogantiæ ſcelus. Delirantis devoti errorem Pibo Epiſcopus increpavit, ſed, ut ejuſmodi hominum pietas cœca, & proprii conſilii

Ii ij

(*a*) Du *Putet*. (*b*) La *Croiſete*. (*c*) Le *Bois du Ban*.

tenax ferre assolet, frangere contumaciam non potuit; quare Wichardus fratris consortium dissolvens in eremum vicinam se recepit, cui Comites se junxerunt nonnulli, sicque paulatim diffluens multitudo, de deserenda Hyree-Valle cogitabat, donec Riquinus de Commercy anno 1107. Episcopatûs Pibonis successor, *multo consilio* & frequenti concertatione domuisset pervicaciam superstitiosi hominis. Tum enim ad sanam reversus fidem, se suosque pavit Eucharistiæ Sacramento, & dilapsam ex parte tyronum turbam revocavit.

Ægritudine paulò post correptus, vivendi fecit finem Romaricomonte Eugibaldus, qualem anteactæ vitæ labores, jejunia, humilitas spondebant, utique plebis oraculo, beatum, & promissum humilibus. Successorem quantocyùs mortuo patri suffecerunt fratres Wichardum, quem excepit Constantinus presbiteratûs honore insignis, genere clarus, socialis & Augustiniani contubernii sectator. Impositi sibi oneris partes, quas non licuit suffugere, humiliter suscepit ad instantiam fratrum: sed ne fluctuans congregatio ad rectoris arbitrium, per incertas vivendi, agendive regulas traheretur imposterùm, Henricum à Lotharingia Tullensem Episcopum & Lambertum Abbatem Cisterciensem adiit, à quorum consiliis voluit pendere vitæ & regulæ genus quod profiteretur.

Judicarunt ambo, standum esse Apostolicæ vitæ quam gesserant, & Augustini adhærendum regulæ, certis modificandæ constitutionibus quas usus invexerat. Horum approbatione munitus, erexit Oratorium, leges conscripsit, partim ex S. S. Basilii, Benedicti & Norberti regulis decerptas. Stupetes ad aspectum severioris disciplinæ, rigorem monachilis statûs, longè transcendentis, nisi in Victorinis & Sti. Petri-Montis in Lotharingiâ, constitutionibus, similem austerioris vitæ formam legeres, si tamen pedum nuditatem excipias, Hyree-Vallis canoniæ specialem, & ab Honorio III. suppressam, à festo S. Martini ad Kalendas Aprilis.

Abstinentiam carnium, etiam infirmis præscriptam, sine ullâ relaxatione, & sub quocunque infirmitatis prætextu interdictam, ad annum usque 1245. strictim observarunt Hyree-Vallenses Canonici. Votum quoque paupertatis tam arctis strinxerant limitibus, ut pecorum, animalium-ve greges possidere in communi, nequidem auderent: & ex utroque hoc capite, in temporalibus patiebatur ordo grande dispendium, cui ut tempestivè per oportuna occurreretur remedia, ad Innocentium IV. ablegarunt Willelmum Presbiterum, Joannem Diaconum Hyreevallis Canonicos, qui coram Pontifice Lugduni constituto, pro fratribus & pro suâ causâ orantes, dispensationem reportarunt 4. Kalendas Novembris, anni 1245. quam veteribus statutis, ad rigoris lenimentum, inserverunt recentiori manu, dispensationem.

Quanto tempore religionis ille fervor viguerit apud Hyree-Vallem, vix dicere ausim, conjectare tamen liceat, cadente sæculo decimo quarto, ad laxiorem defecisse regulam, cui se ultrò manciparant cœnobitæ, primitivi spiritûs impatientes & oneris, quod vix patres eorum portare potuerant. Reformationem à Patribus Tridentinis præstitutam, seriùs amplexati, in Congregationem coalescere, cæteris Lotharingiæ Canoniis, minimè id postulantibus, non cogitarunt; specie quadam melioris observantiæ contenti, quam Sebastianus Valdenaire, Prior, sive ut antiquatæ consuetudines loquuntur, Magnus Hyree-Vallis Magister, in solemni fratrum omnium Capitulo, de Capitulantium consensu evulgavit 20. Aprilis, Anni M D LXXIV. Verùm

qualis-

qualiscunque reformatio hæc inducta, degenerem omninò spiritum, & nihil de pristinâ severitate referentem, exprimit. Usum carnis per anni curriculum; solo Mercurii dempto die, & Adventu Domini, excepto, indulget. Laborem manuum abrogat, vel saltem non præcipit. De observatione silentii, & aliis praxibus quas primarum legum conditores, ad Ordinis decus; & Religionis munimentnm providè imposuerant, nil penitus renovatum erga posteros. Visum est satis Valdenario, consuluisse essentialibus votis, posuisse in tutò divini officii pensum, Regulam S. Augustini, formam habitûs Ecclesiastici & civilis, de reliquo parum sollicitus, nihil omninò decrevit.

Quod fuerat incautè, vel indulgentiùs prætermissum à Valdenario, resarcire aggressus est; æqui bonique amator Cardinalis à Lotharingia Episcopus Argentinensis & Metensis; ratione legationis suæ, septima mensis Julij 1595. Omnes Abbates & Priores Monasteriorum Ordinis S. Augustini in Diœcesibus Tullensi, Metensi & Virdunensi consistentes, pro restauratione & stabilimento disciplinæ regularis, passim collapsæ aut elanguidæ, Nanceium ad indictam superiùs diem, convenire jussit, & citatoriis convocavit litteris. Comparuerunt singuli per se; aut per procuratores, in Capitulo fratrum minorum, ibique præhabitâ solemni Missâ de Spiritu Sancto, in negotium reformationis totus incubuit Cardinalis eminentissimus per tres sessiones, in quibus varia sanxiit, tum pro resecandis abusibus, tum pro instauranda disciplina, eòque rem provexit; ut sub uno capite generali, Patre Joanne Mario Abbate Petri-Montis; canonicè electo, omnes & singulas Abbatias, nec non Prioratus; intra legationis suæ terminos, existentes, supposuerit; ad formam congregationis gubernandos.

Comitiorum decretis applausit Carolus III. Lotharingiæ & Barri Dux, suoque diplomate, commissam Abbati PetriMontis provinciam approbavit 22. Octobris 1595. Geminâ suffultus autoritate Marius, Hyree-Vallem pro sui muneris debito; visitavit canonicè tertia die Novembris anni ejusdem. Edidit statuta & discretione, & pietate, præcipuâ; in eo capite non laudanda tamen, quòd distributiones & peculium permiserint Canonicis. Equidem læsæ paupertati ut medelam adhiberet qualitercunque legislator, possessionem ejusmodi proventuum subjecit superiorum discretioni, & ad ostensionem paupertatis, voluit ut in die Cœnæ Domini, congregati capitulariter fratres; se suaque resignarent Priori quotannis per traditionem clavium, & indicem bonorum suorum mobilium.

Die 8ª. Novembris anni 1604. Cardinalis idem à Lotharingia, propagandæ ac promovendæ reformationis ergo, Generale Capitulum rursus in Abbatia S. Remigii Lunevillaris congregavit, ibique ad pleniorem votorum, & canonicæ vitæ observantiam, multos edidit canones, qui facem generali reformationi præferentes, & referantes viam planiorem, tentandæ & auspicandæ Congregationis incentivum subministrarunt Venerabili Viro & Sanctorum fastis dignissimo Petro Fourier, cujus zelum Cardinalis Lotharingus subjecto protectionis suæ munimento sic succendit, ut interriti animi heroicam constantiam, nullâ potuerit frangere perduellium contumacia. Congregationi adultæ, omnia trium Episcopatuum Monasteria ultrò dedere manus. Sola Hyree-Vallis, velut acephala, seu potius sibi sufficiens, nunquam in unionem corporis convolare voluit. Se etenim velut congregationis caput,

in Prioratûs d'*Abjey* & Bonæ-Vallis exercens magisterium, putavit dedecere, alieno subesse capiti. Urgebat renitentes Concilii Tridentini autoritas irrefragabilis, at Hyree-Vallenses pondus autoritatis elevabant, objecto capitis nomine quo gloriabantur, & sub istius tituli umbraculo stetit ad novissima tempora Hyree-Vallis, summum Pontificem venerans ut caput supremum, Priorem uti subalternum & ministeriale agnoscens. Proprii honoris & præeminentiarum ultrix usque modò Hyree-Vallis, ad vocem D. Francisci Blouet Episcopi Tullensis, aut conterrita, aut emollita, Tullenses præsules, amotis Pontificibus, imposuit sponte super capita sua. Sedem Apostolicam cui immediatè à tot sæculis & tam strictim se addixerant, jure an injuriâ postponentes, Episcopali ferulæ se subdiderunt tertiâ die Julii Anni MDCCX. inconsulto Clemente XI. de cujus causâ agebatur potissimùm; immemores jactatæ pridem verticis & capitis, gloriæ, quam ultroneâ deditione obscurarunt.

Ex duplici enim Prioratu *Abiey* & Bonæ-Vallis, tamquam ex membris compaginatam congregationem venditabant, quibus accesserat Prioratus in *Rombec*, qui & Sanctus Mons dicitur. Est autem *Abiey*, latinè Abierium, Prioratus fat insignis ad Castrum secus Mosellam, gallicè *Chasté sur Moselle*, consistens, & Hyree-Valli transcriptus ab Juditha Romarici-Montis Antistita, de consensu Monialium Anno 1078. sub annuo censu unius libræ Thuris, & viginti quinque solidorum Tullensium. Bellis Lotharingiam infestantibus sæculo decimo quinto mediante, in prædam data est Hyree-Vallis phalangi acatholicæ, & depauperata adeò, ut pro salute matricis Ecclesiæ, Ecclesias filiales oppignorare debuerit. Abierium cessit in pretium redemptionis matris suæ; sed à Renata de Dintheville Abbatissa Romarici-Montis, penso creditotibus auro, iterùm Hyree-Valli restituitur anno 1570.

Bona-Vallis primitùs Eremitorium, posteà Prioratus, prope S. Basoli-Montem, vulgò *Saint Basle-Mont*, villam præfecturæ Mirecurii, gallicè *Mircourt*, Wichardo, Eugibaldum minùs christianè opinantem de participatione Eucharistiæ, fugienti, præbuit habitaculum, quod paulatim ex fidelium largitionibus crescens reditibus, crevit & habitantium numero, & in Prioratum evasit, nunc tenuis fortunæ, & vix uni Cano-nico victum suppeditantis.

Hisce Beneficiis quæ claustralia nuncupamus, & quorum rectores ex designatione Magni Prioris Hyree-Vallensis pendebant, accessere Pastoralia beneficia in remedium subventionis pauperculi Monasterii, collata à Romaricomontensibus Abbatissis. Anno 1421. Isabella de Dominica-Villa, gallicè de *Demengevelle*, tam suo, *quàm sui Monasterii S. Petri de Romaricomonte Ordinis S. Benedicti* nomine, Parochialem Ecclesiam Vallis d'*Ajo*, Diœcesis Bisuntinæ, & Lotharingiæ Ducatûs, concessit, & ad instantiam gemebundi Patris Bonvoisin Prioris, super desolatione sui Monasterii, perpetuis univit temporibus. Unionem ratam habuit Theobaldus Bisuntinensis Archipræsul, die 5. Februarii; eam Martinus V. quarto Idus Aprilis anni ejusdem, suo firmavit diplomate. Anno 1394. Joanna de Acrimonte, vulgò d'*Aigremont*, *Abbatissa totusque Conventus Monasterii sive Ecclesiæ Romaricensis Ordinis S. Benedicti*, Parrochiam Belli-Fontis, cum Plombaria succursali contulerunt Hyree-Vallis Fratribus, & ne unquam tali dono fraudarentur Canonici, Plombariano Xenodochio, cujus Magisterium penes Priorem Hyree-Vallis stabat, legali unione junxerunt utrumque simul; Porrò Xenodochium illud anno 1390. ab Ancello Toparcha de *Darnieulle* & Aloisia de *Montjustin* nobilissimis

conjugibus; ad pauperum solamen & hospitium piè fundatum est; ut quotquot Plombarianas Thermas recuperandæ sanitatis causâ affluerent, illic & refugium invenirent & victum. Publicæ utilitati, institutum isthoc providè consulens, privilegiis magnificè cumularunt Lotharingiæ Duces. Inter quæ illud primarium esto, quòd spolia extraneorum in oppido Plombariensi decedentium, cedant Xenodochio. Intactum ad nostram usque ætatem, voluit Leopoldus I. Dux, 25. Julii 1717. ad quartam spoliorum partem, jus illud hæreditarium reduci, ne à salutaribus aquis arcerentur forenses, ob periculum amittundæ fortunæ.

Licet verò Hyree-Vallis Abbatissas Romaricomontenses tamquam suas fundatrices beneficas colat, non tamen. eripere laudes & negare gratitudinem debet munificis benefactoribus, qui collatione prædiorum rem auxere domesticam. Talis extitit Joannes de *Fougerolles*, qui atavi sui Alardi de Fougerolles carpens vestigia, decimas in nonnullis Comitatûs Burgundiæ villis, Hyree-Valli tradidit, & paterno advocatiæ juri succedens, potenti manu, invasores bonorum Hyree-Vallis oppressit. Optimo protectori sepulturam in Ecclesiâ suâ dederunt grati Canonici, & ad latus sinistrum inclinata ad parietem tumba, hominis cataphracti effigiem exhibens, hoc lemmate ornatur:

CY GIST MESSIRE JEHAN DE FOUGEROLLES ET GRANS, QUI TREPASSA L'AN DE JESUS CHRIST M CCCC. ET XXV. LOU VI. JOUR DOU MOIS D'HAOUST. PRIEZ POUR LY QUE DIEU AIT L'AME. C'EST LE SIRE GUILLAUMB DE FOUGEROLLES QUI AURE'S FAIT BASTIR CETTE TOMBE.

Scutum sinistro brachio appensum, ancoraria cruce, gentilitium stemma repræsentante, instructum est. Proceræ & giganteæ molis fuisse Johannem de Fougerolles, seriatim in sepulchro composita ossa nuper explorata testantur. Dentes binos molares longitudine & diametro portentosos, ex ejus capite recens avulsos ipse contrectavi 6. Junii 1724. dum versarer Hyree-Valli, scriniis evolvendis incumbens, & obstupui, fraudem suspicari paratus, ni structura dentium, & quod majus, ipsa R. D. Prioris, oculati testis assertio, omnem hæsitantis animi abegissent scrupulum.

Proloquio finem impositurus, pauca dicam de moderno statu Hyree-Vallis. Ad Augustinianæ regulæ apices, vivunt Canonici, vitam communem sectantur, uno cellario pasti, uno vestiario induuntur. Pastorales curas regunt, divino vacant assiduè officio. More Canonicorum toga candida, cingulo nigro, & Rochetulo linteo à dextro humero, subtus sinistrum defluente, procedunt induti, pallium & pileum coloris nigri foras eundo, gestant. Constitutiones quasdam sibi per traducem transmissas strictè sequuntur, Superioris Ecclesiastici subnixas approbatione.

Jam verò venit indagandum, an habitûs forma & color, ab antiquo tales fuerint Hyree-Valli, quales nostris temporibus usitantur. Statuta primitiva omnem religiosi suppellectilem sic definiunt „ Si loci sufficientia permiserit, liceat unicuique fratrum, tres tunicas habere, pellicium, pelles, „ mantellum simplicem, duo paria caligarum, & duo scapularia Clericis, „ conversis autem duo caputia & duo paria caligarum, pedules & sotulares. „ Clericis concessum à Domino Papâ calceis uti à festo S. Martini usque ad „ Kal. Aprilis.

De colore tunicarum, aut pelliciorum, nihil definiunt hæc statuta, formam verò satis explicant. Tunicam talarem, & pro temporis, aut loci opportunitate, pellibus assutas gerebant vestes, scapulari superimposito semi-

tectas, ne labori & operibus manuum constanter addicti Canonici, vestes deteriorarent. Mantello super humeros dilabente, tegebant capita sua Canonici, quæ stricto & scapulari adherente, conversi operiebant caputio.

Canonicus Hyree-Vallensis, qui sæculo quinto decimo, rubricis & postillis statuta illustravit, nullam adhuc sua ætate innovationem in forma vestimentorum accessisse, innuit, & æquivocæ latinitatis articulum, gallico sic reddit idiomati. *Si la maison y peult suffire, il est licite à chasque frere d'avoir trois robes, sçavoir un saye ou pelice, une grande robe, & un manteau simple, deux paires de chauses, & deux scapulaires ou amicts, & ceux-cy sont pour les clercs. Car pour les convers & laicz, suffiront deux capuces, deux paires de chauses, avec les bas de chauses & les souliers, puisqu'il a eté permis de nôtre S. Pere le Pape aux clercs d'user de souliers depuis la fete S. Martin d'hyver jusqu'aux Kalendes d'Avril.*

Posteà sequitur commentarius sub his verbis: *Encore n'est pas beaucoup different cette rubriche, de la reigle de S. Augustin, ou il ordonne qu'on soit vetuz d'un meme vestiaire, toutefois les fraires, par la permission de leur propre se doient vestir deçamment & comme la coutume l'a depuis obtenu. Mais je vous prie lisez icy comme l'origine de cet Ordre d'Herival approchoit la vie apostolique.*

Joannes Marius in visitationum cursu pleraque edidit decreta 3. Novembris 1595. De vestitu Heree-Vallis Canonicorum pauca hæc, & ad elucidationem quæstionis parum conducentia habet. „ Habitum, inquit, mona-„ sterii deferant semper & ubique, tam Prior, quàm Canonici, tam in cu-„ riis Principum, quàm aliis in locis, ut per delationem ejusmodi vestium „ dignoscantur professores Ordinis S. Augustini. Omnesautem Canonici fe-„ rent habitum secundùm constitutiones loci.

Ex epistola quam Joannes Perini Secretarius & visitationum Marii comes scripsit ejus nomine 7. Novembris, anni ejusdem, ad Priorem Hyree-Vallis, mandat & præcipit ex Visitatoris jussu, ut imposterùm scapulare lineum deferant. *Mr. le General vous commande de prendre un scapulaire de toille, à la façon des notres, & de quoy il vous baille à tous permission.* Laneum igitur anteà, scapulare portabant, quod à Marii tempore in lineum commutarunt. De colore vestis nihil decernit, sed ad tenorem & usum loci, retinendum imperat. Ita certè, nec aliter poterat definire vir sagax, propter variantes in Ordine, imo in eadem Provincia, Canonicorum in vestitu colores. Anxiam, & in antiquitatis indagine avidam mentem, nulla veteris ævi monumenta, etiam muta, explere potuerunt. At vivæ traditionis oraculo, didicimus, quod ex tacitis testibus inquisieramus frustra. Ergo traditione autore pannus coloris albi, à limine fundationis assumptus est ad vestitum, tantò congruentior, quantò familiarior discipulis Augustini. Sequitur Priorumsive magnorum Hyree-Vallis Magistrorum series, prout ex Carthis & Chronicis eruere licuit.

1. Eugibaldus, ad Riquini Episcopi Tullensis tempora vitam & regimen produxit, & circa annum 1112. mortuus est.

2. Wichardus Eugibaldi germanus frater, ob reverentiam prædecessoris, & laudabilis vitæ conversationem, quam in Bonævallis Eremitorio agebat, communi fratrum suffragio, in Priorem sublectus est. Obiit anno 1145.

3. Con-

3. Constantinus congregationis minister, ejusdem legislator extitit. Ad annum 1245. interpolatus est Priorum elenchus, hiatum claudit

4. Vincentius, qui rigorem abstinentiæ, & paupertatis votum arctiori limite constrictum relaxari ex parte obtinuit ab Innocentio IV. anno 1245. Successit

5. Stephanus, qui anno 1287. exemptus est à vivis.

6. Clemens abalienatum Prioratum Abierii redemit anno 1300.

7. Guillelmus de Fougerolles ab anno 1302. præfuit ad annum 1316.

8. Varnerus obiit anno 1324.

9. Guerricus excepit anno 1329. tabulas donationis quas Guillelmeta à Sancto Lupo conscripsit, in favorem Xonodochii, in villa S. Lupi ab anno 1301. fundati ab Helvide de Jeinville, Domina de Montigny & Joannis Domini de Faucogney piissima conjuge. Magisterium hujus Hospitalis à fundatrice collatum Priori Hyree-Vallis, penes eundem perseverat hodie.

10. Hugo floruit usque ad annum 1351.

11. Vinetus in vivis agebat anno 1357.

12. Clemens 2us. obiit anno 1361.

13. Joannes Durandi moritur anno 1368.

14. Varnerus Paget obiit anno 1379.

15. Dominicus de Vicfierey Magisterium Xenodochii Plombariensis ab Ancello de Darnieulle erecti, dotati, & uniti monasterio Hyree-Vallis anno 1390, à fundatore suscepit. Moritur Dominicus anno 1402.

16. Guillelmus Bonvoisin, patriâ Romaricomontensis; Parochialem Ecclesiam Vallis-d'Ajo obtinuit ab Isabella de Demangevelle Abbatissa Romarici-Montis, anno 1421. Obiit anno 1439.

17. Joannes Gerardi de Chastel, novo jure, electionem suam Bullis Apostolicis roboravit. Disciplinam regularem paululùm imminutam, ejusdem Apostolicæ Sedis interventu, & per præpositum S. Deodati, commissarium ad id specialiter delegatum, resarcivit anno 1450. & fecit vivendi finem anno 1463.

18. Joannes Scutifer, alias Thouvenin, more prædecessoris sui confirmationem electionis suæ obtinuit à Pio II. Obiit anno 1497.

19. Gerardus Marius de Castro, instar decessorum à Summo Pontifice confirmatus, Coadjutorem postea sibi assumpsit anno 1502. Hilarium Petrum d'Agécourt, de concessione Alexandri VI. Vivere desiit anno 1507.

20. Hilarius Petrus d'Agecourt decimo administrationis anno fungitur vita 1517.

21. Sebastianus Valdenaire, monasterii sui annales gallico idiomate conscripsit, & dignitati cessit anno 1543.

22. Nicolaus Tocquart obiit anno 1556.

23. Sebastianus Valdenaire moritur anno 1592.

24. Remigius Valdenaire electionis suæ confirmationem obtinuit à Carolo Cardinali Lotharingiæ anno 1592. triennio tantùm rexit.

25. Theodorus Remy ab eodem Cardinali & Legato confirmatus anno 1595, obiit anno 1608.

26. Claudius Remy Theodori frater, obiit anno 1639.

27. Sebastianus Conat, coadjutorem sibi procuravit Tussanum Moulin anno 1647. Prioratum dimisit anno 1658.

28. Tussanus Moulin obiit anno 1677. In perrennem gratitudinis memoriam hoc illi monumentum posuit Successor.

Piis manibus
Honorandi admodum Domini, ac Rmi.
in Christo Patris Domini Tussani Moulin,
hujusce domûs olim Prioris vigilantissimi,
regularis observantiæ studiosissimi,
Heryvallis restitutoris indefessi,
nec non integerrimæ vitæ lustrorum
duodecim
sanctitate multùm conspicui.
Unde & pretiosæ mortis III. Kal. Martij
Anno Domini M DC LXXVII.
fœlici examine summè laudabilis
Patrui benemeriti,
nepos & successor haud obliviosus
Jacobus Moulin,
æternum amoris & mœroris monumentum
posuit.

29. Jacobus Moulin obiit anno 1682.

30. Sebastianus Moulin, Jacobi frater, Prioratum urgente ægra valetudine abdicavit, anno 1722.

31. Paulus Barbier, pastorali officio dudum probatus, integerrimæ vitæ, & morum candore clarus, regularis disciplinæ ultor, & exemplar, Fratrum votis expetitus, Prioratum nunc moderatur & honestat.

VETERA HYREEVALLIS STATUTA.

Incipit Prologus in Regulam Hyree-Vallis.

Optimus Ordo est, ut totius aut verbi, aut operis & à Deo sumatur origo : & ad Deum consummatio referatur. Igitur de exordio Ordinis hujusce Vallis, cooperante Deo, disseramus.

Temporibus Domni Pibonis, præclari Tullensium Episcopi, Sacerdos quidam Eugilbaldus nomine, de locis Vosagensibus oriundus, multis sæculi pressus adversitatibus, magnis rerum suarum afflictus incommodis, fluctibus, ut ita dicam, ad portum impellentibus heremum quandam, Hyree-Vallem scilicet, juxta Romarici-Montem petiit. Sed in portu magis timuit ne otiositate, quæ inimica est animæ, torpesceret, quàm antea timuerat ne procellis obrueretur. Licet enim mare transierit, licet Pharaonem & Ægyptios jam submersos cognoverit, quamdiu tamen per desertum hujus sæculi ad cælestem Jerusalem tenditur, novit hostes latere in insidiis : Ad hos itaque inimicos superandos, quosdam tyrones animis fortiores quàm corpore, sibi sociat : armat aciem spiritalibus telis, famem, sitim, laborem, frigus, nuditatem & cæteras angustias quas in Dei militiâ sustinere necesse est, & desiderantur cum suis commilitonibus amplectitur. Sanè quemdam fratrem nomine Wichardum in seculo habebat, quem mundum postponere & bajulare crucem, Christumque sequi & verbis hortatus est & exemplis edocuit. Animavit germanum ad certamen, stipendia certaminis innotuit, ut qui carnali propagine jungebantur, jungerentur & præmiis. Verumtamen in aliquibus zelum Dei habuit, sed non secundùm scientiam. Judicans enim se indignum Sacramentis ecclesiæ, contra morem ecclesiasticum instituit, in suo loco ecclesiam non construere, non celebrare missam, nusquam communicare, nec cantare psalmodiam juxta ritum ecclesiæ. Hujus, ut putabatur, Erroris scandalo motus venerabilis Riquinus qui Domino Piboni decedenti, in episcopatum successit, Domnum Eugilbaldum ab hujusmodi proposito multotiens revocare temptavit. Domnus autem Eugilbaldus monita præsulis & multorum scandala parvi pendens, ab hoc quod proposuerat per annos aliquot noluit immutari. Quapropter Wichardus frater ejus ab eodem dissensiens ad aliam secessit heremum, in quâ sub vitæ heremiticæ disciplinâ conversatus est, quoadusque Domnus Eugilbaldus divinâ præventus gratiâ, multo; Domni Riquini consilio & labore, ab illo suo resipisceret instituto. Sacrâ namque communione perceptâ apud oppidum Romaricense occumbens vitæ æternæ beatitudinem quam quotidie ut ita dicam moriendo, dum viveret, emeritus fuerat, adeptus est. Sicut scriptum est: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Ad videndum quippe Deum timore cor mundatur, scilicet à cupiditatibus divitiarum, honorum & possessionum quæ sunt quasi pulvis injectus oculis cordis; & à carnalibus voluptatibus ferculorum exquisitorum, & poculorum exquisité delicatorum ac vestimentorum prætiosorum, atque mulierum

quæ sunt velut humor superfluus oculis cordis nocivus, & ab iniquitatibus malarum cogitationum quæ sunt quasi pili oculis cordis infixi. His enim omnibus oculi cordis fœdantur, obscurantur, excœcantur. Sicut enim impossibile est in fœdato speculo, vel in aqua scœnulenta & turbida imaginem aspicientis posse intueri, sic nultanus videbitur Deus ab hominibus, nisi mundentur corda à supradictis voluptatibus & desideriis & cogitationibus immundis. Quod perpendens Dominus Constantinus ardentissimus amator extremæ paupertatis & tranquillæ pacis, precibus & jussis Domini Lamberti Cysterciensis Abbatis, (*a*) & Domini Henrici Tullensis Episcopi instinctu & benedictione remansit Hyree-Valli, loco utique pacis & quietis, ac ydoneo pænitentiæ & satisfactioni; satagens se suosque commilitones à supradictis vitiis emundare, & ad videndum Deum, mundando corda præparare. Proponit itaque sicut Apostolus & patres antiqui labore manuum victando secundùm regulam S. Augustini, Hyreevalli, mores suos, & fratrum suorum artiùs solito corrigere, & animas sibi commissas, suamque pariter, spiritali medicamine sanare, præstante Domino nostro Jesu Christo qui habitare facit unanimes in domo, Qui vivit & regnat &c.

De horis canendis & de silentio & jejunio.

Omni tempore quando clerici surgunt ad vigilias, pulsato signo surgant, & Conversi. Qui Ecclesiam ingressi, divina officia sicut injuncta sunt ita persolvant. Finitis Matutinis conversi possunt recedere, si tamen volunt, quia licentiam inde habent. Clerici verò statim post Matutinas, de beata Virgine cantare incipient, & postea laudes pro defunctis. Nam quæ ad defunctos pertinent, post Nonam licentiùs cantabunt. Hoc expleto redibunt ad lectos suos ut modicè pausent. Inde pulsatur prima, & post primam Missa. Inde conversi exeunt ad labores, & ibidem horas suas cantant flectentes genua sua ad *Pater noster*. Similiter qui laborant intra curiam, si voluerint, ibi cantent. Clerici verò nunquam in curià cantabunt, nisi forte aliquis à Priore jussus ibi cantet. A festo Sanctæ Crucis usque ad Pascha post Tertiam exeunt ad laborem. Ad Nonam redeunt. Hoc tempore jejunant & post vesperas cœnant. Si quis alienus supervenit dum fratres sunt in labore, nemo colloquatur illi, præter eum qui prior est in labore. Iste etiam breviter loquatur & seorsùm. Item magister laboris nullum fratrem mittere præsumat ad villam pro qualicumque causâ sine licentiâ magni Magistri. Item, magister laborum suggerere potest magno Magistro, vel clericis ejus quid operandum est, & quando. Cogere verò nec satis æquum est, neque in aliquâ domo Canonici Ordinis unquam consuetum.

De genu-flexione.

A die Natalis Domini usque ad octavas Epyphaniæ & à Pascha usque ad *Deus omnium*, & omnibus diebus novem lectionum vel trium solempnium, genua non flectuntur ad orationes. Ordo verò dierum tribus lectionibus solempnium à vesperis incipit, & die crastinâ, post Nonam desistit. Dies autem novem lectionibus solempnis, incipit à Nonâ, & deinceps tota die crastinâ persistit.

De

(*a*) Lambertus Gosvino successit anno 1153.

De Confessione.

In Ebdomadâ vadent omnes semel ad minùs ad confessionem, hoc est in omni sextâ feriâ, nisi solempnitas novem lectionum obstiterit. Item totiens fratres laici recipiunt disciplinas, nisi in Cœna Domini. Item quotiens fratres communicare debent, unâ die ante, currere tenentur ad confessionem. Sunt autem isti dies quibus generaliter omnes communicant, Nativitas Domini, prima Dominica Quadragesimæ, Cœna Domini, Pascha, Pentecostes, Assumptio S. Mariæ, solemnitas omnium Sanctorum; si quis in viâ directus fuerit primâ Dominicâ quæ competenter occurrerit post festum quo communicare debuerat, præsentet se & communicet.

De observatione silentii.

Silentium ubique tenere debemus, ut nunquam & nusquam loquantur fratres, nisi prærequisitâ licentiâ Magistri. Sunt etiam sacro-sancta loca in quibus talis licentia neque peti debet, neque dari, nisi suprema necessitas exegerit, qualis est in comportandis trabibus, aut sublevandis, & in hujusmodi. Qui enim in monasterio, in claustro, in dormitorio, in refectorio silentium suum fregerit, dignum est ultro pœniteat & dignæ disciplinæ subjaceat.

De hospitibus supervenientibus.

Si necessitas hospitum supervenerit post completorium, Magister provideat quis fratrum loquatur cum hospite, si fortè Cellerarius non fuerit præsens, cui de procurando hospite cura generalis incumbit.

De Lectione prandii.

Dominicis diebus & festis quibus non laboramus propter pacis & charitatis custodiam simul omnes congregati prandeamus, & ab uno Clericorum in libro uno brevis lectio recitetur: ut sicut beatus Job sanctificabat filios suos, sic nos comedentes de lectione sacræ paginæ sanctificemur.

De paupertatis amore.

Nulla animalia licet nobis possidere præter apes & catos, & canem unum, & equitaturam unam sive duas.

De proprio.

Cuiquam non liceat aliquid proprium habere præter simplicem vestem quam sibi Magister & suus Ordo contulerit, & præter instrumentum suæ artis, quæ tamen ad numerum recipiet, & ad numerum resignabit: quotiens requisitus fuerit; vel quotiens labor ejus aut mutabitur ei, aut completus erit. Item quicumque sine jussione Magistri dat aliquando, licet nummum, excommunicatum se noverit, usquequò manifestaverit, & inde satisfecerit. Item, si quis fuerit cum proprio defunctus, ipse & res ipsa quæ circa ipsum reperta est, foras extra atrium ejiciantur.

De eodem.

Si loci sufficientia permiserit, liceat unicuique fratrum tres tunicas habere; pellicium, pelles, mantellum simplicem. Duo paria caligarum, scapu-

larium, Clericis. Converſis autem duo capucia, & duo paria caligarum, pedules & ſotulares. Clericis conceſſum eſt à Domino Papâ calceis uti à feſto Sancti Martini uſque ad Kalendas Aprilis.

Fratres in dormitorio dormiant ſinguli per ſingulos lectos, qui ſtrati ſint panno uno & cervicali. Jaceant autem veſtiti tunicâ, & caligis, & cingulo, ut ad opus Dei paratiores ſurgant. Coquinarius jaceat in coquinâ, quia ſervat oſtia. Idem adjuvat in piſtrino, ſicut conſtitutum eſt.

Furnerius manè prandeat, quod ei Cellarius miniſtrabit, & ad panem tornandum Clerici adjuvabunt, cum eis licebit; & ſi ante Tertiam furnus coquit, eâ die parcitur clericis de alio labore.

De Segete.

Converſi qui ſervant ſegetes, caveant ne cadant in illam ſententiam quæ prohibet dare vel accipere, ſine Magiſtri juſſione, quia graviter punirentur.

De numero Fratrum.

Fratres laici uſque 20. recipi poſſunt, & de litteratis quantum redditùs & proventùs ſe extendunt.

De Novitiis.

Frater qui noviter venit ad Ordinem & pulſat ut recipiatur, audiat prius auſteritatem Ordinis, & ſi firmavit propoſitum ſuum, adducatur in Capitulum, miſericordiam petat. Sæculo & voluntati propriæ renunciet. Obedientiam junctis manibus faciat, poſteà à deputato ei Magiſtro, tondeatur & de obſervatione Ordinis inſtruatur.

De modo excommunicationis.

Secundùm modum culpæ debet extendi vindictæ menſura, & hic modus correptionis, in Prioris pendeat arbitrio. Si quis publicè peccaverit, coram omnibus arguatur. Qui pro levioribus culpis ſæpe correptus non emendatur, quandiu Prior judicaverit à fratrum conſortio ſegregetur, aut ſingulis diebus verberetur, donec ejus humilitas veniam mereatur. Si autem frater qui culpæ gravioris nexu conſtringitur, non ſolùm à fratrum conſortio, ſed ab Oratorio ſequeſtretur. Denique qui verbis uſque quater ammonitus in contumaciâ ſuâ perſtiterit inobediens, penitùs excluditur à totâ domo. Projectus autem ſi reverti voluerit, & omnem emendationem ſpoponderit vitii pro quo egreſſus eſt, aut ejectus, tertiò poteſt recipi Si deinceps ejici meruerit, aut ſponte exierit, omnis ei obſtruatur introitus. Si quis autem frater præſumpſerit fratri excommunicato, vel expulſo foras, ſe conjungere, vel loqui, vel mandatum dirigere, ſimilem ſortiatur excommunicationis vindictam.

De excommunicatis.

Omni ſollicitudine curam gerat Prior circa delinquentes fratres, quia non eſt opus ſanis medico, ſed malè habentibus, & ideò vel per ſeipſum, vel per alium ſapientem & diſcretum virum conſolari properet, & revocare ad humilitatem, fratrem fluctuantem, ne triſtitiâ abſorbeatur, orari faciat pro eo, & ei miniſtrari in aquâ & pane ſolo. Similiter & ei qui ad portam redit, miniſtretur die unâ, ſed non ulterius, niſi de Prioris conſilio, vel imperio.

De infirmis Fratribus.

Ad Magiſtri reflectitur curam, id quod à diſcipulis delinquitur, & ideò provideat Magiſter diligentem ſervitorem qui de infirmis curam gerat, & quicquid domus miniſtrare ſufficit, huic Cellarius hilari pietate procuret: ut à Domino audiat, *infirmus fui & viſitaſtis me.* Nam qui aſſidet decumbenti, vel qui neceſſaria perquirit ei, non tam infirmo, quàm Chriſto veraciter ſervit, Chriſtum comportat, Chriſtum paſcit & ungit. Ipſi verò infirmi nec inordinata, nec ſuperflua requirant. A carne & à ſanguine ſemper abſtineant. Sextâ feriâ cibo quadrageſimali veſcantur.

De removendâ mulierum ſuſpicione.

Mulieres neque ſub curâ noſtrâ recipere debemus; neque per cœnobia ſacrarum monialium viſitationes facere. Sed aſpectus earum & loca confinia devitare. Fœminæ curtem fratrum non ingrediuntur, & quæ vicinæ ſunt noſſe debent conſuetudinem portæ noſtræ, ut de veſpere non veniant, quia neque beneficium, neque reſponſum à portâ reportarent.

De Officiis Solempnibus.

In majoribus Solempnitatibus, Prior pro reverentiâ diei feſti faciat officium, incipiens à Veſperis & Completis, uſque poſt majorem Miſſam, fratribus per omnia miniſtrantibus & adjuvantibus, ſive canentibus ſolempniter, quantùm poſſunt. In quibus diebus Sacriſta provideat de altaribus feſtiviùs paulò adornandis. Item Prior in capite jejunii, cineres benedicat & diſtribuat, & tam ipſe, quàm cæteri exſolvant orationes quæ ante Miſſam fiunt. In ultimâ illarum Prior præparat ſe ad Miſſam, ſimiliter & miniſtri ejus, & iſti calceant ſe, & parati lotis manibus procedunt ad altare. Alii fratres ſuſtinent uſque poſt Evangelium, & tunc ſe recalciant, & manus lavant, & Miſſas ſuas celebrant. Si autem feſtum aliquod vel in hac die, vel in diebus aliis inciderit, prima Miſſa fit de jejunio, ſecunda de feſto, quæ duæ ſine intervallo ſibi continuantur. In Cœnâ Domini Prior debet Miſſam & in paraſceve, & in Sabbatho.

De his quæ plus bono uſu fiunt; quàm ſcripto.

Scriptum eſt, *Omnia fac cum conſilio, & poſt factum non pœnitebis.* Conſilium recepimus à viris diſcretis & benè litteratis conferendo cum eis; de uſu noſtræ parvæ domûs & uſibus aliarum domuum quæ ſunt numeroſæ multitudinis gentium, & magni apparatûs & expenſarum, qui viri ferè uno ore reſponderunt, uſum noſtrum potiùs nobis æmulandum forè, quàm aliquod ſcriptum. Scilicet ut teneamus idem quod tenere conſuevimus de raſuris capitum, de diebus proceſſionum, de lege ſolempnitatum, & communionis fratrum, vel confeſſionis eorum, de temporibus minutionum, de pitanciis infirmorum, ſive hoſpitum, de cibis & veſtibus & numero, vel menſurâ, vel horâ diſtribuendorum, & edocti ſumus ut omnia fiant qualiter hoc anno fiunt; ſed tantùmmodò conſideremus in adminiſtrando neceſſitudines indigentium, non malas voluntates invidentium. Nam ideò quorumdam improbitas & inexpleta cupiditas caſtiganda eſt. Quia infernus, & os vulvæ, & ignis; tria inſaturabilia ſunt. Qui legit intelligat quia non ſufficimus omnibus dare; quod omnes petunt.

De Pitanciis.

Solent habere solempnitates anni pitancias suas. Solent boni vicini sæpe quasi cogere nos ut de oblationibus suis aliquam pitanciam faciamus in generali. De quibus visum est aliquando laïcis fratribus, ut qui vellet reservare partem suam, liceret ei. Non mirùm, qui nesciunt scripturas, neque usus aliarum congregationum didicerunt. Si suâ simplicitate sunt decepti. Si stultâ pietate gulæ sunt impii. Si ignorant quia venter quasi novus Deus est. Qui tale requirit Sacrificium quod de unâ die transferatur in alterum. Igitur contra se audiant illud Moysi. Sacrificium quâ die conficitur, consumatur. Neque enim Moyses contra Aaron. De hedi partibus non comestis frustrà causatur. Quod si ad spiritalem sensum referas, fides & scientia & linguæ cessabunt, & prophetiæ evacuabuntur. Si aurem ad simplicem litteram hoc accipis, de cibis reservatis intelligo, quantus pudor est aliquos fratres, ventribus suis offerre quod die illâ in generali non habetur. Unde ad probationem hujus rei sufficiat saltem ille versiculus: *omnia tempus habent*, sed non habet omnia tempus. Cellerario præcipitur ut omni die ministret fratribus quod manus ejus invenerit. In serò recolligat quod de cœna remanserit, ubi si quid viderit integrum & reservabile, in communes expensas id redigar. Quod imminutum erit, vel in eleemonisam devolvat, vel in usus alios fideliter expendat: & sicut facit de rebus aliis secundùm nutum Prioris, ita ut de ista re faciat, ut nihil reservet ipse cuiquam, neque patiatur ante aliquem quicquam inordinatè poni.

De eligendo Priore.

Quando Prior decesserit, præmissis orationibus, completoque jejunio triduano, eligatur à fratribus quis ei succedat. Vitæ autem merito & sapientiæ doctrinâ eligatur, qui ordinandus est, etiamsi fuerit ultimus congregationis. Et sicùt fit in omni electione, quemcumque major pars fratrum meliore zelo elegerit & saniori consilio, huic assentire debet cætera multitudo. Fratres appellamus non solùm illos qui serviunt in Hyree-Vallibus, sed qui in Abyé & qui in Bona-Valle, qui omnes debent interesse novæ spiritualis Patris sui electioni, quia istæ tres domûs, sunt una cura animarum, & non tres curæ.

De Officio Electi.

Electus aliquis & ordinariè promotus, caveat elationem & servet bonum nomen Ordinis hujus qui heremiticam, seu anachoreticam vitam redolet, & favorabilem simplicitatem. Igitur Magister hujus Heremi, contentus erit cibis communibus, & libris & vestibus & utensilibus universis, ut ex hoc ipso humilis ipse, alios humilier, & quæcunque discipulos docebit esse contraria, in suis operibus magis indicet non agenda. Necessè est ei necessaria domui providere, præsumptiones & novitates noxias, in ipsa radice principii, sicut inutiles propagines vitis evellere, & dicere, tempus putationis advenit. Debet & discretè labores temperare, simultationes & invidiam cautè deprehendere, benignè consolari pusillamines, rebelles potenter conterere, alacriter inertes exhortari, misericorditer fessos, vel infirmos, beneficiis refovere, ut omnibus omnia factus, nunc ut pater, nunc ut magister, uno mediocritatis vestigio, viam mandatorum Domini curtat expeditius. Dirum magistri

magiſtri, pium patris prætendat affectum ut ſit pater humilium, quod eſt contra immoderatæ ſeveritatis periculum, ne fugiant eum omnes & dicant, Urſus inſidians, princeps malus ſuper populum. At magiſter ſit indiſciplinatorum, quod eſt contra remiſſæ lenitatis vitium. Ne licentioſa inſolentia, vel diſſolutio, vel riſus habeat locum ſuum, ne dicatur de ſubditis: *Vaccas-Betbaven* adoraverunt. Id eſt ſtultè, impudenter & inſolenter ſe habuerunt. Igitur qui pater eſt, percutiat filium ſuum virgâ, & liberet animam ejus à morte. Sciat culpæ paſtoris incumbere, quicquid minùs utilitatis ille magnus pater familias cui ratio reddenda eſt, poterit in ſuis ovibus invenire. Semper ergo ſe præparet pro eâ quam redditurus eſt, de ſibi creditis ovibus, rationem.

De querelis & accuſationibus.

Philoſophus admirans ſuper diverſis moribus hominum, & ſuper murmure, vel querelis, vel cauſis iſtorum, exclamat & ait, nemo ſine crimine vivit. Nam vitiis nemo ſine naſcitur; optimus ille eſt qui minimis urgetur. Et quod ſacra pagina dicit, devorabunt homines linguas ſuas, ad murmurationes & clamores hodierni temporis, tam in hoc ordine, quàm in aliis referri poteſt. Nam ſi homines appellantur qui terrena ſapiunt: viri religioſi qui ſicut Dii inter homines eſſe debuerant, jam nomine hominum appellandi ſunt. Jam alii alios cauſis & plagis involvunt, quorum propoſitiones magis terram ſapiunt, quàm aliquid terrenum. Unde ſi inimici hominis ſunt domeſtici ejus, ſi contra eos quos defendere, vel à quibus defendi ſolebant, armis iracundiæ debacchantur, ſi neceſſe eſt venire ſcandala ut electi probentur: completa eſt prophetia, & homines manducant linguas ſuas: at contra beati ſunt qui perſequtionem patiuntur propter juſticiam. Si creſcente pugnâ, creſcit pugnantium gloria, ſi quis palam arguit, pacem facit: ſi contra Balaam ſua loquuta eſt aſina: forſan utile erit Hyrecvalli, ſi proponit aliquis in Magiſtrum ejus aliquid quod dignum cenſuerit emendatione magnâ, quia nec importabile dedecus Ordinis, nec detrimentum inemendabile rei familiaris, nec violentam oppreſſionem alicujus innocentis, nec odibilem avaritiam quæ auſteritas vocatur, & non eſt, nec cœcitatem neſcientem quæ ſæpe ſimplicitatis nomine ſe tuetur, quiſquam ferre poteſt aut debet. Igitur qui proponit in tantum virum calumpniam, ſervet ſemper humilitatis formam, verborum modeſtiam, reverentiam Capituli, honorem Ordinis, timorem Dei, teſtimonium ſanæ conſcientiæ, zelum juſticiæ & diſciplinæ. Hoc eſt, ut nichil moveat propter inanem gloriam & contentionem, nichil per inſidias & de ſuſpicione, nichil per invidiam & detractionem, nichil propter turpe lucrum, vel aliam abuſionem. Ne quando more ſtulti reperta ſit virga ſuperbiæ. Ne quis repercutiat eum virgâ quam intenderat ſuper judicem ſuum, & confundatur propheta malus à ſuâ viſione. Igitur præcedat ordinariè negotium & magiſter reſpondeat ad Capitulum ſimul, & clamantem ſuum; & ſi reus eſt, humiliet ſe eo modo quo debet, vel ſi neſcit ſe conſcium, purget ſicut debet & decet, aut probationes, aut teſtes ſi ſe contra eum offerunt, quæſtionem deferant ad Epiſcopum, & ad ejus officiales, qui auditis utriſque partibus dignè puniant culpam, & dignè abſolvant innocentiam. Si aliter non poſſunt, & tanta eſt culpa, deponant eum qui declinavit Capituli ſui judicium, & ſuſtinuit fatigare fratres ſuos, tam procul, quàm intra Hyrecam domum, & alium diſpenſatorem conſtituant in ejus locum.

De concordia fraternitatis & de intentione fundatoris Hyreevallis & Abyé.

Qui legit Machabæos & pugnas eorum, unam judicat verè trium fratrum intentionem & parem sollicitudinem, & mutuum auxilium, vel charitatem, quòd ideo dicimus, quia nos de Hyree-Valle, & qui in Abyé, & qui in Bona-Valle sunt, unum sumus, unum penitùs & in Domino & in sæculo, licet diversis in locis pugnemus, nunc contra spirituales hostes, nunc contra terrenos persecutores, nunc contra corporeas passiones, hoc bene intelligit si quis est qui sciat nos habere unam solam curam animarum, quia ibi pugna est contra spirituales inimicos & unam sententiam excommunicationis pro quolibet de fratribus illis qui in Abyé & in Bonâ-Valle sunt, sicut pro nobis fieri debet per sigillum nostrum, quod est contra terrenas potentias & persecutores, & nos cum illis esse familiam unius panis, unius vestis, unius possessionis, ut sicut vulgò dicitur, familia nunquam partita, semper fuerimus & simus, quod est contra corporeas importunitates, id est famem & sitim & nuditatem. Nam quotiens aliquo indiget aliquis auxilio, sive sit prope nos, ut in Hyree-Valle, sive procul ut in Abyé, & in Bona-Valle, ad eum regreditur à quo exiit, hoc est ad Magistrum Hyree-Vallis, & Magister quod pro seipso faceret, hoc pro discipulo illo, facere semper studet. Jussus etiam ille abire, ibit, jussus facere hoc, faciet, una est per omnia disciplina, & compassibilis necessitatum omnium cura. Unde si quis non est nobiscum, contra nos est. Inobediens enim videbitur qui resistet, juxta eum qui ait, Si quis non colligit mecum, hic dispergit. In primâ Dominicâ Quadragesimæ debet legi & in Capitulo exponi sententia de observatione quadragesimæ & injungi peculiares orationes quæ singulis diebus ante Tertiam privatè in Ecclesiâ fiant à singulis fratribus. Hac ipsa Dominica judicamus utile fore ut cum stolâ & candelâ ardente excommunicentur conspiratores & incendiarii, & qui proprietatem habent, & fures usque dum pœnitentiam receperint à Magistro; & sciendum quòd de criminalibus culpis, nullus alius quàm Magister debet dare pœnitentiam. Sed si quis petit eam, Confessor remittat eum bene instructum usque ad Magistrum, & dicat ei, frater, nos minores Sacerdotes non habemus in criminalibus potestatem.

Incipit sententia de observatione Quadragesimæ.

Licet omni tempore, viri religiosi vita debeat habere observationem Quadragesimæ, tamen quia paucorum est ista virtus, ideò suademus istis temporibus Quadragesimæ, omni puritate vitam suam custodire, & omnes pariter negligentias aliorum temporum in diebus sanctis diluere, quod tunc dignè fit, si ab omnibus vitiis nos temperemus, orationi cum fletibus, lectioni & compunctioni cordis, atque abstinentiæ operam demus. Igitur unusquisque supra mensuram sibi indictam aliquid propriâ volontate cum gaudio Spiritûs Sancti offerat Deo, id est, subtrahat corpori suo de cibo, de potu, de somno, de loquacitate, de scurrilitate, & cum spiritualis desiderii gaudio sanctum Pascha expectet. Hoc ipsum tamen quod Deo offert, Magistro suo suggerat. Nam quod sine assensu Patris spiritualis fit, præsomptioni deputabitur & vanæ gloriæ, non mercedi. Ergo cum volontate & oratione Prioris omnia facienda sunt.

Quando sit exeundum Clericis.

In Quadragesimâ non exeant Clerici extra Claustrum, nisi per licentiam Prioris, sed vacent lectioni & orationi usque ad Tertiam plenam.

De Mandato pauperum.

In Cœna Domini, cantatâ jam Missâ, discooperiuntur altaria, & eadem die post refectionem fratrum, vino lavantur, sed primò lavantur aquâ. Provideat magister laboris, ut circa meridiem festinanter redeant de labore, ut temperiùs circa Nonam cum Clericis faciant Mandatum pauperum. Isti ergo quibus Prior injunxerit, adducent tot pauperes in Claustrum, quot Fratres in toto Monasterio esse sciunt. Intereà Cellerarius providet de vasis & lineis abundanter, ut cum Clerici de Nonâ exeunt, lavent pedes pauperum, laicis ministrantibus vasa & linrea. Prior autem tribus lavat. Intereà cantantur Antiphonæ, & ad ultimam Cellerarius parat nummos pro singulis pauperibus, singulos, & distribuit lavatoribus, à Priore incipiens & per cæteros dividens. Hi nummi flexis genibus dantur, & manus pauperum osculantur, & cum omnibus dederint, tunc omnes fratres simul ante pauperes veniam petunt super genua, dicant hunc versum, *Suscepimus Domine misericordiam tuam in medio templi tui*, tunc surgentes, & inclinantes discedunt, pauperes autem ducuntur in refectorium & ministratur eis & comedunt. Et notandum quòd de silentio fratribus ignoscitur die isto, dum serviunt pauperibus, aut sibi invicem in Claustro, quod fit & pro mandati sancti lætitiâ, & pro simplicitate *eorum qui non intelligunt signa. Item notandum quòd omnes supervenientes hospites, vel pauperes reficiendi sunt die isto pane & pulmento, pro sancto mandato, & dum alii pauperes quibus pedes loti fuere comedunt, Prior mittit aliquam partem fratrum, qui ad portam reficiant alios, & qui portent panem & pulmentum largum & copiosum.

De Mandato fratrum & parasceve.

Post lavationem altarium pulset Sacristarius pro Mandato fratrum, & paratis omnibus quæ expediunt, resident laici fratres & Prior duobus Clericorum lavat pedes, socii ejus cæteros, percurrunt omnes, lavantes & tergentes. Inde sibi invicem lavant, ad ultimum manûs lavant & resident. Prior autem aliquem sermonem de Scriptura Sancta propter ædificationem laicorum tenet: inde exhortatur eos de devotione parasceve, ut tota parasceve parati sint ad horas omnes. Docet eos ne unus alium orantem juxta se inquietet, & per omnia quæ agere debent singula prædicit, ut præinstructi possint omnia seriatim & laudabiliter complere. Ipsi Clerici, sicut in libris suis est notatum, Officium de parasceve sic tenent. In parasceve cum jam crux adorata est, pulsatur tabula propter vesperas & inde propter refectionem. Nullus à refectorio se subtrahet. Si non vult comedere, saltem ibi sedet & ibidem gratias omnes solvant, propter formam Ordinis, quia sic ubique faciunt omnes Congregationes.

De Annuntiatione Domini, vel de alio Festo.

Annunciatio Domini si venerit à Ramis Palmarum & deinceps, cum deinceps locum vacuum habere non possit ut fiat, debet ante Palmarum Ramos

per prævenientiam locari, ut in Sabbato ante Ramos Palmarum fiat. Ambrosius & Benedictus dimittuntur.

De Festorum transportatione.

Singulæ Dominicæ de Adventu, & singulæ à Septuagesimâ & deinceps usque ad Pascha, propria servitia habent, & transponi non possunt, nec differri, nisi pro solo Purificationis Festo, si die Dominicâ venerit. Igitur si aliquod Festum, vel in Adventu, vel in Septuagesimâ, vel in aliquâ Dominicâ venerit, transponetur in crastinum, & Dominica fiet.

De Præbenda non promittenda.

Districtè præcipimus, ut nulli hominum promittatur Præbenda Ordinis nostri, neque pro gratiâ, neque pro servitio, neque pro munere, quoniam si tardat aliquis accipere quod petit sæpe mutantur res in contrarium, & honerosus posteà venit. Et etiam aliquam speciem simoniæ promissio talis respicit, quandò qui repetit quasi per vim & non per ostium gratiæ domum subit.

De dispensationibus Prælatorum.

Dispensatores per similitudinem dicuntur aliquando ministri minores, quasi strenui portitores, vel paratores ciborum. De istis enim est modò sermo. Item dispensatores dicuntur officiales, quia liberaliter & alacri vultu quibus videtur dandum, citò donant, & quibus negandum est rationabiliter, negant, ut Cellerarii & infirmarii. Sed modò de istis nichil.

De vera dispensatione.

Vera dispensatio est certè, causæ consideratio, ut aliquid de communi consuetudine, vel Ordinis constitutione necessariò relaxetur. Certa causa dispensationis triplex est. Fit enim dispensatio pro supremâ necessitate, vel afflictione, vel discretione. Necessitas est ut in *insulis* aquarum, vel Alpium, vel alterius *Nivosi* loci, unde non potest aliquis fugere, vel moveri, ibi vel dispensabitur ei, vel comedet carnem in Quadragesima si eam invenerit, deficiente omni alio cibo. Induet & Monachus clamidem auream nudus, si nudatus est omni indumento. Causa supremæ afflictionis est, si quis ad mortem gravatur, & carnes desiderat, dantur ei pro reparationis usu, etiam contra propositum suæ religionis. Si Conventus jejunat in pane & aquâ, & lassitudine laboris, & continuatione jejunii satiscere videbitur, Prælatus eorum de pulmento dispensabit, vel de pitantia. Hoc etiam faciet aliquis Abbas vel Episcopus, si transeat per domum illam, pari misericordiâ. Suprema dispensationis est causa, ut si quis in festo Natalis Domini carnes comedat, etiam si venerit in feriâ sextâ, quod est contra superstitiosos, quales sunt Populicani, vel Albigei. Isti enim non putant per virtutem obedientiæ posse jejunium relaxari, vel posse de carnibus dispensari, unde supremâ discretione fit ut quod superstitiosus aliquis voverat se nunquam contingere, hoc cogatur si captus fuerit in plenâ Ecclesiâ manducare & erubescere multâ confusione. Ecce quomodo cogi potest aliquis etiam in Quadragesimâ jejunium frangere, si ita infirmi sit capitis ut non debeat jejunare, sed bis reficere. Igitur si quis ista bene consideraverit, pauca dispensabit suo ventri, pauca sociis & cognatis, multa laboriosis & afflictis, plurima decrepitis & infirmis.

CAPITU-

CAPITULUM GENERALE
CANONICORUM REGULARIUM
ORDINIS
S. AUGUSTINI
Ab Eminentiſſimo Cardinale Lotharingiæ convocatum & eo Præſide habitum Nanceii, pro reformatione eorundem Canonicorum, anno MDXCV.

ANNO Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimo quinto ſeptimâ Julii, Abbates & Priores Abbatiarum Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Auguſtini in Diœceſibus Tullenſi, Metenſi & Virdunenſi conſtitutarum, Mandato Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini D. Cardinalis à Lotharingiâ, Sanctiſſimi D. D. noſtri Papæ Clementis octavi, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legati, convenerunt Nanceii, videlicet Reverendus Dominus Joannes Marius Abbas Petri-Montis, Dominus Franciſcus Paſticier Abbas de Calmonſia, Dominus Jacobus Magnien Abbas de Lunarisvillâ, Dominus Chriſtianus Malriot Abbas Sancti Salvatoris in Voſago, Dominus Nicolaus Laurent Abbas de Atreiio, Dominus Theodorus de Lunevillâ, Abbas Montis Sanctæ Trinitatis, aliàs Beatæ Mariæ de Bello-Campo, D. Albericus Nicolaus Prior Sancti Leonis in Tullo, D. Florentinus la Niepce Prior divi Nicolai à Pratis, extrà muros Virdunenſis civitatis, in abſentiâ Dominorum Priorum Sancti Montis & Erivallis citrà Romaricum-Montem ſitorum, pro quibus dicti Domini Abbates de Calmonſia & Bello-Campo nomen dederunt, qui omnes in unum in eodem Nanceii oppido congregati, auditâ de Spiritu Sancto Miſsâ celebratâ in Capitulo Monaſterii Fratrum Minorum à Reverendiſſimo D.D. Epiſcopo Baſilitano, nomine Antonio Fornier, ejuſdem Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Legati Vicelegato, & Primicerio Metenſi, cauſam ſuæ convocationis audierunt, videlicet, ut dicti Abbates & Priores media convenientia diligenter perquirerent, ad Canonicam regularem diſciplinam in multis Monaſteriis collapſam reſtaurandam & ſtabiliendam, nullumque expeditius videri, quàm ſi omnia prædicta Monaſteria in unam congregationem adunarentur juxta decretum reformationis Conc. Tridentini Seſſ. 15. Cap. 8. quibus auditis dicti Abbates & Priores, quorum aliqui ſuperioritatem Reverendiſſimi D.D. Epiſcopi Tullenſis non ſubterfugientes, alii ſuorum Monaſteriorum Patrum, rogarunt ſibi tempus concedi, conſulendi illis. Et ſic finita eſt prima Seſſio.

SECUNDA SESSIO.

Die verò ſequenti, octavâ nempe dicti menſis Julii, non ſine maximâ in dictum Ordinem benevolentiâ, affuit in dicto Capitulo prædictus Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus D. D. Cardinalis, cui cum ſupplicem libellum prædicti Abbates porrexiſſent ac dictum tempus dilationis efflagitarent, tandem

eò ventum est, ut præfatus Illustriss. Dominus sit protestatus, neque Summum Pontificem, neque dictum Concil. Trid., neque se velle cujusquam juribus præjudicare, solùm eo tendere ut disciplina regularis & canonica in integrum restituatur. Ad cujus protestationis instrumentum sibi faciendum jussit dictam congregationem nominare Secretarium, quem & eâ de causâ fecit Notarium Apostolicum, ad cujus nutum & mandatum præfata congregatio libenter & humiliter dilectum confratrem & Canonicum Dominum Joannem Perrin, aliàs Grezille Monasterii Sti. Leonis Tullensis nominavit, ac ejusmodi instrumentum publicum per eundem liberè concessit.

Qui Dominus Secretarius & Notarius continuò jussus est suffragia & voces prædictorum Abbatum excipere, ad affectum Generalis & visitatoris triennalis dictorum Monasteriorum eligendi, quorum pluralitas, eodem referente Secretario, in personam prædicti Domini Joannis Marii Petri-Montis Abbatis cecidit. Cui electioni concorditer ab omnibus applausum est. Protestatum tamen ab omnibus commendatarios Abbates vocem nec activam, nec passivam in dictâ Congregatione habituros.

TERTIA SESSIO.

Horâ verò pomeridianâ præsente præfato Illustrissimo & Excellentiss. Cardinale, eadem Congregatio Canonicorum Regularium divi Augustini protestata est libenter amplexuram omnem reformationem canonicam, juxta regulam professam, præcipuè votorum essentialium observationem.

Quoad obedientiam, R. D. D. Joannis Marii Abbatis Sti. Petri-Montis electi Generalis & Visitatoris in triennium mandatis & constitutionibus de consilio confratrum Abbatum, & Priorum ejusdem Congregationis faciendis, se per omnia submittit.

Item quoad castitatem quam intendunt Deo volente, non solùm servare, sed etiam suspicionem omninò mali evitare, cupiunt nullas omninò fœminas ad sua loca regularia, videlicet Claustrum, cellas & dormitorium admittere.

Quoad paupertatem, professione factâ non posse fieri hæredes bonorum paternorum & maternorum.

Se aliquid testamento non posse instituere.

Item nullius rei dominium sive mobilis, sive immobilis se habere non posse fatentur, at usum cum licentiâ Superioris necessariorum sibi prohibitum non existimant, cum sint Canonici non Monachi.

Ita tamen quòd unusquisque Canonicorum claustralium singulis annis, die Cœnæ Domini, ante, vel post Confessionem in Capitulo existentes tenebuntur omnia quæ sibi ad tales usus concessa fuerant, voluntati ac potestati Superiorum per traditionem suarum clavium, ac scedulam, eadem in veritate continentem exhibere. Foris autem in parochiis degentium, & eisdem deservientium idem quique præstabunt in die divi Augustini.

Supplicat humillimè eadem Congregatio, velit sua Illustrissima & Excellentiss. Dominatio, eandem & omnes Canonicos, tam Abbates Claustrales, quàm Parochos ejusdem Ordinis in suam protectionem & patrocinium suscipere, & se esse talem palàm declarare.

Item ut Domino Domino Visitatori seu Generali potestas absolvendi omnes prædictos Canonicos ab omni crimine, irregularitate, & apostasiâ concedatur.

In quolibet Monasterio præfatæ Congregationis divinum Officium verè, devotè & reverenter secundùm veteres cujuslibet Monasterii constitutiones, donec aliter provisum fuerit, celebrabitur.

Deputentur ab Abbatibus, vel Prioribus in Abbatiis commendatariorum, unus vel plures casibus Conscientiæ imbuti, qui audiant omnium confessiones, nec cæteris fas sit fungi officio.

Silentium in Oratorio, Dormitorio & Refectorio, idquè potissimùm lectionis tempore observetur.

Omnes unam & communem mensam habeant, nec cuiquam seorsum vel prandere, vel cœnare liceat, licentiâ à Superiore non obtentâ, nec sæculares ad eam admittantur, nisi mediante eâdem licentiâ.

Eleemosinæ quæ ab antiquo in Monasteriis fieri consueverunt, de cætero fideliter fiant.

Fiat lectio quotidiana, vel à religioso, vel ab alio quolibet ad arbitrium Superioris.

Non liceat in receptione novitiorum quidquam accipere quod Sacris Canonibus improbari possit, potest tamen exigi à novitiorum parentibus & amicis promissio & fidei-jussio de illis alendis, & vestiendis, promovendisque ad studium, quoadusque grammatici & rethorici efficiantur, & Sacrorum Ordinum capaces existant.

Ad professionem nullus admittatur ante sextum decimum ætatis annum.

Non tantùm Abbatiæ sed etiam Prioratûs in quibus degunt Canonici, ab eadem Congregatione dependentes visitabuntur.

In qualibet Abbatiâ ubi necesse erit constituatur domus curationi infirmorum apta.

Nullus septa Monasterii absque licentiâ Superioris impunè egrediatur interdiù, nocte verò incarceretur.

Cætera hic minus specificata supplebit, Deo volente, Reverendus Dominus Generalis in constitutionibus cum tempore faciendis, qui consensum Domini Prioris Sanctæ Mariæ Beau-Champ nuncupati, requiret ac in præfatam Congregationem non sine ejusdem habitûs & regulæ professione si fieri potest, inducet.

Sequens autem nostra Congregatio in Monasterio Beatæ Mariæ Calmonsiasensis conveniet, post triennium, in feriis Translationis beati Patris nostri Augustini, quæ incidunt in undecimam mensis Octobris.

In quorum omnium fidem & testimonium manu propriâ subscripserunt præfati Domini Abbates & Priores, sub protestatione & expressis conditionibus quòd non intendunt præjudicare suis immunitaribus, privilegiis & juribus quibus hactenùs canonicè, & secundùm consuetudines Canonicorum Regularium legitimè antiquitùs observatas, nec aliorum quorumcunque præcipuè Reverendissimorum Episcoporum, in quorum Diœcesibus degunt.

Ego quoque subscriptus prædictus Secretarius & Notarius Apostolicus prædicta omnia fuisse sic facta, lecta & ordinata testor, nonâ ejusdem mensis Julii 1595. Sic signatus

JO. PERRINI.

De mandato R. D. Generalis.

„ CAROLUS, miseratione divinâ Sanctæ Agathæ S. R. E. Diaconus Cardi-
„ nalis à Lotharingiâ nuncupatus, & in Lotharingiæ ac Barriducis Ducatibus,
„ nec non Metensi, Tullensi & Virdunensi Civitatibus & Diœcesibus San-
„ ctissimi Domini nostri D. Clementis Papæ octavi & Sanctæ Sedis Apostolicæ
„ à latere Legatus, Episcopus Argentinensis & Metensis. Ad perpetuam rei
„ memoriam. Decori Domûs Dei & divini ejus cultûs augmento, pro lega-
„ tionis nostræ munere meritis licet imparibus, quantùm cum Deo possumus
„ intenti, in iis per quæ Monasteriorum omnium cujusvis Ordinis in districtu
„ nostræ legationis sitorum status feliciter dirigatur, & regularis vitæ institutio
„ conservetur, incessanter elaborandum esse duximus, ut si quid temporum
„ injuriâ & iniquitate in dictis Monasteriis & Ordinibus & eorum personis re-
„ ligiosis, sub suavi religionis jugo Domino famulantibus, contra regulæ suæ
„ puritatem & morum integritatem deperiisse, aut correctione & emendatione
„ indigere dignoscatur, in suum pristinum statum reflorescat & antiquo can-
„ dori, divinâ opitulante gratiâ restituatur. Sanè cum ad effectum piæ hujus-
„ modi nostræ intentionis & propositi salutaris, hoc opus in Ordine Sti. Au-
„ gustini prosecuti simus, illiusque Monasteriorum in districtu nostræ legatio-
„ nis sitorum Abbates & Priores, à nobis ad hoc Nanceii convocati, & per-
„ sonaliter coram nobis in Ædibus Sacris Franciscanorum ibidem constituti
„ ad mandatum & instantiam nostram, sese juxta Sacro-Sancti Concilii Tri-
„ dentini præscriptum in Congregationem redegissent, eam deinceps juxta for-
„ mam constitutionis Innocentii tertii fœlicis recordationis quæ incipit: *In sin-
„ gulis* firmiter observaturi; tandem-que divinâ opitulante gratiâ, hinc inde
„ secutum sit ut dicti Abbates & Priores multa ad sui Ordinis, voti, regulæ
„ & instituti restaurationem, manutentionem & augmentum pertinentia statue-
„ rint, quæ articulis his annexis continentur. Rogantes nos suppliciter quate-
„ nùs eisdem & electioni Reverendi in Christo Patris Domini Joannis Marii
„ Abbatis Monasterii Sti. Petri-Montis ejusdem Ordinis, Metensis Diœcesis in
„ generalem Abbatem & visitatorem dicti Ordinis per districtum nostræ lega-
„ tionis factæ, authoritatis nostræ Apostolicæ robur adjicere dignaremur. Hinc
„ est quòd nos desiderantes laudabilem eorum intentionem & proposita, eo-
„ rumque electionem prænominati Generalis, de cujus singulari pietate vitæ &
„ morum probitate & doctrinâ, nec non Religionis zelo sufficienter infor-
„ mati sumus, favore prosequi gratiæ specialis dictam electionem, nec non
„ supradictos articulos, quatenus in iis nihil sit quod Sacro-Sancti Concilii
„ Tridentini decretis repugnare dignoscatur, confirmavimus, laudavimus, &
„ approbavimus, confirmamus, laudamus & approbamus illisque approbatio-
„ nibus nostræ & perpetuæ ac inviolabilis firmitatis Apostolicæ robur adjici-
„ mus, præfatumque Generalem & successores ejus ad effectum præsentium in
„ peculiarem nostram protectionem recepimus, Abbatibus verò, Prioribus &
„ Religiosis Monasteriorum dicti Ordinis Sancti Augustini, per districtum le-
„ gationis nostræ sitorum, sub excommunicationis latæ sententiæ & priva-
„ tionis, tàm activæ, quàm passivæ vocis pœnâ districtiùs inhibentes, ne visi-
„ tationes in posterùm à prænominato suo Generali, aut personis ab eo de-
„ putatis, juxta Regularis Ordinis instituta liberè faciendas per se, vel inter-
„ positas personas, directè vel indirectè, aut aliàs quoquo modo impedire, au-
„ deant vel præsumant: sed eum, seu eos, visitare volentes toties quoties ex-
„ pedire videbitur, & dicti Ordinis bonum aut necessitas postulabunt, benignè
recipiant,

„ recipiant, eisque & eorum mandatis ad ejusmodi visitationis officium pertinentibus pareant & humiliter obediant. Decernentes extunc appellationes aut quascunque alias reclamationes Abbatum, Priorum aut Monachorum pro tempore interpositas, vel interponendas, ac processus desuper habitos, vel habendos, vel inde secuta & sequenda quæcunque nullius fore roboris, vel momenti, ac dictum Generalem Abbatem ad correctionem & punitionem delinquentium Monachorum & personarum Ordinis hujusmodi, appellationibus, provocationibus & réclamationibus nequaquam obstantibus procedere posse & debere. Nonobstantibus contrariis quibuscumque. In quorum omnium majorem fidem præsentibus hisce litteris manu nostrâ propriâ subscriptis & à Secretario nostro infrascriptis sigillum dictæ legationis nostræ appendi curavimus. Datum Nanceii die duodecimâ Julii, anno salutis Millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, Pontificatûs Smi. in Christo Patris & Dni. nostri Dni. Clementis Papæ octavi anno quarto. Legationis verò prædictæ nostræ anno quinto. Signatum Carolus Cardinalis Legatus.

De par le Duc de Calabre, Lorraine, Bar, Gueldre &c.

„ A *Tous nos Baillyfs, Prevosts, Lieutenans, Procureurs Généraux, leurs Substituts & autres nos Officiers & Justiciers qu'il appartiendra Salut.* Il nous a été remontré de la part de Reverend nôtre trés cher & bien amé Damp Jean Marius Abbé de St. Pierremont de l'Ordre de St. Augustin, qu'il auroit été élû & commis, par les autres Abbés & Prieurs & Religieux dudit Ordre, pour Général Abbé & Visitateur d'iceluy par tous les Monasteres en dependans & situez au district de la legation de nôtre trés cher & bien aimé Fils le Cardinal Legat de sa Sainteté, lequel auroit aggréé & confirmé icelle élection par ses patentes données en cette nôtre Ville de Nancy le douzieme de Juillet presente année. Comme par l'exhibition desdittes patentes ledit de St. Pieremont nous auroit fait voir, suppliant trés humblement lui permettre l'execution de telle commission & charge. Nous ayant ces choses meurement consideré & désirant non seulement la permission réquise accorder, mais aussi de nôtre part y apporter tout ce que nous estimerons convenable pour l'effect d'un si saint sujet pour la reparation des deffauts que le temps, la misere, ou licence des guerres pourroient avoir causés. Vous mandons & à chacun de vous ordonnons bien expressement, que vous n'ayez à empêcher aucunnement ledit Marius, Abbé de St. Piermont, en procedant aux visitations des Abbayes, Prieurès & autres lieux en dépendans, ains qu'en ce faisant & afin qu'il y puisse vaquer avec tant plus de liberté & assurance, vous lui donniez aydes, secours, assistance, main forte & tous autres remedes & faveurs de justice si besoin fait, & en êtes requis, sans souffrir lui être fait ou donné aucun ennuy, trouble ou détourbier au contraire. Car telle est nôtre volonté & intention. Donné audit Nancy le vingt-deuxieme jour d'Octobre mil cinq cents nonante cinq.

Signé *Charles* & contresigné du Secretaire d'Audenet.

Indictio Visitationis Hyréevallis.

JOannes Marius, Generalis electus monasteriorum Ordinis Sancti Augustini, humilis Abbas Sti. Petri-Montis, Reverendo Domino Priori de *Erivalle* & Canonicis ejus Salutem in Domino. Noveritis quod nos secundùm provinciam susceptam die tertiâ mensis Novembris præsentis anni, visitandi initium facere volentes, ad vos venire cogitamus ad visitandum Ecclesiam vestram, Fratres & Canonicos vestros, eo animo, eoque consilio, ut quantùm in nobis est divinâ benignitate adjuti, omni diligentiâ, sollicitudine & pietate ac pastorali officio iis potissimùm incumbamus, ac sedulam nostram operam navemus quæ ad cultûs Dei rationem, animarumque salutem spectare judicabimus, in eâque visitatione nostrâ quam statuto die jam aggrediemur, etiamsi eo ipso die absolvere non poterimus, tandiù adesse pergemus, quod omnibus iis quæ ad eam pertinent, quæquè nos necessaria & opportuna censuerimus, perfectis, illam omninò absolverimus. Itaque ut nihil omittamus, volumus omnes Concanonicos, Parochos aliosque vobis subditos vestrâ diligentiâ & monitione, indictâ die, ad nostram visitationem convenire. Et ut hæ nostræ litteræ notarii nostri manu scriptæ & sigillo nostro munitæ, quas edicti publici vim ac robur habere decernimus, omnibus iis quibus prædiximus, ac aliis quorum id intersit vel intererit, notæ & manifestæ planè esse possint, volumus præsentes valvis monasterii vestri affigi & vigore earum ita teneri, ac si ipsi personaliter moniti ac citati fuissent. Datum Calmousiæ secundâ supradicti mensis anni millesimi quingentesimi nonagesimi quinti.
Signatum Jo. Perini de mandato Domini mei Generalis.

Statuenda in Visitatione Monasteriorum.

Monasteria & Prioratùs in antiquum statum quantum fieri poterit restituantur.

Nullus Abbas aut Prior recipiatur ad capiendam professionem, nisi priùs editâ in manibus superioris pro tempore existentis confessione fidei Catholicæ, ex formulâ à Sanctâ Sede præscriptâ.

Abbates & Priores regulares atque etiam exempti & commendatarii, si ætatem præscriptam à jure ad suscipiendos Sacros Ordines attigerint, intra annum promoveantur, tonsurâ utantur ampliori quàm sacerdotali, habitu propiùs ad regularem accedente, nec existiment sibi commendatum Monasteriorum & Prioratuum regimen ad luxum & prodigalitatem, aut ad augendam rem suam & consanguineorum familiam, sed ad piam & justam alienarum rerum dispensationem, Deoque de omnibus reddendam esse rationem.

Visitator inquirat & provideat de his omnibus quæ ad Dei cultum & servitium spectant in Monasteriis & Prioratibus, ut totum, & debitis horis cum decenti reverentiâ fiat, surgaturque mediâ nocte ad matutinas, si fuerit loci aut regulæ constitutio, posteà videat si saltem ad satisfaciendum divinis officiis, numerus religiosorum sufficiat pro fundatorum institutione, aut saltem pro facultatum copiâ.

Deinde an suppetant in Ecclesiâ omnia quæ ad serviendum sunt necessaria, an ipsius Ecclesiæ & locorum regularium sint sarta tecta.

In quâcunque religione professio non fiat ante decimum sextum ætatis annum completum, neque qui minori tempore quàm per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur.

Professio anteà facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus regulæ, vel religionis, vel ordinis observationem.

Finito tempore novitiatûs, Superiores ipsi novitios quos habiles invenerunt, ad professionem admittant, aut monasterio ejiciant.

Abeuntibus, ad regulæ quam sunt professi præscriptam vitam instituere & componere debent, atque in primis observare obedientiæ, paupertatis & castitatis vota, ac præcepta, ad communem vitam, victum & vestitum pertinentia, neque enim possunt à Superioribus ea quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari.

Abeuntibus verò ante professionem omnia restituantur quæ sua erant, deductis alimentis & vestimentis.

Constituto, in regulari vitâ cujuscunque qualitatis fuerit, non licet bona mobilia, vel immobilia etiam quovismodo acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventûs possidere, vel retinere, sed statim ea tradere Superiori, Conventuique incorporari.

Sit in omnibus religiosis mensa, vestitus, cohabitatio & clausura communis.

Omnes officiarii Monasteriorum & Prioratuum teneantur singulis annis rationem reddere de suis officiis & coram visitatore, vocato Abbate etiam commendatario, vel ejus procuratore, seu vicario ne quid reticeatur quod in administratione fuerit perperàm gestum.

Nullus in eodem claustro plura exerceat aut possideat officia, est enim æquum ut omnes pro suâ antiquitate honorentur & invitentur ad benè agendum.

Nullus tamen teneatur beneficium obtinere, aut claustum egredi ad beneficiorum regimen, nisi cujus spectata aut probata fuerit fides & sanctitas, ut laïcis potiùs ædificationem, quàm scandalum afferat.

Abbas vel Prior nulli religioso det licentiam egrediendi monasterium sine urgente necessitate, nunquam autem, ut ad nundinas, vicinorum pagorum festa, vel consanguineorum nuptias, vel ad Missas per parochias aut pagos celebrandas, nisi ob maximum defectum presbiterorum rogati vadant.

Mensa & victus, regularium statui paupertatis quem sunt professi non deroget, sed si quid frugali sumptui superfuerit, colligatur & detur pauperibus.

Et ut paupertatis publicæ erga omnes, sed maximè pauperes, maneat in monasteriis aliquod vestigium, admoneantur Abbates & Priores ut hospitalitatis & pauperum curam habeant, & non tantùm seipsos, sed & pauperes pascant quotidianis eleemosinis.

Ad Prioratus in quibus vigere debet regularis observantia, ut regulares mittantur ad divinum explendum officium, quot ex fundatione requiruntur, aut quot ferre possunt eorum facultates.

Quicunque regularis prætenderit se per vim, aut metum ingressum esse religionem, aut etiam dicat professum fuisse ante legitimam ætatem, velitque habitum dimittere quâcunque de causâ, aut etiam cum habitu discedere sine licentiâ Superioris, non audiatur nisi infra quinquiennium tantùm à die professionis, quòd si priùs habitum dimiserit, nullatenùs ad allegandam quamcunque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur & tanquam apostata puniatur.

Abbates & Priores, etiam de monasterio suo, minores aliquos emittant ad famosas universitates, qui tamen in conventibus, si fieri potest habitent, eisque assignent portionem congruam ad victum & vestitum ut posteà benè instituti, prosint monasterio; cæterisque in claustro remanentibus provideatur de Magistro.

Conſtitutiones Prioratûs Herivallis, editæ die 3ª. menſis Novembris anni Domini milleſimi quingenteſimi nonageſimi quinti, in Viſitatione factâ per Reverendùm Dominum Joannem Marium Generalem electum Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Auguſtini.

Incipiunt Statuta Prioratûs Herivallis.

QUia non poteſt continuari congregatio religioſorum, niſi ex frequenti novitiorum introductione in eadem familiâ, ideò incipiendum erit à novitiorum receptione, ſecundùm regulam D. Auguſtini.

Ad quorum receptionem ſcribitur cap. 15. ſeſſ. 25. Concilii Tridentini quod in quacunque religione, tam virorum, quàm mulierum, profeſſio non fiat ante decimum ſextum annum expletum, nec qui minore tempore, quàm per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur. Profeſſio autem anteà facta ſit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus regulæ, vel religionis, vel ordinis obſervationem, aut ad alios quoſcunque effectus; ſiquidem Concilii Tridentini decreto cavetur.

Forma autem admittendi & recipiendi novitios ſecundùm conſtitutiones loci quæ in Ordinario reperiuntur, diligenter obſervabuntur.

Qui receptus non ſtatim ad profeſſionem admittetur, ſed ei probationis aſſignabitur annus.

De Profeſſione Novitiorum.

Novitius probatus volens facere profeſſionem, factâ generali confeſſione peccatorum ſuorum, poſt Offertorium veniat ante majus altare, & conventus in circuitu, & dicat Novitius genibus flexis, Priore Miſſam celebrante, hunc verſum ter: *Suſcipe me Domine ſecundùm eloquium tuum & vivam, & non confundas me ab expectatione meâ.*

Fratribus reſpondentibus: *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui.* Conſulatur ordinarius.... Forma autem in profeſſione hæc eſt:

Ego Fr. N. offerens trado meipſum Eccleſiæ S. N. & promitto obedientiam ſecundùm canonicam regulam Sti. Auguſtini, Domino N. Præfatæ Eccleſiæ Priori & ſucceſſoribus ejus canonicè electis.

De Officio divino & horis canonicis.

Totum Officium divinum pariter & nocturnum, ſecundùm formam in Ordinario deſcriptam, maturè cantetur à Canonicis ſimùl congregatis, qui valentes intereſſe poterunt, nullo modo ſe abſentent ſine expreſſâ licentiâ à Superiore obtentâ, quæ nec niſi magnam ob cauſam admittatur quolibet prætextu remanente.

Et quia in aditis ipſis templi & penitiore ſacratioreque loco decantantur horæ Canonicæ, illic & ſummâ honeſtate & modeſtiâ opus eſt, ut & habitus ille oris, & geſtus corporis, & tenor vocis nihil indecorum habeat, nihil inconcinnum, nihil inhoneſtum: ſed omnem religioſam moderationem, reverentiam in Deum atque pietatem præferant & ſapiant.

Caveant

Caveant à variis colloquiis & confabulationibus, nec minùs vereantur eam gesticulationem scænicam more mimorum agere in conspectu Dei, coram sancto altari, ne Psalmistæ talibus vox aptetur: *Non est timor Dei ante oculos eorum.*

Horis verò & temporibus constitutis, officii ordo observetur.

Ab officio nondùm absoluto nullâ ratione recedant, si autem causâ graviter urgente aliquem è choro exire oportuerit, exhibitâque reverentiâ altari, reverenter licentiam à Priore poscat & patienter expectet.

Prostrationes & genuflexiones integrè ab omnibus absolventur in choro, potissimùm in Missâ, in quâ ab Offertorio ad Communionem usque, nullatenus surgatur.

Quantùm ad Missas ordinarias, præscriptum ordinem, pro ratione loci & fundatorum intentione observent.

De eo qui est rebellis.

Si aliquis post admonitionem Abbatis, & duorum, vel trium Canonicorum testimonium, rebellis inventus fuerit, admoneatur diligenter à Senioribus, & secundùm Superioris arbitrium emendatoriam subeat vindictam, quam si ferre recusaverit, Prior de consilio discretorum & majoris partis Capituli rebellem & contumacem & incorrigibilem poterit ejicere.

De Canonicorum confessione.

Ne temerè quispiam Canonicorum nostrorum & impræparatè accedat ad reverendum istud & summè venerandum Sacrificium Deo offerendum, arcam inprimis conscientiæ perscrutentur. Propterea hortamur omnes ut in qualibet hebdomadâ bis ad minùs sacramentaliter confitantur. Nullus tamen absque Prioris sui licentiâ quorumcunque confessiones, aut e contrario alteri cuilibet confiteri præsumat, quàm eis qui fuerint ab eo deputati, qui quantùm poterunt casibus conscientiæ & pro diligentiâ invigilabunt.

De suffragiis mortuorum.

Benefactorum jugis memoria habeatur.

Statuit Dominus Generalis & præcipit ut inposterùm admoneantur Abbates & Priores, diei obitûs cujuscunque Canonicorum, ut eâ ratione pro animâ illius defuncti fratris in quolibet monasterio fiat anniversarium generale.

De votis, ac primùm de obedientiâ.

Memoriâ jugi teneant nostri Canonici omnes obedientiam esse fundamentum Religionis, quâ non perseverante, tota corruat necesse est, quemadmodùm Deo omnipotenti nihil æquè gratum offerri potest quàm propriæ voluntatis abnegatio, sic & ejusdem philapsiâ & amore nihil indecentius; quare, juxta sententiam beati Patris Augustini, Præposito tanquam patri obediatur, ut parens diligatur & quidquid ille præceperit salutare credatur.

Jubet ergò Dominus Generalis inobedientes ad arbitrium Superiorum & Capituli graviter puniri, non resipiscentes autem ejici.

Superiore absente pareant seniori & subjiciantur illius jussis, & ad unguem obtemperent.

Cum sibi obviaverint, nudato capite mutuò sibi reverentiam exhibeant.

De Castitate.

Mundamini qui fertis vasa Domini, inquit Propheta. Non ad vasa materialia deferenda: sed ad vas illud admirabile deferendum in quo omnes virtutis & gratiæ thesauri reconditi sunt, & non modò ad deferendum; sed ad offerendum Domino atque sumendum.

Itaque & ratione voti cui astringimur & ratione patrum decreti, volumus nullas omninò fœminas ad loca sua regularia, videlicet claustrum, cellas & dormitorium admitti, ut hac ratione omnis mali suspicio tollatur.

Neque verò eam animi castitatem & munditiam observari volumus in claustro, dormitorio & cellis tantùm, verùm etiam in oratorio & ubicumque fœminæ sunt; ait enim regula: quando estis in Ecclesiâ, aut ubicunque fœminæ sunt, invicem pudicitiam servare; Deus enim qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos. Ex quo non tantùm factum impudicitiæ improbatur, sed etiam appetitus. Appetere enim fœminas & ab ipsis appetiri velle, criminosum est.

Caveant Canonici, quamvis officiarii, conversari cum famulabus Prioratûs, sub pœnâ quæ videbitur Priori infligendâ.

De Paupertate.

Ut ratio habeatur cap. 2. in quo prohibetur ne quid dicatur proprium, Canonici distributiones suas, ac bona quæ ab officiariis accipiunt, ita possideant ut semper, pro discretione superiorum, iis uti parati sint.

Nullius rei mobilis, sive immobilis dominium habeant, sed solummodò usum rerum necessariarum quarum de indulto Prioris concedetur usus.

Ne quis tamen abusus irrepat, statuimus ut quolibet anno in die Cœnæ Domini quo in capitulo solent congregari Canonici, quilibet Canonicorum regularium teneatur per traditionem suarum clavium, ac scedulam sua omnia in veritate continentem resignare; foris autem degentes in parochiis idem præstabunt in die Sancti Augustini.

Priori verò aut Canonicis non licebit testamento aliquid instituere.

Cæterùm lex communis est quòd quidquid acquirent Prior & Canonicus, Monasterio & Superioribus, acquirunt, ut Conventui incorporetur, sibi verò nihil proprium habere queat.

Jubet intereà Dominus Generalis deinceps summam viginti francorum cuilibet religioso, ut sibi vestimenta comparent, distribui.

De jejuniis, abstinentiâ & sobrietate.

Attendite vobis, inquit Salvator noster, ne fortè graventur corda vestra crapulâ & ebrietate, omnes enim qui ebrietatem sectantur, filii Belial vocantur, nam venter mero æstuans facilè despumat in libidinem, propterea licet Canonicis nostris nihil detrahi velimus ex præbendâ consuetâ, intelligamusque unicuique distribuendam eamdem & eo modo quo institutam à prædecessoribus accepimus, hortamur tamen omnes, in quantùm possumus, ut Canonici nostri toto tempore Adventûs Domini, non solùm à carnibus abstinere, sed etiam jejunare teneantur.

In Quadragesimâ verò continentiæ vela pandenda sunt & rota aurigæ reticula equis laxanda properantibus. Jejuniis quatuor temporum, omnibus

denique aliis vigiliis quæ sunt de præcepto Ecclesiæ, & nonnullis quæ non sunt, videlicet Purificationis & Nativitatis, in quibus omnibus tantùm semel reficiantur in die, collatione serotinâ antiquitùs observatâ contenti. Diebus autem Veneris quibus ex laudabili consuetudine jejunatur, præcipimus observari.

Quod pertinet ad portionem consuetam, volumus quantitatem & qualitatem panis & vini, æqualiter omnibus distribui, idque secundùm formam & regulam antiquitùs à prædecessoribus observatam & quorum omnium extant instrumenta.

De modo & ordine sumendi refectionem.

Cum Apostolus præcipiat, ut omnia honestè & secundùm ordinem fiant, non solùm nos cibo & potu temperatè uti, sed etiam constitutas horas observare debemus, ne cuiquam de vitâ nostrâ præbeamus offendiculum. Igitur singulis diebus refectione paratâ, ad signum campanæ omnes conveniant horâ assignatâ, nempe decimâ pro prandio, horâ vero quintâ pro cœnâ.

Omnes unam & communem mensam habeant, nec liceat cuiquam seorsum vel prandere vel cœnare, licentiâ à Superiore non obtentâ, nec seculares ad eam admittantur ni mediante eadem licentiâ.

Omnes nisi qui ex licentiâ Superioris fuerunt occupati, postquam manus abluerint benedictioni mensæ intersint, quæ ad signum Prioris fiat.

Ad mensam quotidiè legatur, lectioque fiat vel ex regulâ Patris nostri, vel ex Bibliâ ex ordine, quæ non terminetur priusquam visum fuerit Superiori, omnesque ita audiant, secundùm verbum Patris Augustini, ut magis aures verbum Dei, quàm alimenta fauces esurire videantur.

Diebus autem Sabbathi legatur regula integra.

Denique tamdiù sederint, quamdiù signo accepto à Priore surgant ad habendas gratias more consueto, curabitque Prior, ut mora prandii, vel cœnæ horam non excedat.

De iter agentibus.

Canonici nostri iter longum aggressuri priùs confiteantur peccata sua ac celebrent, nec omninò exeant, si eos, quod absit, in statu gratiæ non esse contigerit. Deinde obedientiam ac licentiam eundi habeant, secùs si fecerint ac monasterii sceptâ egressi fuerint, severè puniantur.

Habitum monasterii deferant semper & ubique, tam Prior quàm Canonici, tam in curiis Principum, quàm aliis in locis, ut per dilationem ejusmodi vestium, dignoscantur professores Ordinis Sti. Augustini.

Fugiant Canonici omnes congressus & nimias laïcorum familiaritates, eorum studia & vanitates ne imitentur, ne vagentur per plateas, sed domi potiùs se contineant, ut in Ecclesiâ.

Commessationes diurnas, sive nocturnas, & publica fugiant convivia, præsertim quibus mulieres, mimi, hystriones intersunt, idque sub pœnâ gravissimæ culpæ.

Canonicos omnes & singulos, per Christi Domini, cui inserviunt, viscera misericordiæ, obsecramus & monemus, ut se in ejus sortem assumptos esse meminerint, non ut ipsi modò cultum præstent fidelem, sed alios etiam ipsorum exemplo ac vitæ sanctitate Deum ritè colere, atque in ejus præceptis ambulare doceant, & quas esse muneris sui partes intellexerint, omni ejus studio ac diligentiâ implere studeant & conentur.

Omnes coronam in capite gerant secundùm Ordinem, barbam autem per totam rasam gerere præcipimus.

Cæterùm omnes unanimiter vivite & lites omnino, aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis, ne ira crescat in odium & trabem faciat de festucâ & animam faciat homicidam.

Si quis autem gladio, pugno, aut baculo, aliquem irâ accensus offenderit, Prior illum incarcerabit, absolvere autem non poterit sine Generali.

Provideat Prior de infirmariâ faciendâ; infirmi autem sint ab officio immunes donec sanitati restituantur, & nihilominùs distributiones pro victu & vestitu suo ordine & tempore integrè recipiant, quod & sentimus de aliis qui senio confecti sunt.

Mortuo autem parentur exequiæ ut moris est.

Caveant Prior, sive Canonici aliqua Prioratûs bona alienare; indicem autem sive libellum redditeum præparent in primâ visitatione offerendum.

Atque si hæc numero pauca, suo tamen momento hac nostrâ primâ visitatione statuenda judicavimus, plura ut se se offeret occasio sequentibus visitationibus ordinaturi.

Acta in Prioratu Herivallis tertiâ mensis Novembris 1595. Sic signatum Jo. Perrini.

CAPITULUM GENERALE

Canonicorum Regularium Sti. Augustini, habitum Lunarisvillæ die VIII. Novembris M DC IIII. de Mandato Eminentissimi Principis Caroli à Lotharingiâ Cardinalis & Episcopi Argentinensis.

Die octavâ Novembris 1604. de Mandato Illustrissimi & R^mi. Cardinalis à Lotharingiâ, S. Sedis Apostolicæ Legati à latere, facta est convocatio Reverendorum Dominorum Abbatum & Priorum Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini in loco de Lunarivillâ, in hos maximè fines.

Primò, ut juxta sacras institutiones, facerent inter se Congregationem perpetuis temporibus duraturam, quo in supradicti Ordinis monasteriis si uspiàm defecerit, pristinus restitueretur nitor & status.

In quam quidem Congregationem unanimi consensu convenerunt & ut meliùs coalescerent, sequentes Constitutiones in omnibus & singulis Monasteriis observandas ediderunt & amplexati sunt.

De Receptione Novitiorum.

Servabitur in recipiendis Novitiis modus & ritus inscriptus in Pontificali Romano.

Dominus Abbas recipiat Novitios de consensu Capituli, nisi quid derogetur ex causâ rationabili: utrum autem causa sit rationabilis an non; Standum erit arbitrio duorum Abbatum vicinorum ejusdem Ordinis.

Ferent Novitii toto tempore noviciatûs pileum quadratum, & ut habitu distinguantur à Professis, superpellicium sine manicis.

Non

Non recipientur ante decimum quartum annum ſaltem inchoatum, eiſque tempore novitiatûs aſſignabitur inſtructor aliquis, qui eos Ordinis inſtituta, conſtitutiones & cæremonias doceat, & circa humilia Monaſterii opera exerceat.

Liberum autem erit Abbati annum probationis protrahere, ac tempus profeſſionis differre, prout expedire judicaverit, qui illud maximè advertat, ne quem admittat incapacem, & qui non attigerit (ſi hoc fieri poteſt) ſaltem Rhetoricam.

Servetur forma Profeſſionis quæ in Pontificali Romano deſcribitur.

Nihil autem à parentibus Novitii quocunque prætextu exigatur, niſi fortè victus & veſtitus tempore novitiatûs in monaſterio, ſive in ſcholis verſetur.

Monebuntur omnes parentes novitiorum, nullo tamen exacto juramento, ut pro ſuo virili ſtudeant prodeſſe monaſterio, & curare ne quis ei quacunque ratione incommodet.

De officio divino & horis canonicis.

Quia uniformitas maximè neceſſaria eſt, ut hæc Congregatio ſemel inita nunquam deficiat: in poſterùm unus & idem perſolvendi divinum officium modus in omnibus & ſingulis Monaſteriis & Prioratibus ſervabitur; atque adeò ex præſcripto Ordinarii Romani, tum horæ canonicæ, tum etiam Miſſæ celebrabuntur, cæteræque cæremoniæ ſervabuntur.

Ne tamen ſumptùs in hanc rem neceſſarii cuiquam graves eſſe poſſint, ſtatutum eſt ut nemo id ante proximum Capitulum quod poſt triennium celebrabitur, complere teneatur, ita tamen ut dicto tempore id omnes compleverint.

Dabitur ſignum ad matutinum horâ quartâ, vel aliàs prout expedire judicaverint Domini Abbates, quorum etiam erit cæteris horis tempus præfigere: qui autem hactenùs matutinum mediâ nocte perſolverunt, ſervabunt laudabilem conſuetudinem.

Horæ autem & reliquum officium perſolventur cum debitâ devotione & attentione, juxta caput *Dolentes* de celebratione Miſſarum.

Curabit Sacriſta ut ſacra Eccleſiæ ſupellex debitè & ut par eſt conſervetur, & ut ea ſemper munda ſit à pulvere & ſordibus.

Curabit item ut perpetuus ignis alatur de more coram Sanctiſſimo Sacramento, & ut ſtatutis ſemper horis pulſetur ad officium divinum, neque id unquam prætermittat, niſi ex mandato Abbatis vel Prioris.

Superpelliciis decenter induti, iiſque mundis, horis diurnis & nocturnis aderunt ſinguli, ac modeſtè & religioſè, ſeſe in Eccleſiâ continebunt.

De Capitulo.

Ad minùs fiet ſemel in hebdomadâ Capitulum, feriâ verò ſextâ, qui tamen ſolent ſæpiùs adeſſe hujuſmodi Capitulo, ſervabunt ejuſmodi conſuetudinem, & ſingulis hebdomadis legetur ſaltem ſemel Regula in Eccleſiâ, vel Capitulo, aut choro. Quotidiè legatur Martirologium.

De pœnis delinquentium.

Quia pro menſurâ delicti debet eſſe plagarum modus, neque omnia delicta ejuſdem ſunt gravitatis, viſum eſt ea in quatuor ordines diſtinguere, juxta quos pœna delicti proportionata aſſignabitur.

Primus ergò eſt peccatorum levium, quorum hæc eſt pœna, ut qui aliquid eorum commiſerit, dicat in Capitulo coram Prælato aut Priore flexis genibus altâ voce: *Confiteor Deo* &c. quod ſi emendatus non fuerit, graviùs in eum poſteà pro ratione culpæ & negligentiæ animadvertetur.

Secundus ordo eſt gravium, qui verò unum ex iis commiſerit, vino abſtinebit uno die, ſi perſeveraverit, graviùs deinceps ad arbitrium Prælati punietur.

Tertius ordo eſt graviorum, ſub quo comprehenduntur peccata mortalia, leviora notoria & ſine ſcandalo: qui aliquod eorum commiſerit ad arbitrium Superioris in nuda humo, ſine vino & cum pane craſſiore manducabit uno die vel pluribus, & continebit ſe cum ſilentio in clauſtro.

Quartus ordo eſt graviſſimarum culparum, ſub quo comprehenduntur omnia peccata carnis notoria, omnes ingreſſus & egreſſus de nocte abſque licentiâ, omnes conſpirationes adverſùs Superiorem, & cætera id genus: pœna autem horum delictorum erit incarceratio in pane & aquâ: advertetque Dominus Abbas ut pro ratione culpæ & ſcandali, modò plures, modò pauciores dies, hebdomadas, aut menſes imponat. Curabitque ut ea pœna infligatur quâ & peccans ad meliorem frugem revocetur, & ſcandalum tollatur è populo.

Exempla autem delictorum his ordinibus attributorum infra in fine Conſtitutionum reperientur.

De Confeſſione Canonicorum & Sacrâ Communione.

Hortamur omnes Canonicos ut quàm frequentiſſimè poterunt confiteantur, quod omnes Sacerdotes ſingulis ſeptimanis ſaltem facturos confidimus, juniores autem decimo quinto quoque die idipſum eſſe facturos ſperamus, eique, qui excipiendis à Superiore confeſſionibus expoſitus fuerit, confiteantur.

Sacerdotes quàm crebrò & devotè poterunt, Miſſas celebrabunt, Diaconi & Subdiaconi octavo quoque die, juniores quolibet menſe & feſtis celebrioribus communicent.

Nullæ omninò Miſſæ præſcriptæ aut ex fundatione debitæ omittantur.

De ſilentio ſervando.

Servetur ſilentium in Eccleſiâ & menſâ dum lectio fiet, in cæteris locis licebit colloqui tempore à Superiore præſcripto, extrà quod ſervetur omninò ſilentium.

Ab eodem Superiore hora præſcribatur in quâ quiſque ad cellam ſuam recedere debeat, ſeſe quieti daturus.

De Officiariis.

Abbas Officiarios puta Priorem, Sacriſtam, Theſaurarium & cæteros adhibito conſilio Conventûs curabit & inſtituet.

De votis & primò de obedientiâ.

Præpoſito juxta regulam tanquam Priori obediatur, & ut parens diligatur, & quidquid ille præceperit, ſalutare credatur, nec de majoris ſententiâ judicet, is cujus officium eſt implere quæ juſſa ſunt.

Deinceps autem Priori cæteriſque Senioribus pareant & ſubjiciantur, ſeque invicem, juxta Apoſtolum, honore præveniant.

Nullus extra ſepta Religioſorum egrediatur ſine licentiâ tacitâ,aut expreſsâ Abbatis, aut Prioris, aut in eorum abſentiâ deinceps Senioris.

De caſtitate.

Nullæ omninò mulieres quocunque prætextu in ſepta Religioſorum, hoc eſt, in ea loca quæ Religioſi habitant & frequentare ſolent, admittantur, niſi fortè in clauſtrum tempore proceſſionum.

Curabitur autem ut cubiculum aliquod decens paretur pro hoſpitibus ſuſcipiendis, in quo cum mulieribus cognatis extra ſepta Religioſorum colloqui de licentiâ Superioris poterunt Religioſi.

Mulierum omnium familiaritatem, tanquam ſibi maximè noxiam, devitent diligentiſſimè omnes Canonici.

De paupertate.

Optandum erat ut in hac congregatione reſtitui poſſet in monaſteriis ordinis perfecta communitas victûs & veſtitûs, & hæc quidem facturi erant Domini Abbates, ſi tempora & hominum conſuetudo id paterentur, ut ſuæ conſcientiæ ſecuritati conſulerent. Intereà tamen dum voluntates à Domino præparabuntur, & Domini Abbates modum invenient quo legitimè fieri poſſit; ſtatutum eſt, ut nullus in poſterùm rebus ſibi ad uſum conceſſis uratur ſine dependentiâ à voluntate Superioris. Idque tantùm in uſus pios, neceſſarios, utiles & honeſtos, & ut teneantur omnes earum exactam rationem reddere coram Superiore, quando id is expedire judicaverit. Atque ſingulis annis ſaltem ſemel ad nutum Domini Abbatis referre claves ſuperiori, ſimulque ſchedulam, omnia quæ penès ſe habent in veritate continentem tradere, ut hac ratione profiteantur ſe iis omnibus uti de licentiâ & dependenter à voluntate Superiorum. Viderint autem Religioſi ut in eâdem ſchedâ deſcribant verè omnia debita activa & paſſiva. Quod ipſum etiam intelligitur de Religioſis beneficiatis.

De jejuniis & abſtinentiâ.

Servabuntur diligenter & ſtudiosè præcepta ab Eccleſiâ jejunia, quòd autem attinet ad abſtinentiam aut jejunium Adventûs & Feriæ ſextæ, aliaque id genus, quod hactenùs quantùm ad ea ſervatum eſt in ſingulis Monaſteriis, ſevabitur etiam in poſterùm, donec aliter ſtatuatur.

De menſâ, tonſurâ &c.

Habeatur ex aliquo libro pio, ad arbitrium Superioris, lectio in menſâ, legentem nemo interturbet.

Non priùs à menſâ ſurgant, quàm ſurgendi à Superiore ſignum acceperint.

Omnes unam & communem menſam habeant, neque liceat cuiquam ſeorſum prandere aut cœnare, ſine licentiâ Superioris, neque ſæculares ad eam admittantur abſque eadem licentiâ, quod raro fieri debet, neque propterea intermitti lectio, nec tempus prandii, aut cœnæ horam excedat.

Barbam recenter reſectam, præcipuè in labio ſuperiore ſemper ferant, neque in eâ aliquid contra honeſtatem religioſam irrepat.

Curet etiam quiſque ut tonſura, ſeu corona pro more Religioſorum appareat.

De eleemosinis faciendis.

Eleemosinæ aliaque charitatis & pietatis opera quæ à prædecessoribus fieri solita sunt, & ea maximè quorum instituta extant, eorumque voce probantur, in Monasteriis fideliter fiant. Secus Canonicorum erit rem ad Congregationem referre.

De habitu religioso.

Solito habitu semper utantur, neque eum, nisi necessitas urgeat, exuant, iter autem facientes, eam tunicam quæ ad genu usque saltem extendatur ferant; & quia uniformitas difficilè servatur in moribus, si ea non adsit in habitu, curabitur ut de eorum ad quos id spectat licentiâ, hæc in omnibus Monasteriis ac Prioratibus inducatur, maximè cum indecorum sit ejusdem regulæ Ordinis & Congregationis Canonicos, diversum habitum gerere.

Promiserunt autem ii Domini Abbates diligenter curaturos & prout fert eis impositi oneris ratio, laboraturos, ut in posterùm in suis monasteriis tum maximè à se ipsis, tum etiam à suis subditis omnia statuta observentur & ad unguem executioni demandentur.

Id verò ut fiat meliùs, neque qui speratur inde fructus retardetur, statuerunt iidem Domini Abbates & Priores, quòd in posterùm fiet de triennio in triennium eo loco & tempore quæ designabuntur ab eisdem, Congregatio: cui interesse tenebuntur omnes & singuli per se, ibique diligenter perquirent, num supradicta observentur: ubi verò non observari compererint, modis omnibus congruis curabunt ea restitui, animadverterentque pro ratione delicti in negligentes au contumaces.

In eâ etiam Congregatione omnes quærimoniæ tum superiorum, tum inferiorum excipientur, terminabuntur, & componentur pro more & consuetudine Canonicorum regularium; Curabiturque diligenter ne cuiquam impunitas materiam præbeat delinquendi.

De Seminario erigendo.

Cum perpenderent Patres, fulciri Sacros Ordines maximè industriâ & beneficio virorum litteratorum, si ii non solùm scientiâ, sed pietate præcipuè sunt instructi, se ultrò ad erigendum in Universitate Mussipontanâ seminarium pro religiosis suis, qui imbuendi erunt litteris, obligaverunt & astrinxerunt communibus expensis.

Atque adeò infra Festum proximum Paschatis si commodè fieri poterit, omnes suos qui in eadem Universitate vel alibi student, cogent sub aliquo ejusdem Ordinis Canonico, eique id muneris imponetur qui & pietate & scientiâ zeloque disciplinæ restituendæ plurimùm polleat, eique omnium studentium in eodem Seminario, sumptibus necessaria subministrabuntur.

In eodem Seminario alentur pretio, pro ratione annonæ, rationabili, studentes, sumptibus Monasteriorum aut parentum.

Intereàque dum conqueratur domus aliqua venalis omnium Monasteriorum sumptibus comparanda & pecuniis, in eam rem spontaneè & liberaliter à Dominis Abbatibus & Prioribus oblatis, aliqua locabitur quantò fieri poterit commodissima. Ad quod deputatus est in præsenti Congregatione Reverendus Dominus Abbas de Bello-Campo qui hujus negotii curam gerat, & oblatas pecunias

pecunias colligat, Seminariique erectionem curet quàm fieri poterit citissimè.

Quia autem ægrè scolaribus Seminarii regulæ in præsenti præscribi possent, hujus rei cura relinquetur usque ad proximam Synodum, præfecto Seminarii, qui adhibito Consilio præfectorum aliorum Seminariorum Religiosorum, eas statuet & observari curabit; ita tamen ut eæ regulæ sint conformes Divi Augustini, & supradictis hujus Congregationis Constitutionibus.

Liberum verò erit unicuique Monasterio tot in eodem seminario ex suis alere, quot ei videbitur expedire, ita tamen ut unumquodque teneatur unum saltem in eo educare, si sint in eo aliqui capaces & idonei.

De janitore Monasterii.

In singulis Monasteriis sit unus fidelis & diligens janitor loci regularis, religiosus vel sæcularis, cujus erit diligenter advertere, num sint aliqui ex Canonicis qui exeant septa Monasterii sine licentiâ, quod ut adverterit statim referat Abbati aut Priori.

Protestantur tamen omnes Domini Abbates & Priores se nullâ ratione intendere derogare juribus, consuetudinibus, libertatibus, immunitatibus, privilegiis aut exemptionibus suis & suorum Monasteriorum, aut obedientiæ debitæ Superioribus suis ordinariis, sed ea omnia non obstantibus supra dictis Constitutionibus, remanere salva & integra, atque cum eâ protestatione se iis submiserunt, easque omnes amplexi sunt; in quorum omnium fidem iidem supradicti Domini Abbates & Priores manu propriâ subscripserunt. Acta sunt hæc omnia in domo Abbatiali de Lunevillâ diebus octavâ nonâ, & decimâ Novembris, anno Domini millesimo sexcentesimo quarto.

Supplicat etiam humillimè eadem Congregatio ut velit sua excellentissima & illustrissima Dominatio eandem & omnes Canonicos, tam Abbates, Priores, cæterosque omnes sive Claustrales, sive Parochos, in suam protectionem & patrocinium suscipere, & se talem palàm declarare.

Item constitutum est, ut in posterùm conservetur numerus Canonicorum regularium in singulis Monasteriis & Prioratibus, donec aliter statuatur à Congregatione, habitâ ratione facultatum cujuscumque loci.

Leves culpæ sunt.

Signo dato statim ad Ecclesiam non accedere, aut sine licentiâ ante peractum officium egredi.

Malè in choro legere.

Divino officio non esse intentum, vagis oculis, vel motu irreligioso.

Inquietudinis aliquid facere in Ecclesiâ, aut alibi.

Lectionem aut cantum statuto tempore non prævidere.

Legere vel cantare aliquid quàm communis approbat usus præsumere.

Ridere, vel alios ad risum provocare in Choro & Ecclesiâ.

Ornamenta Altaris vel Ecclesiæ negligenter, aut irreverenter, aut immundè tractare.

Dormire in Ecclesiâ, aut negligenter cantare.

Juramento aliquid negare, vel affirmare.

Sermonem scurrilem dicere, aut vaniloquium.

Oculos vagos per platæas & vicos avidè ad vanitates dirigere.

Capitulo, ſeu collationi, vel refectioni ex negligentiâ non intereſſe.
Librum in quo legendum eſt negligenter omittere.
Utenſilium aliquid frangere, perdere, vel non apportare ad locum proprium.
Veſtes aut libros ſibi ad uſum conceſſos ſtatuto tempore non reportare, vel negligenter tractare.
Lectioni ſtatutis temporibus non intereſſe.
Reprehenſus à Superiore petulanter, arroganter, aut irreveverenter loqui.
Negligere officio deputatum.
Contendere & in contentionem pertinacem eſſe.

Graves culpæ ſunt.

Abſentem eſſe ab horâ integrâ.
Contendere inhoneſtè cum aliquo.
Opprobrium alicui dicere.
Mendacium dicere ex deliberatione.
Improperare culpam ſatisfactam aut vitium naturale.
Defendere protervè culpam ſuam vel alienam.
Minas vel maledicta in quemlibet proferre.
Moram trahere ultra tempus ſibi aſſignatum à Superiore.
Confeſſiones excipere abſque Superioris licentiâ.
Suſceptoris in confirmatione aut baptiſmo, munus ſuſcipere.
Teſtamentorum executorem ſe præbere, aut teſtem in proceſſibus.
Contractibus aliiſque id genus ſecularibus negotiis.

Graviores culpæ ſunt.

Non obedire Prælato, aut cum eo contendere.
Peccare mortaliter.
Jejunia Eccleſiæ ſine cauſâ excuſante frangere.
Obedientiam vel poteſtatem Prælati deſugere.
Revelare ſecreta Ordinis vel Capituli.
Oblatum & quæ accipi prohibentur, recipere.
Celare rem ſibi oblatam.
Legere aut penes ſe retinere libros hæreticos, aut impudicos.
Erigere ſe adverſus Prælatum per conſpirationem, vel conjurationem, ſeu malitioſam concordiam.

Graviſſimæ culpæ ſunt.

Incorrigibilem ſe præbere & non formidare culparum commiſſionem & recuſare pænas injunctas.
Peccatum carnis committere.
Furtum committere.
Litteras clauſas & fallaciter imitando adulterare.
Sigilla fallaciter imitando adulterare.
Sigillis adulteratis ſcienter uti.
Prælato manus violentas injicere.
Percutere aliquem lætaliter, ſeu graviter & atrociter.
Actus venereos committere.
Peccatum mortale proprietatis ad unum ex his quatuor ordinibus revocetur, *pro materiæ quantitate.*

BULLA

Honorii III. approbantis & confirmantis Bona Hireevallis, nec non Canonicos à nuditate pedum ex parte dispensantis. Anno 1216.

HOnorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Prioribus Prioratuum Ordinis Sti. Augustini Yrevallis & Abiey salutem & Apostolicam benedictionem. Avolantis in solitudinem columbæ desiderium æmulati, mundi vos delectationibus subduxistis, ut liberè sedere possitis circa pedes Domini cum Maria, attenditis enim gloriam supernorum, & pro utroque irriguo deplorantes incolatum vestrum prolongari, diutius suspiratis. Sanè optimam partem elegistis, qui calcatis divitiis & honoribus hujus mundi, abjecti estis in domo Domini.

Nos autem pium vestrum propositum in Domino approbantes, personas vestras & locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ impresentiarum rationabiliter possidetis & in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub Apostolicæ Sedis & nostrâ protectione suscipimus. Possessiones quoque quas infra statutum à nobis terminum acquisistis, decimas etiam terrarum accquisitarum à vobis ante Concilium Generale, quas propriis manibus, aut sumptibus colitis, sicut à quadraginta annis possedistis canonicè & quietè, vobis & personis Ecclesiæ vestræ, autoritate Apostolicâ confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Ad hæc illam rigoris austeritatem quâ Clerici vestri consueverunt, semper nudis pedibus ambulare, temperare volentes, autoritate præsentium, vobis duximus indulgendum, ut à festo S. Martini, ad Kalendas Aprilis, Clericis de Collegio vestro liceat calceamenta portare. Nulli ergò hominum omninò liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire &c. Datum Laterani nonis Novembris Pontificatûs nostri anno primo.

Breve Apostolicum quo Canonicis Hyreevallis conceditur usus carnium in infirmitate constitutis, cum facultate possidendi & nutriendi animalia. Anno 1245.

W Miseratione divinâ Sabinensis Episcopus (*a*) dilectis in Christo Fratribus, Priori & Conventui Yrevallis, Tullensis diœcesis, salutem in nomine Jesu Christi.

Seriatim nobis confratres nostri Willelmus Presbiter & Joannes Diaconus Latores præsentium ex parte vestrâ exponere curaverunt, quòd præter Beati Augustini regulam quam professi estis in Ordine regulari, quibusdam constitutionibus statuistis, quòd nunquam aliquis vestræ Congregationis, etiam infirmitate depressus carnibus vesceretur, nec petereà vobis liceret unquam ullo tempore animalia possidere: propter quod in temporalibus enormiter destitutus Ordo

(*a*) Guillelmus S. R. E. Vicecancellarius, & Episcopus Mutinensis anno 1222. ad Prussiam Livoniamque ablegatus est ab Honorio 3. ubi fructus uberes fecit. Redux, ab Innocentio 4. Sabinensem Episcopatum obtinuit anno 1244. Lugduni decessit Anno 1251.

vester est & non sine animarum periculo subtrahitur, quod debetur. Unde super his salutaris consilii remedia humiliter postularunt. Nos igitur in Summi Pontificis præsentiâ quæstionem hujusmodi referentes, de ipsius licentiâ speciali, licet vobis id de jure aliàs liceat, ad cautelam vobis duximus concedendum, ut & vestris infirmis carnium subsidia ministretis, ac greges valeatis & armenta animalium possidere. Datum Lugduni Decimo quarto Kalendas Novembris Pontificatûs Dni. Innocentii Papæ quarti anno tertio.

Cartha traditionis & unionis Pastoratûs Vallis d'Ajo cum Prioratu Hyreevallis. Anno 1421.

NOs Isabella de Dominicavilla, (*Demengevelle*) cæteræque in Christo religiosæ Dominæ totius Conventûs sive Monasterii B. Petri de Romaricomonte Ordinis S. Benedicti Tullensis diœcesis, ad Romanam Ecclesiam sine medio pertinentis. Notum facimus universis præsentes inspecturis, & præsertim Rmo. Patri in Christo ac Domino patientiâ divinâ D. Bisuntinensi Archiepiscopo, seu ejus in spiritualibus Vicario, aut locum tenenti. Quòd Venerabilis ac Religiosus in Christo Frater Guillelmus Bonivicini Prior, suo ac aliorum fratrum suorum Ecclesiæ & Prioratûs B. Mariæ Virginis Yrevallis Ordinis S. Augustini, prædictæ Tullensis diœcesis, nomine seu nominibus, nec non discretus Vir D. Walterus de Rancuria presbiter curatus, sive rector Ecclesiæ Parochialis recolendæ Virginis Mariæ, Vallis de Ajo Bisuntinensis diœcesis, in nostrâ personaliter constituti præsentiâ, dictus Prior oculis quasi gementibus, lamentando exposuit, piæ recordationis nobilem Eugebaldum Venerabilem presbiterum, Christi sequentem vestigia sub honore & ad laudem memoratæ Virginis gloriosæ, intra metas, & juridictionem dicti nostri Monasterii Romaricensis, in loco qui ab antiquis Vallis-Aspera vocitabatur, nunc verò à modernis Yrevallis nuncupatur..... Potentiâ laicorum incursu malignantium.... in nihilum redigi, seu quasi. Cum quibus asseruit suam & fratrum suorum inopem non posse deffendere vitam.... In quâ quidem Ecclesiâ sive Prioratu causantibus præmissis, tamdiu obmutuit, laus in divinis quod dolenter referebat, nihilominus tamen novissimè diebus istis nutu divino, in dicto Prioratu supercrevit zelo Religionis gerendæ fratrum pluralitas, jugi desiderio quod in divinis fluerat officium recitare cupientium. Idcircò ad id nostras de iis quæ gratis accepimus, eis gratis daremus, & cum charitate primâ, manus deposcebat adjutrices, quatenùs videlicet Ecclesiam Parochialem Vallis de Ajo, quæ circa seu prope fines dicti Prioratûs existit, cum suis Annexis fructibus, Juribus, & Emolumentis, cujus Parochialis Ecclesiæ provisio, præsentatio, ac omnimoda dispositio quando vacavit aut vacabit ad nos Abbatissam & Conventum prædictos communiter dignoscebatur pertinere, ad Ecclesiam & Priotatum fratrum prædictorum committeremus ac uniri perpetuò concederemus atque nostrum præberemus assensum. Hinc fuit quod nos Abbatissa & Conventus prælibati condigno relatu præmissa reperimus veritate fulciri. Scientes igitur in longè benefamatam regionibus vitam & laudabilem fratrum in Christo affectum, cupientesque gregem dominicum & ejus cultum augere in Domino, credentes ex devotis fratrum ipsorum precibus ad æternam fœlicitatem participes effici, vocem precantem in gemitum, paupericmque oculis intuentes, & auribus piis, charitate præviâ exaudivimus, non denegando assensum, sed consilio ac deliberatione maturâ

maturâ præhabitis, ne prædicta Ecclesia Parochialis cum suis Annexis diù foret orbata pastore, aut in suis valeret defraudari obsequiis, prælibatis Priori & fratribus tanquam bene meritis dictam parochialem Ecclesiam cum suis annexis tenendam, habendam, regendam & possidendam, curamque sollicitudinem & administrationem cum regimine animarum totius gregis christiani ipsius parochialis Ecclesiæ, prædictos Priorem ac fratres ad hoc idoneos communiter gerendam, & exercendam more bonorum pastorum commisimus, ac committimus vices nostras sæpe dictamque parochialem Ecclesiam cum suis annexis & Juribus quantùm in nobis fuit & esse potest, dictis Prioratui, Ecclesiæ atque fratribus præsentium tenore litterarum donavimus & etiam contulimus, quotiescùmque vacare contigerit; volentes insuper & concedentes pro tunc & in perpetuum quòd omnia bona, res & jura elapsis temporibus, curatis sive rectoribus prælibatæ parochialis Ecclesiæ ab antiquo pertinentes & pertinentia, Ecclesiæ ac Prioratui in augumentum vitæ fratrum supradictorum uniantur sive incorporentur; verùm propterea nec intendimus quòd officium in divinis cum aliis administrationibus super gregem pastoribus iisdem commissis quovis modo negligatur, sed potiùs augmentetur, ac etiam juribus, redditibus, & emolumentis nostris, nobis Abbatissæ & conventui communiter seu divisim olim debitis ac in futurum debendis, omnibus, nec non aliis solemnitatibus ac obedientiis per rectores & parochianos dictæ parochialis Ecclesiæ hactenus fieri consuetis, reservatis & reservandis quibuscumque; ad quæ præmissa dictus Domnus R. Walterus rector sive curatus præfatæ parochiæ quantùm in eo fuit sponte, scienter ac providè suum præbuit consensum, omni dolo & fraude penitùs exclusis. Voluimus etenim quòd cedenre, vel decedente dicto rectore ut ex nunc prout extunc, & extunc prout exnunc per sæpe-dictam parochialem Ecclesiam cum suis annexis acceptare & pacificè obtinere Prior ac fratres sæpe dicti possint & valeant absque aliâ provisione à nobis de novo faciendâ. Supplicantes prælibato Reverendissimo Patri seu ejus in spiritualibus vicario aut locum tenenti, quatenùs inpræmissis suum præbeant assensum & quantùm in eis fuerit ad perpetuum ratificare & approbare sæpe dictisque Priori & fratribus quos eidem paternitati Reverendissimæ ad hæc præsentamus, omnia & singula quæ suæ dignitati seu suo incubuerit officio in præmissis & etiam præmissa impartire dignetur generosè, suamque authoritatem & decretum velit in præmissis interponere cum effectu, prout in talibus est fieri consuetum. In quorum omnium & singulorum fidem ac testimonium præmissorum subscriptum & signarum scribi præsentes litteras & fieri fecimus, sigillique prælibati nostri Monasterii appensione unà cum signeto jamdicti Notarii communiri sub anno Nativitatis Domini millesimo quadringentesimo vigesimo primo, die vigesimâ mensis Januarii præsentibus discretis viris Nicolao Rolland de Vezelisiâ magistro hospitalis, Alberto de Domna-Libaria, Joanne Turmeti Canonicis, Laurentio Ferati de Plomberiis, Roberto Walteri beneficiatis in dicto monasterio presbiteris & pluribus aliis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Cartha redemptionis & restitutionis Prioratûs Abierii. Anno 1570.

RENée de Dintheville, par la permission divine humble Abbesse, Marguerite de Choiseulx, Doyenne & tout le Chapitre de l'Eglise Saint Pierre de Remiremont, au Sr. Siege Apostolique immédiatement sujette, A tous ceux qui

ces présentes lettres verront, salut en nôtre Seigneur. Comme ainsi soit que feu d'heureuse memoire Judith, Abbesse de nôtre Eglise, du consentement & aveu du Chapitre d'icelle, meüe de bon zele & sincére devotion, pour & afin de donner meilleur moyen au Prieur & Religieux du Prieuré d'Herival, Ordre Saint Augustin, Diocése de Toul, de vivre & vacquer plus librement au service divin en iceluy, dès la premiere fondation dudit Prieuré, ou bientôt après leur auroit baillé, donné & concedé à perpetuité pour eux & leurs Successeurs en augmentation de leurs revenus, la Maison d'Abiey, avec toutes ses dépendances & appartenances jadis auparavant appartenants à nôtre Eglise, & ce sous condition que lesdits Prieur & Religieux d'Herival, en reconnoissance de cette donation, payeront tous les ans à la Dame secrette de nôtre ditte Eglise le jour de fête St. Romary au lieu de Remyremont un cens annuel d'une livre d'encens, & aussi que lesdits Prieur & Religieux, ny leurs successeurs audit Prieuré, ne pourroient pour l'avenir en maniere que ce fût aliener, ny transferer laditte Maison, sans le consentement & volonté de l'Abbesse & Chapitre de nôtre ditte Eglise, & ce nonobstant après quelque laps de tems, aucuns Religieux dudit Prieuré ayans pour lors le gouvernement de laditte Maison entre leurs mains, mal conseillés, de leur plaine authorité, sans le consentement desdittes Abbesse & Chapitre, eussent fait transport de laditte Maison d'Abiey en autruy Religion & icelle translation indhüement faite, venüe à la connoissance desdittes Abbesse & Chapitre de nôtre Eglise, nos prédecesseurs à la poursuitte du Chancelier d'icelle auroit été par voye de justice non sans grands frais & dépends revoquer, & laditte maison reduitte en son premier état & depuis par nosdits prédecesseurs, avec confirmation desdits donation, bail & concession restitué au Prieur & Convent dudit Prieuré pour eux & leurs successeurs sous conditions toutesfois que lesdits Prieur & Convent & leurs successeurs en recompense des frais & dépends faits à la poursuitte de laditte revocation, seroient tenus à l'avenir payer chacun an à nôtre Eglise, avec la livre d'encens avant ditte, les jours de fête Saint Romary vingt cing sols & demy, Toullois de cens annuel avec certaines autres conditions contenües aux lettres sur ce expediées, que nous voulons avoir & avons en cet endroit pour toutes expresses, & tant desdittes lettres de donation & concession, & celle de confirmation & restitution de laditte Maison par divers transports & remüements des lettres & chartes dudit Prieuré, fait à cause des guerres & autres inconvenients que le tems améne avec soy depuis quelques ans en ça se seroient égarées, & aussi le payement desdits cens, tant par la négligence des receveurs de nôtre Eglise, comme par l'inadvertance desdits Prieur & Convent par quelques années passées intermis & delaissés, & pour ces causes & autres lesdits Prieur & Convent se seroient retirés prés nous & nous auroient requis pour & affin que nul ne puisse douter pour l'avenir des choses devant dittes en nous payant tous les ans lesdits cens comme d'ancienneté, de vouloir confirmer, ratifier & approuver laditte donation, bail, concession, confirmation & restitution devant dittes, faite comme dit est par nos prédecesseurs: sçavoir faisons que nous capitulairement en la maniére accoûtumée au Chœur de nôtre Eglise, qui est le lieu de nôtre Chapitre, deüement assemblées en consideration de la bonne & sincére affection desdits Prieur & Convent, qui de leur plain gré en reconnoissance du bien reçû, s'offrent à payer pour l'avenir lesdits cens annuels, en suivant les vestiges de nos prédecesseurs, avons loüé, confirmé & approuvé, & par ces présentes loüons, confirmons & approuvons

pour nous & nos ſucceſſeurs non ſeulement la premiere donation & conceſſion, mais auſſi la confirmation & approbation d'icelle, avec la reſtitution de laditte Maiſon, faite comme dit eſt par nos prédeceſſeurs, tout ainſi qu'elles ſe contiennent aux lettres & chartes ſur icelles dépêchées, leſquelles nous avons en cet endroit pour toutes expreſſes & au cas que metier ſoit pour mieux aſſeurer leſdits Prieur & Convent, nous avons de nouveau donné, baillé, octroyé & concedé & par ces préſentes donnons, baillons, octroyons & concedons audit Prieuré, Prieur & Convent pour eux & leurs ſucceſſeurs à toûjours-mais ladite Maiſon d'Abiey pour par eux ou leurs Commis icelle tenir, regir & gouverner & des fruits & émoluments en provenants joüir & diſpoſer à leur bonne & franche volonté, comme ils ont fait du paſſé, & ce moyennant que leſdits Prieur & Convent & leurs ſucceſſeurs payeront à l'avenir leſdits cens, à ſçavoir tous les ans une livre d'encens, ou de cire bonne, à leur choix, à laditte Dame ſecrette, & vingt cinq ſols & demi Toullois au clerc & receveur des aumônes de nôtre Egliſe au lieu de Remyremont le jour de fête St. Romary, & que pour le bien venu, tant de nous que de nos prédeceſſeurs, toutes les perſonnes de nôtre Egliſe, de quel état quelles ſoient, ſeront participantes en tous bienfaits & oraiſons qui ſe feront audit Prieuré & autres lieux en dépendans & à iceluy ſujets, & ſeront tenus leſdits Prieur & Convent étants requis d'envoyer un ou deux de leurs Religieux aux exequies & funerailles de chacune des perſonnes de nôtre Egliſe, pour y aſſiſter perſonnellement, comme ja d'ancienneté ils étoient obligés & pour obſervation des choſes ſuſdittes ſeront tenus leſdits Prieur & Convent nous bailler leurs lettres en bonnes & authentiques formes dépêchées pour nous en ſervir quand metier ſera. En témoignage deſquelles choſes, Nous Abbeſſe, Doyenne & Chapitre ſuſdits avons fait faire & ſigné leſdittes préſentes par le Notaire ſoûſcrit & icelles ſceller du ſcel de nôtredite Egliſe, qui furent faites & paſſées l'an de nôtre Seigneur mil cinq cens ſeptante, le quatorziéme jour de Décembre, en préſence des venerables & diſcrettes perſonnes Meſſire Nicolas Briſouni, Protonotaire du St. Siege Apoſtolique, Chanoine en nôtredite Egliſe, & Maitre Jean Cholet, Prêtre dudit Diocéſe, demeurant à Remyremont, témoins à ce ſpecialement appellés & requis.

Par le commendement deſdittes Dames, Abbeſſe, Doyenne & Chapitre. Thierry Bled Notaire.

Tranſactio inter Priorem & Canonicos Hyreevallis, ex unâ parte, & Epiſcopum Tullenſem ex alterâ, quâ ſe Epiſcopali juriſdictioni tradunt. Anno 1710.

PAr devant les Notaires Royaux Apoſtoliques Héréditaires de l'Evêché & Diocéſe de Toul, réſidents en cette ville, ſouſſignés ſont comparus en perſonne l'Illuſtriſſime & Reverendiſſime Seigneur Monſeigneur François Blouët de Camilly, Evêque, Comte de Toul, Prince du Saint Empire, d'une part, & les Reverendd. PP. Sebaſtien Moulin, Prêtre, Chanoine Regulier, Prieur Titulaire du Prieuré Nôtre-Dame d'Herival, ancien Ordre de St. Auguſtin, au Diocéſe de Toul, & Pierre Barbier & Anthoine Verny, auſſi Prêtres Chanoines Reguliers dudit Prieuré, comme ayant charge & ſe portants forts des autres Religieux leurs Confreres faiſants & compoſans le Corps & la Communauté du Prieuré d'Herival, d'autre part, leſquels pour terminer les difficultés meuës entr'eux, au ſujet de la juriſdiction gratieuſe & contentieuſe que mondit Sei-

gneur soûtenoit être en droit & possession d'exercer sur ledit & les Religieux y résidants, sont demeurés d'accord de ce qui s'ensuit, sçavoir

Primò. Que ledit Prieuré, lesdits Prieur & Religieux d'Herival & ses dépendances seront soûmis à l'autorité & jurisdiction contentieuse & gratieuse de Monseigneur l'Evêque Comte de Toul & de ses Successeurs, ainsi & de même que Messieurs les Chanoines Reguliers de S. Victor de Paris, sont soûmis à Monseigneur l'Archevêque de Paris.

Secundò. Que mondit Seigneur l'Evêque de Toul & ses Successeurs pourront visiter ledit Prieuré, lesdits Prieur Religieux d'Herival & ses dépendances, toutesfois & quantes que ledit Seigneur Evêque & ses Successeurs le jugeront à propos, & y faire toutes lesdittes ordonnances & réglemens nécessaires, suivant les régles & les statuts observés d'ancienneté dans ledit Prieuré, qui y seront toûjours gardés, à moins qu'il ne s'y trouvât quelque abus à reformer.

Tertiò. Que mondit Seigneur Evêque & lesdits Successeurs feront laditte visite en personne, & ne commetteront pour la faire que dans les cas, ou ne pouvant la faire eux-mêmes, ils en seront priés & requis par les Religieux, ou par quelqu'uns d'entr'eux.

Quartò. Que moyennant les articles cy-dessus convenus, toutes les difficultés mûës entre mondit Seigneur l'Evêque & lesdits Prieur & Religieux d'Herival, demeureront terminées & comme non avenües, & que lesdits R. Peres Moulin, Barbier & Verny feront ratifier incessamment capitulairement & dans six semaines au plus tard le présent concordat & transaction, par les autres Religieux dudit Prieuré leurs Confreres, & qu'ils en fourniront un acte en bonne forme à mondit Seigneur. Le tout que dessus a été ainsi convenu, conclud & arrêté entre lesdittes parties qui ont promis d'y satisfaire, & de s'y conformer, tant pour eux que pour leurs Successeurs. Fait double à Toul au Palais Episcopal, en présence des Notaires Apostoliques Royaux, soussignés ce jourd'huy troisiéme Juillet mille sept cens dix, François Bloüet de Camilly, Evêque Comte de Toul, F. N. Moulin, Prieur d'Herival, Barbier, A. Verny Monnacts avec paraffe, Peignier aussi avec paraffe N. R. Apostolique.


Au Chapitre d'Herival légitimement convoqué cejourd'huy dixiéme Juillet mille sept cens dix, par Reverend Sr. Messire Sebastien Moulin, Prieur Titulaire du Prieuré dudit Herival à la maniere accoûtumée & au son de la cloche, les Srs. Prieurs Religieux & Convens desdits Chanoines Reguliers dudit Herival, Diocése de Toul, ayant pris communication & lecture du Concordat fait le troisiéme Juillet dernier par les Srs. Moulin, Prieur titulaire dudit Prieuré & Barbier & Verny aussi Chanoines Reguliers dudit lieu, avec Monseigneur l'Illustrissime & Reverendissime François Bloüet de Camilly, Evêque Comte de Toul, au sujet de la jurisdiction qui appartient à mondit Seigneur sur nôtre Maison, nous ayant eus sur cela une meure deliberation, l'avons reçû, agréé, approuvé & confirmé, l'agréons, acceptons, approuvons & ratifions selon sa forme & teneur, & consentons qu'il sort son entier effet, promettans de n'y faire oppositions, ny contradictions, reconnoissants à cet effet mondit Seigneur Evêque, Comte de Toul & ses Successeurs pour nôtre veritable Superieur Ecclesiastique. Fait audit Herival les an & jour susdits, Double, S. Moulin, Prieur d'Herival, Barbier, Curé de Fougerolle, F. L. Richard, F. A. Verny, Fr. C. I. Nurdin, P. A. Roussel, F. M. Dechaseaux.

JOAN-

JOANNIS HERCULANI PLEINFISINI
HISTORIA
DE
ANTIQUITATIBUS
VALLIS-GALILEÆ.

ANTIQUITATES VALLIS-GALILEÆ.

VENERABILIBUS, AC DOCTISSIMIS VIRIS
DOMINIS
DECANO ET CANONICIS SANCTI DEODATI,
DOMINIS SUIS ET FRATRIBUS COLENDISSIMIS,
JOANNES HERCULANUS
PLEINFISINUS
PERPETUAM FOELICITATEM OPTAT.



UONIAM antiquitas venerandam majestatem, & energiam ad excitandos humi jacentes hominum affectus in se habet, & continet, &, juxta Catonem, otii reddenda ratio est: ipsa etiam vitæ ratio à nobis jure exigere videtur, ut rerum origines, ex quibus commoda ad nos perveniunt, minimè negligamus, operæ-pretium mihi visum est, DOCTISSIMI VIRI, Vallis-Galileæ, quæ me non genuit solùm, (*a*) sed & alit, & fovet, locorumque adjacentium antiquitates, & origines, jam olim ignorantiæ tenebris propemodùm consopitas, seu, ut ita loquar, letheis obrutas undis, ad hominum memoriam revocare, & illustrare. In eam rem autem eò liberiùs & alacriùs operam haud mediocrem insumpsi, quòd cernerem commentarios cujusdam fratris Richerii, (*b*) nullâ certè rerum cohærentiâ, nullo ordine, nullâ annorum rectâ supputatione, iis antiquitatibus non parvas es-

(*a*) *Vallis-Galilea qua me genuit.* Pleinfesinum, undè oriundus erat Herculanus, Vallis-Galileæ vicus est ad radices montis, qui *Bonus homo* nuncupatur, quo iter est in Alsatiam, & in *Cæsaris Urbem*, germanicè *Kaisersberg* dictam. Tribus à Sandeodato horis distat Pleinfesinum, vulgò *Pleinfain*, Matricis Ecclesiæ Frasiæ, gallicè *Fraise*, membrum succursale, ubi Murtha originem habens, per flexuosos vallium sinûs in Sandeodati oppidum, cursu rapido illabitur. Herculana familia quæ patrio idiomate *Herquel* dicitur, subsistit adhuc hodiè Pleinfesini, sicut accepimus à Clarissimo D. Perrotey, Sacrorum Canonum & Theologiæ Doctore, Agri Sandeodatensis Officiali, & Frasiæ Pastore optimo.

(*b*) *Cujusdam fratris Richerii Commentaria.* Richerius Monachus Senonensis, historiam Abbatiæ Senonensis in Vosago, tribus à Sandeodato horis dissitæ, scribebat anno 1263. Hanc Dacherius in spicilegiis, tom. 3. curavit inserere, & pro more suo, nullis adornavit notis, quibus tamen egebat, ut errores passim obvii emendarentur. Multa enim ad vulgi famam autor nullius criterii, multa ad votum conficta scripsit, vel, ut Herculani verbis utar, *nullâ certè rerum cohærentiâ, nullo ordine, nullâ annorum rectâ supputatione.*

fundere tenebras. Quanquam non usque adeò ingratus esse velim, aut malignus ingeniorum interpres, ut non maximas etiam gratias Richerio habeam, qui acta tot incendiis concussa, maluit mutila & impolita nobis relinquere, quàm omninò non eripere ab interitu. Ex illius autem mole indigestâ profectò, à tudi, quò gratiâ, & oblectatione lectorem retinerem, eâ potissimùm narrandâ selegi, quorum cognitio antiquitati addens decus, pro ingenioli tenuitate non solùm jucunda, sed etiam utilis mihi visa est. Nam ejus sententiæ sum, ut nihil existimem jucundum, quòd utilitate vacet; porrò cum habeam compertum, rerum ignaros, non tutiore modo, verùm & commodiùs narranti vera audituros; historiæ veritatem in rebus tam remotis à patrum memoriâ, quoad licuit, sum sequtus. Hos autem industriæ meæ labores existimavi vobis & dicandos, DOCTISSIMI VIRI, quòd in locum eorum successeritis, qui potiores partes in hac narratione tenent. Et certè ut est vestra devotio ergà paternum nobis communem gloriosum Dei Confessorem Deodatum, & ejus piam & sanctam conversationem propensa, favore & gratiâ vos prosequturos hanc laborum illius narrationem non diffido, quò & illius major surget gloria, & mihi animus alacrior ad honestissima quæque studia capessenda addatur. Valete, DOCTISSIMI VIRI, & studioso eò usque favere velitis, quoad honestatis studia & amare, & sequi possit. Ex Lacydio nostro (a) III. Kal. Decemb. 1541.



Descriptionis, sitûs, locorum, & montium terræ Vallis-Galileæ & locorum vicinorum adjacentium.

CAPUT I.

SCRIPTURUS antiquitates Vallis-Galileæ & locorum adjacentium, à re haudquaquam alienum putavi, à montis Vosagis descriptione, in quo prosensa jacet, ducere initium. Qui enim totius cognitionem animo complectuntur, partium sitûs & descriptiones faciliùs multò percipiunt. Quare nobilitatem & præstantiam Vosagi, tum hujus rei gratiâ paucis repetendam duxi, tum ut nostris hominibus appareat, Vosago suam celebritatem nunquam defuisse, si pulcherrimarum rerum simul & honestarum admiratores non defuissent, sed scriptorum penuriâ, potius quàm rei, evenisse, ut res præclaras & dignas, quæ nunquam à memoriâ hominum excidant, tempus, rerum sepulturâ excesas, & oblivione obductas, è memoriâ & celebritate sustulerit: quarum tenebras illuminare, etsi laboriosum & difficile sit, tamen perantiquis Commentariorum fragmentis, & sedulò inquirendi labore adjutus, neque patriæ, (quàm ab interitu vindicare honestissimum est,) neque rerum antiquarum studiosis, per ignaviam, & desidiam deesse volui.

Mons itaque Vosagus, ut traditum est ab antiquis, & nos oculis percepimus, in finibus Lingonum incipit, & protenditur in Septentrionem usque ad fines Trevirorum, separans Lotharingiam, & vastum regnum, à Germaniâ

(a) *Ex Lacydio nostro 3. Kal. Decembris* 1541. Temporibus ergò Ducis Anthonii suam concinnavit historiam Herculanus, Sandeodati Canonicus, præposituram gerente tum Friderico de Cleisenteines, ad quam fuerat assumptus anno 1426, quamque anno 1456. fatis urgentibus dimisit.

maniâ Cis-Rhenanâ; ad Orientem quidem Alſatiam, ab Alſâ fluvio denominatam, & ad Occidentem Lotharingiam reſpiciens. Præterquàm autem quòd ſitu, fertilitate, amœnitate, accolis & oppidis ad utrumque latus poſitis, mirum in modum exornatur, etiam varietate fluminum, quæ diverſis in locis varia effundit, nobilitate metallorum quæ indè oriuntur, & Thermarum quoque, ut interim non commemorem loca pietati dicata, quæ multa reſtant ab Eremicolis, & Deo vacare cupientibus conſtructa, abundè meretur ſcriptis & litterarum cuſtodibus illuſtrari, etiam magis quàm Parnaſſus, quàm Olympus, quàm Cinthus, & cæteri montes à Poëtis celebrati. In finibus enim Lingonum, Matronam & Moſam, versùs Auſtrum Ararim, non longè à Luxovio ſupra Romaricum-Montem, Moſellam; in exordio Vallis-Galileæ, non longè à Plinſeio patriâ meâ, Murtham, & paulò inferiùs ad Septentrionem Saram, fluvios non poſtremi nominis effundit. Matrona Celtas à Belgis definiens, per Catalaunum rapido curſu in Sequanam feſtinat, cui miſcetur parùm ſupra Lutetiam. Moſa placidis undis Verodunenſium, Eburonum & Menapiorum fines irrigans, in Occeanum influit; Arar Cabillinum, ac Matiſconem, Heduorum oppidum interſecans, Lugdunum prolapſus Rhodano jungitur. Moſella amœnis per Leuchorum, Mediomatricum & Trevirorum fines tacito rumore in Rhenum labitur. Quid referam limpidiſſimos fontes, quorum aquæ nonnullæ ſunt potu ſuaves; aliæ amaræ & ſalſæ, undè ſal candidum in vaſto regno conficitur; aliæ calidæ, inter quas Plomberianæ notiſſimæ ſunt: (*a*) nam hominum corpora cujuſvis morbi diuturnitate, lan-

(*a*) *Inter quas Plumberianæ aquæ...* *Plumberia*, gallicè *Plombieres*, oppidulum intra ſinus arctos Montium Voſagi, tribus à Romarico-Monte leucis, verſùs Orientem poſitum, Thermis ſalutaribus, ab omni ævo celebre. Temporibus Auguſti reſtitutas Plumberiarum Thermas teſtatur monumentum lapide inciſum, ab aliquot annis in ruderibus Plomberianis effoſſum, & in Clariſſ. Viri D. Bagard Regii Ducis Lotharingiæ Archiatri, muſæo aſſervatum, in quo hæc leguntur: *Thermæ Plomberianæ ab Auguſto Cæſare reſtitutæ.* Ad tutamen affluentium infirmorum, arcem illic erexit Ferricus Dux Lotharingiæ, eamque Ferrico filio ſuo, unà cum Bremonis-curiâ contulit in feodum, cui acceſſit ex Gerardi Abbatis Stivagienſis placito, dimidiatum dominium Villæ-Eginonis, gallicè *Envaux*, jure concomitantiæ, ad poſteros derivatum & anno 1291. tabulis aſſertum autenticis. Hinc Dominum de *Plombieres*, de *Bremoncourt* & d'*Envaux* paſſim in diplomatibus voluit inſcribi. Ferricus ille, Ferrici 2. Ducis filius, Canonicatum in Cathedrali Eccleſiâ Tullenſi adeptus à crepundiis, ad Præpoſituram Sandeodati poſtulatus eſt Minorennis, poſt mortem Joannis de Fontenois. Poſtulationem laudavit Joannes 21. his verbis. „Exhibita nobis „veſtra petitio continebat, vacante nuper Eccleſiâ veſtrâ, Præpoſito, vos pro „futuri ſubſtitutione Præpoſiti ſollicitè cogitantes, ad dilectum filium Ferri„cum, natum Nobilis Viri Ducis Lotharingiæ, Canonicum Tullenſem, gene„ris nobilitate conſpicuum & laudabilem, meritorum titulis inſignitum, ocu„los direxiſtis, ſperantes quod eadem Eccleſia multis diſpendiis jam depreſſa, „ipſius Canonici & Conſanguineorum potentiâ relevetur à noxiis. Verùm „quia idem Canonicus patitur in Ordinibus & ætate defectum, nos attendentes „... veſtris ſupplicationibus inclinati, ut ipſum eligere in Præpoſitum poſſitis... „plenam concedimus autoritate præſentium poteſtatem. Datum Viterbii Idibus „Januarii Pontificatûs noſtri anno primo (1276.)„ Hanc dignitatem ætate provectus, in æquivocum fratrem, poſteà Aurelianenſem Epiſcopum, tranſmi-

guida, dum his foventur fine morâ fanitatem recuperant; nec folùm ufibus hominum, fed etiam avaritiæ fubfervire videtur & luxui, dum diverfi generis metalla fubminiftrat. Et quidem in Comitatu Ferretenfi, in loco *Planchier* nuncupato, argentum; in Valle-Galileæ & ibidem in Valle-Labro (*a*) haud procul ab Echerio, non folùm argentum, verùm, & æs, & plumbum; apud Grandefontem, ferrum; apud Valderphingam, quod oppidum in vafto regno fitum eft ad ripam Saræ, colorem illum cæruleum & pretiofiffimum, Affirium vulgò vocant.

---

fit, ad nuptiarum vota involans, ex quibus Jacobum fufcepit Dominum Plomberiarum, Bremonis-Curiæ, & Eginonis-Vallis, nuptum Ifabellæ de Pulligny. Hi anno 1317. Dominium Eginonis-Vallis & Calvimontis vendiderunt Mathæo à Lotharingiâ, nepoti, toparchæ de *Teintru*, de *Paffavant* & de *Florines* improli mortuo, nupto licet Mathildi de Bethuniâ.

(*b*) *In Valle-Labro haud procul ab Acherio.* Vallis-Labri, five Vallis-Leporum, gallicè *Val de Liepvres*, unà penè ab Oppido Stæ. Mariæ in Fodinis, gallicè *Ste. Marie aux-Mines*, tribus à Scelestadio horis diftans, nomen fuum protenfæ valli indidit. Prioratus filialis Abbatiæ Sti. Dionifii in Franciâ à Fulrado Abbate S. Dionifii illic fundatus eft, ex conceffione Stephani Papæ, circa annum 757. Extant in regio Lotharingiæ fcrinio diplomata Caroli Magni, anni 801; alterum Lotharii Imperatoris anni 855. Tertium Lotharii junioris, anni 866, in gratiam Prioratûs conftituti *in Valle-Lebrath*, fic dictâ à præterfluente Amne *Leberâ*, nunc mutato nomine *Liepvre* nuncupato. Theodoricus Lotharingiæ Dux quondam Cellæ Leporenfi infeftus, reftitutionem vovit, & hoc fequenti diplomate executus eft. „ Ecclefiæ Chrifti fidelibus tam futuris quàm præfen-„ tibus gratia, & pax & communicatio S. Spiritûs. Quanquam terrenæ po-„ teftatis principibus regni ad hoc concedi credatur fublimitas, quatenus ho-„ rum tuta fuffragiis, nihil adverfi patiatur Ecclefiaftica facultas. Tirannicæ „ tamen cupiditatis, tanta exarfit violentia, ut ab ipfis quoque defenforibus, „ mira & intolerabilis, irrogetur fævitia. Præpofteri fiquidem homines, toto „ conamine ftudentes obeffe, quibus ne deviarent à veritatis propofito, debue-„ rant prodeffe; Infœlicis itaque hominis obftinata cœcitas, creatoris perfe-„ quens domicilium, unde meritorum adipifci præmia poterant, incurrit æter-„ næ damnationis fupplicium. Ego igitur Theodoricus Lotharingorum Dux „ & Marchio, divinæ ultionis metuens fententiam, Deo & Sanctis ejus con-„ dignæ fatisfactionis propono efficaciam. Decimam namque de S. Mariâ & „ de S. Blafio, dicam feu collectam & forum quod eft in Valle-Leporis, im-„ primis à Patre meo, poftmodùm à me quoque hactenus injuftè pervafum, „ nunc autem fœliciori ufus confilio, S. Dionifio, & Abbati ejus Ivoni, nec „ non Præpofito qui vocatur Manaffes, reftituo perenniter habendum, ac ne, „ quis ulteriùs noftræ occafionis exemplo, auferre præfumat, legali aftipulatione „ manere difpono inconcuffum, hujus etiam cartæ trado munitionem, ad „ deffendendam infra fignatorum teftimonio veritatis, intentionem. Pibo Tul-„ len. Epifcopus, Theodoricus Virdun. Epifc., Comes Rembaldus, Comes „ Hugo, Comes Quafcelo, Gerardus, Valterus, Drogo, Adelardus, Richerus, „ Eglaiftus, Hommoneio, Vultoldus, Eglaiftus S. Deodati Præpofitus, Fulche-„ redus presbiter, Stephanus presbiter. Anno ab incarnatione Domini 1078. „ Epactâ 1. indict. 4. Actum eft autem hoc apud Sandeodatum, regnante Rege „ Henrico, Hildebrando Romanæ Sedis Apoftolico.

Appenfum eft autographo figillum exhibens hominem cataphractum, & ad limbos hæc legitur infcriptio. *Theodoric. D. G. Lothoringorum Dux.* Affervatur in Cartophylacio S. Georgii Nanceiani, cui prioratus ille unitus eft.

Quòd Beatus Maternus, Belgarum Apostolus, Alsatas primò convertit, & de situ terræ & montium.

CAPUT II.

ET quanquam inter juga, saxis arcuum instar erectis, ardua conspicuaque, profundissimæ pateant valles, abietibus, sapinis, & fagis ita consitæ & densæ, ita ut etiam audacissimo horrorem incutiant; tamen utrumque latus habitabile est, orientale ob naturam soli vitium feracis, occidentale quod pascuis abundet: tam & si non..... inficias, non fuisse æquè habitata ut nunc sunt, quod facilè colligitur ex cœnobiis quæ multa restant passim ædificata ab eremicolis, qui solitudinis gratiâ huc confluxerunt, quorum antesignanus & princeps fuit Maternus ille, Belgarum Apostolus, (*a*) qui in eâ parte quæ Alsatiam respicit, Novietum vulgò Eberminster eo tempore occupavit, quo prædicatione, & miraculis Alsatas initiabat Christo, nimirum circiter annum humanæ salutis sexagesimum quartum.

De Sancto Columbano & Vergavillâ, ubi reliquiæ Sancti Eustasii venerantur, & Romarico Sancto ædificatore.

CAPUT III.

LOngo tempore post Columbanus Vir doctrinâ, & pietate insignis, genere Scotus, Luxoviense Cœnobium in ejusdem montis parte quæ Burgundiæ Comitatui adjacet, construxit, cujus doctrinâ & vigilantiâ Eustasius pietate insignis, & Deicolus, Lurensis Cœnobii primus erector, suave Domini jugum susceperunt. Eustasii reliquiæ hoc tempore apud Vergavillam vasti Regni pagum repositæ (*b*) circum-adjacentibus populis magno sunt solatio. Nam ibi ejus

(*a*) *Maternus ille Belgarum Apostolus.... miraculis Alsatas initiabit Christo circiter annum... sexagesimum quartum.* Popularem errorem de missione apostolicâ B. Materni Trevirensium, Tongrorum, & Coloniensium Episcopi, sequutus est Herculanus; venialem culpam, communis effecit fides, nec dum præjudiciis expedita: at mirum quòd Trevirensis historiæ Patres, sagacioris ingenii, & ætate depuratâ scribentes, eandem fabellam exambierint, ut antiquitati Ecclesiæ suæ patrocinarentur, quam Apostolicis temporibus voluerunt esse coæqualem: certè Maternum ex monumentis ecclesiasticis non novimus, ante annum 314, dum Conciliis Romæ, & Arelati convocatis in causâ Donatistarum & Cæciliani interfuit judex. Quidquid ultrà hanc epocham evehitur, gratis fingitur.

(*b*) *Eustasii reliquia hoc tempore apud Vergavillam vasti regni pagum reposita.* Vergavilla, gallicè *Vergaville*, Abbatia Monialium Ordinis Sti. Benedicti in Lotharingiâ, haud procul ab oppido Decempagi, sive *Dieuze*, salariis aquis percelebri, fundatur à Sigerico Comite Salinensi & ejus uxore Berthâ in Diœcesi Metensi, anno 966. Thedorico 1. tum Episcopante. Abbatissas nobilitate conspicuas ad nostra usque tempora habuit; Sanctimoniales, non ita pridem, admittere eas tantùm solebat, quæ essent equestris ordinis. Ast ubi Deodata de Lignivillè regimen adiit, & invexit reformationem, natalium splendorem noluit ampliùs inter conditiones voventium desiderati, jam jamque ab anno 1636. promiscuè plebeias & nobiles ad habitum & professionem recipiunt.

In vasto regno positam esse Vergavilllam, ait Herculanus, ad Austrasiæ regnum attendens, cujus primaria olim urbs erat Mediomatrix.

meritis ingens dæmoniacorum turba in dies sanatur. Columbano Contemporanei fuerunt Sanctus Amatus, Patricii romani filius, etiam apud Luxovium professus monachum. Sanctus Romaricus quondam Dux, cujus corpus in æde Beato Petro dicata apud Romaricum-Montem locatur. Sanctus Arnulphus ex Mediomatricum Episcopo factus anachoreta, & Sanctus Adelphius Romarici nepos qui omnes habitarunt apud Romaricum-Montem, in jugo ad Mosellam, quod olim vocabatur Rhombech nunc autem Sanctorum-Mons.



De Sancto Gundelberto, Ecclesiæ Senoniensis Fundatore; item de Abbatiæ Stivagiensis narratione.

CAPUT IV.

PRæterea & Gundelbertus Senonensium apud Sequanos Archiepiscopus, (*a*) relicto Archiepiscopatu, relictis honoribus, & dignitate, hac quoque vivendi ratione delectatus, ad vallem excelsis circumvallatam jugis, quæ citra Murtam, orientem respicit, anno restitutæ salutis sexcentesimo vigesimo (*b*) pervenit, quam à Rege in Austrasiæ tunc temporis regnante impetratam, civitatis

(*a*) *Gundelbertus Senonensium apud Sequanos Archiepiscopus.* De Episcopatu Sti. Gundelberti apud Senonensium Sequanorum tabulas nihil invenies, nec illi locum dedere in Archiepiscoporum serie, fratres San-Marthani. Monumenta sexti sæculi & sequioris ætatis episcopalem illi infulam non imposuere. Richerius Senoniensis Abbatiæ monachus & historiæ parens, & Hugo Altissiodorensis itidem monachus, primi Senoniense Archiepiscopatu fundatorem Senoniarum monasterii, decorarunt. Præceptum Childerici Regis filii Clodovei junioris anno 661. editum pro monasterio Senoniensi, Gundelbertum, *Episcopum sive Abbatem* appellat, cujus verò sedis exstiterit Episcopus, non explicat. Dubium evolvit Richerius, antiquitatis taciturnæ, liberior interpres, sed modestior Mabillonius. l. XV. annal. p. 462. rem in bivio reliquit, & Hugonem monachum Antissiodori, assertorem Episcopatûs Gundelberti damnat de inversâ serie Archipræsulum Senonensium, ut suo Gundelberto locum faceret, in eamque proclivis esse videtur Mabillonius sententiam, ut magis in Chorepiscoporum, quàm Episcoporum Senonensium albo reponatur Gundelbertus.

(*b*) *Anno salutis sexcentesimo vigesimo, pervenit Gundelbertus.* Malè exordia Abbatiæ Senoniensis, & adventum Gundelberti assignat Herculanus. Neque enim anno 620, sed 660. Vosagi petiit montes, nec ante annum 661. monasterii fundamenta locavit. Cum enim ex concessione Childerici 2. Regis, situm & prœdia ad constructionem Abbatiæ obtinuerit, anno tantùm 661, non potuit antè ædificiis admovere manum & discipulos adunare. Præterea, Gundelbertus Sto. Deodato coæqualis fuit, & vix Senoniensis Cœnobii prima surrexerant mœnia, dum Deodatus Juncturæ monasterium condidit, ai non nisi anno 669, huic operi se accinxit, impetrato priùs Childerici 2. diplomate. Demum quis necessitudines intercisse somniaret inter utrumque sanctum, sicut reverâ intercessisse, easque diuturnas protestantur historici, si adventum Deodati, adventu Gundelberti posteriorem supponamus quadraginta sex annis; prorsùs ante abdicationem Episcopatûs, provectæ, & ad minùs quadragenariæ ætatis erat Gundelbertus, quibus si junxeris annos quadraginta sex, in Senoniensi eremo jam exactos, ante Deodati ad partes Vosagi accessum, octoginta sex efficient, & consumptum annis & laboriosâ pœnitentiâ Gundelbertum supponunt.

tatis in quâ Archipræsulem egerat memor, Senonias vocavit, ibi oratoria, & cellas sibi, & fratribus ædificavit. Nam ad eum confluebant viri sanctioris vitæ cupidi, quos collectos secundùm Divi Columbani institutum vivere edocuit. Porrò antequam Gundelbertus ad Senonias se contulisset, fanum ædificatum erat ad occidentalem Murtæ ripam in vastâ, & horridâ solitudine. Eum locum ut fertur monachi Columbanæ Familiæ, deindè Vestales, tum sæculares Canonici, postremò Ordinis Præmonstratensis Regulares Canonici incoluerunt, hodieque incolunt, & Stivagium vocatur. (*a*) Quo tempore vel à quibus fuerit

(*a*) *Porrò antequam Gundelbertus Senonias se contulisset, fanum ædificatum erat... & Stivagium vocatur.* Stivagium, gallicè *Estival*, *Estivai* & *Stivai* dictum, ultrà Murtham, ad orientem, in monticulo consistens, fluviolo desuper alluente irriguum, cui imminet ad septentrionem mons consitus abietibus, ad meridiem agros latè fusos habet, quos nemorosa montium juga in semicirculi modum cingunt. Antiquissimum totius Vosagi Monasterium est Stivagium, autorem, nulla sinceræ antiquitatis monumenta exhibent, nequidem ipsa Stivagii scrinia, quæ supra nonum sæculum, nihil offerunt. Scriptor nec dum editus Vitæ Episcoporum Tullensium, cui Mabillonius plus æquo fidem dedit, integrum Bodoni honorem fundationis detulit, quo titulo, quâ authoritate, suppar anonimus scriptor id evulgarit, haud scio? scio tamen næniis & anachronismis scatere opus anonimi, fidem quoad reliqua elevantibus. Scio ad Apostolorum tempora revexisse originem Episcopatûs Tullensis, & alias intrusisse posteriorum temporum fabellas Adde quod duodecim Canonicos aggregatos fuisse à Bodone in Stivagiensi Cœnobio narrat, quod efficere non potuit, nisi ante adeptionem Episcopatûs initam anno 664. Si enim seriùs rem gestam supponamus, actum est de prioritate originis Stivagii, assertæ ab omnibus: at quis suspicabitur Bodonem antehac Monachum in Cœnobio Laudunensi, Canonicis addixisse conditum à se monasterium, qui Bodonis-monasterium, vulgò *Bonmoutier*, in asceterium Monacharum erexerat.

Successionem variorum Ordinum in Stivagio per Herculanum & Richerium inductam, nulla testantur antiquiorum temporum vestigia. . Si Canonicos Regulares exceperis in Ottonis 1. diplomate recensitos, quibus ex textu Bullæ Lucii 3. Præmonstratenses subrogati sunt 1146 Si Monachos præcessisse quis dicat, illos Columbanos non Benedictinos fuisse, suadet regula Lexovii tum florens, & per Austrasiam propagata. Nono sæculo labente, Richardis Caroli Crassi conjux Stivagium in dotem & possessionem obtinuit. Quales tunc temporis fuerint ascetæ non explicat Imperatricis diploma, quos sub ambiguis, *Servientium Domino* vocibus exprimit, clarius postmodum expressos in Ottonis primi præcepto anni 965, dum Canonicos apellat, *sub regulâ B. Augustini, Deo deservientes.*

In Præposituram decussata tunc erat illustris pridem Abbatia. Honorem & Bona ejus, Richardis ex parte suppresserat, ut Eleonis Abbatiam, sive Andelacum, apud Alsatas Parthenium, dotaret fundatrix. Detruncatis enim & avulsis à Stivagio prædiis & præeminentiis, Regalia jura in Tractum Stivagiensem Abbatissæ transtulit, quæ posteriorum sæculorum æquiores Prælatæ restituerunt, sub aprobatione Friderici 1. Imperatoris. Jurisdictionem temporalem ex Principum beneplacito exercent Stivagienses Prælati, in villas quindecim, & graduali ordine lites à Præfecto, quem Galli *Maire* nuncupant, diremptæ, ad Judicem Cameræ Abbatialis, vulgò *Juge du Buffet de l'Abbé*, provocantur per appellationem, & inde ad Senatum supremum Lotharingiæ devolvuntur. Spiritualis jurisdictio in pagos septemdecim diffusa viget integra. Tribunal habet à sæculis Abbas, Ecclesiasticum. In gratiosis & contentiosis rebus plenâ gaudet potestate, soli Summo Pontifici subjectâ, & ab eodem tantùm reformabili.

erectum non liquet. Gundelbertus autem post multos & varios sui incolatûs labores, quos assumpsit, dum cellas diversis in locis construeret, ad vitam nullis turbatam molestiis vocatur, sed quo anno tum ætatis, tum relicti Episcopii, parùm constat.

Deodatus Romonum venit cum suis, ubi miraculum fecit.

CAPUT V.

CÆterùm & Deodatus ex generosâ Francorum Occidentalium Familiâ ortus, (*a*) Nivernensem Episcopatum in Arverniâ, quem doctrinâ singulari, & morum pietate meruerat, ad hanc quoque commigraturus Eremum, reliquit, quò pietati quam à teneris imbiberat, satisfacere, unà & Deo optimo maximo puriùs inservire posset. Igitur anno à partu virgineo, sexcentesimo vigesimo nono, octavo autem Dagoberti, qui in Franciâ mortuo patre Clotario secundo, regnavit quatuordecim annis, ipse assumptis Vuiligodo & Donniolo itineris Comitibus, cum magnâ alacritate patriam relinquens iter aggressus est ad Vosagi solitudinem. Eo autem tempore quo Gerbaldus apud leucas Episcopum agebat, venerunt ad plana adjacentia Vosago, atque in viculo qui Romonum dicitur pedem sistunt, (*b*) paululùm se recreantes. Itineris enim labor ac molestia eos aliquantulùm mœstos, ac fessos reddiderat. Et ecce se se obtulit occasio quæ declararet, viros sanctos, charitatis opera proximis sedulò exhibere. Viculi Dominus Asclas domum ædificabat, & trabs modò tortitudine, modò brevitate fabris lignariis non parvum negotium facesserat, quod postquàm Deodatus rescivit ex puero, fabrorum supellectilem, interim dum ipsi pranderent, custodiebat, supremo numine invocato trabem retortam ædificio aptavit, ac se mox itineri accinxit. Asclas autem re cognitâ abeuntem revo-

(*a*) *Deodatus ex generosâ Francorum occidentalium familiâ ortus . . . . anno à partu Virgineo 629, octavo autem Dagoberti, qui in Franciâ, mortuo Patre Clotario 2. regnavit, ... iter aggressus est ad Vogesi solitudines.* Author noster in hac narratione dupliciter peccat. Sti. Deodati, cujus Pontificatum Nivernensem, magis traditione authore, quàm Ecclesiasticis monumentis evincimus, asserit adventum in Vosagi solitudines anno 629, quem ante annum 660. ponere non debuit. Licet enim lustrasse Vosagi secessus constet, & inde ad Alsatas migraverit, steteritque illic aliquantulùm, regressurus posteà ad Galileæ Vallem, iter istud paucis confecit annis, nec longiores protaxit moras, primæ solitudinis amore captus, quam repetiit, sedem ibi fixurus permansuram. At quia locus ille de fisco erat Regio, proprietatem ejus à Childerico 2. impetravit, Jurisdictionem verò spiritualem à Numeriano Archiepiscopo Trevirensi circa annum 664. accepit. Non Geribaldus tum præerat Leucorum Ecclesiæ, sed Eborinus.

Errat quoque Herculanus, dum annum 629 in actavum Dagoberti incidisse refert. Quippe Dagobertus subiit regni fasces anno 628, & mortem oppetiit, juxta Henschenii computum, anno 638.

(*b*) *In viculo, qui Romonum dicitur pedem sistunt.* Romonum, gallicà *Romont*, villa ab oppido Rambervillaris unâ horâ distans, Prioratu Ordinis S. Benedicti nobilitata, fortè ex occasione patrati ibidem à Sto. Deodato miraculi, quamvis ex Bezuanâ Abbatiâ nunc pendeat Prioratus, ubi asservabatur Corpus S. Villigodi comitis peregrinationum S. Deodati, & quantùm conjicere fas est, primi incolæ Prioratûs vel Cellæ quam Deodatus ad petitionem Asclæ illic erexit.

cans diligenter sciscitatus quis esset, & peregrinationis causas. Perspectâ viri sanctitate, hunc apud se retinere studuit, sed cum Deodatus votis illius obsequi recusaret, liberalis Asclas in miraculi memoriam, eidem quinque argenti siclos annuatim persolvendos super fundum suum assignavit. Ipse verò Deodatus ad Argentillam vulgò Arantellam cum suis progressus, (*a*) quietis cupidus, in saltu conquisitis expensis modici tugurioli, fundamenta jaciebat, cum incolarum injuriis offensus (militari enim libertate quidvis audebant) per omnia avia, & montes nemorosos, fœlicem & fertilitate beatam petiit Alsatiam.



De peregrinatione Beati Deodati ad diversos Eremicolas in diversis locis existentes, item de Sanctis Hunone & Huna ejus amicis apud quos multa egit stupore digna.

CAPUT VI.

PErvenit autem ad Eremicolas commorantes non longè ab Oppido Hagnoviæ, locus Silva Sta. vocatur, (*b*) germanicè autem *Hellenald*, ex quo iterum invidorum contumeliis propulsus, ad Novietenses Eremicolas se contulit (*c*) qui sub Clodoveo Rege Francorum primo Christiano Novietensis fani quondam à Beato Materno Belgarum Apostolo instructi, explosis ibidem Idolis Mercurii, & Dianæ ex ruinis iterum excitaverant circiter annum Domini quingentesimum. Ibi replantatam sub Clodoveo Rege christianam religionem salutaris sapientiæ aqua irrigans, cujus sanctitate & doctrinâ per Alsatiam divulgatis, ne dum rudis plebecula, verùm & primores hujus regionis, cibo vitæ & intellectûs cibari cupientes, Novietum advolant; inter quos & Atticus tunc Germaniæ & Alsatiæ Dux Stæ. Othiliæ Parens, cujus ditioni Novietum suberat, una cum conjuge suâ, verbum Dei auditurus, Novietum ire sæpiùs frequentabat. Nobilis item Huna Attici cognata, cum Hunone thori consorte, Domini verbi semen in fertilem pectoris sui agrum Deodato serente exceperunt. Hujus nempè mellifluo Domini verbi præconio pectus

(*a*) *Deodatus ad Argentillam, vulgò Arentellam progressus.* Vicus ille omninò nunc deletus est; ad cognominis rivuli ripas situs, qui rivulus infra oppidum Bruyeriæ, gallicè *Bruyeres*, originem habens, vicos Granvillaris, Petræ pontis, & Stagni alluens in Villam Stæ. Helenæ, haud procul ab Abbatiâ Alteriaci, vulgò *Autrey* illabitur, & in Mortaniam, *la Mortagne*, se exonerat Rembervillare paulò infrà festino cursu intrantem.

(*b*) *Pervenit autem ad Eremicolas commorantes non longè ab oppido Hagnovia, locus, Sylva Sancta vocatur.* Locus ille ad ultimos Alsatiæ fines existens, hodie *Heiligenvvaldt* dicitur apud Germanos.

(*c*) *Ad Novietenses Eremicolas se contulit, qui sub Clodovæo Rege Francorum primo Christiano, Novietensis fani à B. Materno quondam extructi* &c. En tibi juxta Herculanum prima Novietensis Monasterii incunabula. Antiquitatem B. Materno coævam, hoc est Apostolicis temporibus æqualem invehit. Quâ fide, penès authorem sit fides. Ætate S. Deodati confluxisse illuc Eremicolas, palàm est; sed in Monasterium non adolevit solitudo, nisi ex munificentiâ Ducis Attici, patris Stæ. Odiliæ. Est porrò Monasterium illud in Alsatiâ ad Illam fluvium, binis penè infrà Schelestadium leucis positum, vulgò Aprimonasterium, germanicè *Ebersheim-Munster* appellatum, ex quo S. Arbogastus evocatus est ad Episcopatum Argentinensem.

Hunæ jampridem à teneris annis virtutum rore imbutum, adeò inflammatur, & continuè Deodati appetentis, Huna quò illum crebriùs viseret, eundem sollicitarit: cujus sanctæ postulationi vir Dei obsequuturus sæpiùs ex Novieto cui præerat, ab Huni-villati duobus lapidibus distante (a) Hunam adire solebat, quem tam gratum hospitem nullo non hospitalitatis officio devotissima Huna excipiens, nunc velut anxia Martha, cibo, potu-ve refovet, nunc in Magdalenæ morem ab ore prædicantis contemplando pendet. Quocircà divini amoris fervore in dies reddita cumulatior, opera misericordiæ sedulò pauperibus exhibebat. Et quanquam aquarum inopiâ fonticulum longè à domo suâ distantem, pauperum sordes lotura quotidie fermè adiens, ut mente capta, plebi suæ ludibrio haberetur, nunquam tamen à charitatis officio fuit aversa. Cui Deodatus compatiens, ut proximè domum aquas haberet, intruso baculo vicinioris colliculi saxo, divinâ opitulante gratiâ, vivas & uberrimè scaturientes aquas mox elicuit, quibus nedum beata Huna dum viveret, usa, verùm & variis ægritudinibus affecti, eisdem se proluentes, interventu ejusdem matronæ salutem experiuntur. Sed cum hæc scriberemus, anno post salutiferam mortalium reparationem 1540. Lutheranæ factionis pernicies, animos & plebiculæ, & Magistratuum quorundam Germaniæ & Principum ita invaserat, ut neglectâ verâ religione, calcatis S. S. reliquiis, quorum mors pretiosa est in conspectu Domini, loca ubi eduntur miracula per Sanctorum intercessionem non solùm prophanare, sed & destruere, temerè, & crudeliter ipsi religionis Christianæ desertores ausi sunt, undè factum est, ut veluti bello cælitibus indicto, crudelitatem quam exercere non poterant in eos, quos egregia probitas in cœlum transvexit, in eorum statuas, simulacra, reliquias, & memorias mote belluino transtulerint. Quare obstruserunt, & obsignarunt hunc fonticulum, de quo nobis est sermo, Dominicæ pietati, majestati & potentiæ per quam miracula eduntur, obstinatâ malitiâ veluti resistentes, & beatæ Hunæ reliquias quas antè annos viginti, Leo decimus Pontifex, precibus Uldarici à Wirtemberg motus, jusserat è sepulchro transferri; quæ quidem translatio facta est in magnâ Cleri & populi utriusque sexûs præsentiâ decimo sexto Calendas Maji. Ipsi præposterè Evangelici, ex ædiculâ Hunni-Villaris sublatas, calcatas, & spretas nescio quò projecerunt. Sæviant autem quantum velint, atque ut sunt improbi, improbè in Sanctos agant, & sæviant, tamen suâ improbitate non efficient, ut is mentiatur qui dixit, memoria justi cum laudibus.

Quomodo Beatus Deodatus ad Arbogastum Episcopum, & ad Florentium Argentinensem, & ad vicum Wilræ venerit.

CAPUT VII.

CÆterùm ut ad inceptum redeamus à quo Lutheranæ Sectæ innovationis perversitas nos abduxit, cum bonus odor probæ vitæ Deodati undique sparge-

(a) *Ex Novieto . . . ab Hunivillari duobus lapidibus distante* &c. Sanctus Deodatus accurrentium populorum multitudine fessus, Novietum deservit, & in vico, qui *Wilra* dicitur, duobus supra Colmariam lapidibus, non longè ab Almarici-villa, secus montis radices, secessum sibi fecit, in quo ab Hunnâ Nobili Comitissâ invisitur, vitæ Christianæ regulas à tanto magistro exceptura. Villa-Hunnivillaris, Comitissæ sedes, *Hunneveiler* germanicè, gallicè *Honniville* dicitur, à suo conditore Hunno habens ethymon. Distat ab oppido *Marivilla* & à *Wilra* duabus leucis.

spargeretur, fragrantia ad Arbogastum (*a*) Ecclesiæ Argentinensis Episcopum pervenit, quare motus S. Antistes Deodati familiaritatem & necessitudinem percupidè amplexus est, ac magni fecit. S. quoque Florentius Arbogasti successor, Deodato familiariter usus est. Boni namque ad bonorum convivia, etiam non vocati, juxta parœmiam accedunt. Hic è Scotiâ egressus, in loco qui dicitur Haßlach / in introitu Bruscæ-Vallis, anachorita vixit, antequam ad Episcopatum vocaretur: ubi hoc tempore corpusculum ejus conditorio exceptum veneratur. Cernens autem Deodatus tumultum sæculi quem in Episcopatu reliquerat, se denuò incurrisse, relicto Novieto, locum à tumultu remotiorem petiit. Fuit eo tempore viculus inter (*b*) Almarici-villam, & Hungaris-villam, Vuilra nuncupatus, apud quem fons etiam hoc tempore perspicuus, & potu salubris est. Ibi erecto sibi habitaculo consedit. Sed Sanctitatis osor Diabolus repentino furore adversùs Sanctum Virum quasi alienarum rerum pervasorem (nam fideles & pii, Viro Dei aliquid de prædiis propriis conferebant ad victûs supplementum) eò usque instabile vulgus concitavit, ut hunc dirè & inhumaniter expulerint. Suæ autem inhumanitatis præmium tulerunt, Deo Sanctum suum vindicante, nam ab eo tempore, quotquot in Wilrâ nati sunt infantes, strumulos in gutture habuerunt, quæ res destructionis Wilræ causa fuit, ut reor.



Hic Deodatus ad Hunonem se per tempus recipit, & filium eorum à baptismo levavit.

CAPUT VIII.

DEodatus igitur, ingratos inhumanosque relinquens ad Hunonem & Hunam sibi familiares & amicos, in Hunavillare appulit, quo in loco perhumaniter acceptus aliquot egit annos. Interim Huna ex conjuge suo uterum ferens, filiolum peperit, quem Deodatus ad parentum instantiam, ex salutaris lavacri undis levans, suo quoque nomine Deodatum appellavit: quem nonnulli adultiorem factum, Monasticæ vitæ in Novieto operam dedisse, nihilque à maternâ sanctitate degenerantem, fœlici fato ibidem functum ferunt. Porrò Deodatus perpendens se non reliquisse, tum patriam,

Zz

(*a*) *Ad Arbogastum Ecclesiæ Argentinensis Episcopum pervenit.* Arbogastus & Florentius Scotiâ oriundi, ut fama fert, in Alsatiæ agrum se receperunt, monasticen profitentes in Novieti Cellulis. Ad Episcopatum Argentinensem successivè sublimati sunt, Arbogastus, juxta Guillimanum, anno 641. Florentius autem anno 668. defuncto sodali suffectus est ex Hazelacensi (Haßlach) monasterio assumptus, cui originem dederat, Dagoberto Rege fundum suppeditante & locum, ubi Hasela fluviolus, Bruscæ inlabitur, multâ tum Silvâ circumseptum. Jam pridem ad Sæculares Canonicos defecit Hazelacum, sed nihilominùs fundatoris corpore ornatum, quod à Rhecone Episcopo divinitùs admonito, translatum est ex Ecclesiâ D. Thomæ Argentinensis, octavo sæculo desinente.

(*b*) *Viculus inter Almarici-villam, & Hungaris-villam.* Almarici-villa, *Marivelle* à Gallis, ab Alsatis dicitur Amerschweir. Hungaris-villa, Hingersheim / oppidula superioris Alsatiæ in agro Colmariensi.

tum Episcopatum, nisi eâ re, ut à curis mundi avocatus, soli Deo vacaret, (a) clanculùm Alsatiâ discedens, in Vosegi montana, nemine conscio, secessit. Et quanquam abstinentiâ & ætate, corpore fatigato esset, tamen per juga montium scopulosa, per squalidorum montium concava, tandem infracto animo fuit, donec in vallem spatiosam (b) quam posteà Galilæam vocavit, anno restitutæ salutis sexcentesimo sexagesimo nono, qui fuit Regni Childerici, perveniret. Hæc vallis ante Deodati adventum nullo nomine erat insignita, utpotè quæ deserta esset, quanquam multùm amœnitatis habeat, tum ex eo quòd irrigatur Murthâ piscoso, tum quod undique cingitur montibus, & nemoribus, & nec usque adeò infertilibus. Nam ad orientalem plagam, Vrimontem, seu ut alii volunt, Auremontem (*Ormont*) habet, & montium juga quibus separatur Lotharingia ab Alsatiâ; ad septentrionem Ausontem. Liberior autem planities fertilissimis collibus inæqualis apud Austrum diffunditur, cui ab occidente imminet Clarus mons (*Claimont*) & Quemberg (*Kamberg*) (c) in cujus sinu quem Murtha alluit, cum Vir Dei omnia lustrasset, amœnissimum fontem, & speluncam frondibus contextam reperit, ad quam accedens, herbis & radicibus, Sanctorum Anachoritarum exemplo, ad aliquot dies vixit.

Beata Huna, per vocem cœlitùs edocta, mittit ad Sanctum Deodatum necessariis egentem, annonam.

CAPUT IX.

INtereà Dominus, nunquam justum derelinquens, religiosam Hunam de Doctoris salute, & incolumitate anxiam, voce cœlitùs lapsâ admonet, O Huna, inquit, cur Deodato tuo, panem dare negligis, cui quo loco inveniri possit se ignorare respondens: (d) Impone, inquit, asino, annonam liberumque abire sinas, gressus namque illius dirigentur. Huna his mandatis obtemperans, asinum alimentis oneratum, itineri præparat, adjuncto Agasone, qui tantùm locum quo asinus divertat, observet. Nullo igitur humano ductu asinus Hunivillare exiens, per deserta & inculta Vosegi montana, rectà tamdiù gradiebatur, donec in eam vallem in quâ famelicus Deodatus morabatur, tandem perveniret. Deodatus actis Deo gratiis, de cujus bonitate ista provenerant, asinum commeatu exoneratum, cum famulo domum

(a) *Clanculùm Alsatiâ discedens*, &c. Inter concava montis, qui nunc *Bonus homo*, germanicè Dietels-Hauß/ vocatur, iter arripuit, ibique per aliquot dies substitisse ferunt, unde & à Sancti Viri mansione nomen obtinuit mons ille.

(b) *In vallem spatiosam, quam posteà Galileam vocavit.* Vallis ista, septem in longitudine, quinque in latitudine suâ leucas habens, nomen Galileæ sortita est, ex recepto tunc temporis usu, qui stationem ultimam consueverat appellare Galilæm. Fallitur Herculanus, adventum B. Deodati in Vallem-Galileæ assignans sub annum 669. regnante Childerico. Childerici supremus annus 667. fuit, & Numeriani diploma seriùs dari non potuit anno 665, cum Gisloaldus Virdunensis Antistes, anno eodem fatis functus, Numeriani carthæ subscripserit.

(c) Aliàs Mons Sancti Martini ex condito illic oratorio nuncupatus.

(d) *Impone asino annonam.* Hujus miraculi historiam litteris mandatam, lapideis sculpturis in Ecclesiæ Sandeodatensis frontispicio expresserunt nuper Canonici, dum veteri protyro, novum idque elegantius addiderunt.

remittit, quem posteà nemine comitante singulis septimanis annonâ onustum ab Hunâ, in Sancti Eremitæ sustentationem transmissum fuisse, atque illæsum rediisse constans asseverat fama. Verùm à lupo inediâ laborante, eodem asino post aliquot menses devorato, Huna raptori imperat, ut vice necati asini defungens, Deodato victum apportet, quod munus animal rapax more jumenti mansuetissimè multos dies executum est. Sic Viro Dei reperto, non solùm Huna, sed & aliquot religiosi viri, necessaria ad vitam tuendam ministrarunt.



Qualiter Rex Childericus Vallem-Galilæam Beato Deodato donavit, in quâ divinitùs Ecclesias Beatæ Mariæ Virginis & Beati Mauritii ædificavit.

CAPUT X.

CUm autem sanctitatis ejus fama ad hujus regionis homines pervenisset, commigrarunt ad sanctum virum & pietatis studiosi quò ejus vitæ imitatores fierent, & opulenti, & magnates quoque prædia & expensas ad Cœnobii ædificationem conferentes. Prætereà & Childericus Rex Vallem-Galilæam ab exortu amnium eam rigantium, usque ad, ipsorum ab eâ exitum, Deodato, successoribusque donavit, quò inibi commodiùs cellas fratribus erigeret. His rebus fretus, oratorium Beato Martino Turonum Antistiti dicandum, & cellulas sibi & fratribus erigebat. Cum unus ex discipulis præfectus fabris lignariis, materiam in Urimonte parantibus ad ædificium, singulis noctibus ad cellam redire solitus, aliquando fessus in colliculo quem posteà *Juncturas* vocaverunt, quoniam Murtha & Robachus ad illius radices junguntur, pernoctavit. Ibi dormiens, per oraculum admonetur de erigendâ ibidem æde in honorem Dei-Paræ. Die etiam noctem sequente ad Deodatum rem defert, locum erecto lapide signavit; nec mora absoluto Beati Martini oratorio, Virgini Dei-paræ ædem ponunt in quâ etiam hoc tempore sex Vicarii sacris operantur. Ad hanc versùs austrum non longiùs decem aut duodecim passibus Beato Mauritio, & sociis similiter ædem ponunt, sed formâ paulò augustiore, nunc ornatur tum Beati Patris Deodati reliquiis, tum collegio viginti septem Canonicorum Sæcularium. Has, cellulis fratrum ac discipulorum destinatis cinxit, quæ cum multitudini non sufficerent (nam quotidie quàm plurimi Deo & sibi vivere cupientes confluebant) duodeviginti cellulas in Valle-Galileæ spatiosa, & habitationi non incommoda construi curavit, quæ nunc mutatæ in vicaria delubra, ob incolarum frequentiam (a) sollicitu-

(a) *Sollicitudini Præpositi Ecclesiæ Sancti Deodati commiserunt.* Episcopalem enim jurisdictionem in omnes Vallis-Galileæ Ecclesias exercet Præpositus Sti. Deodati, eamque potestatem à Numeriano Archiepiscopo Trevirensi impetrasse Deodatum & successores ejus gloriantur, confirmatam posteà à Sergio & Leone 9. Summis Pontificibus. Ne autem ex Numeriani concessione quis suspicetur Tractum Sandeodatensem in finibus Tullensis Diœceseos esse constitutum; opinatur cum Masenio Doctissimus Vir Riguetius, quondam hujus Ecclesiæ præsul & ornamentum, fuisse tunc temporis Trevirensium Metropolim ad Belgas, Gallos, Alsatas diffusam. Unde non qua Tullensium Metropolita id juris indulsit Sto. Deodato, potiùs id præstitisse credas, quà Argentinensis aut Basileensis Ecclesiarum Archipræsul, cum extremos utriusque Diœcesis

dini Præpositi Ecclesiæ Sancti Deodati commendata sunt, in quæ jura Episcopalia exercet. Proponebat autem Beatus Deodatus omnibus ad se confluentibus rationem vivendi à Beatis Patribus Columbano & Benedicto præscriptam, & observatam atque ità ex parvis initiis res crevit in eam quæ nunc est, magnitudinem, & copiam. Cæterùm rebus ita compositis Deodatus cupiens suos diutiùs in pietatis studio, sine ullis Episcoporum molestiis perseverare, Romam petiit atque à Sergio Pontifice diploma impetrat, quo ministri tum hujus Ecclesiæ, tum Vallis-Galileæ, à cæterorum Episcoporum potestate exempti, soli Romano Pontifici, immediatè subjiciuntur. Ex cujus contextu liquidò patet totius Vallis-Galileæ dominium debere esse penes hujus Ecclesiæ ministros, si nostræ ætatis Principes eâ religionis observantiâ Ecclesiæ facultates tuendas susciperent, quam à suis majoribus traditas antiquissimæ tabulæ testantur.

De Sancto Hydulpho & de obitu Sancti Deodati. Item de miraculo muscarum in rusticum avarum compungentium.

CAPUT XI.

INtereà Hidulphus (a) Vir clarus & moribus integris, Patris in his Vosagi solitudinibus degentis famâ attractus, non aliter atque ferrum adamante, relicto Trevirensi Archiepiscopatu venit, eam vallem habitaturus, quæ sita jacet inter Stivagium & Senonias, ibique ædificavit Monasterium, quod usque hodie Medianum vocatur. Magna autem inter nostrum Deodatum & Hydulphum necessitudo & familiaritas, cum ob locorum vicinitatem, tum ob utriusque par vivendi institutum, conciliata est; morum enim similitudo amicitiæ conciliatrix est, & conciliatæ firmissimus nexus, sed sexennio post initam hujusmodi amicitiam, Deodatus emeritâ senectute gravis, quadragesimus enim volvebatur annus post relictum Episcopium, mortem ac discessum ex hac vitâ multis insignitâ miseriis, sentire cœpit. Itaque convocatis fratribus ac discipulis in cellam suam apud divi Martini oratorium, in quaquidem perseveravit usque ad mortem, de perseverantiâ rectæ vitæ, copiosè & prudenter multa disseruit, ad quam eos confortabat. Interim Hydulphus harum rerum ignarus, per visum admonetur. Quare citato gradu ad intimum amicum supremum dicturus accurrit. Hujus præsentiâ recreatus Deodatus, hos, inquit, (discipulos significans) tibi commendo, jam pro foribus natura adest debitum repetens,

limites immediatè contigat Sandeodatensis ager, à Tullensi per intermedios Abbatiarum Stivagii, Senoniæ, & Mediani Monasteril Tractus satis amplos disterminatus, eosque nullius Diœcesis.

(a) *Hidulphus . . . relicto Trevirensi Archiepiscopatu, venit in eam vallem, quæ sita jacet inter Stivagium & Senonias.* Anno 671. Hidulphus secessum hunc incoluit, non ex consilio Jacob Tullensis Episcopi, ut in libro gestorum Sti. Hidulphi legitur, cum eâ ætate non Jacob, sed Bodo, sive Leudinus præesset Tullensi Ecclesiæ, sed pellectus opinione sanctitatis Deodati, quem de facie noverat, & cujus contubernio pridem usus fuerat Treviris, hunc sibi delegit locum, ut necessitudinem foveret cum Deodato. Medianum Monasterium, gallicè *Moyenmoutier*, ratione sui situs inter Stivagium & Senonias, hoc vocabulo donatum est, & ex utriusque fundis coaluit in Abbatiam.

repetens, & migrandum est ex hoc luteo habitaculo, quare horum te patrem relinquo. Tum levi febre correptus, (*a*) beatam animam multo cum fervore Deo reddidit XIII. Kalendarum Julii, annò autem à salute restitutâ sexcentesimo octogesimo, & ab ingressu in hanc Vallem-Galileam (*b*) decimo. Hydulphus autem & discipuli beata Sancti Patris membra, ad Sancti Mauritii ædem deferentes, Hymnos & Psalmos de Christianâ traditione decantarunt. Deinde in tumulo saxeo locata, ante altare Sanctæ Crucis, quod nunc est parochiale, in humum recondunt. Sic vir decorus aspectu (procerâ enim staturâ fuit) moribus facillimis, alloquio affabilis & humanus, pietatis & religionis Christianæ studiosissimus cultor, suæ peregrinationis scopum attigit, nempe beatam immortalitatem in quâ vivere, miracula à morte illius edita certò comprobant. Nam variis affecti ægritudinibus, ad hujus mausoleum precibus patrocinia implorantes, præsentissimam senserunt opem, quorum catalogum, & seriem recensere, longum esset, & fortassis à nostro instituto alienum, qui tantùm antiquitates, non miracula scribere conamur. Unum autem ex multis adscribere non gravabit, quod multis exemplar esse poterit, ad liberalitatem paulò studiosiùs excolendam. In viculo Alsatiæ, qui (*c*) Sigolsheim vocatur, erat vir quidam prædives, qui pietate motus, Deodato, dum in Alsatiâ degerat, prædium contulerat, unde ipse cum suis viveret. In eo prædio erat vinea suavissimi feracissima vini. Hic aliquantò post Deodati decessum, charitatis tam sanctæ ductus pœnitentiâ, prædium priùs elargitum, avaritiâ stimulante occupavit. Evenit autem ut convocatis aliquot amicis, celebrè convivium ageret, quod volens exhilarare, vinum ex eâ vineâ, utpotè excellens, jussit afferri. Sed mirum dictu! famulus vinum afferre quidem non potuit, verùm muscarum examen, quæ dominum eò usque vexarunt, adduxit, ut ipse nil priùs habuerit, quàm in se redire, & recissam donationem denuò sarcire, quod ubi factum est & se à diris muscarum redemit vexationibus, & suæ cupiditatis veniam invenit. Quod certè prodigium satis superque declarat maximas pœnas, cruciatusque dirissimos Ecclesiasticorum prædiorum invasoribus parari, tametsi summa supremi Numinis bonitas, & clementia non statim puniat turpiter, & scelerate admissa: sed & eodem anno quo noster Deodatus obdormivit, beata quoque Huna ex hac procellosi maris navigatione in portum salutis deducitur. Anima corporis ergastulo liberatâ, hujus corpus in ædiculâ Hunnevillari sepelitur. Aaa

(*a*) *Levi febre correptus Deodatus, beatam animam ... Deo reddidit* 13. *Kal. Julii, anno* .. 680. A veteribus historiis Sancti Deodati, discordat Herculanea, in quibus annum 679. ultimum vitæ assignant Biografi, diem decimum nonum Junii & indictionem septimam.

(*b*) *Ab ingressu in hanc vallem decimo.* Si de primo ingressu loquitur Herculanus, errat. Si ab instituto Cœnobio computum facit, hallucinatur pariter. Siquidem anno 663. jam Cellas & Cœnobium erexerat Sanctus Deodatus, testante Numeriani diplomate. Si autem de ultimo ingressu sermo fit, post fundationem scilicet Apri-Monasterii, quam per seipsum ordinavit Deodatus, verum dixit Herculanus, siquidem exordia hujus Cœnobii anno 668. auspicatus, consummavit anno sequenti.

(*c*) Sigolsheim / est oppidulum Alsatiæ, uno quadrante ab oppido Küngheim distans, semi-horâ à Cæsaris-monte, vulgò Kaysersberg. Jus patronatus Ecclesiæ Parochialis, fundatæ in Allodio Stivagiensi, pendet ab eadem Abbatiâ, uti patet ex Carthâ Richardis Imperatricis anni 884. in quâ hæc leguntur, *Ecclesiam de Sigolsem, cum Allodio in quo sita est Ecclesia.* Item ex diplomate Ottonis Imper. anno 973. Henrici 4. anno 1104. Ex Bullâ Innocentii 2. anno 1140.



Quòd Hydulphus viginti octo annis rexerit Deodati, & de statu Medianensium in Canonicos verso.

CAPUT XII.

POst decessum autem Sancti Patris Deodati, Hydulphus commendationis sibi factæ memor, curam fratrum ad Juncturas commorantium, suscepit, atque viginti octo, quibus post obitum Deodati superfuit annis, sedulò ac diligenter, non solùm hos in officio pietatis continuit, verùm & trecentos quos apud Medianum-Monasterium collegerat. Ex quibus memorandæ pietatis cultores extiterunt, hi tres videlicet, Spinulus, Joannes, & Benignus (*a*) in Cellâ Bergonis conversans, beatæ fœlicitatis præmia etiam ante Hydulphum adeptus est Spinulus, cujus reliquiæ translatæ sunt ad Cellam Bellevallis, anno, à Christo nato, millesimo centesimo quarto. Joannes & Benignus uterini fratres, & uno editi partu, mirabile dictu, ac si una anima infusa esset in duo corpora, idem vivendi institutum secuti sunt, & altero mortuo, ne quidem unum diem alter supervixit. Quapropter uno & eodem die mortui, in unum tumulum conditi, nullam separationem, neque in utero parientis, neque in vitâ, neque in morte, neque in sepulchro, perpessi sunt. Quamdiù autem Monachi tum Juncturarum, tum Mediani-Monasterii sanctorum fundatorum Deodati & Hydulphi vestigia sequentes, lectioni, parcimoniæ, pietati, & orationi strenuè vacaverunt, ipsa innocentia eos reddebat charos Deo & hominibus. Verùm postquam recedentes à vetere religionis disciplinâ, otio & luxui indulgere cœperunt, & pro lectione ignaviam, pro parcimoniâ profusionem, & luxum & crapulam & ebrietatem, pro pietate, neglectum Dei & religionis, pro oratione detractionem, & murmur, & invidiam, pro innocentiâ, inexplebilem habendi cupiditatem amplexati sunt, ipsi quotidie in deterius prolabentes; non solùm iram Dei, sed & ludibria hominum in se concitaverunt & odium. Quam ob rem circiter annum octuogesimum sextum suprà centesimum (*b*) à discessu Hydulphi, Dux Lotharingiæ Gondebaldus perpendens Mediani

(*a*) *In Cellâ Begonis.* A Begone prædii donatore sic denominata, nomen commutavit in vicum Sti. Blasii, propter Sti. Blasii Reliquias, illic à B. Gerardo Episcopo Tullensi depositas. Jam à multis retrò sæculis Prioratus ille, territorii & proventûs angustioris, ad Murthæ ripas, semi-leuca à Stivagio, versus Ravonum positus, defecit.

(*b*) *Circiter annum octuogesimum sextum suprà centesimum .... Hillinus ... Abbatem cum Monachis expulit.* R. P. ac D. Humbertus Belhomme, Medianensis Abbas, in editâ Argentinæ *Historiâ Mediani-Monasterij* pag. 170, immutationem istam ex autographo suo contigisse refert anno 896. sub Zuendeboldo Lotharingiæ Duce, filio Imperatoris Arnulphi, & Hillino Abbate-Comite. Depravatos cœnobitarum mores subticet scriptor Herculano antiquior, & in Abbatis avidi, non in Monachorum luxuriantem vitam, rejicit totius innovationis causas. Richerius, Joannes Bayonensis suppares ævi autores, in corruptionem morum apud Medianenses tum sævientem refundunt cum Herculano, statûs pristini extinctionem. Miratur eruditus Abbas undenam posteri argumenta licentioris vitæ Monachorum hauserint. Mirarer & ego, si gratis confictam à Richerio proprii schematis vindice historiam possem suspicari; vel si nescirem Joannem à Bayono Medianensis-Monasterii hospitem & Historiographum, exceptum humanitus, inspectis tabulis confecisse narrationem suam. Forsan ex vulgi famâ scripserunt ambo, aut ambos fugit Codex Mss. quem publici juris fecit laudatus Abbas.

Monasterii Monachos à germanâ pietate & simplicitate refrixisse, Monasterium & census omnes Hillino Comiti de se benè merito, jure beneficii donavit, qui statim Pipinum tum temporis Abbatem cum Monachis expulit, indignum ratus Abbatem & vix decem Monachos inscitiâ notabiles, opes trecentis datas occupare. Canonicos autem sæculares in Monachorum locum reponit, qui studiosiùs Monachis, sacris operarentur.



Continet caput sequens miseram rerum annonam, famem, vastationes, mortes, & minorationes devotorum Monachorum.

CAPUT XIII.

CÆterùm per idem tempus cum non solùm in Monachis charitas, & verus pietatis cultus refrixisset, sed & pietate contemptâ, vulgi malitia quotidiè invalesceret, nec ullus modus, aut finis nequitiæ poneretur, Dominus Deus, ut est bonus & clemens, servos nequam & minus fide stantes, & quos luxus, ebrietas & commessatio in omne nefas præcipites egerat, agrorum sterilitate, annonæ penuriâ, & fame ad frugalitatem, & virtutes frugalitatis comites, more indulgentissimi parentis paulatim erigebat, & in viam revocabat; sed ut est hominum obstinata malitia intractabilis & flecti nescia, ipsi, Dei præsens flagellum, mite proculdubiò & salutiferum, nihili facientes, sibi perniciem ex obstinatione compararunt. Nam fames quæ à principio utcumque tolerabilis erat, è vestigio in rabiem versa est; & quidem eò usque, ut, quod est execrandum, carne humanâ homo vesceretur, quemadmodum in Jerosolimitanâ obsidione Josephus factum memorat. Huic malo accessit, quòd Huni, gens Scithica, ereptionem ex propriis agris facientes per Hungaros in Germaniam hostili agmine moventes, ad Belgicam usque Galliam pervenerunt, ferro ac flammâ omnia vastantes, quæ dira fames reliqua fecerat. Quorum rabida feritas, nullâ prorsùs habitâ ratione neque ætatis, neque sexûs, neque conditionis, non infantium sanguine, non virginum stupris, non matronarum injuriis, non senum jugulatione, non templorum spoliatione, & incendiis, non Cœnobiorum ruinis, non Monachorum, in quos potissimùm crudeles apparuerunt, cruore & mortibus ullo modo satiari poterat, aut mitigari. Unde hac regione planè depopulatâ lachrymis undique sese offerebat. Quid multis opus? Cœnobia priùs numerosa Monachorum multitudine corruscantia, spoliationibus, ruinis, & solitudine, neglecta jacebant. Sed ita ut apud Juncturas, Styvagium & Senonias vix sex Monachi remanserint.



Quod Fridericus Dux Lotharingiæ Canonicos expulit & Benedictinos restituit in Medianum-Monasterium.

CAPUT XIV.

POrrò sexagesimo anno (*a*) postquam Canonici sæculares Medianum-Monasterium inhabitare cœperant, Fridericus Lotharingiæ Dux à Benedictinis

(*a*) *Porrò sexagesimo anno postquam Canonici sæculares Medianum Monasterium inhabitare cœperunt, Fridericus Dux Lotharingia ... Benedictinos revocat.* Ergò non ante annum 959. restituti sunt Benedictini, cum Friderici Principatus hoc anno incœperit in Lotharingiâ Anonimus Medianensis, redintegratos fuisse Benedictinos scribit anno 962.

sollicitatus Canonicos amovens, Benedictinos revocat & reponit (*a*) omnia restitui jubet, quæ priùs habuisse constabat, præter corpus Sancti Joseph Arimatensis, olim allatum ad Medianum-Monasterium à Fortunato Patriarchâ Jerosolimitano Sarracenos Palæstinam & Syriam vastantes, fugiente: quodque tempore persecutionis Hunorum à peregrinis Monachis sublatum fuerat, restitui non potuit. Sic itaque restitutos cupiens ad antiquam eorum religionis disciplinam revocare (*b*) Adelbertum Gorgiensem Monachum cumprimis eruditum, & pium, atque in his, longo versatum tempore quæ Benedictinos decent, Mediano præficit Monasterio. Hic cum prudentiâ haud vulgari polleret, nihil eorum neglexit, quæ ad antiquæ & puræ religionis decus spectabant.

De Blydulpho & Acherico Eremicolis in Valle-Lebrach, ubi Ecclesiæ fundatæ sunt, & de Argenti fodinis inventis.

CAPUT XV.

EO tempore quo hæc agebantur, Bidulphus, Ecclesiæ Mediomatricis primicerius, vir purioris Christianismi appetens, impios mores Christianorum tum

(*a*) *Omnia restitui jubet, præter corpus S. Joseph Arimathensis, olim allatum ad Medianum-Monasterium à Fortunato Patriarchâ Jerosolimitano.* Ex Richerio id commenti hausit Herculanus, quòd priùs ebiberat Richerius in ipsâ Medianensi historiâ. Series Patriarcharum Jerosolimitanorum accuratè diducta per succedaneos præsules, Fortunatum expungit, totamque facit nutare corporis S. Joseph Arimatensis advectionem in Medianense Monasterium. Si Caroli Magni sæculo invaluisset mos in Ecclesiâ Latinâ creandi Episcopos, ut ajunt, *in partibus*, fortè intrusum hunc Patriarcharum albo Fortunatum, bullæ beneficio, veneraremur, at certè suffugium istud occludit inventionis novitas. Ut rationibus istis occurrat utcunque Medianensis historiæ nuperus autor, erratum fatetur in designatione sedis Fortunati, & Amanuenses per oscitantiam scripsisse Jerosolomitanum, loco *Gradicensem*, vel *Gradensem*. Ingeniosis conjecturis opinationem suam firmat, nullâ autoritate suffulsit. Nos veritatem quærimus, non pascimur conjecturis.

(*b*) *Adelbertum Gorziensem Monachum Mediano præfecit Monasterio.* Gorziense cœnobium, à rivo *Gorzia*, gallicè *Gorze* denominationem petens, tribus à civitate Metensi horis, totidem Mussipunto dissitum, inter angustias duorum hinc inde pendentium montium, fundatur à Chrodegango Metensi Præsule anno 761. non 661. ut scribit Meuricius Annalista Metensis, non satis attendens ad cartham quam ipsemet exscripsit ex Carthulari Gorziæ, quod nos in Musæo nostro asservamus, & in quo hæc leguntur. *Acta sunt hæc omnia in conspectu gloriosissimi Regis Pipini secundi XVII. Kal. Julij, anno quoque DCCLXII. ab Incarnatione Domini.*

Seriùs fundationem Gorziæ ex posteriori Carthâ Grodegangi posuerunt San-Marthani fratres, anno 765, in hunc anachronismum lapsi, ob ignotum anterius Grodegangi diploma. S. Gorgonio martyri templum Gorziense dedicatum est, sacrumque ejus corpus Româ advectum, in Basilicam illatum est, Episcopis viginti quatuor, ipsoque Rege Pipino astantibus.

Carolus Magnus, ad petitionem Theomari Abbatis, Ludovicus pius ad instantiam Abbatis Magalfi, Otto I. ad preces Alberonis Metensis Episcopi, ingentibus bonis & honoribus Gorziam locupletarunt. Horum privilegia publici facerem juris, necdum edita, nisi præoccupare vererer Virum Doctissimum, fastis Lotharingiæ

tum temporis degentium detestatus, in (*a*) Vallem-Lebracensem, solitudinis gratiâ, secessit, atque in clivo montis ad meridionalem plagam cellam erexit, loco nomen imponens Bellimontis. Non defuerunt qui viro pio, ducti religionis & puritatis amore, se adjungerent, inter quos cum genere, tum virtute nobiles Wilhelmus & Achericus sine controversiâ fuerunt. Horum alter Wilhelmus clarere miraculis fertur. Achericus Wilhelmi successor tantâ probitatis famâ circumfulsit, ut loco nomen dederit, nam Achericus vocatur. Decursis indè aliquot annis, viri potentes & nobilitate clari, in eadem valle argenti fodinas repererunt, ex quarum quæstu & proventu Arx Acherica constructa est. Verùm cum ad excoquendum argentum ligna non sufficerent, relicti sunt putei, quos nostro tempore Germani iterùm fodere cœperunt, nempe circiter annum Domini 1536. Prætereà in eâ vallis parte quæ vergit ad Septentrionem Carolus Magnus Germanorum Imperator, & Gallorum Rex, jampridem fanum in honorem Beati Dionisii, Galliarum Apostoli, ædificaverat, quòd magnificè constructum & donatum corpore Sancti Alexandri, primi Papæ & Martyris decoravit, exornavitque. Locus vocatur *Lebrach*, unde vallis nomen accepit.

Bbb

Lotharingiæ & trium Episcopatuum illustrandis incumbentem, cui officiosè cartophylacium Gorziense commodavi. Quo tempore ad Principatûs titulum sublimata sit Gorziensis Abbatia, necdum mihi constitit. Carolus de Remencourt, Caroli 2. Lotharingiæ Ducis filius spurius, Principem Gorziæ in monetis ibidem cusis, se inscripsit. ***Carolus à Lotharingiâ Dei & S. Sedis Apost. gratiâ supremus Dominus Gorziensis Abbas.*** A parte autem sinistrâ, ***Moneta nova Gorziæ cusa.*** Illo possessore & consentiente, unita fuit Abbatia, neo-erectæ Primatiali Nanceianæ, Bullis Apostolicis, ad Primatis dotem: sed cum unio finem suum sortiri non deberet ex pactis, nisi post decessum possessoris Caroli, ad effectum non fuit deducta, obsistentibus victoris Ludovici 14. armis post subactam Gorziam, & Lotharingiam occupatam; sed ne Primas Nanceianus omni dote spoliaretur, ex concordatis Ludovicum 14. inter & Carolum 4. Ducem initis, Mensa Abbatialis Insulæ, Ordinis Cister. in Agro Barrensi, substituta est Gorziensi Abbatiæ, & ista unio & commutatio fundi, nullo interveniente Sedis Apostolicæ consensu, solo Principum suffragio, perseveverarunt ad Regii Ducis Leopoldi novissima tempora. Nuper enim, ex famâ didicimus, egisse apud Summum Pontificem Innocentium 13. P. M. & impetrasse audivimus canonicam unionem Insulensis Abbatiæ cum dignitate Primatis.

Carolus Cardinalis à Lotharingiâ, re & nomine magnus, Archiepiscopus Remensis & Metensis Episcopus, extinctionem Abbatiæ Gorziensis, & omnium ejus proventuum annexionem Mussipontano Collegio tentavit ab anno 1570. Sed casso conatu. Fœliciore sæcularitatem monasterii prosequtus, monachilem statum in Canonicorum Sæcularium vitam, favente Pontifice Gregorio 13. convertere, aggressus est anno 1574. Paulò post morte præventus, successori suo æquivoco, Cardinali à Lotharingiâ, Episcopo Metensi & Abbati Gorziæ, opus transmisit infectum. Absolvit successor anno 1580. & monachos superstites ad viciniora monasteria secedere cogens, cum vitalitiâ pensione, quantocyus Canonicos induxit, quibus præfecit Decanum, servata nihilominus Abbatis dignitate, & ejus Mensâ. Hinc Gorziensis Ecclesia, Abbatem ab eâ ætate semper obtinuit, cui subest Decanus, & Capitulum.

(*a*) *In Vallem Lebracensem secessit Bidulphus.* Eadem quæ supra ***Val de Liepvre*** dicta est, & ad quam Bidulphus, paucis à restituto monachatu in Medianensi Abbatiâ, annis, se recepit, cellamque instruxit, ad quam concurrerunt discipuli, quos inter emicuit Achericus, qui nomen Cellæ, & circumpositæ villæ imposuit. Ad



Qualiter & quo tempore Monachi Sancti Deodati facti & mutati sunt in Canonicos Sæculares.

CAPUT XVI.

VErùm & redeamus ad Mediani-Monasterii & Juncturarum Monachos, anno quinto posteà quàm Fridericus Benedictinos ad Medianum revocavit, ipse considerans Cœnobium Sancti Deodati ad Juncturas Abbate viduatum, pro pietate quam gerebat ergà Numinis cultores, illud Adelberto Gorgiensi quem Mediano præfecerat, moderandum commisit. Primò verò obnixè recusanti tantum munus, blandè persuadens id non incommodè posse agi beati Patris Hydulphi exemplo, Adelbertus provinciâ assumptâ, id aggressus est agere quod Principi placere compertum habebat; verùm cum res non succederet, ex animi sententiâ, diffidens se posse tanto oneri sufficere, Encherbertum Mediani-Monasterii monachum prudentiam præ se ferentem, quam in recessu minimè habebat, Monasterio Juncturarum, Friderico minimè reclamante, præfecit. Is tantùm, post suscepta gubernacula cœpit manducare, & bibere cum ebriis, quemadmodum servus ille apud Matthæum, & Cœnobii facultates per imprudentiam & prodigalitatem turpiter dilapidare, quod post-quàm Fridericus rescivit, ipse rei indignitate commotus, monachos cum dedecore & cum decoctore Abbate expulit, & Cœnobium (ut multa paucis comprehendam) in Collegium Canonicorum Sæcularium instituit, (*a*) qui usque in hanc diem Sacris maximâ cum Religione, & sedulitate operantur. Erat autem annus quo hæc acta sunt, quinquagesimus quartus supra nongentesimum à Christi

Medianum-Monasterium Prioratus ille, filiali dependentià spectabat, & ut primùm Monasterialis Ecclesia *Esscherich*, in Parochialem evasit, jus obtinuit Patronatûs Abbas Medianensis, à quo per vastatorem hæreticum excidit sæculo decimo sexto desinente.

(*a*) *In Collegium Canonicorum Sacularium instituit.* Fridericus primus, Lotharingiæ Dux istam immutationem statûs & ordinis in Sandeodatensi Ecclesiâ effecit. An verò ad sæcularitatem, ut ajunt, Canonicos redegerit, planè mihi videtur falsum, & falsitas eruitur ex Bullâ Leonis 9. anno 1049. concessa San-Deodatensi Ecclesiæ, ab ipso inibi commorante Pontifice, & propius explorante statum & regimen vitæ Canonicorum, in monachorum hæreditatem nuper vocatorum. Atqui in hac Leonis Bullâ, *Monasterium* apellatur, congregatio Canonicorum illic degentium, vetaturque cuivis Episcopo, sine permissione aut invitatione totius congregationis, *Monasterij ipsius septa intrare.* Præterea Regulæ addicti erant quam profitebantur fratres hujus Monasterii; *Si autem*, inquit B. Pontifex, *aliquam transgressionem Regula sua fecerint fratres, & à proprio pastore objurgari noluerint, nec non Pralatus qui & idem eorum Episcopus, seditionem congregationis sedare per se nequiverit, tunc alios sub eadem regulâ Deo servientes, ad ipsum Monasterium convocet, qui sententiâ regulari scandalum deprimere curent.*

Bulla ejusdem Leonis, anno 1061. ad confirmationem jurium & bonorum San-Deodatensis Ecclesiæ, indulta, *Cœnobij*, & *fratrum* voces passim adhibet.. Si non illudit nobis Pontificium diploma, nemo est qui, terminorum significatione perpensa, non agnoscat, Regulares Canonicos in San-Deodatensi Ecclesiâ extitisse, Monasterii septis, & regulæ professione arctatos, an Chrodegangi, an Sti. Augustini? incertum. Nisi ex viciniâ Stivagii regulam B. Augustini anno 965. sectantis, conjicias eidem regulæ San-Deodatenses fuisse mancipatos.

JEsu incarnatione, & ab obitu divi Patris Deodati septuagesimus quartus supra ducentesimum. Quam ob rem facile colligitur Monachos hic habitasse ducentos & septuaginta quatuor annos.



Bosserium construitur à Gauzelino, Episcopo Tullensi, cui successit Beatus Gerardus, ipsi donatum Galileæ - Vallis Monasterium.

CAPUT XVII.

SEd tribus annis ab hujus Collegii institutione lapsis, Gauzelinus, Leucorum Antistes Monasterium Sanctimonialium, quod Bosserianum (*a*) vocanr,

(*a*) *Gauzelinus Leucorum Antistes Monasterium Sanctimonialium quod Bosserianum vocant .. construxit.* Buxeria in montis vertice, cujus radices Murtha alluit, uno ab urbe Nanceianâ lapide, versùs Mussipontum, sita, Fundatorem agnoscit Gauzelinum, Tulli Episcopum. Primam instituto cœnobio Abbatissam præfecit Rhotildem anno 936. Fundationi accessit, beneficiorum largitate Adelaidis. Hujus interventu confirmationis majestales litteras Otto Imperator unâ cum conjuge dedit Gauzelino, anno 960. Cujus ordinis illæ sanctimoniales fuerint, non liquet ex primigeniis diplomatibus. Benedictinum professas esse institutum vix ambigo, quod anno 1453. penitus abjecerunt, assumptis Canonissarum Sæcularium habitu, & moribus. Francisca de Ludres ad Abbatissatum provecta, sæculo decimo sexto mediante, pristinum revocare vivendi genus adlaboravit, sed arduam rem laudabiliter ab eâ tentatam, irritam fecit Petrus du Chastelet Episcopus Tullensis, & normam vivendi sæcularem inveteratâ consuetudine firmatam, judicio suo firmavit. Ab hinc nullius voti vinculo constrictæ, cœlibatum sine necessitate servantes, mundano circumamictæ vestitu in publicum prodeuntes, Canonissatum angustiori & linteâ fasciâ pendente ab occipite ornato, annuntiant. Assiduâ chori frequentatione mercantur sportulam, generis equestris & probatæ nobilitatis virgines. Ottonis diploma en tibi subjicio Lector.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divinâ clementiâ Jmperator semper Augustus. Notum sit omnibus fidelibus nostris præsentibus scilicet & futuris, quòd Venerabilis Tullensis Ecclesiæ Pastor Gerardus unà cum fratris nostri Brunonis Archiepiscopi subventu, nostram adiens præsentiam pro quodam loco Buxerias dicto, ubi constructum in honorem Sanctæ Dei-Genitricis Mariæ constat Monasterium, in quo divinos cultus sanctimoniales sub regularibus institutis Domino exhibere videntur, petiit, ut res quas pro amore Dei eidem loco contulit, & ab aliis Christianorum fidelibus collatæ sunt, nostræ Jmperialis munificentiâ authoritatis firmaremus. Quod nos benignè annuentes nostræ authoritatis præcepto, quod fidelibus præsentibus & in futuro succedentibus firmum ac stabile permaneat, signavimus. Loca siquidem ad ipsum Cœnobium pertinentia & ab ipso Episcopo, seu ab aliis Dei cultoribus in substentationem victûs ipsis sanctimonialibus quæ ibidem Deo militant, concessa, nulli aut in beneficium dentur, aut aliquo modo subtrahantur, volumus & ideò quæ in præsenti videntur habere accquisita loca quæ sunt in futuro acquirenda, firmiùs possideant subrogari jussimus. Jn Comitatu Eccerponensi (*Charpeigne*) Ecclesiam Leverdunensem (*Lsverdun*) & quæ ad illam pertinent, tam in terris, quàm in pratis, vineis, mancipiis utriusque sexûs. Ecclesiam etiam in eodem Comitatu in villa Sasiriaco (*Saisey*) & quicquid ad eam pertinet, cum quâdam vineâ. Prædictus quoque Gerardus Pontifex dedit Ecclesiam in villâ Pompanio (*Pompey*) & Ecclesiam villæ quæ dicitur Rosariis, & in ipsâ villâ octo mansos & dimidium. Ecclesiam quoque de Torreio-villa & capellam Bodonis-villæ dicatam in honore

ſingulari ductus pietate, à fundamentis conſtruxit. Sexto autem anno poſt abſolutum opus, ipſe tum ſenio, tum abſtinentiâ & laboribus confectus, ad immortalitatis gaudia evocatus, Gerardum patriâ Agrippinenſem, virum ſine controverſiâ, & ſanctimoniâ & morum pietate inſignem ſucceſſorem reliquit. Cujus temporibus, cum Comes Campaniæ Belgicæ incurſionious & rapinis Lotharingorum agros popularetur, Fridericus Dux Lotharingorum nihil priùs habuit quàm in prædio Epiſcopi Tullenſis, cum nullus commodior locus ſe offerret, propugnaculum ſibi conſtruere, & forti munire præſidio, quò non tam facilem aditum, ut priùs, Comes ad Lotharingos haberet, quod poſtcà ampliatum, & in oppidum redactum, etiam hoc tempore *Barrum-Ducis* vocatur. Verùm Gerardus prædium Epiſcopi ademptum ægré ferens, ſæpe de eâ re conqueſtus apud Othonem Imperatorem; tandem Fridericus ab Othone compulſus reſtitutionis titulo Collegium Canonicorum Vallis-Galileæ, (*a*) & Medianum-

---

Sancti Deſiderii, & capellam de Blanziaco (*Blanzey*) Eccleſiamque de Domna-Maria (*Damme-Marie*) ibidemque quatuor manſos terræ & dimidium, & unam ſortem ſitam in Cirſeio, & unum manſum in Villare. Similiter etiam aliam Eccleſiam in villâ Augeliaco (*forte Aingeville*) Berhardus Primicerius dedit Eccleſiam quandam in Girunnivillâ (*Girnville*) in Comitatu Bedenſi ſuper fluvium Moſam, quam emit à Botberto, & quicquid ad eam pertinet, & quandam vineam ſitam in monte Barriſino, in Comitatu Tullenſi. Dedit etiam quandam Eccleſiam Gerberga filia Framberti, in quodam monte in honore S. Remigij (*St. Remymont*). Dedit etiam Eccleſiam in Comitatu Sanctenſi cum pratis, terris & domibus ibidem pertinentibus. Et ad Aciacum (*Eſſey*) dedit Frambertus terras, prata, vineas, ſervientes utriuſque ſexus pro filiabus ſuis Emma & Tinedrada. Prædium autem dedit Willelmus nobilis vir, jacentem in Dahervilla (*Dobeville*) cum terris, pratis & unam vineam cum deſervientibus utriuſque ſexus. Oderilcus Abbas dedit Eccleſiam in Comitatu Sanctenſi nomiue Wixilienſem (*Vezelize*) & quidquid ad eam pertinet, tam in terris, quàm in pratis & ſervientibus utriuſque ſexus, & quoddam farinarium & omnia quæ Heredo Presbyter poſſidebat in villâ Buxerienſi. Prædium quoque dedit Herſindis in Porteriaci-curte (*Portcieux*) Urſo dedit prædium in Muricurte (*Mircourt*). Humbertus dedit prædium in villâ Beſangiâ (*Bézange*). Hedemarus manſum cum vineâ in Comitatu Salnenſi dedit. Walterus dedit prædium Woldeſingueſilla (*forte Vaudrevange*) Teutbertus Comes dedit prædium pro ſepulturâ uxoris ſuæ Judittæ & oblatione filiæ ſuæ nomine Rodindis, ſcilicet Haveringivillam (*Haveranville*) & quidquid ad eam pertinet, ſitam in Comitatu Hornenſe, cum pratis, ſylvis, paſcuis, terris cultis & incultis, mancipiis utriuſque ſexus. Siricus & uxor ejus Herta dederunt duos manſos cum vineis, terris, in loco qui dicitur Sutſolingas. Jmmo dedit dimidiam Eccleſiam & Medietatem alodij in loco qui dicitur Canaverias (*Cheneviere*) quod partitus eſt cum fratre ſuo Wlſrado cum pratis, ſylvis, terris cultis & incultis. Stephanus dedit prædium in Luſciacovillâ (*Loxeville*). Abbatiſſam etiam eligendi liberam habeant ſecundùm Regulam S. Benedicti facultatem. Ut autem hujus noſtræ inſtitutionis auctoritas firmiùs pro ſuccedentiâ temporis conſervetur, manu noſtrâ eam ſubterfirmavimus & annuli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus.

Juſſu Domini Ottonis Maximi & Invictiſſimi Imperatoris Auguſti.

Willigiſus Cancellarius. *Bruno Archicapellanus.*

Data 4. Nonas Junij anno Dominicæ Incarnationis 965. indictione 8. Anno regni Ottonis 31. Imperij ſcilicet 4. Actum Coloniæ palatio, in Domino feliciter.

(*a*) *Fridericus ab Othone compulſus, reſtitutionis titulo Collegium Canonicorum Vallis-Galilea & Medianum-Monaſterium Gerardo donavit.* Pené verbis iiſdem eventum

Medianum-Monasterium Gerardo donavit, atque cessit. In cujus cessionis fidem baculos Pastorales utriusque loci secum detulit Gerardus, quo utriusque loci Sacerdotes alium in pastorem quàm Antistitem Tullensem eligendi sibi jus ademptum intelligerent. Sed quo tempore hæc cessio fuerit infracta, & baculi redditi, hactenùs non potui reperire. Hic Gerardus Ædem Sti. Protomartyris Stephani apud Leucum, reparavit, Beato Gengulpho templum construxit, divi Apri Relliquias exhumavit, & in translatione beati Gœrici apud Spinalium adfuit, cum à Theodorico, Mediomatricum Episcopo, solemni pompâ perageretur.

Ccc

eventum hunc memorat Joannes de Bayono, Mediani-Monasterij Historiographus, eumque sub annum 967. contigisse asseverat, sed falsò. Chiffletius in Commentario Lotharienfi refert ex libello Successorum S. Hydulphi à B. Leone, ut credit, conscripto, seriem historiæ, qualem ex Bayono audivimus relatam. Accedit ad narrationis confirmationem Diploma Ottonis 2. 15. Kal. Aprilis 974. sub hoc tenore.

„ Otto .... noverit omnium industria ... quod adierint nostram celsitu-„ dinem fideles nostri, Eppo videlicet & Lezzo, cum quibus Echbodo „ noster dulcis nutritius, & Benno Dux Saxonum egregius, condolendo „ & compatiendo, deplangentes, paupertatis onus, apud nostram Sereni-„ tatem, Stæ. Tullensis Ecclesiæ cui præest venerabilis Gerardus Episco-„ pus, ad cujus molem inopiæ subveniendam, totis nisibus orando, con-„ suluerunt forè decentissimum ac justissimum .... quòd pro supernæ mer-„ cedis intuitu, jam dictæ Tullensi Sedi, Abbatiam Sti. Deodati reddere-„ mus, quam olim *Jacob Episcopus ipsius Sedis, Apostolicus vir acqui-„ sierat à Pipino antiquo Rege Francorum*, sed posteà pro incuriâ, vio-„ lenter præsertim injustâ invasione malignorum, à loco sublata fuerat, „ de quâ tamen adhuc temporis præfati Regis præceptum pro testimonio, „ in ipsâ urbe retinetur. Quorum consiliis & petitionibus consensum be-„ nevolentiæ nostræ præbentes ... pro perpetuâ delegatione, delegamus „ jam-dictam Abbatiam Sti. Deodati, quæ de Galilæâ nuncupatur, sitam „ ex omni parte infrà Diœcesim ejusdem urbis Tullensis .... Folgriarus „ Cancellarius vice Villegisi Archicapellani subscripsi. Data 15. Kal. Apri-„ lis anno Incarnationis Domini 974. Indict. 2. anno regni Domini Otto-„ nis XIV. Imperii VII. Actum in civitate Bunna juxta fluvium Rhenum.

Simile profertur Ottonis ejusdem præceptum anni 979. his verbis.

„ Otto divinâ savente clementiâ Rex. Noverit omnium fidelium nostro-„ rum .... industria, quòd adierit Serenitatem nostram venerabilis „ Gerardus Tullensis Episcopus, reposcens reddi suo loco quandam Ab-„ batiam S. Deodati, quæ & Galilæa dicitur, sitam in Vosago saltu, *in* „ *territorio undique Tullensis Ecclesiæ*, debitam funditus à primo fundo „ ex antiquitate ipsius constructionis, suæ sedi, Stæ. scilicet Mariæ & Pro-„ tomartyris Stephani, quam olim *sui prædecessores cum omni integritate* „ *tenuerant*, habente ad hæc jamdicto Episcopo regale ex hoc præcep-„ tum & Apostolicum Romanæ Sedis privilegium, licet per incuriam & „ odium, & maximè Lotharii Regis excommunicati tyrannidè & violen-„ tiâ, à loco, usurpativâ fraude sublata fuerit, tenente eam in beneficio, „ tempore genitoris nostri Ottonis, Friderico Duce cum conjuge suâ Bea-„ trice, Nepte nostrâ, post *mortem autem Ducis*, eadem nostra Neptis, „ quæ ipsam Abbatiam ut senior suus tenebat, cognoscens & perpendens

„ veram rectitudinem jam-dictæ Tullensis sedis in assiduâ reclamatione „ persistentis, existens benevola circa Tullensem locum, noluit nec nobis „ si non redderemus, nec sibi, si ultrà teneret, peccatum & offensam Dei „ incurrere, *licet loco cui competens, & pertinere videbatur habere eam* „ *peroptavit*, (*textus obscurus*) dignamque adjudicavit. Posteà jam-dictus „ Episcopus pro benevolentiâ eidem Dominæ indominicatum Monaste- „ rium & quidquid pertinet ad præbendam Canonicorum, & totum al- „ tare, decimasque minæ argenti, censusque hominum ad Altare perti- „ nentium, cum decem mansis vestitis in ipsâ valle, cum omni eorum di- „ stricto ad ipsos mansos pertinente in investiturâ retinens, reliquam par- „ tem Abbatiæ, nostræ nepti Ductrici tempore vitæ ejus, & post se uni „ filio suo, quem ipsa & Episcopus elegerit, habere consensit. Similiter „ de Abbatiâ Mediani-Monasterii, quam prædecessor suus *Gauzelinus* „ *Episcopus* ad relevandam paupertatem Tullensis Ecclesiæ accquisierat „ ab avo nostro, cum regali præcepto, de quâ priùs jam-dictus genitor „ noster ipsi venerabili Gerardo Episcopo imperiale fecit præceptum, eâ „ ratione, ut post obitum jam-dicti Ducis, cum omni integritate, Tul- „ lensi deserviret sedi... Nos denique residentes Spiræ ad colloquium, „ quia rata & condigna fideles nostri hæc censuerunt per interventum „ genitricis nostræ Theophaniæ & Ducum nostrorum Henrici & Cononis, „ Archiepiscoporum *Willigisi Moguntinensis*, *Novarini Coloniensis*, *Er-* „ *chebaldi Strasburgensis Episcopi*, consensum nostræ autoritatis, justis „ præbuimus Tullensis Episcopi petitionibus, constituentes & regali de- „ creto sancientes, ut sicut suprà dictum est, Episcopus Monasteria, & „ quæ suprà sunt, in investiturâ retineat, & jam-dicta Ductrix, ejusque „ filius, ab ipsis nominatim exprimendas cæteras partes Abbatiarum jam „ dictarum similiter possideat, & rationis tenore, ut per obitum jam „ dictæ Dominæ ejusque filii, Tullensis Sedis tam dictus Episcopus, „ quàm omnes successores sui eas Abbatias in dies sæculi cum omni in- „ tegritate & sine diminutione & contrarietate, tam nostra quam omni- „ um successorum nostrorum, principum & mediocrium possideat.... „ Anno Incar. Dominicæ. DCCCCLXXIX. Regni autem Domini Otho- „ nis 2. primo. Datum Spiræ.

Regalibus Ottonianis præceptis, Ecclesiam S. Deodati asserentibus Tullensi Ecclesiæ, suffragatur judicialis sententiâ Friderici Ænobarbi, cujus epocha ex subscribentium apographis, nec prior anno 1173. nec posterior anno 1176. esse potest. Nam Theodoricus, renuntiatus est Metensium antistes anno 1173, & anno 1176. humanis eximitur, Mathæus verò, Lotharingiæ Dux, anno 1176. vitâ defungitur, ambo testes Imperialis Edicti, quod apponimus.

„ Fridericus Dei gratiâ Romanorum Imperator Augustus... Noverint uni- „ versi quod nos familiari nostro Egeloni, multiplici rogatu ipsius dede- „ rimus feodum S. Deodati & ei manutenere volebamus, quia ipse nobis „ insinuaverat, quod Leucorum Episcopus nullum penitùs in eo jus ha- „ bebat. Veniens autem ad nos dilectus Leucorum Episcopus Petrus in „ curiâ nostrâ quam in Civitate Metensi habuimus, contra prætaxatum „ Egelonem de præfato feodo causam subiit, & quod prædecessores sui „ Tullenses Episcopi ab antecessoribus nostris Rom. Imperatoribus, & „ à nobis prædictum feodum, ab antiquissimis temporibus tenuerant, „ sicut curiæ nostræ judicium edictavit, factâ probatione ibidem in nostrâ

„ præſentiâ, prænominatum feodum in quietam poſſeſſionem ſuam & „ Eccleſiæ ſuæ legitimè retinuit. Quod ut de cæterò pacificè poſſideat, „ ut nullam inde ab aliquo vexationem ſuſtineat, volumus, & ſigilli „ noſtri munimen ei, & Eccleſiæ ſuæ in perpetuum conferimus. Teſtes „ adſuerunt Theodoricus Metenſis electus, Richardus electus Virdunenſis, „ Dux Lotharingiæ Mathæus, Comes de Caſtre Folmatus, Comes de „ Vardenne Guerlardus.

Quantacunque ſit tot diplomatum congeſta autoritas, quid de illis, quid de eventu in eis relato ſentire debeamus, ſalvo ſaniùs ſapientis judicio, liberè dicam. Ac primò quantùm ad primum Ottonis 2. præceptum, obſervare juvabit, non à Gerardo Epiſcopo Tullenſi initium ſumpſiſſe unionem Eccleſiæ S. Deodati, & Mediani-Monaſterij, ſed à Jacob Epiſcopo, qui è vivis exceſſerat anno 767. Hoc verò ſtare non poteſt cum hiſtoricorum narratione, affirmantium ad indemnitatem Barrenſis caſtri, in territorio Tullenſis Eccleſiæ exſtructi à Friderico 1. Lotharingorum Duce anno 951. teſte Flodoardo, tranſcriptas fuiſſe Gerardo Epiſcopo, Eccleſias S. Deodati & Mediani-Monaſterij, ab eodem Friderico. Rem ita contigiſſe ſcribunt autor Fundationis Abbatiæ S. Michaelis, Du Cheſnius in ſuâ Barrenſium Ducum Hiſtoriâ, P. Benedictus Picard Franciſcanus in Hiſt. S. Gerardi, & Epiſcoporum Tullenſium. Ergò jam ex hoc capite erroris arguendum venit diploma Ottonis, unionem utriuſque Abbatiæ revocans ad Epiſcopatum Jacobi, bino ante Gerardi inaugurationem ſæculo.

2. Doubletius pag. 704. & Mabillonius *Annal. Bened.* l. 14. Ex diplomate Caroli Magni probant *Monaſteriolum* S. Deodati in Voſago ſitum, donatum Baſilicæ S. Dyoniſij anno 769. Quis collatum paucis ab hinc annis Monaſterium Tullenſi Eccleſiæ, Jacobo Epiſcopo ereptum putabit à Carolo Magno ut Dyoniſianæ faciat Eccleſiæ, deſurto donatium.

3. Willegiſus ſuffectus eſt Archicancellariatui & ſedi Moguntinæ anno 977. poſt obitum Ruperti. Ita poſt Trithemiam, Lambertum, Marianum, Serrarium, Malinkrot, docet Wenckerus l. de *Archicancellariis Rom. Imp.* à quibus Chriſtianus Joannis ſcriptor nuperus Hiſt. Moguntinæ T. 1. p. 450. diſſentiens, ad annum 975. exordia Archiepiſcopatûs Willegiſi revocat. Sed etſi indulgeamus hanc epocham, necdum obtinebit ſuam Ottonis diploma, quod anno 974. conſcriptum dicitur ſubindeque antequam Willegiſus Archiepiſcopatu potiretur. Niſi fortè dicas annorum initia à feſto Annuntiationis conſueviſſe computari. At non evacuatur difficultas, tali ſolutione. Etenim Willegiſus non debuit adire munus Archicancellarij, antequam Archiepiſcopus conſecraretur, uno quippe pede procedebant hæc munia, atqui non ante annum 975. inauguratus eſt, ſiquidem eo tantum anno, juxta veterem computationem, Pallium à Benedicto 7. ei ſubmiſſum eſt, referente Hiſtoriographo Moguntino, non igitur anno 974. Archiepiſcopalem inaugurationem acceperat, non ergò Archicancellariatûs officio defungebatur.

In ſecundo diplomate occurrunt & menda quæ ejus autenticitatem elevant. Nam ſi primum manavit ab Ottone præceptum anno 974. Secundum, cur ab eodem Principe, pro cauſâ eadem, anno 979. prodiit? An Fridericum rebellem, iterato mandato cogere voluit? at quis ſuſpiciabitur Ducem clientelarem auſum eſſe reluctari Imperatoris præcepto? Certè alterutrum falſitatis notam præfert, ſi obedientem ſupponamus Fridericum, voluntati Otthonis reſtitutionem Eccleſiæ San-Deodati, imperantis.

Deinde Abbatiam S. Deodati, in territorio undique Tullenſis Diœceſis ſitam dicit, & improvidè dicit, cum Baſileenſem & Argentinenſem ab oriente & meridie contingat Diœceſes, San-Deodati diſtrictus.

2. A Prædeceſſoribus ſuis San-Deodatenſem Eccleſiam cum omni integritate poſſeſſam ait querulus Gerardus in diplomate. Ergò in commutationem & indemnitatem territorii arcis Barrenſis, Donatam futiliter allegant Abbatiam S. Deodati.

4. Fridericum Ducem supponit mortuum, *post mortem*, inquit, *Ducis Friderici.* Attamen ad annum 984. dies protraxit suos, nec quisquam ante hujus diplomatis concinnatorem, annum obitûs Friderici ausus est prævertere.

5. Beatricem Ducis sponsam, inscribit neptem Ottonis 2. Erat illa filia Magni Hugonis Ducis Franciæ & Hadevidis de Saxoniâ sororis Ottonis primi, Imperatoris, cognata ergò non neptis erat Ottonis 2.

6 Donationem Mediani-Monasterij factam fuisse, ait Gauzelino, ab avo Ottonis 2. Henrico nempe primo, ex intuitu & commiseratione paupertatis Ecclesiæ Tullensis. Non igitur ut ganniunt, scriptores, ex intuitu indemnitatis usurpati territorij arcis Barrensis.

7. Nullus in Archiepiscoporum Coloniensium Catalogo, Novarinus invenitur, sed *Varinus*. Erchebaldus, quem suppono eundem esse cum *Erkanbolde*, vocatur Episcopus *Strasburgensis*, prorsus in totâ re diplomaticâ, illius & posterioris ævi, Strasburgi nomen non offendens, sed Argentinæ; seriùs enim invaluit apud scriptores rei diplomaticæ in Germanica gente, vox illa Strasburgum, ex idiomate Germanico etymon derivans.

Denique Falsarii digitus & ignorantiâ se produnt manifestè in caractere chronologico quem apposuit regno Ottonis. Non enim primus regni annus concurrit cum anno 979. sed septimus, cum patri sublato è vitâ, mense Majo anni 973. successerit, jam ante patris fatum proclamatus Cæsar. Quod spectat ad Friderici 1. Imperatoris cartham, multiplici ex capite suppositionis insimulatur. Etenim ex Bullâ Leonis IX. pro immunitate Ecclesiæ San-Deodatensis, inscripta Udoni Tullorum Episcopo, anno 1051. in universum San-Deodati tractum, Præposito reservatur, *providentia temporalium & regimen animarum.* Advocato & Deffensori Theodorico, partes suæ supremæ jurisdictionis definiuntur, quæ Præpositi autoritatem relinqunt integram. Quæ cum ita sint, arduum est designare qualem in Ecclesiâ San-Deodati potestatem exercuerint Tullenses Episcopi, *ab antiquissimis temporibus.* Nullam sanè in præbendas fratrum, nullam in feodum advocati ab imperatoria derivatum potestate, nullam in regimen parochiarum, Præpositi censuræ & jurisdictioni à Numeriani temporibus assertum.

A Theodorico ad Leopoldi 1. ætatem, Lotharingiæ Duces per traducem, advocatiam S Deodati tenuerunt, & sacramento ad aras nuncupato, istud deffensionis officium & beneficium adierunt. Quærat nunc Petrus Tullensis Episcopus anno 1174. feodum S. Deodati injustè sibi ademptum? sed alium quærat præter eum qui Advocato competit, alium ab eo qui penes Præpositum & Canonicos ab omni ævo residet.

Hinc dubiam Richerii & Herculani Historiam, utpote dubiis, dicam apocriphis monumentis innixam exsufflamus.



De translatione Sancti Hydulphi per Adelbertum Abbatem. Pariter de relevatione Corporis Sancti Deodati, per Beatricem Ducissam Lotharingiæ, quæ ædificavit ejus Ecclesiam.

CAPUT XVIII.

ANno Domini nongentesimo septuagesimo tertio Adelbertus Abbas Mediani-Monasterii, in magnâ populi frequentiâ, & magno cum apparatu, Corpora Sanctorum Confessorum, Hydulphi, Joannis & Benigni, extumulari fecit, & in capsulis ligneis honestè reponi. Sed & vigesimo sexto anno post hanc reliquiarum Beati Hydulphi translationem, Fridericus Lotharingorum Dux, quem diximus Benedictinis Medianum restituisse, ex hac vitâ decedens,

cedens, Theodoricum filium suum Ducatûs hæredem reliquit. Verùm cùm, ob ætatem nondum his rebus instructus esset, quæ Ducatui regendo necessariæ sunt, Ducissa mater pueri, nomine Beatrix, (a) ex illustri Austriacorum Archiducum stemmate orta, vice pueri Ducatum studiosissimè administrabat. Anno autem quarto post hujusmodi administrationem susceptam, ipsa muliebri audaciâ & temeritate succensa, ad hanc Vallem-Galilæam se contulit Canonicos vexatura, si quomodo ansam arripere potuisset: Quo autem faciliùs id, quod animo conceperat, ad effectum perduceret, Canonicos minatur abrogationem immunitatis, quâ gaudebant, nisi Patris Deodati, in cujus favorem ista immunitas à Principibus elargita fuerat, sancta membra ostendant, quæ latere in sarcophago saxeo constans fama erat, id quod vanum & futile arbitrabatur. His minis perterriti Canonici, convocatis undique Viris Religiosis, triduanoque jejunio indicto, vigiliis, orationibus & multis lachrymis sese expiantes, à Deo piis precibus audaciæ veniam, & tantæ rei successum postularunt. Deus autem omnipotens pro suâ clementiâ, quâ piorum vota exaudire dignatur, piæ petitioni annuit. Igitur Anno restitutæ salutis millesimo tertio, decimo Kalendas Julii, Sti. Patris Deodati Corpus in medio ædis divi Mauritii, ante altare Stæ. Crucis, ubi sepultum delituerat annos trecentos, & viginti tres, Dei nutu inventum, reverenter, & cum magnâ exultatione, & lætitiâ exhumarunt, atque in capsam ad hoc paratam decenter conditum in loco reponunt, unde piè venerari possit.

Ddd

(a) *Beatrix .. ex illustri Austriacorum Ducum stemmate orta ... Ducatum administravit.* Originem Austriacam frustrà in proavis Beatricis finxit sibi Herculanus. Hugo Beatricis pater, Adelaidem, vel Hadewidem de Saxoniâ sibi desponsarat; Henricus Adelaidis pater, Mathildi item Saxonicæ junctus fuit matrimonio, & quo plures maternæ lineæ gradus ascendimus, tantò minus Austriacæ gentis sanguinem in Beatrice confluxisse reperias. Ex patris capite, Hugone Magno, Duce Franciæ, vix guttam sanguinis Austriaci deduces. Hugo patrem habuit Robertum Regem Galliæ, matrem verò Beatricem de Castillione, vulgò *de Chastillon.* Rorbertus ex cognomine Roberto, nuncupante *Forti*, & Burgundica Principe satus, avos habuisse fertur in Galliâ; aliundè si quæras, nullibi invenies.

Beatrix Ducatum rexit ad annum 1005. teste Chronographo Senonensi. Filios habuit Theodoricum Ducatûs hæredem, Fridericum & Adalberonem Metensem Episcopum. Nuptam posteà Comiti Rinfeldensi, docet Doctissimus Eccardus, de eruditione laudandus, sed de conversione ad Catholicam fidem nuperà, laudabilior. Joannes de Bayono administrationem Ducatûs ad annum 1011. gestam à Beatrice sic memorat cap. 46. „ Friderico Lotharingiæ Duce defuncto, Beatrix uxor ejus aliquanto tempore, ut dictum est, „ Ducatum rexit. Qui Deodoricus à Beatrice matre, anno millesimo undecimo, cum non posset petitione, regimen violentiâ extorsit.. & anno „ 1017. Deodoricus Dux prædictus, contra Vidricum Comitem Castri, cui „ nomen est Clarimons, qui cum Almarico fratre suo, Lingonicæ urbis „ Archidiacono qui villicos populabatur famosissimus, cum paucis contra „ ingens agmen penes Barrense oppidum dimicavit, ubi inter multas strages, Dux ipse à prædicto satellite, non clerico, qui hujus conflictûs autor erat, licet fuerit crudeliter vulneratus, illum tamen cum improperio „ illico extinguens, victoriam sumpsit. Et cap. 48. Deodoricus Dux obiit „ anno MXXIX. cui Fridericus ex filio nepos, quia filius æquivocus ante „ obierat, succedens, paucis diebus Lotharingiæ præfuit.... anno MXXXI. „ obiit admodum adolescentulus.

Hujus translationis festivitas, eo die quo acta est à clero, & populo Sti. Deodati, singulis annis recolitur. Beatrix autem postquam divi Patris Deodati sanctas vidit Relliquias, non solùm à molestiis clero Sti. Deodati inferendis cessavit; verùm & pro satisfactione audaciæ, quâ temerè, & muliebriter nullâ pietate, aut Religione ductâ, venerandas Relliquias effodi jusserat, ædem Sti. Mauritii, unde effossæ fuerant, vetustate collapsam restauravit, & in augustiorem formam redegit. Sed & Bertoldus Leucorum Antistes, & Ludovicus Comes à Daspourg, avus Sti. Leonis noni Papæ, hujus instaurationis adjutores fuerunt.



De Sancto Leone, Tullensi Episcopo & Papâ, & Sancto Theobaldo.

CAPUT XIX.

CÆterùm quoniam hunc Leonem Ecclesiæ Sti. Deodati Præposituram gessisse fama est, res postulare videtur, ut de ejus vitâ, singulari laude dignâ aliquid in medium afferamus. Bruno vocabatur ante Pontificatum, & cum esset Tullensium Episcopus, circa annum, ab orbe redempto, millesimum quadragesimum tertium (*a*) Cœnobium Portus-suavis, à suo prædecessore Hermanno inchoatum, absolvit, (*b*) & Vestalibus inhabitandum concessit. Verùm circiter annum Domini quadragesimum octavum supra millesimum in Episcoporum & procerum apud Maguntiam ab Imperatore Henrico, Legatis Romanæ Ecclesiæ optimum Pontificem postulantibus, offertur. Vir certè pie-

(*a*) *Cum esset Episcopus Tullensium circa annum* 1046. Bruno Episcopus factus est anno 1026. post obitum Hermanni.

(*b*) *Bruno .. cum esset Tullorum Episcopus ... Cœnobium Portus-suavis à suo prædecessore Hermanno inchoatum absolvit.* Portus-suavis, gallicè *Poussay* & *Poursa*, Cœnobium in monticulo, ad præterlabentis Madonis amnis, vulgò *Madon*, ripas structum est, non ab Hermanno, ut scribit Herculanus, sed à Bertholdo Episcopo Tullensi. Ultimam Bruno, adhibuit incepto operi, manum, pietatis Bertholdi haud degener hæres. Factus posteà Romanus Pontifex & Lotharingiam lustrans, munimine Apostolico Parthenonem confirmavit anno 1049. Quamvis instituti illic ordinis, & invectæ regulæ non meminerit Pontifex, Benedictinam à principio vovisse sequioris Papæ Lucis 3. Bulla explicat. Ad sæculum decimum quintum isthoc vitæ genus floruit in Portu-suavi, donec paulatim elanguescente spiritu fervoris, ad sæculares defecit mores, & monachico habitu spreto, popularem assumpsere vestem sanctimoniales, nec ultrà professæ regulam S. Benedicti, Canonicis se ritibus, Canonicorumque laxiori regulæ, ad arbitrium effictæ, devoverunt. Ne tamen viderentur pristinæ religionis desertrices, curaverunt in actibus publicis, statûs profligati nomen affectare. Claudia d'Anglurre Abbatissa, tentavit anno 1578. vetus institutum renovare. At Canonissæ, liberioris vitæ jugo levissimo assuetæ, causam ad Caroli 3. Lotharingiæ Ducis provocarunt tribunal. Exitu fortunato, irritas fecerunt Abbatissæ conatus. Judicio Principis necdum fracta Abbatissa, apellavit vindicem Carolum à Lotharingiâ Cardinalem Vadani-Montis & Episcopum Tullensem. Partibus hinc inde auditis, Canonissas defectionem suam à primigenio statu fatentes, sed præscriptionis longevæ titulo defectionem excusantes, protectorem nactæ sunt, qui quod in moribus inverecundum, quod in disciplinâ informe, emendans, permisit quoad statum manere integras, usque dum à Sta. Sede aliter foret ordinatum. Tali sententiæ 28. Augusti 1582. provisionaliter datæ nonaccquievit Abbatissa, majoribus indè

tate, innocentiâ, benignitate, gratiâ, hospitalitate insignis, cujus domus peregrinis & pauperibus semper patuerat; & ut refert Platina in vitis Pontificum, cum semel ad fores suas leprosum pauperem invenisset, cum ipse misericordiâ collocari in lectulo suo mandasset, apertis mane à janitore foribus, nusquam pauper inventus est, Christum autem pauperis nomine, eo loci recubuisse creditum. In rebus prætereà ad Religionem pertinentibus, tantâ diligentiâ & solertiâ usus est, ut & in Concilio Vercellensi, Berengarium Hæreseos authorem damnaverit, & Constantinopolitanum Imperatorem suis monitionibus impulerit, sepulchrum Domini Jerosolimis à Barbaris dirutum, restituere, eo maximè tempore, quo & Theobaldus nobilis Francus sanctitate vitæ apud Vincentinos in pretio fuit. Moritur autem Leo, Pontificatûs sui anno quinto.

Qualiter Sanctus Romaricus Cœnobium in Romarico-Monte ædificavit, & de combustione ejusdem, & vitâ monalium. Item de ædificatione Cellæ Longi-maris.

CAPUT XX.

Romaricus, de quo in præcedentibus mentionem fecimus, ædi Beato Petro Apostolorum Principi apud Romaricum-montem à se positæ, Cœnobium Vestalium adjunxit, ubi nobiles Virgines, pudicitiâ Deo consecratâ sanctè & castè viverent. Harum autem incuriâ, Cœnobium cum æde sacrâ combustum est, anno Domini millesimo quingentesimo septimo. Ædes sacra posteà reparata, hujus conflagrationis nullum aliud vestigium retinet, nisi quod paries, qui ad austrum vergit, exustis lapidibus idipsum testatur. Ab eo tempore Vestales, (*a*) cum Cœnobitæ essent, hoc est in communè viverent, & nec

zeli stimulis percita, Romani Pontificis interpellavit judicium, litem intentavit, cui mors imposuit finem anno 1586. à posteris necdum instauratam. Et ita placidæ possessionis beneficio, sæcularitate fruuntur impavidæ quatuordecim nobilitatis antiquæ & ordinis equestris Canonissæ, quibus præest Elizabeth de Gramont, filia illustris viri Philiberti, Comitis de Gramont Rupellæ Gubernatoris, & Elizabethæ d'Hamilton, virgo & genere, & eruditione, magis adhuc pietate, inclyta.

(*a*) *Ab eo tempore Vestales cum Cœnobitæ essent, hoc est in commune viverent.. amotâ communitate ... singulæ singulares sibi domos ædificare cœperunt.* Igitur anno 1517. in Romarico-Monte, vulgò *Remirmont*, vitium proprietatis & regularis observantiæ despectus invalescere cœperunt. Testis oculatus, narrator tutus est, cui denegare fidem, crimini infidelitatis, par crimen est. Antiquitùs sub B. Columbani, dein sub S. Benedicti Regulâ militasse Romarici-Montis Moniales, nullus est qui ambigat, tenaces sui instituti ad decimum sextum sæculum perstitere, nec ante illud tempus Canonissarum usurpavere nomen & insignia. Immutationi statûs applausit Lotharinga nobilitas facilem ex laxiore vitâ inveniens locum in quo puellas, velut in honorifico azilo segregarent expectaturas sponsos. In comitiis generalibus anni 1614. timentes ne Abbatissa primævum religionis rigorem inveheret, supplices obsecrarunt Henricum Ducem, ut non pateretur quidquam attentari in splendorem & sæcularitatem Collegii Romarico-Montani, quod quia Dux per se exequi non poterat, per Romanæ autoritatis approbationem id præstiturum spopondit. Nihilominus Abbatissa Catharina, Ducis Germana soror, pro conscientiæ suæ debito, nihil Romæ & Nanceii intentatum relinquens, totam se superimpendit pro resuscitandâ monasticâ disciplinâ. Tantæ Principis zelum & zeli exitum

possessionum proprietas, nec sententiarum dissentio, aut pugna, nec turbatio, aut lis aut contentio esset ulla, sed communia haberent omnia, & animi sententias & corpora nutrirent, atque curarent, sicque firmissimum tutamen ex morum ac mentium conspiratione concepissent, amotâ communitate & commodis inde provenientibus spretis, singulæ singulares sibi domos ædificare cœperunt, in quibus quantâ libertate vivant, nolo in præsentiarum persequi. Octo annis ab hac conflagratione exactis, itidem sacræ Juncturarum ædes à quibusdam peregrinis incensæ arserunt, ut difficile fuerit & operosum eas restaurare. Per idem tempus Bilonus servus Gerardi Ducis Lotharingiæ, vitæ pertæsus aulicæ, & semetipsum corripiens ob vitam absurdè actam, in solitudinem secessit, atque in saltu, qui *Longum-mare* (gallicè *Gerard-mer*) vocatur, sacellum Divo Bartholomæo, & sibi Cellulam erexit ubi mirabili constantiâ Vir in aulâ præcipuus, emeritus perseverasse fertur. Est ibi lacus, unde Volumna Fluvius originem habet, qui præterfluens Vallem Camporum, in Mosellam paululùm infra Docellas (*Docelles*) labitur. Hic fluvius Baccas, sive uniones fert magnitudine & colore subrubro, orientalibus non inferiores.



De sterilitate terræ, & frigore nimio. Item de Regnerio Anachoretâ & fundatore Cellæ-maris.

CAPUT XXI.

ANnus ab incarnato Verbo millesimus septuagesimus multùm calamitosus extitit, tum ob sacrum ignem, quem constat per hominum corpora in hoc tractu Vosegi dirè grassatum: nam multis exustis, truncata alia reliquit; tum ob sterilitatem, nullos enim fructus, nullum annonæ proventum, aut admodùm pusillum terra studiosissimè culta produxit. Annus sequens prioris miserias, inopiamque auxit, ex eo-quòd æquè propemodùm sterilis, ob frigorâ vehementiâ supra quàm quis credere possit, inopes eluserit Colonos. Relatum est Mare mediterraneum eo anno alicubi rigore frigoris congelasse. Cæterùm temporibus Bertheri Abbatis Senoniensis, fuit quidam Monachus Senoniensis, nomine Regnerius, qui cum studiosiùs, quàm cætera omnia, vitam anachoreticam expeteret, impetratâ à Berthero abeundi licentiâ, in vastâ solitudine, supra Senonias, ad parvum lacum sibi cellulam & sacellum, quòd *Mare* dicitur, ædificavit. Sacellum nonis Maji, in honorem Stæ. Trinitatis, à Pibone, Tullensi Episcopo, dicatum est. Erat autem annus à Natali Domini millesimus nonagesimus.

De

reformidans equestris nobilitas, supplici libello Ducem, comitiorum anni 1619. præsidem convenit, & tam suo, quàm Capituli Romarico-montensis nomine, obtestata est, ut à novitatibus inducendis in hoc insigne Canonissarum Collegium, Abbatissam dimoveret, suâque autoritate, ut protectorem Collegii decebat, compesceret. Promisit indulgentior Princeps, procerum suorum suffragiis, ut ferebant tempora, indigens. Fraternis precibus victa Abbatissa, à proposito urgendo abstinuit, & reformationem quam persuadere aliis, nec cogere potuit, amplexata est, schemate & professione religionis assumptis in monasterio monialium Sti. Benedicti in urbe Nanceianâ.

De articulo Digiti Sancti Nicolai deportato ad vicum Portûs per militem Lotharingum, ubi miracula operantur.

CAPUT XXII.

PORrò excursis inde octo annis, negotiatores Barri, quæ civitas est Apuliæ, quæstûs gratiâ ad Antiochiam tendentes, cum navibus frumento oneratis, ad Myram Liciæ civitatem, ubi Corpus Divi Nicolai, septingentis septuaginta quinque annis sepultum delituerat, præter spem appulerunt. Considerantes autem Myram habitatoribus prope destitutam, ob Sarracenorum incursiones, qui omnia populabantur ac vastabant, nullo negotio se sacras divi Nicolai Relliquias adepturos existimarunt. Igitur, ut rem in pauca referam, ex æditu Ecclesiæ semi-dirutæ, de loco ubi condebantur, edocti, magnâ cum lætiâ beata membra emunt, atque in suam patriam Barrum secundis ventis transferunt. Hujus translationis miles quidam Lotharingus factus certior, ut erat speciali obsequio huic Divo addictus, statim Religionis gratiâ Barrum petit, votoque salutari multis precibus contendit, ut in solatium obsequii, aliquid ex Relliquiis Sti. Nicolai obtineat. Reliquiarum custodes, ut viderunt viri relligiosam assiduitatem, unum ex articulis digitorum Beati Nicolai depromptum, religioso militi dederunt, qui lætior, quàm si ingentem thesaurum accepisset, pretiosum munus in patriam detulit, atque in fanum vici ad Murthæ ripam positi, qui dicitur *Portus*, reponit; ubi interventu ejusdem Divi multa ac magna quotidie eduntur miracula.

De fundatione Cellæ Bellæ-vallis per Gerardum Comitem Vadani-montis, priùs incœptâ per Hugonem Mediani-Monasterii Anachoretam.

CAPUT XXIII.

SEd & eodem fermè tempore Mathæus, Ducatûs Lotharingiæ, & Comitatûs Vadani-montis hæres, & possessor, fraternâ motus pietate, fratri suo Gerardo Comitatum Vadani-montis cessit, quò haberet unde vitam honestè tueretur. Gerardus autem singulari ductus pietate, ut qui à teneris Deum revereri & colere didicerat, Cellam Bellæ-vallis in (*a*) dominio Castrensi à Hugone Mediani monacho, sed facto anachoretâ, incœptam ampliavit, absolvit, atque tot redditibus dotavit, quot necessarios sex monachis alendis existimavit, in quâ posteà sepultus est. Fuerant etiam eo tempore viri fideles, & divini cultûs amantissimi, qui Cœnobium Calmosiacum (*b*) non

(*a*) *Gerardus . . . Cellam Bellævallis in dominio Castrensi . . . . inceptam ampliavit.* Cella Bellæ-vallis, nunc Prioratus, haud procul à Castro ad Mosellam, gallicè *Chaté-sur-Moselle*, Abbatiæ S. Leopoldi Nanceiani unitus anno 1616. Gerardum Comitem Vadani-montis fundatorem habuit anno 1107. unà cum Helwide uxore suâ & filio eorum Hugone. Gerardus, ille secundò genitus erat Gerardi Alsatici filius, & Vademontanæ gentis origo, façinoribus bellicis & pietate conspicuus In Bellæ-vallis Ecclesia tumulatus jacet, & in ea posteri ejus plerique, hæreditarium sibi effodere sepulchrum.

(*b*) *Eo tempore viri fideles . . . . Cœnobium Calmosiacum non procul à Spinalo inchoarunt.*

procul à Spinalo inchoarunt, quod posteà absolutum & dotatum Virgini Deiparæ dicatur, atque colendum datur Canonicis Regularibus Ordinis Sti. Augustini. Erat prætereà & tunc temporis in his regionibus magnus pavor ob luporum voracium & copiam & rabiem; undique enim oberrantes, nulli obviam facto parcebant, imò in ædes penetrabant pueros voraturi, quorum sanguinem imprimis appetebant. Cæterùm annus à salutiferâ mundi restitutione quinquagesimus quintus supra millesimum & centesimum, memorabili insignitus calamitate, luctuosam infœlicitatem cum populo, tum clero Sti. Deodati attulit. Namque ædes tam sacras, quàm profanas & privatas incendium deformavit, vastavitque, ita ut miseri cives ad ultimam inopiam, egestatemque redacti, vix collapsas restaurare potuerint.

Quomodo Maherus, Præpositus Sancti Deodati, Episcopatum Tullensem invaserit, de vitâ & morte ejus, & de fine hujus Libri.

CAPUT XXIV.

PORrò annus quinquagesimus primus post hanc memorabilem cladem volvebatur, cum Maherus ex illustri Ducum Lotharingiæ prosapiâ ortus, (Matthæi enim Ducis ex secundâ uxore filius fuit) (*a*) Præpositurâ in Collegio Canonicorum Sti. Deodati donaretur: in quâ administrandâ tantam probitatem & modestiam præ se tulit, ut defuncto Leucorum Episcopo, (*b*) votis omnibus ad Episcopatum adsciscferetur. Eo munere assumpto improbos mores, quos priùs modestiæ prætextu occultaverat, ampliùs dissimulare non potuit: libertas enim & opes inseparatæ, hominem certò comprobant, & produnt. Ita voluptatibus, sumptuosis conviviis & libidinibus, Episcopii facultates,

Calmosiaci historiam anecdotis P. Martene insertam, & à nobis erutam è tabulario Abbatiæ, consulere quisque potest. Non à viris fidelibus, sed à nobili viro Theodorico & Hadelvide ejus consorte piissimâ, initium sumpsit. Calmosiacensis Canonia in donatorum nemoroso allodio, anno 1093. Primus cœnobio præfuit Seherus. Modò præest Reverendissimus D. Verlet Congregationis Canonicorum regularium nostri Salvatoris, Generalis vigilantissimus, piissimi Patris le Gagneur, piissimus hæres.

(*a*) *Maherus ex illustri Ducum Lotharingiæ prosapiâ ortus (Matthæi enim Ducis ex secundâ uxore filius fuit.)* Hunc errorem hausit Herculanus ex Joanne de Bayon, qui cap. 96. parentes eosdem assignat Machero, seu veriùs & rectiùs Mathæo à Lotharingiâ, Præposito S. Deodati & postmodùm Tulli Episcopo. Hic enim, inquit, Macherus ex secundâ uxore Ducis Mathæi quæ ex lumbis processerat Ducis Poloniæ, dicto Mathæo genitus fuit unâ cum Domino Theodorico *Diaboli*, Domino Castelleti &c. Nullus ante & post Joannem de Bayon aliam à Berthâ, filiâ Imperatoris Friderici, uxorem dedit Mathæo I. Lotharingiæ Duci. Nullus Ludomillam Poloniæ Ducis filiam junxit Mathæo, Duci, sed Friderico Mathæi Ducis Germano fratri, & Dynastæ de *Bitch*, qui ex Ludomillâ prolem suscepit, Fridericum Ducem, Mathæum S. Deodati præpositum, Theodoricum de Inferis, sive Diaboli, Philippum toparcham Gellivillaris, Judith deponsatam Henrico Comiti de Salmis, & Agatham Abbatissarum Romarico-Montis catalogo ascriptam.

(*b*) *Ut defuncto Leucorum Episcopo votis omnium ad Episcopatum asciscferetur.* Odoni à Lotharingiâ, filio Hugonis I. Comitis Vadamontani & Agelinæ de Burgundiâ, vivis exempto, anno 1197. suffectus est Mathæus anno 1198.

id est opes, frugalitati & pauperum alimoniæ consecratas dilapidans, ac prophanans, non solùm à Canonicis, penes quos Episcopi electio est, ludibrio & contemptui habitus est. Verùm malæ dispensationis apud Innocentium tertium Pontificem maximum delatus, ab eodem visus est se abdicare Episcopatu, in cujus locum subrogatur Regnaldus filius pincernæ Regis Franciæ, (a) homo cum eruditione, tum morum probitate excultus. Cæterùm Maherus dissimulatæ iræ quam conceperat ex hujusmodi abdicatione, ad præposituram Sti. Deodati relictam ob Episcopium, sese conferens domum inter duas Basilicas, & lapidibus turris lapsæ per incendium, cujus mentionem fecimus in præcedenti Capite, erexit. Ibi genio & libidini indulgens, etiam propriæ filiæ, quam ex Spinalensi Vestali susceperat, commiscebatur. Quod nefandum facinus, postquam frater ejus Fridericus Dux rescivit, fratrem tam impie se suamque familiam polluentem detestatus, mulierculam quâ abutebatur, in carcerem conjecit, domumque impuritatis & sacrilegii consciam funditùs evertit. Sic Maherus non solùm ope, verùm etiam & certâ destitutus habitatione, ara enim, quam in rupe Clari-montis extruxerat tempore Simonis patrui sui, optimatum consilio jampridem fuerat eversa; sæpius se conferebat ad Eremitas commorantes in cellis sacelli divæ Magdalenæ, quas in jugo Clari-montis Hugo Anachoreta ex Mediani Monacho factus, circiter annum Domini millesimum nonagesimum, construxerat. Quo in loco Maherus venationi & rapi-

(a) *In ejus locum subrogatus est Reginaldus.* Richerius in chron. Senonensi, & Ruyr l. *Antiquitatum Vosagi*, depositionem Mathæi referunt sub annum 1205. Albericus anno 1210. factam scribit ab Innocentio 3. ad quem Clerus Tullensis graves querelas contra dilapidatorem, & lascivum præsulem, per Archidiaconum Fridericum detulerat. Reginaldus ille non ex Guidone de Turri, ut somniavit Ecclesiæ Tullensis nuperus scriptor, surculum fingens sibi Turritanæ Gentis fuisse Reginaldum, sed ex Guidone Silvanecti tertio, Domino de *Chantilly*, d'*Ermenonville* Franciæ Pincernâ, & Margaretâ de Claromonte satus erat. Quæ quidem Margareta, teste Chesnio in hostoria Barrensi p. 25. Reginaldi Claromontani apud Bellovacos Comitis & Clementiæ de Barro erat filia. Subindeque Reginaldus Episcopus Tullensis, non Reginaldi 2. Comitis Barri cognatus, sed nepos dicendus venit, cum Clementiâ & Reginaldus 2. ex eodem patre & matre eadem fuerint progeniti. Quare Tullensis historiografus emendandus est, qui ad instantiam Reginaldi 1. Barri Comitis, Reginaldum de Senlis ejus *cognatum* pervenisse scribit ad Episcopatum Tullensem. Certè Reginaldus 1. Clementiæ Pater, Margaretæ de Clermont avus, proavus esse debuit Episcopi Reginaldi, non cognatus, ut ex hoc schemate perspicuum est.

Reginaldus 1. Comes Barri.

Reginaldus 2. Barri Comes.	Clementia Barri nupta Reginaldo Comiti Claromontano apud Bellovacos.
	Margareta de Clermont uxor Guidonis 3 de Silvanecto Franciæ Pincernæ.
	Reginaldus de Silvanecto Episcopus Tullensis renuntiatus anno 1198.

Et ut ampliùs mendum Tullensis historici elucescat, observare juvabit Reginaldum primum Barri Comitem, debitum mortis solvisse ante annum 1151. Hoc enim anno Reginaldus 2. Ducatum regebat, & multis diplomatibus probatur patris defuncti adiisse hæreditatem.

nis operam dabat. Intereà Regnaldus, Leucorum Antiſtes, viris doctis & religioſis comitatus viſitationis gratiâ, monaſterium Sti. Salvatoris in Voſego adiit, (*a*) quod enim à Bertholdo Tullenſi Epiſcopo conſtructum, & dotatum, cum priùs Bodonis Monaſterium (*b*) paulò inferiùs à Bodone etiam Tullenſium Epiſcopo

(*a*) *Monaſterium Sti. Salvatoris in Voſago adiit, à Bertholdo conſtructum.* Sæculo undecimo ineunte, Abbatia S. Salvatoris à Bertholdo Epiſcopo Tullenſi fundata, Monachis Ordinis S. Benedicti addicta eſt; ad canonicos regulares paulò poſt translata, uſque modò ab eis poſſidetur. Anno 1569. dum Lotharingia bellicis hæreticorum irrumpentium ex Germaniâ & Galliâ tumultibus quateretur, Dux militiæ De Genly in Voſagi fauces hoſtiliter irruens, Monaſterium S. Salvatoris appoſito igne conſumpſit. Securiorem ſibi manſionem & inimicorum inſultibus minùs obviam Canonici quærentes, ad vicum Domni-apri, gallicè *Domp-eure*, primordialis donationis patrimonialem villam, ab oppido Albi-montis (*Blamont*) uno ſeparatam lapide, ſeceſſerunt, & in monticulo prominente Eccleſiam, & officinas circompoſuerunt.

(*b*) *Bodonis Monaſterium*, gallicè *Bon-Moutier.* A Leuduino, ſeu Bodone, de quo ſupra, Tullenſi Epiſcopo, erectum & ſanctimonialibus dedicatum, ab autore ſuo Bodone, nomen ſortitum eſt. Thietbergam filiam ſuam anno circiter 656. Abbatiſſam Bodo præfecit. Cum verò ſæculis labentibus, à fervore antiquo lapſæ ſanctimoniales, in degenerem vitam abiiſſent, Bertholdus Tullenſis Præſul non modo Moniales extinxit, ſed & Cœnobium in ſuperiori loco ædificavit à fundamentis, & S. Salvatoris indita appellatione, innovavit per omnia Monachos, profligatis ſanctimonialibus ſubſtituens; ſed non diù ſubſtiterunt. *Inde expulſis Monachis*, inquit Richerius, *Ordinis Sti. Auguſtini Canonici, ſicut uſque nunc ibidem permanent, ſunt inthronizati.* Ergò Bodonis Monaſterium à Monialibus ad Monachos, & à Monachis ad Canonicos Regulares migravit. Trinæ hoſpitum mutationi triplex loci reſpondit mutatio. A Bodonis Monaſterio, ad S. Salvatorem, & à S. Salvatore ad Domnum-Aprùm factus eſt ſucceſſivè inquilinorum tranſitus. Diſplicet Canonicis Regularibus Domni-Apri narratio Richerii & Herculani. Nolunt expulſis ſucceſſiſſe Monachis, ſed ab origine ſuâ, Monaſterium S. Salvatoris à Bertholdo Tullenſi antiſtite inſtitutum & deſtinatum fuiſſe Canonicis Regularibus, anno ſæculi undecimi, decimo aſſerunt, & quaſi ad aſpectum recentioris coloniæ, pravos Monachorum mores, regulari diſciplinâ ſuâ, condemnantis, ſuffuſos pudore Bodonis-Monaſterii aſcetas, à S. Salvatore uno vix lapide diſſitos, aufugiſſe ajunt, loco cedentes & bonis. Ita autore traditione, fundationis ſuæ hiſtoriam concinnant Canonici, & certè, ſi pauca excipias quæ in primitivo ſuo Voſagi ſeceſſu poſſident prædia, cætera ex Bertholdi patrimonialibus allodiis proceſſiſſe palàm eſt, unde fundatoris honorem cum Bodone non dividunt grati filii, nec dividendum putant ratione fundi in quo Eccleſia primitùs erecta eſt, cum alius fuerit & diſcretus à Bodonis-Monaſterio locus, quem vel ad Epiſcopalis menſæ dominium pertinuiſſe, vel de paternâ hæreditate manaſſe ſuſpicantur.

Ut ut ſit, inductos in S. Salvatoris domum Canonicos dotavit villis Domni-Apri, Barbeſii, Aracuriæ, Bartholomæi-montis, gallicè *Barthelemont*, Baſſi-montis, *Baſemont*, *Fouſcré*, Bertricuriæ, *Burthecourt*, Lupi-curiæ, *Lupcourt*, & Azeloti, quas de proprio patrimonio poſſidebat Bertholdus cum *bannis*, *fundis*, *omni juriſdictione .... abſque aliquorum dominorum temporalium aliquâ reclamatione.*

Munifici dotatoris æmulata pietatem Agnes Comitiſſa, quam de Salmis dicunt, & utinam probarent, medietatem Eccleſiæ & villæ de Ravono ad aquas, gallicè *Ravon lez l'eau* „ contulit Canonicis pro remedio animæ ſuæ, & ſuc- „ ceſſorum ſuorum, Prætereà, inquit, confirmo ea quæ ab anteceſſoribus „ meis

Episcopo constructum, circiter annum à Christo nato millesimum decimum, Sanctimonialium in eo versantium improbitate & lasciviâ motus, evertisset. Regnaldus igitur Paschali solemnitate apud Sanctum Salvatorem celebratâ, Senonias profectus est; Cujus profectionis Maherus factus certior, duos ex his qui sibi adhærebant Senonias misit, qui clam sciscitarentur quâ viâ inde esset discessurus: nam invidiæ virus in Regnaldum jam pridem animo conceptum injustè & præter meritum, effundere decreverat. Qui missi fuerunt, negotio fideliter peracto redeuntes, Mahero significant Regnaldum iter facturum per Medianum-Monasterium, Styvagium, & Cœnobium Altreia-

„ meis Principibus Salms & Dominis hujus meæ terræ donata sunt eis. „ Confirmo quoque eam medietatem Ecclesiæ de Raoum quæ data est eis „ pro animâ Godefridi Comitis mariti mei, nec non medietatem ejusdem „ villæ, cum banno quam dedi similiter pro filio meo Willelmo qui illuc „ jacet... saltus verò ejusdem villæ perducitur usque ad locum qui dicitur „ *boudamont*... Datum XI. Kal. Aprilis anno ab incarnatione Domini MCXXXIV.

Temporalibus auctam bonis canoniam, spiritualibus auxere Bertholdi successores Petrus anno 1185. & Odo anno 1195. Tullenses Episcopi, jurisdictionem ordinariam & quasi Episcopalem impertiendo Abbatibus S. Salvatoris in Ecclesias parochiales de *Harbouey*, de *Cirey*, de *Valmoutier*, de *Petit mont*, de *Chastillon*, de *Dom-Evre*, de *Ravon les l'eau*, de *Barbas*, & donum istud ab Archidiacono Tullensi Gerardo irreverenter impetitum, strenuè à delegatis judicibus Pontificiis anno 1245. vindicatum est, & ipsemet aggressor audacioris facti pœnitens, ultroneæ impetitionis temeritatem scripto protestatus est his verbis.

Notum fieri volumus universis quòd cum nos impeteremus coram judicibus à Domino Papâ delegatis, virum honestum & religiosum Abbatem S. Salvatoris Vogiensis & conventum ejusdem loci, pro vicariis nobis repræsentandis, & à venerabili Patre Episcopo instituendis, ad Ecclesias de *Barbas*, d'*Harbouey*, *Dom-Evre* & de *Cirey*, & quasdam alias in confinagio dictorum locorum sitas, quæ ad ipsos ab antiquo spectare dignoscuntur, nos eorum privilegiis, carthis ac monumentis, ac ipsorum possessione pacificâ quinquagenariâ videlicet & amplius, quæ iidem super his habebant, diligenter intellectis, & inspectis, querelam ipsam iisdem remisimus, confitentes tam coram ipsis judicibus, quàm coram venerabili Patre Tullensi Episcopo & etiam quibuscunque, de consilio bonorum & jurisperitorum recognoscentes, quòd secundùm quod ipsi per sua legitima documenta, quæ ab ipsis Episcopis, & à Decano & Capitulo, & etiam à Domino Papâ habebant, docuerunt, & probare curarunt, nullum jus pro repræsentatione & institutione talibus, habeamus, & si quid juris, etiam & facti habebamus, illud piè & devotè, & sine conditione qualibet, in perpetuum contulimus & concessimus. In cujus rei testimonium &c. Datum anno Domini 1245. mense Decembri.

D. Franciscus Bloüet, Episcopus Tullensis, Pontificum & antecessorum suorum decreta, nec veritus, nec veneratus, Abbatem S. Salvatoris Petrum Collin ad Metensem provocavit senatum, jurisdictionis spiritualis causam, acturus. Abbas ratus non licere sibi ad tribunal ejusmodi confugere, salvis conscientiæ & Ecclesiæ suæ S. Sedi immediatè subjectæ, juribus, abstinuit à comparitione, & inde reus & indeffensus spoliatur jure antiquo tot titulis accquisito sibi, per sententiam sævientem an. 1708. in parœcias à parte Galliæ, in alias sævire nequeuntem. Romam appellavit Abbas & Pontificem; sed appellationi obturavit aures suas Episcopus, & ita parto per sæcularem potestatem jure fruitur litigatoris hæres pacificus.

Quo tempore Lutherana hæresis Lotharingiam populabunda subiit, Monasterium S. Salvatoris ferro donavit & flammæ, anno 1524. Dirutam domum excitavit è ruderibus impiger Abbas Gerardinus Jacob. Sed iterum reviviscens

hærefis & Calviniftas facibus armans, irrupit in Lotharingiam, anno 1565. iteratisque incendiis Abbatiam concremavit. Ad tutiorem locum, ædes monafterii transferendas, faluti fuorum confulens Nicolaus Malriat Abbas, cenfuit. Ad Domnum-Aprum, profugos colligit Canonicos, fitum fuâ naturâ gratum, præterlabente Vezouziâ utilem, Albi-montis viciniâ fecurum judicans, Pontificis Pii V. confenfum efflagitat, & obtinet pro translatione, anno 1569. Feftinâ manu Ecclefiam ftruxit, aptavit officinas, inftruxit loca regularia, quæ Dux Bullonius anno 1587. veluti turbo Lotharingiæ vaftator decoxit. Templum & Clauftrum, invito hofte, falva evaferunt è flammis. Dudum proftrata domus, gravata alieno ære, non potuit furgere ex ruinis. Reformatis Canonicis tantus debebatur honos. Ut primùm enim Canonia Domni-Apri acceffit fpontanea deditione fua, ad congregationem Noftri Salvatoris, hoc eft anno 1625, protinus ab excidio convaluit, & viri fortes ex favillis monafterium excitarunt, quod quia pro temporis hujus anguftiis, Canonicorum parvo cœtui fufficiebat, arctiùs ftructum fuit. Modernus Abbas, majus & majori numero continendo, commodiùs ædificare incipit.

Ab origine fuâ, an per Abbates regi folitum fuerit S. Salvatoris monafterium dubitant aliqui, eo maximè nixi fundamento quòd Sigibaldus, quem Abbatum catalogo præponunt, rexiffe dicant ad annum 1085. At quis facilè crediderit, hominem ætate maturum, (neque enim alius nafcenti congregationi deftinandus erat rector) per annos feptuaginta quinque geffiffe adminiftrationem? Sigibaldo fuffectus eft

Sigebertus anno 1117. denatus.
Hugo obiit anno 1130.
Bertramus anno 1133.
Ottho anno 1140.
Imerinus anno 1170.
Theobaldus anno 1206.
Claudius anno 1223.
Richerus anno 1239.
Ægidius de Vendieres anno 1260.
Petrus anno 1276.
Henricus anno 1282.
Simon anno 1305.
Reginaldus anno 1330.
Lietardus anno 1332.
Thomas anno 1334.
Gerardus anno 1343.
Valterinus anno 1355.
Joffridus anno 1383.
Joannes Aubertin anno 1414.
Joannes de Vaxenville anno 1425.
Joannes Stephani anno 1456.
Joannes Defiderii anno 1470.
Joannes Gadetti anno 1486.
Claudius Hozelet anno 1515.
Gerardinus Jacob anno 1540.
Nicolaus Malriat anno 1570.
Sebaftianus Malriat anno 1574.
Chriftianus Malriat anno 1594.
Chriftianus Fabri anno 1614.
Joannes Marchal anno 1630.
Clemens Philippe anno 1668.
Carolus le Begue anno 1689.
Mathias Altaine anno 1704.

censе. (*a*) Die autem sequente Regnaldus à Senoniis discedens per Styvagium properabat ad Cœnobium Altreiacense, cumque Bergonciam trans-

Petrus Collin anno 1722.

Joannes Baptista Piart Abbas modernus, Procurator Generalis in Curiâ Romanâ, & pridem Theologiæ Professor, vir acris ingenii, & rerum agendarum sagacitate commendabilis, electus est anno 1722.

(*a*) *Cænobium Alteriacense*. Abbatia Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, cujus muros allambit amnis Mortania, vulgò *la Mortagne*. A Rambertivillâ, gallicè *Ramberviller*, distat uno lapide, tribus à Stivagio versùs Occidentem. Stephanum à Barro, Metensem Episcopum habuit fundatorem anno 1144. confirmatorem Theodoricum anno 1176. Ecclesia Monastetialis eleganti splendet architecturâ, & fenestris, mirabiliori adhuc arte pictis coruscat. Alia, Christi genealogiam à Jesse deductam, ad Christum usque, per heroum imagines appictas repræsentat. Secunda, Annuntiationis misterium exhibet, & ad tabellam adgeniculatus sistitut Ludovicus de Dom-Martin, Baro Fonteneti. Tertia, Christum cruci, medios inter latrones appensum, stipante cinctum catervâ, in sanctuarii meditullio, offert introeuntibus in Templum. Quarta nativitatem Christi, quinta assumptionem Beatæ Mariæ Virginis, vivaci penicillo delineatas exprimunt. Sanctuario adhærent sacella Sti. Huberti & Nicolai. Horum priùs, columnis fultum lapideis, fornice lapideâ & planâ clauditur, fenestris micans eximiè pictis, historiam referentibus S. Huberti, inter Alteriaci Patronos ascripti à fundatione suâ, & ditati articulo digiti illius, à fundatore Stephano. Insignibus miraculis, magnum, apud exteras etiam nationes, nomen sibi fecit, hæc reliquia, & frequenti rabidorum curatione, æmulum quodammodo Atudenensi Abbatiæ, evasit Alteriacense Monasterium. Vastatam à Burgundo Principe Carolo audaci, Ecclesiam suam, restaurarunt, sacri pignoris circumlatione, Canonici Alteriacenses. Fœlicibus quæstuariis bellum indixit Arduenensis Abbas, & coram Episcopo Tullensi Olrico de Albomonte, posteà coram Lothatingiæ Ducibus Renato 2. & Antonio, velut patrimonii sui suffuratores, sub obtentu exuviæ suppositiiæ, credulæ plebis emungentes donatia, provocavit. Litem ad utrumque tribunal, maximo utrinque æstu ventilatam, selecti hinc inde judices, Hugo des Hazards Tullensis Episcopus, & Olricus Witz de Gillivillari, gallicè *Gerbeviller*, Baillivus Nanceii, amicâ compositione terminarunt, anno 1513, sancientes, nullam ab hinc licitam fore Alteriacensibus, sacræ teliquiæ per Provincias deportationem, præterquam in vallem S. Deodati; oblationes tamen à peregrinis adventantibus recipere, juxta mores antiquos, permiserunt, & in compensationem quæstuariæ subventionis, statuerunt, ut Arduennenses quotannis penderent Alteriacensibus quadraginta supra centum francos Barrenses. Nicolaus de Maleze, Arduennæ, & Nicolaus Mercier Alteriaci Abbates, arbitrale judicium venerati, successoribus suis transmiserunt, legis reciprocæ instar, auscultandum.

Aroasiæ congregationi suberat Alteriacum, ejusque ritibus & moribus vixit, donec Nicolaus Seranville Abbas, se suumque monasterium subdidisset congregationi nostri Salvatoris, anno 1656. Præfuerunt ad nostra tempora, Alteriacensi monasterio Abbates sequentes.

1. Anselmus.
2. Milo, cui Lucius 3. Bullam inscripsit anno 1182. confirmativam bonorum & statûs Alteriaci anno 1182. Villam Wapriæ (*la Voture*) ab Ottone milite de *Damelieure*, collatam Alteriaco, Milone supplicante approbavit Petrus Leucorum antistes anno 1183.
3. Widricus collata ab Episcopis Metensibus bona, Bertrandi diplomate munivit, anno 1187. & is supremus fuit vitæ aut regiminis Widrici, nam sequiore anno floruisse legitur.
4. Ancelinus, cui anno 1208. subrogatur.
5. Rodolphus, qui hostium passus incursiones & incendia, fundatoris hæredes ad

pietatem & miserationem sic movit, ut anno 1209. tria prædia in *Monte gauduri*, loco nunc ignoto, obtinuerit ad solatium afflicti monasterii. Ab hoc Abbate, ad annum 1290. hiatus intercurrit, quem domesticæ carthæ non supplent.

6. Dominicus super jure pascui in Villâ S. Gergonii, pascifcitur cum Abbatissa Spinalli, anno 1294.

7. Joannes Gerson, à Gerardo Metensi Præsule, novam impetrat donationum penè antiquatarum, confirmationem, anno 1299.

8. Gerardus agebat in vivis anuo 1307.

9. Joannes obiit anno 1340.

10. Mathæus impetitus in privilegiis & bonis, Ademarum Episcopum Metensem, illatæ injuriæ ultorem interpellans anno 1347. deffensorem probavit, & benefactorem expertus, quippe qui ab eo duos salis modios, ex Medii-vici salinâ prensandos annuatim obtinuerit anno 1352.

11. Jacobus fatis cessit anno 1389.

12. Jeannes de Pontretrin moritur anno 1417.

13. Joannes Gemel obiit anno 1439.

14. Desiderius Chailley abiit è vivis anno 1469.

15. Joannes Du Chastel Coadjutor electus, & ab Abbate Stivagij, per deputationem Abbatis Araosiæ confirmatus 19. Octobris 1468. Abbatiam rexit ad annum 1481.

16. Joannes Renaud, ad promovendum S. Huberti cultum, indulgentias concurrentibus ad festum illius procuravit anuo 1483. apud Sixtum 4.

17. Nicolaus Mercier Abbatiam adeptus ab anno 1500, pro deffensandâ autenticitate reliquiæ S. Huberti, vividè & efficaciter pugnavit adversùs Arduennenses monachos, & litigatores. Salvâ priùs certitudine sacri pignoris, per amicabilem concordiam, compescuit litem anno 1513.

18. Claudius Steveney, Ecclesiam vastatam reparare aggressus, à Sanctuario, & cohærentibus illi Capellis, auspicatur anno 1537. hortante & auxiliatricem subministrante manum Nicolao Episcopo Metensi. Nicolaus Thirion, & Desiderius Marsault, cives Spinallenses & architectonici eximiam quam spectamus structuram absolverunt anno 1545. & in stipendium & pretium operis acceperunt viginti resalia tritici, totidem siliginis, duo pisorum resalia, & fabarum totidem unum resale salis, Francos quatuor ad comparationem casei & butyri, sexdecim vini mensuras, porcos septem & bovem unum, vel eorum loco, francos duodecim monetæ Barrensis, libras calibis duodecim; & mille francos Barrenses. Fenestris ornavit Templum, in quibus ad vivum effigiatus cernitur. Obiit 4. Septembris 1548. mortuo hoc Epitaphium appendit gratus successor.

Cy gist le corps d'un Prélat sans faintise,
Qui plus aima Dieu, son Cloitre & son Eglise
Qu'oiseaux, ni chiens, ou chevaux somptueux.
Cy gist le corps d'un Prélat vertueux,
Qui plus aima charité pure & monde,
Que les honneurs & la gloire du monde.
Las! c'est l'Abbé tant notable en surnom,
Dit Steuveney, & Claude en propre nom,
Lequel dressa. sans grand support avoir
Le Chœur icy tel comme tu peuts voir,
Plus par bon sens, que par grand revenu,
Et si l'esprit se fût encor tenu
Avec le corps, quelques ans d'avantage,
Il eût parfait le surplus de l'ouvrage;
Mais celle mort qui les bons fait revivre,
Voulant du tout rendre l'esprit delivre

Du

Du grand travail qu'il avoit jour & nuit,
L'an mil cinq cents avec quarante huict
Posa le corps sous cette basse lamme,
Pour élever dessus les neuf cieux l'ame,
Et lui donner avec son Seigneur lieu,
Où il connoit qu'il fait bon aimer Dieu.
Si reciter je voulois, & toy lire
Les grandes vertus qu'en ce corps on voit luire,
Possible n'est que premier en disant,
Las je ne fusse, ou toy en les lisant,
Mais les grands cousts & peines qu'il a mises
A ériger cette tant belle Eglise,
Te donneront, ô passant, temoignage
Du demeurant de ce bon personage.
Celui qui a dressé ce Chœur icy tant beau,
N'a point dressé pour lui quelque riche tombeau,
Pourquoy? il est couvert d'une vive memoire,
Plus riche qu'un tombeau de fin marbre ou d'ivoir.

Ante pavimenti renovationem, extabat Claudij Berlandier epitaphium, ab eodem poëtâ gallico, his conscriptum versibus.

Cy gist Claude Berlandier,
Qui n'eût science, ni mêtier,
Néantmoins vequit longue vie
Joyeux, contant, & sans ennuie.
Passant, ce fût un fol plaisant,
Fol, qui fouloit donner à rire,
Fol, sans malice, ou pour mieux dire,
Ce fût un tout simple innocent.
Il fût grand, robuste, homme fort,
Qui fit paroître sa vigueur
En l'érection de ce Chœur,
Par son laborieux effort.
Il portoit charge double & triple,
S'il étoit flatté dextrement,
Mais ne faisoit rien autrement,
Ni pour maistre, ni pour disciple.
Il continua son service
A quatre Prélats de ce lieu,
Puis rendit sa belle ame à Dieu,
Nette de pechés & de vices.
C'est la vie & mort, c'est l'histoire,
De ce fol, mais fol nullement,
Car Dieu l'a reçû en la gloire
Qu'il donne aux sages seulement.
Il déceda l'an MDLVI. le IV. Septembre.

19. Thomas Pierrel morbo & morte correptus Ramberti-villæ, ibidem tumulatur anno 1554.
20. Joannes Chastelain, Abbatiam dimisit anno 1577.
21. Claudius Chevalier ex resignatione Abbas factus, ex cessione, desiit esse Abbas anno 1593.
22. Nicolaus Laurent, cognomento Malote candidam vestem, concedente Clemente 8. in nigram commutavit, anno 1608. Abbatiam nepoti suo Nicolao Seranville transcripsit anno 1634. quem sibi coadjutorem asciverat anno 1631.
23. Nicolaus Seranville, monasterium suum congregationi Nostri Salvatoris junxit anno 1656. Tanto bono, junxit malum, dum Abbatiam Midotio Canonico Tullensi, restaurationem ædificiorum,& alia mira spondenti resignavit anno 1660.

24. Carolus Midot, Bullas provisionis obtinuit die 1. Aprilis 1660. sub hac clausulâ, ut ipso cedente, vel decedente, aut aliàs dictum monasterium quomodolibet dimittente, illud ampliùs non commendetur, sed in pristinam tituli naturam reverti, eique de personâ regulari & idoneâ provideri debeat. Humanis exempto Midotio 20. Augusti 1699. per diuturnioris commendæ spatium, pristinæ pollicitationis immemore, in defuncti locum immissus est.
25. Joseph Sulpitius Pastoret, Canonicus Regularis, Augustâ Prætoriâ oriundus, vivis ereptus 1. Aprilis 1721.
26. Claudius Franciscus du Val, Canonicus Regularis, Coadjutor electus & confirmatus 16. Novembris 1720, ex San-Ludovici Argentinensis Pastoratu, quem per annos 27. summâ cum laude rexit, Abbatiæ Alteriacensis clavum ascendit anno 1721. diu, si fata votis respondeant, moderaturus.

Diploma Theoderici, Episcopi Metensis, pro Abbatiâ Alteriaci.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego T. Dei gratiâ Metensis electus. Domui de Alteriaco eam libertatem quam Stephanus beatæ memoriæ Prædecessor noster Metensis Episcopus, in pratis, campis, nemoribus & pascuis concessit, & confirmavit, eidem concessimus & confirmavimus. Et insuper tres sersas quas apud vicùm prædicta domus possidet, liberas ab omni redditu & exactione concessimus in perpetuum. Testes sunt Dominus Barnerdus Sacerdos, Magister Albricus, Magister Driamicus, Dominus Carolus, Dominus Teodoricus Advocatus de Rambervillâ, Widericus frater ejus, Dominus Poncio Dapifer, Bertrandus miles de Merlat, Balduinus miles de Danubrio. Anno ab incarnatione Domini 1176. indictione 9. epacta 7. concurrente 4.

Bulla Lucij III. pro Abbatiâ Alteriaci.

LUcius Episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Miloni Abbati Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Alteriacensis cæterisque fratribus, tam præsentibus, quàm futuris omnibusque aliis, Apostolicam benedictionem in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito revocet, aut robur (quod absit) sacræ religionis confringat. Ea propter dilecti in Domino filii vestri, justis postulationibus clementer annuentes, & præfatam Ecclesiam Sanctæ Mariæ Alteriacensis, in quâ divino mancipati estis obsequio sub beati Petri & nostrâ protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus qui secundùm Deum & beati Augustini regulam, in eâdem Ecclesiâ institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Prætereà quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia impræsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum scilicet qui nuncupatur Alteriacum, in quo Ecclesia præfata fundata est, cum decimis, & omnibus appenditiis suis, in terris cultis, & incultis, pratis,

aquis, sylvis, per terminos designatos, scilicet per duos Chillimontes, (*Chillemont*) per montem Alteriaci, per Chelmini guttam, (*La goutte ou source de Chillemont*) usque Mortaniam, & ex aliâ parte per Vadum sapinei (*Le void du sapiné*) usque Mossur, (*Moussoux*) & cunctas terras de Nurisai, censum minimè solventes, cum pasturis totius banni Rambertivillæ; locum de Guandeborzoch, (*la Souche*) cum decimis & pasturis totius banni de Nozuncurt (*Nossoncourt*) perpetuo jure tenendas, sub tali conditione quòd prædicta Ecclesia duodecim nummos Metensis monetæ capitulo Sti. Stephani singulis annis in synodo post festivitatem omnium Sanctorum persolvet, ita tamen quòd si aliqua in finibus Alteriaci ad ædificationem Ecclesiæ Dei sint in usibus utilia, nullo prohibente sive contradicente sumantur. Theodorico de Danubrio ejusdem loci Advocato, & cæteris ministerialibus annuentibus & laudantibus. Dimidium molendini de Anglemont, sub censu unius nummi à Stephano quondam Metensi Episcopo vobis concessum. Allodium quod Theodoricus Advocatus Rambertivillæ habebat apud Vicum, terram apud Nozuncurt quam Widericus miles de Spinis, consensu Widerici filii sui vobis dedit, cum decem jornalibus terræ, pro quibus & pro reliquâ terrâ sex nummos singulis annis villico ejus in festo Sancti Remigii persolvitis. Decimas de propriis laboribus vestris quos fratres vestri in horreo in prætaxatâ terrâ sito colligunt. Piscariam aquæ quæ Mortania dicitur inter Mossur (*Moussoux*) & Baldincham, (*Baldonchamp*) quam Theodoricus quondam Metensis electus quietè & absque omnium circummanentium inquietatione, possidendam vobis dedit. Ea libertate quod nullus infra metas, contra vestram voluntatem piscari præsumat, ita tamen quòd prædictus Electus castores & bannum ipsius loci in manu retineat. Sedem Molendini in banno de Nuzuncurt à prædicto Electo cum conductu aquæ per pratum suum quantum molendino necessarium fuerit vobis concessam. Tres sersas quas apud Vicum liberas ab omni redditu & exactione possidetis. Pasturas in banno de Volmecurt quas Theodoricus ejusdem Villæ advocatus sub censu unius nummi Tullensis monetæ vobis concessit, ita quòd in festivitate Beati Martini sive infra octavas villico de Volmecurt annuatim persolvitis. Decimas laborum vestrorum quas Guarinus sacerdos Rambertivillæ, & Albricus nepos ejus sub censu septem nummorum singulis annis in Kalendis Octobris persolvendorum vobis concessit. Decimas laborum vestrorum quas Cono presbyter Dillonis-villæ assensu Petri Leucorum Episcopi tam in segetibus quam in pratis & nutrimentis imperpetuum vobis concessit, sub censu duodecim nummorum Tullensis monetæ in Kalendis Octobris persolvendorum, & quidquid Willelmus miles Rambertivillæ in decimis Ecclesiæ vestræ & grangiarum vestrarum se fatebatur habere. Et quidquid fratres vestri ab Atrio de Joanmesni (*Jeanmenil*) & de Thiarmenni & supra elaboraverint, uxore sua laudante cum liberis suis, & Raynaldo clerico fratre suo, assensu Petri Leucorum Episcopi imperpetuum sub censu sex nummorum in festo Sancti Remigii persolvendorum, vobis concessit. Terras & decimas ad Ecclesiam Dillonis-villæ (*Glonville*) pertinentes quas Hermannus quondam Mediani Cœnobii Abbas assensu capituli sui tali conditione vobis concessit, ut in festo depositionis Sancti Jdulphi pro decimis uniuscujusque carrucæ singulis annis duos solidos Tullensis monetæ Ecclesiæ suæ persolvitis. Deci-

mam quam habetis à Gerardo Abbate Cœnobii Senoniensis, assensu Capituli sui à Villâ de Berrue & supra, & à Villâ de Thiarmesnil & supra, tam in nutrimentis quàm in agriculturâ sub censu duorum solidorum in nativitate Beati Joannis super altare Sancti Stephani in cellâ Danubrii (*Deneuvre*) persolvendorum fundum qui in communitatibus duarum Parrochiarum Distorchii (*Deftord*) scilicet & sanctæ Helenæ includitur, quem Galterus quondam Decanus Sti. Deodati assensu Capituli sui, sub censu decem & octo nummorum Tullensis monetæ annuatim in festo Sancti Deodati persolvendorum vobis concessit. Et quidquid Albertus miles de Froville habebat in pasturis nemorum Sti. Stephani, & in toto banno Rambertivillæ, & partem nemorum banni Danubrii præfixis terminis suis ab aquâ quæ Mortenia dicitur, usque ad alteram quæ dicitur Murz. Libertates prætereà quas bonæ memoriæ Stephanus quondam Metensis Episcopus, & Theodoricus ejusdem Ecclesiæ quondam electus domui vestræ in pratis, campis, sylvis, pasturis in eleemosinam concesserunt vobis, nihilominùs confirmamus. Sanè novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis decimas exigere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laïcos è sæculo fugientes liberos & absolutos ad Ecclesiam vestram recipere & eos absque contradictione aliquâ retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit absque Abbatis sui licentiâ de eodem loco nisi arctioris religionis obtentu discedere, discedentem verò absque communium litterarum cautione, nullus audeat retinere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressâ voce divina officia celebrare. Inhibemus insuper ne Ecclesias aut terras seu quodlibet beneficium Ecclesiæ vestræ collatum liceat alicui personaliter dari, sive alio titulo alienari, sine totius Capituli consensu, aut majoris & sanioris partis ejusdem. Si quæ verò donationes, vel alienationes aliter quàm dictum est factæ fuerint, eas irritas esse censemus. Ad hæc autem adjicimus, ne aliqui Canonici, seu Conversi, sub professione Domûs vestræ adstricti, sine consensu & licentiâ Abbatis & majoris & sanioris partis Capituli vestri pro aliquo fide jubeant, vel ab aliquo pecuniam mutuò accipiant ultrà pretium, Capituli sui providentiâ constitutum, nisi propter manifestam Domûs vestræ utilitatem. Quod si facere præsumpserint, non teneatur Conventus sine cujus licentiâ & consensu hoc egerant pro his aliquatenus respondere. Prætereà licitum sit vobis in causis vestris fratres vestros idoneos ad testificandum adducere, atque ipsorum testimonio si rectum fuerit, & propulsare violentiam & justitiam vendicare. Pro Crismate verò, oleo sancto, consecrationibus Ecclesiarum, ordinationibus Clericorum, qui ad sacros fuerint Ordines promovendi, sive Abbate deducendo ad sedem, sive ponendo, vel quibuslibet aliis Ecclesiasticis Sacramentis, nullus à vobis, aut sub obtentu consuetudinis, aut quolibet alio modo, quicquam audeat postulare. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, portionem cum Giezi se noverit habiturum, cujus factum exactione turpis muneris imitatur. Sepulturam prætereà ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri

-isset, (a) venit ad viam arctam, cui ex unâ parte mons, arborum densitate equitibus invius imminet, ex alterâ palus. Ibi Maherus ex insidiis erumpens Regnaldum nil tale suspicantem invadit, ipsum crudeliter trucidat, & comites

Hhh

sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat, salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Paci quoque & tranquillitati vestræ paternâ sollicitudine providere volentes, auctoritate Apostolicâ prohibemus, ut infra clausuras locorum, seu grangiarum vestrarum, nullus violentiam, vel rapinam, furtum committere, ignem apponere, seu minimè capere, truncare, vel morti dare præsumat. Decernimus ergò, ut nulli omninò hominum fas sit, præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre; vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac substantatione concessa, sunt usibus omnimodis profutura, salvâ Sedis Apostolicæ autoritate, & Diœcesani Episcopi canonicâ justitiâ. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita, nisi reatum suum dignâ satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere, de perpetratâ iniquitate cognoscat, & à sanctissimo corpore & sanguine Dei crucifixi Redemptoris nostri JEsu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri JEsu Christi, quatenùs & hic fructum bonæ actionis capiant, & apud districtum judicem præmia æternæ lucis inveniant. Amen.

Ego Lucius, Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Petrus, tituli Sanctæ Susannæ presbiter Cardinalis.
Ego Vivianus, tituli Sancti Stephani in Celio-monte presbiter Cardinalis.
Ego Cynthius, presbiter Cardinalis tituli Sanctæ Cæciliæ.
Ego Arduinus, presbiter Cardinalis tituli Sanctæ Crucis in Jerusalem.
Ego Matheus, presbiter Cardinalis tituli Sancti Marcelli.
Ego Laborans, presbiter Cardinalis S. Mariæ Trans-Tiberim tituli Calixti.
Ego Petrus, presbiter Cardinalis tituli Sancti Laurentii in Damaso.
Ego Theodinus, Portuensis & Sanctæ Ruffinæ Sedis Episcopus.
Ego Petrus, Tusculanus Episcopus.
Ego Paulus, Prenestinus Episcopus.
Ego Jacobus, Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Cosmedin.
Ego Arditio, Sancti Theodori Diaconus Cardinalis.
Ego Gratianus, Sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconus Cardinalis.

Datum Velletri... per manum Alberti, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbiteri Cardinalis & Cancellarii 14. Kalendas Julii, indictione 15. Incarnationis Dominicæ 1182. Pontificatûs verò Domini Lucii Papæ tertii anno primo.

(a) *Cumque Burgontiam transiret (Reginaldus) venit ad viam arctam . . .. ibi Maherus ex insidiis erumpens.* Burgoncia, gallicè *la Burgonce*, villa tractûs Stivagiensis, horâ & sesqui à Stivagio distat. In proximo, & qua iter est Alteriacum, imminent montes abietibus feraces, ad quorum radicem paludosa vallis dilabentes è montium jugis, aquas excipit. Eò loci paravit insidias Maherus, illic Reginaldum ex insidiis petitum interfecit, & in perenne necis cruentæ monumentum crucem lapidem erexere posteri, nunc extantem. Richerius scribit, non à Mahero, sed à Joanne servo Maheri, *cultello arrepto quem penes se*

ſpoliat. Quo perpetrato facinore ad arcem Domini à Horbourg, (a) quæ Bilifſtein in Alburiis appellatur, aufugit, ibique cum militibus impietate ſibi ſimilibus ad ſequentem Pentecoſten uſque latuit.

Verùm cum animus ſibi malè conſcius nuſquam tutus, aut quietus ſit, de ſuâ ſalute ſollicitus anxiè occaſiones impetrandæ veniæ diſquirebat. Intereà autem dum has animo verteret curas, Theobaldum Ducem, Friderici ſucceſſorem Religionis gratiâ, Pentecoſten apud S. Deodatum acturum accepit. Eò autem ſe clam conferens, rumores captabat, an aliquâ occaſione veniam, tam nefandi facinoris apud Ducem & juvenem, & ſuum ex ſorore nepotem impetrare poſſet. Sed poſtquam intellexit Regnaldi parentes Duci improperare, ſuo veluti conſenſu hoc perpetratum facinus, niſi ulciſceretur, ratus nullam ſpem veniæ ſibi relictam, ad Clarum-montem, ubi ſolitus erat commorari, clanculùm ſe contulit. Theobaldus ſolemnitate peractâ, feriâ tertiâ Pentecoſtes diſcedens à Sto. Deotato per Bellum-montem equitabat cum ſuis, & ecce Maherus factus ei obvius apud viculum, qui *Nompatelize* (b) vocatur, veniam ſupplex orabat. Theobaldus vehementi percitus irâ, cum imperaſſet proximo Simoni à Iglonvillâ, hunc perfodere, & Simon manum in Chriſtum mittere recuſaret, ipſe arrepto telo ſupplicem patruum perfodit, atque relicto ibi cadavere abiit, quod poſteà ad Sanctum Deodatum ſepulturæ gratiâ à fautoribus & amicis delatum, Chriſtianorum ſepulturâ indignum judicatum eſt. Quam ob rem deportatum ad Clarum-montem, quem vivens incoluerat, ſub tectum ſacelli Divæ Magdalenæ in ligneo ſarcophago appenſum, aliquandiù permanſit. Tandem in foſſam, in quâ feræ præcipitatæ capiuntur, projectum, lignis & lapidibus obrutum eſt. Talem meretur exitum impietas.

Atque hæc hactenùs, nam nequaquam ulteriùs progredi in perveſtigatione antiquitatum hujus Vallis eò mihi viſum eſt, in primis quòd exiſtimem, hæc utcumque digeſta, & rudiora fortaſſis, quam ut teneræ aures ferre poſſint, abundè ſufficere ad favores eorum, qui antiquitates admirantur ac magni faciunt, mihi conciliandos. Deinde quòd iniquum reputem ita deſperare de ingeniis noſtrorum, ut eorum ſedulitati nihil reliquum fiat. Ne itaque conqueri poſſint occaſionem ſibi peremptam, præter eà quæ ſtudiosè omiſi acta, geſtaque trecentorum penè annorum veſtiganda & exornanda ſtudioſiùs multò quàm mihi licuerit, relinquo. Lectores interim orans, ut noſtrum hunc laborem boni conſulant, ut eò loci apud ſe ſinant eſſe, quæ ſuæ utilitatis gratiâ parata ſunt.

---

habebat, Epiſcopum ter, in tribus locis, fuiſſe perfoſſum, in pectore, ſcilicet, *& bis à tergo.* Rem ita geſtam narrat Joannes de Bayon c. 100. Quare Herculanus qui actorem & autorem facinoris Maherum efficit, emendatione indiget. Corrigendus quoque, in eo quod Theobaldum 1. Ducem Lotharingiæ nepotem dicit Maheri ex ſorore: non ex ſorore, ſed ex proprio capite Maherus erat Theobaldi patruus, quippe qui frater Friderici, patris Theobaldi Ducis primi.

(a) *Ad arcem Domini de Horbourg quæ* Biliſtein *in Alburiis vocatur, aufugit.* Eſt arx eadem, ad quam Dux Fridericus concubinam Maheri compedibus aſtrictam miſit, referente Joanne Bayonenſi, cap. 97. *Erat autem caſtrum in Alſatiâ, juris ſui filij Theobaldi ratione uxoris filia Comitis de Daſporch unica, quam deſponſaverat Fridericus.*

(b) *Apud viculum qui Nompatliſe vocatur.* Nompatelise, latinè *Neopardus*, vicus eſt Stivagienſis agri, ſicut & Bellus-Mons, hodie vocatus *S. Michael*, ab Eccleſiâ in ejus honorem illic conſecrata. Ex Richerii chronico, non in villâ Neopardi, ſed in rivulo decurrente ſecus Neopardum Maherus à Theobaldo, confoſſus eſt lanceâ. Rivulus ille patriâ linguâ *Void de Paru* apellatur.

COLLECTIO ACTORUM ET DECRETORUM SACRI OECUMENICI CONCILII TRIDENTINI

IN DUAS PARTES DIVISA

PRIMA

CONTINET ACTA ET CANONES AB ANNO MDLI. AD ANNUM MDLII.

SECUNDA

MEDULLAM VOTORUM ET SENTENTIARUM PATRUM CONCILII SUPER PRÆCIPUIS MATERIIS PROPOSITIS IN CONGREGATIONIBUS AB ADVENTU EMINENTISSIMI CARDINALIS LOTHARINGICI CUM EPISCOPIS GALLIS, AB ANNO MDLXII. AD FINEM CONCILII.

AUTORE

NICOLAO PSALMÆO

Canonico Præmonſtratenſi, Abbate Sancti Pauli, & Virdunenſi Epiſcopo, ejuſdemque Concilii Secretario & Canonum Redactore.

PRIMA PARS
ACTORUM
ET
DECRETORUM
SACRI CONCILII
TRIDENTINI

Ab anno MDLI. usque ad 28. Aprilis MDLII.

Copia Litterarum quas Dominus Psalmæus recepit à Metropolitano suo ad comparendum in Concilio Tridentino.

Reverendo in Christo Patri Domino Nicolao Episcopo Virdunensi Amico nostro Charissimo.

SALUTEM & mutuæ benevolentiæ incrementum. Reverende in Christo Pater, amicè charissimè, Cum aliàs Superioribus annis, sicuti dilectio vestra novit, fœlicis Recordationis Paulus Papa tertius, ad tollenda Religionis nostræ dissidia, quæ potissimè in Germaniâ longo jam tempore, non sine totius Christiani orbis perturbatione & scandalo viguerunt, sacrum œcumenicum universale & Generale Concilium ad Civitatem Tridentinam indixerit, in quo plures publicæ & solemnes habitæ Sessiones, pluraque tam in causâ fidei, quàm reformationis promulgata decreta fuerint, & tandem dictum Concilium, ob certas legitimas causas suspensum, & prorogatum, nec sine debito consensu, extitit. Quapropter Sanctissimus in Christo Pater & Dominus noster Dominus Julius Papa tertius modernus, summoperè affectans Ecclesiam ad perfectam, & integram unitatem pacis, ac veram, sinceram & orthodoxam doctrinam reducere, & reponere, & nationis Germanicæ tranquillitati quantùm potest consulere, dictum œcumenicum Generale Concilium continuandum, & in eo statû, in quo reperitur, resumendum & prosequendum ad ipsam Civitatem Tridentinam reduxit, & reposuit, atque ad proximas Calendas Maji rursùs indixit, nec-non in proximis habitiis & celebratis Comitiis Imperialibus Augustanis, omnibus & singulis Principibus, cæterisque

Sacri Romani Imperii Proceribus, & Statibus præsentibus intimavit & notificavit, Nunciusque ejusdem Sanctissimi Domini nostri, ad Cæsaream Majestatem cum potestate Legati de latere destinatus, nobis Bullas indictionis & reductionis ejusdem Concilii porrexit, ac injunxit, & demandavit, ut hoc Concilium œcumenicum latiùs suffraganeis nostris insinuaremus. Præterea ex injuncto nobis à dicto Nuncio Apostolico, officio, & uti ex jure Metropolitico astringimur, exemplar dictarum Bullarum Apostolicarum collationatum, & manû Notarii publici subscriptum, præsentibus annexum dilectioni vestræ mittimus, eandem plurimum adprecantes, ut pro communi reipublicæ orthodoxæque nostræ Religionis utilitate, tranquillitate, & observantiâ ad proximas Calendas Maji in Tridentinâ Civitate, hujusmodi sacro universali Concilio continuando, & ad optimum finem deducendo, sub jurisjurandi, quo Sedi Apostolicæ astricta est, & sanctæ obedientiæ pænâ, personaliter adesse, & interesse non postponat. At ubi justo & legitimo aliquo detenta fuerit impedimento, suos nuntios & procuratores probatos, & graves viros sufficienti mandato instructos, ad dictum Concilium, tempore & loco prædictis, mittat & deleget, ac se de personali comparitione excusari faciat, ac impedimenta deducat. Et si qui Prælati sub diœcesi dilectionis vestræ resederint, qui de jure, aut consuetudine, vel privilegio Conciliis Generalibus interesse debent, & sententias in eis dicendi, ipsis permissa fuerit potestas, iisdem, & eorum singulis Concilium hoc Generale denunciari ac insinuari quàm primùm procuret, in hoc faciet dilectio vestra quod suo officio pariter incumbit. Quòd autem hæ nostræ litteræ dilectioni vestræ tardè afferantur, in causâ est noster à Comitiis Imperialibus Augustanis tardus recessus. Hæc volumus dilectionem vestram scire, ne de præmissis imposterùm ignorantiam aliquam prætendere possit. Quæ valeat fœlix & incolumis. Data ex arce nostrâ Crenbreitstein die quartâ mensis Aprilis Anno millesimo quingentesimo & quinquagesimo primo. Joannes Dei gratiâ Archiepiscopus Trevirensis ac Princeps Elector.

Cæsaris Litteræ, quibus eos ipsos ad Concilium invitat, quos Papa vocavit. Ergo ad Pastores Ecclesiarum nostrarum non pertinent, quia hi non fuerunt à Papâ vocati.

NOs Carolus &c. Electoribus, Principibus, & Venerabilibus omnibus Archiepiscopis & vocatis ad Generale Concilium indictum Tridentum 1. Maji aut qui ratione aut laudabili consuetudine eò venire debent, Salutem. Conspectum habemus Sanctitatem Papalem suâ paternâ & bonâ voluntate secundùm officium quo novissimè functus est, per litteras & per Legatos in ultimis Comitiis Imperialibus destinasse suos Legatos, ad incipiendum in nomine ejus Sanctitatis, Concilium Generale qui debeant ad eum diem comparere, ut rem aggrediantur. Et quanquam non dubitamus quin probè considerare sciatis paternas & mites admonitiones, quibus ob eam rem usi sumus tum ad vos, tum ad statûs Sancti Imperii in istis Comitiis, & quod nobis considerandum sit, quantùm momenti habiturum sit, cum ad universam Christianitatem, tum ad hanc laudabilem nationem Germaniæ, ut componantur negocia & dissidia quæ nunc sunt in nostrâ Sanctâ Religione, Ideoque sine dubio, sitis in illo comparituri Concilio ad diem, & negocia tractaturi ad id Concilium pertinentia, ad Dei gloriam & Christianæ doctrinæ,

ad omnium salutem & pacis conservationem, & tranquillitatem ac concordiam Sancti Imperii: Volumus tamen pro authoritate & officio nostro, & propter Christianam affectionem, quâ meritò cupimus promoveri tam sanctum & divinum opus, ut id primùm ad honorem omnipotentis Dei, deindè ob Christianam tranquillitatem, & concordiam, possit ad exitum perduci, Christianè & laudabiliter concludi, & difficultates & dissidia Christianæ Religionis secundùm veram Apostolicàm doctrinam ac intelligentiam componi & explicari, & omnes Sectæ, malæ institutiones aboleri & extirpari: noluimus omittere, ut nos admoneremus vos omnes paternè & humanè, ut quisque vestrum suo fungatur officio, utque ad id Concilium compareatis ad diem, ad Concilii negotia tractanda, & ad consultandum & tractandum de omnibus punctis & articulis, propter quos id Concilium institutum est, ita ut nichil affectioni pivatæ indulgeatis, sed negotium tractetis secundùm veram intelligentiam & doctrinam antiquorum Patrum & Sanctorum Apostolorum, ut Christianè omnia dissidia fœliciter componantur, quâ quidem in re, nos vobis plenè confidimus. Nam si non faceretis, & propter absentiam vestram hæc negotia differrentur, non conveniret istud cum vestro & Statuum consensu; sed esset contra officium & obedientiam, quam quisque vestrûm debet Sancto Petro & nobis, id quod nobis valdè displiceret. Itaque hac de re admonitos unanimiter volumus, ut deliberetis, & ita vos uti decet geratis, si enim istud facietis, unusquisque vestrum ex officio suo, nostræ voluntati parebit. Datum Augustæ Martij 23. 1551.

Aliæ Cæsaris Litteræ quibus mandat suis subditis, ut ad Concilium accedant, & illis omnibus salvum conductum & securitatem largitur.

CArolus Quintus, Dei gratiâ Romanorum Imperator semper Augustus &c. Mandamus omnibus & singulis nostris Electoribus, Principibus & Statibus sæcularibus Imperii, & omnibus dilectis fidelibus nostris subditis cujuscunque statûs & dignitatis sint, qui huc usque observarunt nostram Sanctam Religionem, qualem leges & statuta veteris Catholicæ Ecclesiæ præscripserunt; Sed & iis quoque qui ab eo tempore admiserunt & tenuerunt mutationem aliquam prædictæ Religionis, salutem & benevolentiam. Certò edocti sumus, Sanctitatem Papalem paternâ & propensâ voluntate exequendi promissa sanctitatis suæ, tam litteris quàm per Legatos in postremis Imperii Comitiis oblata; deputasse Legatos qui Sanctitatis ipsius nomine inchoent Concilium Generale Tridentinum indictum ad Calendas Majas, quo die Legati prædicti comparere debebunt & procedere in negotio Concilii, & quamquam non dubitamus quin omnes nostri Electores, Principes, & Prælati, spirituales & alii, qui vocati sunt ut compareant in illo Concilio Generali, aut qui alioquin jure vel laudabili consuetudine interesse tenentur, sine omni difficultate obedientes sint futuri, & certò compariturі prædicto die, ut operam navent in his quæ concernunt ipsius Concilii actionem, maximè quia postremis Comitiis, hic actis, vobis & aliis electoribus Principibus & Statibus Sancti Imperii obtulimus, & adhuc offerimus omnem operam & diligentiam nostram: ut juxta Comitiorum anni 1548. decreta, Concilium procedat, statusque mutationem Religionis experti, & Confessioni Augustanæ adhærentes, possint comparere, Legatos ad Concilium mittere, eòque ire, venire & securè libereque redire, ac causam suam abundè (ut æquum est) exponere,

quo hæc negotia ad fœlicem finem perducantur, ipsique Electores, Principes & Status Sacro-Sancti Imperii & alii qui Religionis mutationem admiserunt, sollicitè monerentur, ut sese ad futurum Concilium præparent uti decet, ne in posterùm conqueri aut prætexere possent, commoditatem, aut tempus sibi defuisse, & ad opiniones suas proponendas, quemadmodum hæc omnia fusiùs in actis utrorumque Comitiorum habentur: tamen quia & officii nostri Imperialis est & Christianus affectus noster impellit, ut tam divinum opus in gloriam primùm Dei Omnipotentis, deindè ad pacificationem & concordiam reipublicæ Christianæ promoveamus, ut ad Christianum & laudabilem exitum perducatur; Noluimus omittere quin vos paternè & clementer moneremus, eos maximè qui de Religione suâ ambigunt, & mutationem admiserunt, simulque omnes quos suprà attigimus, cujuscumque statûs ac dignitatis sint, ne parcatis labori, & diligentiæ, quin potiùs omni sollicitudine necessariâ incumbatis, ut exoneretis & tranquilletis conscientias vestras, proponendo intrepidè & liberè, vosmetipsi præsentes aut per Legatos coram Concilio. Virtute etiam officii, authoritatis & potentiæ nostræ, vobis omnibus & nominatim iis qui sibi non satis in Religione constant, & Concilio interesse voluerint, dedimus & permisimus, damus & permittimus commeatum tutum & liberum, eundi & redeundi securè & liberè, sine cujusque contradictione & impedimento, id quod clementer vobis significare volumus, ut secundùm hæc vos gerere non dubitetis. Valete. Augustæ nostræ Vindelicorum 23. Martii 1551. Imperii nostri 31. & Regni nostri 36.



SESSIO PRIMA
CONCILII TRIDENTINI.

Die Veneris primâ Maji anno MDLI. celebrata fuit Sessio in Æde Cathedrali Tridentinâ, in quâ Reverendissimus D. Marcellus de Crescentiis S. R. E. Cardinalis ad Sacrum œcumenicum Concilium Legatus, celebratâ de Spiritu Sancto Missâ, & invocatione ejusdem Spiritûs Sancti factâ cum Litaniis & orationibus solemniter dictis, jussit mandatum suæ Legationis perlegi. Deinde decretum sessionis per R.dum Archiepiscopum (*a*) Turritanum ex suggesto pronunciatum fuit; quæquidem sessio futura ad Calendas Septembris prorogata fuit, ob penuriam Episcoporum. Interim nihil ibi gestum est præterquam quòd habitæ fuerunt orationes à Doctoribus Hispanis diebus solemnibus, quibus Capella congregata fuit, ut penè deplorata essent Concilii negotia, nisi interim paulò antè Calendas Septembris advenissent præter multorum expectationem, Maguntinus & Trevirensis Archiepiscopi Principes Electores.

Die Lunæ ultimâ Augusti congregati sunt Patres in ædibus residentiæ Domini Legati, ubi tractatum fuit de loco sessionis Principum Electorum; & conclusum ut præcederent omnes Archiepiscopos, sine ullo tamen præjudicio aliorum. Deinde cum nihil esset huc usque in Congregationibus agitatum quod in sessione proximâ decidendum & publicandum foret: visum fuit Patribus prorogationem denuò faciendam ad quadragesimam usque diem tantùm; & interim discuterentur materiæ de Sacramento Eucharistiæ & de residentiâ Prælatorum.

SECUNDA

(*a*) Salvatorem Alexo.

SECUNDA SESSIO.

DIe Martis, prima Septembris celebrata fuit Sessio in Æde Cathedrali, in quâ Archiepiscopus (*a*) Calariensis celebravit Missam de Spiritu Sancto. Post Evangelium habita fuit Oratio exhortatoria ad benè beatèque vivendum, per Secretarium Concilii. Finitâ Missâ Reverendissimus Legatus, post invocationem Spiritûs Sancti, inchoavit Sessionem cum cæremoniis & precibus adhiberi solitis. Deindè decretum prorogationis ad quadragesimum diem, qui erat dies undecimus Octobris, in ambone per dictum Calariensem lectum fuit, quod omnibus placuit, nisi quòd Dominus Calagurritanus dixit sibi placere, exceptis his quæ in Congregatione matutinâ antè Missam factâ, proposuerat coram Patribus: nempe quòd in decreto adjicienda foret clausula *Sacra Synodus universalem Ecclesiam repræsentans*, (*b*) non tamen sine contradictione Legati, qui quidem Papam esse caput, nos verò membra allegavit, & quod pendente Concilio Constantiensi non erat Pontifex, saltem erat schisma; Insuper Generosus Comes de Monfort (*c*) exhibuit cum omni modestiâ & oratione in scriptis habitâ, eaque per Secretarium Concilii lecta, Mandatum Cæ-

(*a*) Balthasarus de Erodia.

(*b*) Hæc clausula stante Concilio, & in variis Congregationibus, à Patribus nonnullis desiderata sæpe fuit, præsertim in Congregatione habita 22. Jan. 1546. à Baccio Marcello Episcopo Felusano & pluribus Episcopis expetita fuit, ad majorem Concilii autoritatem, & à Conciliis Constantiensi & Basileensi usitatam. Augustinus Bonuccius generalis magister servorum, expungendam potiùs dixit ex novitate suâ, & veteribus Synodis ignotam. Favit opinioni Pighinus Rotæ auditor, addens superfluam fore, cum *Synodus universalis & œcumenica*, paris essent significationis, majoris autoritatis, & propter consuetudinem, minoris invidiæ. Joannes Maria Cardinalis de Monte, Concilii Protopræses, utraque sententiâ humaniter laudatâ, ad posteriorem accessit, tum quia Lutheranorum obtrectationibus non pateret, tum quia tempori oportuna non esset, ob Patrum paucitatem, & absentiam Oratorum. Subdidit non debere trahi in exemplum quud à Synodis Constantiensi & Basileensi gestum erat, cum ambæ in schismâ abierint, & fortè ob incertum schismatis tempus, hanc judicaverint apponendam esse clausulam suis canonibus, ut major eis conciliaretur autoritas. Abstinuere pro tunc Patres, ab urgendâ appositione hujus clausulæ quæ alteram inserebat ab iisdem Conciliis adjectam, qua Papalis dignitas tenebatur obedire sancitis à Synodo Ecclesiam universalem repræsentante. Sed pauló post auctâ Patrum frequentiâ, vehementiùs institerunt Episcopi Galli, Hispani & Itali, ut canonibus hæc clausula præfigeretur. Magno inde æstu agitata fuit quæstio, cui supersedendum dixit Cardinalis Paceco, ne calumniandi occasionem inde arriperent hæretici. Medius inter litigatores surrexit Hyeronimus Seripandus Augustinianæ religionis magister, dixitque pro tunc non agi, an perpetuò esset excludenda hæc clausula, sed an seponenda ad numerosiorem & florentiorem Concilii statum, & iis tantùm præponenda decretis, quæ altiora dogmata complecterentur. Hoc temperamento deliniti Patres quieverunt. Recruduit nihilominùs iterum in Sess. 3. diei 4. Februarii. Rursùs eam instauravit in Sess. 18. anni 1562. Archiepiscopus Granatensis, sed irrito conatu, & sub universalis & œcumenicæ Synodi titulo, canones prodierunt.

(*c*) Hugo Comes de Monteforti, Hermanni Comitis, & Cæciliæ de Liechtenstein filius, Veronicam de Sonnenberg desponsarat, & improlis moritur.

ſaris, quo deputabatur Orator Imperii ad Concilium : poſt cujus lectionem humaniſſimè exceptus fuit. Subindè lectum fuit Mandatum Regis Romanorum quo R. D. Federicus Nauceri Epiſcopus Viennenſis Orator ad idem Concilium deputatus fuit, qui pari modo admiſſus fuit. Deinceps intervenit Generoſus quidam Prothonotarius Reverendiſſimi Cardinalis Turnonii, ex parte Regis Francorum, qui litteras regias Legato præſentavit, & petiit ſe admitti ad declarationem nonnullorum articulorum nomine Regio, prout idem jam expoſuerat Smo. D. N. Julio & Senatui Cardinalium. At verò cum Litteræ Regiæ nonnullis Epiſcopis Hiſpanis primâ facie viderentur Concilii authoritatem minuere, propterea quòd in litteris Concilium vocaret Conventum, non ſine contradictione & tumultû admiſſæ tandem fuerunt, & lectæ ſine tamen præjudicio dictionis Conventûs, deindè declaratio Regia per eundem Oratorem lecta fuit, & Synodus reſpondit prout dictum eſt ſine præjudicio, & quod reſponſum daretur Regi ad futuras Seſſiones, & ſic poſt Benedictionem Legati ſoluta fuit Synodus.

Nomina Cardinalium, Oratorum, Archiepiſcoporum, qui aderant in hujuſmodi Seſſione, ſequuntur.

R.mus Marcellus de Creſcentiis, Cardinalis Legatus.
R.mus Cardinalis Tridentinus.
R.dus Epiſcopus Sypontinus, Præſidens.
R. Epiſcopus Veronenſis, alter ex Præſidentibus.
R.mus Sebaſtianus Archiepiſcopus Maguntinus, Elector.
R.mus Joannes Archiepiſcopus Trevirenſis, Elector.
Generóſus D. Comes de Monſort, Orator Imperii.
D. Franciſcus de Toledo, Regis Hiſpaniarum Orator.
R. Federicus Nauceri, Epiſcopus Viennenſis, Orator Regis Romanorum.
R. Archiepiſcopus Turritanus.
R. Archiepiſcopus Antiberenſis.
R. Archiepiſcopus Panormitanus.
R. Archiepiſcopus Calarritanus.
R. Archiepiſcopus Granatenſis.
R. Epiſcopus Segobricenſis.
R. Epiſcopus Majoricenſis.
R. Epiſcopus Caſtellarianenſis.
R. Epiſcopus Laucianenſis.
R. Epiſcopus Algarenſis.
R. Epiſcopus Micienſis, Suffraganeus Maguntinus.
R. Epiſcopus Siracuſienſis.
R. Epiſcopus Pzarenſis.
R. Epiſcopus Aurienſis.
R. Epiſcopus Pacenſis.
R. Epiſcopus Conſtantinenſis.
R. Epiſcopus Oſcenſis.
R. Epiſcopus Solonienſis, Suffraganeus Epiſcopi Herbipolienſis.
R. Epiſcopus Calagurritanus.
R. Epiſcopus Elnenſis.
R. Epiſcopus Monopolitanus.
R. Epiſcopus Leczionenſis.

R. Episcopus Onetensis.
R. Episcopus Tudensis.
R. Episcopus Lacoriensis.
R. Episcopus Cadinensis.
R. Episcopus Astoricensis.
R. Nicolaus Pseaume, Episcopus Virdunensis.
R. Episcopus Salaminensis, Suffraganeus Majoricensis.
R. Episcopus Bossanensis.
R. Episcopus Mutinensis.
D. Franciscus, Fiscalis Hispaniarum.
D. Secretarius Concilii.
Doctores Theologi non copiosa hominum turba.

Sequitur Decretum Prorogationis.

SAcro-Sancta œcumenica & Generalis Tridentina Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata, quæ in proximè præteritâ Sessione sequentem hanc hodie habendam, & ad ulteriora procedendum esse decreverat; cum ob inclitæ Germanicæ Nationis, cujus præcipuè causa agitur, absentiam, nec non magnam cæterorum Patrum frequentiam procedere hactenùs distulerit, de Venerabilium in Christo fratrum, & filiorum suorum Moguntini & Trevirensis Archiepiscoporum, sacri Romani Imperii Principum & Electorum, & complurium ipsius, aliarumque Provinciarum Episcoporum, sub hanc ipsam diem Adventu in Domino exultans, & dignas ipsi Omnipotenti Deo gratias agens, firmamque spem concipiens quàm plurimos alios tam ipsius Germaniæ, quàm aliarum Nationum Prælatos, & sui officii debito, & hoc exemplo commotos propè diem esse venturos, futuram sessionem ad quadragesimam diem, quæ erit undecima mensis Octobris proximè sequentis, indicit: & Concilium ipsum in statu in quo reperitur prosequendo. Cùm in prætertis sessionibus de septem Sacramentis novæ legis in genere & in specie, de Baptismate & de Confirmatione definirum fuerit, statuit & decernit de sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento, nec non quod ad reformationem attinet, de reliquis quæ ad faciliorem & commodiorem Prælatorum residentiam pertinent agi & tractari debere. Ac monet & hortatur omnes Patres, ut interim Domini nostri JEsu Christi exemplo, quantùm tamen humana fragilitas patietur, jejuniis & orationibus vacent, ut tandem placatus, qui in sæcula sit benedictus Deus, corda hominum ad veræ suæ fidei agnitionem, & Sanctæ Matris Ecclesiæ unitatem, ac rectè vivendi normam reducere dignetur.

Sacro-Sanctæ Synodi protestatio ante Galliæ Regis Litterarum lectionem facta.

SAcro-Sancta Generalis œcumenica Synodus, interpretando verba Litterarum Christianissimi Regis, ubi illam, *Conventum* appellat, in bonam partem prout de tanto Rege Christianissimo credendum est, ita ut de Conventû hoc legitimo, œcumenicum ac Generale Concilium faciente intelligantur, & protestando si aliter Litteræ intelligerentur, non esse ad ipsam Synodum directas, passa est quòd Litteræ Regis prædictæ legantur, & protestatur legi sine aliquo ejus præjudicio.

Litteræ Missivæ Regis Galliæ (a) ad Concilium Tridentinum.

HEnricus divino beneficio Francorum Rex. Sanctissimis in Christo & observandis summoperè Patribus Tridentini Conventûs. S. P. D. hoc inprimis visum est convenire, cùm cuidam singulari observantiæ nostræ, majorumque nostrorum in universam Ecclesiam, tum egregio prætereà studio ergà ordinem vestrum, Patres ornatissimi, quòd apud vos minimè nos quidem dissimulandum duximus, quibus causis, quàm justis quàmque necessariis non modò adducti vel impulsi, verùm etiam coacti simus, nullum Episcopum qui nostræ ditionis esset, Tridentum mittere, ad eum Conventum celebrandum, qui esset à Beatissimo Patre Papâ nostro Julio, indictus, nomine publici Concilii, eâque de causâ præscribenda breviter ad vos omnia curavimus, & quæ pro nobis exponenda, & quæ vobis ipsis, istâ dignitate, istâ gravitate hominibus diligenter & attentè perpendenda videbantur. Præsertim cùm nobis dubium non esset, valdè alienum à sapientiâ, prudentiâ, integritate vestrâ sanctissimi Patres, factum aliquod aut nostrum aut alteriùs cujusvis temerè condemnare, quòd perspectâ *dijudicatâque causâ vobis* facillimè probaretur. In iis itaque quæ pro causâ nostrâ scripta mittimus, sunt quæ partim communi omnium, *partim* quæ præcipuo jure aut profitemur ultrò, aut *aspernantur à nobis*, ac deprecamur, necessario quodam *& explorato* penè injuriæ ac contumeliæ metu, si quis à vobis retineatur humanitatis sensus, aut benignitatis, nimis vehementer ac præter modum videbimur oppugnari à nonnullis. *Quibus tamen* ne repugnaremus quidem si liceret nobis, ab omni justitiæ atque æquitatis instituto & suscepto semel patrocinio recedere. Sed *hæc omnia Sanctissimi Patres* non secùs ac honorarii arbitri comiter ac benignè *uti audiatis, ab eoque recitari patiamini*, cui has ipsas litteras ad vos nullâ aliâ de re dedimus, vos vehementer etiam atque etiam obtestamur, eaque sic accipiatis obsecramus, non tanquam ab ignoto, aut alieno, aut adversario profecta, sed velut ab eo qui hæreditario nomine Maximus, aut sicuti loquimur, Primus, & perhibeatur, & sit Ecclesiæ Catholicæ filius: quo quidem in domestico ornamento *obtinendo*, & in sustinendâ majorum nostrorum & virtutis & pietatis opinione pollicemur vobis, præstantissimi Patres, idque adeò nobis sumere audemus freti benignitate Domini nostri JESU CHRISTI recipimus, spondemus nos mirificam illorum animi magnitudinem, vigilantiam, sollicitudinem, fortitudinem, religionem *omni genere* præstaturos esse studiorum officiorumque nostrorum; tantùm abest, ut dum factam & illatam ab aliis injuriam necessariò cogimur repellere, aut traditam nobis à majoribus nostris Ecclesiæ Catholicæ charitatem deponere queamus, aut nostrâ sponte desinere prosequi quidquid ab eâ pertractatum, decretum, constitutum fuerit. Quomodò *videlicet* ab illâ pertractari, decerni & constitui par est: dum ne quid intereà sincero atque integro ab hæreticorum vecordiâ, Principi immerenti atque innocenti, aut captiosum comparetur aut contumeliosum. Sit Dominus noster Jesus Christus ipse qui auctor est, custos, etiam & conservator Patres *ornatissimi*, salutis, incolumitatis, dignitatisque vestræ. Valete. Ex Villâ Regiâ quæ fontis Bellæ-aquæ dicitur ante diem Id. Aug. 1551. Sic signatum HENRY. Et inferius DU THIER. In dorso litterarum fuerat scriptum: *Sanctissimis & observandis inprimis in Christo Patribus Conventûs Tridentini.* Pro-

(a) Has Henrici 2. litteras ex parte mutilatas, ad autografum Psalmæi restituimus, & emendationes italico caractere designamus, nec tamen inde clariores evadunt.

Protestatio Regis Christianissimi nomine facta.

HÆc sunt Sanctissimi Patres, quæ post susceptum primum agri Parmensis patrocinium à Christianissimo Rege, post exortam deindè eâ de re gravissimam, *sed injustissimam illam* quidem quærimoniam, post oblatum postremò proximum hunc tumultum, & certissimum civilium armorum, intestinique belli terrorem ostentatum, Rex ipse Christianissimus jussit, tum Beatissimo Patri Papæ nostro Julio, tum Sacro-Cardinalium Collegio profiteri denuntiarique, *quæ totidem propè verbis sunt deinceps exposita.* Cum facta quædam sua, quæ non modò reprehensione nullâ, sed etiam summâ laude digna essent, trahi tamen atque vocari in invidiam animadverteret, idque hominum quorumdam iniquâ interpretatione fieri, eoque dissensionum semina jaci, quærique materiam armorum, illud inprimis sedulò curavisse, ut *quoad* res integra esset, & consilii & facti totius rationem illius Sanctitati Collegioque accuratissimè redderet Paulus à Termis Orator suus vir Equestri dignitate clarissimus, idque *de* Concilio à se factum esse, ut si qua in animis illorum minus commoda de se opinio insedisset, ingenuâ illâ satisfactione revelleretur. Atque ita imminentibus malis, si repudiatâ pace occasiones armorum cupidius arriperentur, iret ipse obviam, & quoad ejus fieri posset, *tanto* ante refutaret. Itaque primum omnium illud proposuisse, id quod fecisset, ut ejus propugnationem susciperet, qui in fidem suam quasi in portum aliquem confugisset, se non videre quâ ratione à *quoque jure possit* improbari; quippe cum id non magis communis cujusdam esset humanitatis ad incertos & rerum & temporum casus, quam optimi maximique ac verè Regii & liberalis animi officium, nec æquum esse se deteriori conditione haberi quam cæteros. A se nihil astutè actum, nihil subdolè cogitatum, nihil commodi alicujus sui causâ gestum, sed unius Ecclesiæ tantummodò habitam esse rationem, pro perpetuâ quadam Francorum Regum ac majorum suorum consuetudine, qui illam ipsam non opibus solùm suis exornarunt, aut armis extulerunt, sed corpora etiam sua, gravissimis *illius temporis* periculis omnibus opposuerunt. Idque quod fieret illius causâ cœptum esse, his conditionibus esse testatissimum quas-*ipsas* pacis, concordiæque constituendæ obtulisset; quæ quidem eo semper *spectarent*, uti quâ de re agebatur, ea res ne Ecclesiæ aliquando, vel surriperetur, vel eriperetur, quam vellet perpetuò juris ejusdem ditionisque esse, idque unum tantoperè contenderet. Quæ cùm hujusmodi essent, neminem sanæ mentis existimare *posse*, *quæcunque* à se vel actum, vel susceptum, quod non maximum generosissimumque *Regem deceret*, *& hoc loco*, *& hoc animo Principem, qui se non modo abstinentissimum* præstitisset, sed etiam suis maximis sumptibus ac nonnullo suarum rerum dispendio Italiæ pacem, otium, libertatemque *obtulisset*, & omni suo studio conatuque Ecclesiæ dignitatem atque authoritatem *procurasset*; se præterea palàm denuntiasse ac testatum esse, si Beatissimi Papæ nostri Sanctitas hanc justam esse causam armorum decrevisset, ac proindè Italiam atque adeò universam penè Europam bello implicavisset, ex quo Ecclesiæ status convelleretur, tum mores, tum Religio, tum fidei ipsius causa in ultimum discrimen adduceretur. Maximo id quidem suo cum dolore futurum, sed sibi tamen nihil eorum merito imputatum iri, qui omnia antè fecisset, quominùs illa acciderent: omnesque propterea conditiones quæ modò & honestæ, &

temporis illius essent, non solùm ferre, verùm etiam *arripere* voluisset. Denique Concilii quod nuper indictum esset solutionem, quasi ad arma iretur, necesse erat consequi, sibi minimè assignari posse; Orare *etiam, atque etiam* obtestari enixiùs Summi *nostri* Pontificis Sanctitatem, considerare etiam atque etiam, quanta ex bello semel suscepto damna atque incommoda Reipublicæ Christianæ impenderent, eaque ne evenirent, quod pro pace tuenda facillimum *erat*, efficeret. Attamen cum hæc tot ac tanta ipse prose per supra dictum illum oratorem *suum* egisset, monuisset, denunciasset, hortatus esset, tantum abesse ut illis omnibus, quæ summoperè jure omni divino humanoque niterentur ullo modo Summus Christianorum Pontifex moveretur, ut *cum* pacem tranquillitatemque tueri *deberet*, controversias, dissidia, lites, si quæ ipsis inter se Principibus Christianis essent, vel minuere, vel funditus tollere, *ocium* atque securitatem omni ratione celebrando Concilio parare; Italiæ tamen funestissimum bellum concitare, quo totam mox Europam conflagrare necesse esset, nova excitare animorum dissidia, aditus ad Concilium omnes præcludere maluisse videretur, eamque omnibus suspicionem inducere, istam ipsam Concilii Tridentini indictionem non communis universæ Ecclesiæ utilitatis gratiâ repetitam esse, sed factam potiùs conditionem cum iis quorum privatis rationibus ac commodis illic inserviretur, nullo reclamante, nullo repugnante; videri certè Summi Pontificis *nostri* Sanctitatem se excludere, ac fructû optatissimi Concilii privare voluisse, id rerum initia, progressus, exitus Conciliorum Sanctitatis ejus videri declarasse, cum illâ de causâ, nec hoc tempore, nec hoc authore, aut bellum tam perniciosum, tanto *universæ* reipublicæ periculo suscipi, aut tantâ ejusdem *reipublicæ* jacturâ & calamitate geri debuerit. Claros sæpe-numero & admirabili quadam animi magnitudine Principes dissimulandis gravioribus injuriis pacem retinuisse, eoque modo restrinxisse initia communis incendii. Nunc quæsitam videri ultro & adornatam à quo minimè debuit flammæ istius perniciosissimæ ac luctuosissimæ materiam, constituendam fuisse, aut revocandam magis exemplo sanctitatis illius, Concilio ipso jam indicto veteris Ecclesiæ severiorem disciplinam ac speciem non labefactandam aut deformandam eam, quæ cùm paucissimorum hominum religione nititur, tum pauciorum multò honestate ac moribus agnoscitur, nec spargenda Christianis Principibus odiorum semina, nec objiciendam Petri Principis Apostolorum naviculam majoribus propè fluctibus quàm unquam ullâ majorum nostrorum memoriâ objecta sit, nec se ab eo Concilio, quod magnoperè *expedivisset interclusis itineribus arceri opportuisse*. Regem perpetuo suo sensu, non modo nomine Christianissimum, cujus cum tanta majorum beneficia in Ecclesiam existant, ipse in communi fidei atque Religionis causâ non hæserit *usquam* nec offenderit, nec titubarit ullo modo nec animo futurus sit unquam ab Ecclesiæ Catholicæ rationibus alieno, se facere non potuisse, quin apud illius Sanctitatem, apud Sacrum Cardinalium Collegium *dolorem suum exponeret*, ac verè & ex animo conquereretur, illudque tamen querendo tum precando postularet, *nec* alienum *existimaret* aut suo, aut majorum suorum more, quod deprecaretur quædam, hoc est (ut nunc *loquimur*) protestaretur ipse, quomodò quidem omninò protestatus est; sicut ab ipso sibi jure permissum esse non ignorabat, *videlicet* ne sibi gravissimis bellicorum motuum difficultatibus implicato, necesse esset Tridentum ad Concilium mittere suæ ditionis Episcopos, quippe quibus nec liber, nec tutus *eò* pateret accessus, neve ad ipsum Concilium, à quo excluderetur

invitissimus, *Generale*, totius Ecclesiæ Catholicæ aut haberetur, aut appellaretur, quin potiùs privatum existimaretur Concilium, quod videretur quidem quæsitum & expetitum, non reformandæ, restituendæque disciplinæ, nec *sectarum comprimendarum* studio, sed quibusdam obsequendi, *quorum* privatæ utilitatis magis quàm publica ratio *inita* esse videretur. Denique nec Concilii hujusmodi, eorumve decretis aut ipse, aut populus Gallicus, aut *ulli Ecclesiæ Gallicæ ministri* in posterùm tenerentur. Imò verò se testari palàm ac denunciare, ad eadem se remedia ac præsidia *descensurum* si necesse videretur, quibus majores sui Francorum Reges in re consimili, causâque uti consuevissent, nec sibi quicquam antiquiùs fore secundùm fidei ac Religionis integritatem, libertate & incolumitate Ecclesiæ Gallicanæ. Nihilominùs hoc se profiteri tamen, non hæc ita à se dici, quasi aut cogitaret ullo modo, aut haberet in animo meritam ac debitam à se Sanctæ Apostolicæ Sedi observantiam, & obediendi conditionem, aut excudere, aut imminuere, contra operam daturum esse, ut magis ac magis in dies se dignum probaret hoc christianissimi Regis cognomine, hocque maximi Ecclesiæ, & fidei protectoris elogio. Animi hujus sui ac studii *propensiones*, ad feliciora melioraque tempora reservari, cùm scilicet hoc humano generi, ac præcipuè reipublicæ Christianæ summis ipsius, ac populi totius Gallici votis Dei Optimi Maximi gratiâ tribuisset, ut honestè depositis armis quæ essent parùm modestè illata, & motiones componerentur, & hoc modo pax ipsa conveniret. Se prætereà cùm ab ejus sanctitate, tum ab ipso *sacro* Collegio postulare, uti ne molestè *ferrent*, si suam ipse professionem, *instationem*, denunciationem, deprecationem in acta referri peteret, sibique instrumenta his de rebus publicè confici, quibus quoties, aut tempora, aut res *suæ proposcissent*, uti posset ad superiorum omnium fidem, sibique ut ad singula responderetur, rogare, ut his de rebus omnibus *cæteros* Christiani nominis Principes, populos, civitates liceret certiores facere. „ Nunc itaque, Sanctissimi Patres, cum vobis promptum sit „ ac facile, nudum Christianissimi Regis animum, & explicatam apertamque „ facti Conciliique sui mentem prospicere, potestis etiam statuere nec hunc „ Ordinis istius Conventum ab illo sperni, nec authoritatem gravitatemque „ non magni fieri, sed præreptam potiùs hujus celebrandi facultatem quod „ vos ita accepturos confidit, Ornatissimi Patres, ut nec de illius Religione „ dubitare possitis, nec de animi erga vos totamque Ecclesiasticam admi„ nistrationem secùs ac commodum est judicare. In quo uno vestro judicio „ adversùs malevolorum & iniquorum hominum sermones satis sibi præsidii „ esse putat, satis adversùs suggillationes argumenti, ut in sui conscientiâ, „ & recordatione officiorum suorum conquiescat. HENRY. DU THIER.

Responsio (a) Synodi post Litterarum lectionem.

SAcro-Sancta & Generalis Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata intendens consultò & maturè, ac causæ cognitione adhibitâ & publicâ Sessione, prout vos facere elegistis, nec-non ipsius negotii qualitas requirit, vobis respondere, monet vos ut ad audiendam & recipiendam responsionem hujusmodi, primâ proximè futurâ Sessione, quæ erit die undecimâ Octobris proximè venturi, coram ipsâ Synodo omninò comparere debeatis. Dum-

(a) Hæc responsio, discordat ab eâ quam refert Pallavicinus l. 11, hist. c. 17. licet Sensum eundem præferat.

que Christianissimus Rex vester in suis litteris affirmat in civitate Tridentinâ adesse Concilium, acceptat admittitque libenter, personam verò vestram pro legitimâ ac omnia alia per vos dicta non admittit, nisi quatenus de jure id facere tenetur. Protestans nihilominùs nullum intereà ipsi Sacro-Sanctæ Synodo, ac prosecutioni ipsius Concilii, etiam per quæcunque per nos acta & gesta præjudicium generari, ac interim inhibet omnibus notariis ne instrumentum istius actûs vobis aut alicui tradant, nisi unâ cum adjectione suæ responsionis, & sui notarii subscriptione, aliter protestatur de nullitate.

CONGREGATIO.

Die Martis octavâ Septembris 1551. inchoatæ fuerunt Congregationes Patrum in palatio Legati, ubi propositi fuerunt articuli de Sacramenro Eucharistiæ per D. D. Theologos examinandi, an hæretici essent, & per Sanctam Synodum damnandi, videlicet.

PRIMUS ARTICULUS.

In Eucharistiâ non esse reverà corpus & sanguinem, neque divinitatem D. N. Jesu Christi, sed tantùm ut in signo.

SECUNDUS.

Exhiberi in Eucharistiâ Christum, sed spiritualiter tantùm manducandum per fidem, non autem sacramentaliter.

TERTIUS ARTICULUS.

In Eucharistiâ esse quidem corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed simul cum substantiâ panis & vini, ita ut non sit transsubstantiatio, sed unio hypostatica humanitatis, & substantiæ panis & vini, ita ut verum sit dicere, hic panis est corpus Christi, & hoc vinum est sanguis Christi.

QUARTUS ARTICULUS.

Eucharistiam institutam esse ob solam remissionem peccatorum.

QUINTUS ARTICULUS.

Christum in Eucharistiâ non esse adorandum, neque in festis venerandum, neque in processionibus circumgestandum, neque ad infirmos deferendum, & ejus adoratores esse veros idololatras.

SEXTUS ARTICULUS.

Non esse reservandam Eucharistiam in Sacrario, sed statim consumendam, & præsentibus dandam, & aliter facientes abuti hoc Sacramento, neque licere ut quis seipsum communicet.

SEPTIMUS ARTICULUS.

In hostiis seu particulis consecratis, post communionem remanentibus, non remanere corpus Domini, sed tantùm ibi esse dum sumitur, non antè vel post sumptionem.

OCTAVUS ARTICULUS.

De jure divino esse sub utraque specie, etiam populum & parvulos communicare, & propterea peccare eos qui negant populum alterâ specie uti.

NONUS ARTICULUS.

Non contineri sub alterâ specie, tantùm, quantùm sub utraque continetur, nec tantùm sumere communicantem sub alterâ specie, quantùm sub utraque.

DECIMUS ARTICULUS.

Solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendam Eucharistiam; neque ad id confessionem esse necessariam, sed liberam præsertim doctis, neque teneri hominem ad communicandum in Paschate.

Bulla

Bulla S. D. N. D. Julii divinâ providentiâ Papæ III. Novæ monitionis & requisitionis pœnalis Prælatorum, ut ad Concilium quantociùs possint personaliter, & non per procuratores accedant.

JUlius Episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Licet nos alias ex certis tunc expressis rationabilibus causis, Sacrum œcumenicum Generale Concilium per fœlicis recordationis Paulum Papam tertium prædecessorem nostrum indictum, ad civitatem Tridentum reducendum esse duxerimus, ac Venerabiles Fratres nostros Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos, nec non dilectos filios Abbates, omnesque & singulos alios de jure, vel consuetudine aut privilegio, Conciliis Generalibus interesse debentes, ut tunc proximè futuris, & nunc præteritis Cal. Maji in ipsâ civitate Tridentinâ, legitimo cessante impedimento convenire & se congregare, ac ipsius Concilii continuationi & prosecutioni incumbere vellent, per nostras litteras hortati fuerimus, prout in illis plenius continetur, ac dilectus filius Marcellus tituli Sancti Marcelli presbiter Cardinalis de Crescentiis nuncupatus, noster & Apostolicæ Sedis ad dictum Concilium legatus, & Venerabiles Fratres Sebastianus Episcopus Sypontinus, ac Aloysius Episcopus Veronensis, nostri & dictæ Sedis, ad in eodem Concilio, unà cum præfato Marcello Cardinali & Legato nomine nostro præsidendum Nuncii, eisdem Cal. in dictâ civitate adfuerint, & Concilium ipsum resumpserint, ac Sessionem in Cal. Septembris proximè futuris fieri ordinaverint, jamque æstivi calores præterierint, & ex ipsius Dei benignitate, annona aliquantò uberior nobis reddita sit, nec res humano victui necessariæ hoc tempore desint. Nihilominus præter Legatum & præsidentes præfatos, ac nonnullos Hispanicæ nationis Episcopos, pauci admodùm Prælati in dictâ civitate convenerint, in maximum prosecutionis ejusdem Concilii præjudicium, & in eo tractandorum dilationem. Nos qui indictionis & alias quascumque desuper confectas & publicatas ipsius prædecessoris litteras, cum omnibus & singulis in eis contentis litteris, clausulis & decretis in suo robore permanere volumus, & quatenùs opus esset innovavimus, ipsius prædecessoris, qui Prælatos & alios vocem in eodem Concilio ut præfertur habentes sub diversis pœnis iteratò monuit, vestigiis inhærentes, habitâ desuper cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus maturâ deliberatione, de eorum consilio & assensu, eosdem Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos ac Abbates & alios in Conciliis Generalibus residendi & in eis sententias dicendi potestatem habentes, de novo hortamur & monemus, ac in Domino requirimus, eisque in virtute sanctæ obedientiæ & in juramenti quod nobis & aliis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris præstiterunt, ac sub omnibus de jure, vel consuetudine in celebrationibus Conciliorum adversùs non accedentes ferri & promulgari solitis, aliisque in litteris prædecessoris hujusmodi, contentis, per eos nisi præsentibus cum effectu paruerint, incurrendis pœnis districtè præcipiendo mandamus, quatenùs ipsimet personaliter per seipsos, & non per procuratorem aut procuratores, quos solùm ad se in eodem Concilio, si fortè justo impedimento detineantur excusandum, & de eorum impedimento fidem legitimam faciendam, ita tamen quòd eodem impedimento cessante, ipsi personaliter & non per procuratorem aut procuratores comparere omninò teneantur, constituere posse uolumus, quantò citiùs poterunt ad eandem civitatem Tri-

dentinam accedere & continuationi & profecutioni Concilii hujufmodi adeffe & intereffe velint. Nec mandata procurationum pro aliquibus Prælatis, aut aliis vocem, ut præfertur, habentibus, nifi ad eos ut præfertur excufandum & eorum impedimenta deducendum & probandum recipere aut acceptare præfumant. Nos enim omnia & fingula mandata per Prælatos & alios prædictos ad aliud quàm eorum juftum impedimentum in Concilio hujufmodi allegandum & probandum, hactenùs facta & in pofterùm facienda, nulla, irrita, & inania, nulliusque roboris & momenti fore, ac folùm Prælatos & alios Patres in dicto Concilio præfentes, & pro ipfis-met præfentibus tantùm & non pro aliis, etiam fi ab eis mandata cum quacumque & plenâ & liberâ facultate & poteftate habuerint, vocem in dicto Concilio habere poffe. Sicque in præmiffis omnibus & fingulis per quofcumque, quavis authoritate fungentes, fublatâ eis & cuilibet, quâvis aliter judicandi & interpretandi facultate & authoritate judicari & interpretari debere, ac quicquid fecus fuper his à quoquam, quâvis authoritate fcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inanè decernimus. Non obftantibus quibus-vis conceffionibus, indultis & litteris Apoftolicis, fub quibufcumque tenoribus & formis, & cum quibufvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & infolitis claufulis, nec non irritantibus & aliis decretis, quomodolibet, etiam motu proprio conceffis, ac etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis, quibus omnibus, eorum tenores præfentibus pro fufficienter expreffis habentes, illis aliter in fuo robore permanfuris, hac vice dumtaxat fpecialiter & exprefsè derogamus, contrariis quibufcumque. Etiamfi Patriarchis, Archiepifcopis & aliis præfatis ab eadem fit fede indultum, quod interdici, fufpendi vel excommunicari non poffint, per Litteras Apoftolicas non facientes plenam & expreffam, ac de verbo ad verbum de indulto hujufmodi mentionem. Ut autem præmiffa omnia ad eorum quorum intereft notitiam deducantur, nullufqne de eis ignorantiam juftè prætendere poffit, volumus & Apoftolicâ authoritate decernimus, quod præfentes litteræ per aliquos curiæ noftræ curfores vel notarios publicos, in Bafilicâ Principis Apoftolorum de Urbe & Ecclefiâ Lateranenfi, dum inibi multitudo ad divina audiendum convenerit palàm & clarâ voce legantur, & lecta in earundem Bafilicæ & Ecclefiæ, ac Cancellariæ Apoftolicæ valvis, nec-non in Acie Campi-floræ affigantur, ubi ad lectionem & notitiam cunctorum aliquamdiù affixæ pendeant, & cum indè amovebuntur earum exempla, eifdem in locis remaneant affixa, per quæ earum tranfumptis manu notarii publici fubfcriptis & figillo alicujus perfonæ in dignitate Ecclefiafticâ conftitutæ munitis, certa & indubitata fides adhibeatur, prout præfentibus adhiberetur fi fuerint exhibitæ vel oftenfæ. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noftræ hortationis, admonitionis, requifitionis, mandati, voluntatum, decretorum, & derogationum infringere, vel ei aufu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præfumpferit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Apoftolorum ejus Petri & Pauli fe noverit incurfurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1551. fexto Cal. Septembris, Pontificatûs noftri anno fecundo. Gal. Aquinas à Latata.

Pro R. D. M. Cardinali Crefcentio

Joannes Lamiens.

A tergo fupra fcriptæ Bullæ hæc erant defcripta.

ANno à nativitate Domini 1551. indictione nonâ, die verò ultimâ mensis Augusti, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris & D. N. D. Julii divinâ providentiâ Papæ III. anno secundo: Præsentes retrò scriptæ litteræ affixæ, publicatæ & lectæ fuerunt, juxtà formam retrò scriptam litterarum Apostolicarum, ut moris est, dimissis copiis, affixis ad valvas seu portas Basilicarum Principis Apostolorum de Urbe, & Ecclesiæ Lateranensis, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in Arce Campi-floræ, dimissâ Bullâ originali affixâ per aliquod temporis spatium, & deindè dimissis copiis affixis ut suprà per nos Thomam Roger, & Joannem Freyle Præfati Sanctissimi D. N. Papæ Cursores.

Registrata apud Galeatium Secretarium. P. Gomez Magister Cursorum.

Articulis de Sacramento Eucharistiæ tam per Theologos quàm per Patres Synodi usque ad diem Lunæ Septembris 29. discussis, examinatis & condemnatis, confecti sunt Canones super hujusmodi Sacramento per deputatos ut super his Patres vota sua proferrent die Lunæ quintâ Octobris.

Canones de Sacramento Eucharistiæ in proximâ Sessione publicandi & in decimâ tertiâ tantùm promulgati.

CANON PRIMUS.

SI quis negaverit in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri verè & realiter & substantialiter Corpus & Sanguinem unà cum animâ & divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proindè totum Christum, sed dixerit tantùmmodò esse in eo ut in signo, vel figurâ, aut virtute. Anathema sit.

SECUNDUS CANON.

Si quis dixerit in sacro-sancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini, unà cum corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi: negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totiûs substantiæ panis, in corpus, & totiûs substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini: quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissimè transsubstantiationem appellat. Anathema sit.

TERTIUS CANON.

Si quis negaverit in Venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unâ quâque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione factâ (*a*) totum Christum contineri: Anathema sit.

QUARTUS CANON.

Si quis dixerit peractâ consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento, non esse corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantùm in usu dùm sumitur, non autem ante vel post, & in hostiis seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini: Anathema sit.

(*a*) Addita sunt hæc verba, *separatione factâ* ad petitionem Joannis Æmiliani, Tudætani antistitis Hispani, propter variantes Theologorum sententias, circa modum præsentiæ Christi in Eucharistiâ. Num scilicet sub qualibet particulâ hostiæ integræ Corpus Christi existeret, an verò post divisionem reperiretur tantùm sub particulâ qualibet. Delendas ejusmodi voces, plerique opinabantur, sed Patrum prævaluit sententia, quæ ad hæreses damnandas, non ad Theologorum opiniones proscribendas Concilium coiisse dicebat.

QUINTUS CANON.

Si quis dixerit, vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum; vel ex eâ non alios effectus provenire. Anathema sit.

SEXTUS CANON.

Si quis dixerit in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum, atque ideò nec festivâ peculiari celebritate venerandum, in processionibus secundùm laudabilem & universalem Ecclesiæ sanctæ ritum & consuetudinem solemniter circumgestandum, vel non publicè ut adoretur populo proponendum; & ejus adoratores esse idololatras. Anathema sit.

SEPTIMUS CANON.

Si quis dixerit non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem astantibus necessariò distribuendam, aut non licere ut illa ad infirmos honorificè deferatur: Anathema sit.

OCTAVUS CANON.

Si quis dixerit Christum in Eucharistiâ exhibitum, spiritualiter tantùm manducari, & non etiam sacramentaliter, ac realiter: Anathema sit.

NONUS CANON.

Si quis negaverit omnes & singulos Christi fideles utriusque sexûs cùm ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum, juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ. Anathema sit. (*a*)

DECIMUS CANON.

Si quis dixerit non licere Sacerdoti celebranti, seipsum communicare, Anathema sit.

UNDECIMUS CANON.

Si quis dixerit solàm fidem (*b*) esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum Anathema sit. Et ne tantùm Sacramentum indignè, atque ideò in mortem & condemnationem sumatur: statuit atque declarar ipsa sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habitâ copiâ Confessoris, necessariò præmittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium dicere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando deffendere præsumpserit eò ipso excommunicatus existat.

CONGREGATIO.

Die Martis & Mercurii sextâ & septimâ Octobris Congregatio Patrum celebrata fuit in ædibus Reverendissimi Legati, ubi responsio ad Regem Francorum lecta, & omnium suffragio probata fuit: Deindè salvus conductus Protestantibus concessus. Postmodùm visum fuit Patribus Canonem de communione sub unâ specie Laicis ministrandâ, usque ad diem Conversionis Sancti Pauli differendam esse, ut interim Protestantes super eâ re audirentur. Postremò Patres super Canonibus suffragia tulerunt. *Articuli*

(*a*) Joannes ab Ortega Franciscanus, Caroli V. Theologus, Canonem 9. temperandum volebat, adjectione explicante præceptum illud esse, non divini, sed Ecclesiastici instituti. Ambrosius Pelargus Dominicanus, Electoris Trevirensis Doctor acriori, sed iniquiori censurâ, hunc Canonem perstrinxit.

(*b*) Censuere nonnulli ad majorem Canonis elucidationem, debuisse Patres addere, *fidem vivam*, sed scrupulosa hæc distinctio displicuit, cum fides viva, charitatem importet, mortalis peccati nesciam.

Articuli in Materiâ Reformationis septimâ bujus mensis Octobris Patribus exhibiti.

PRIMUS.

Quòd Episcopus non moneatur ad comparendum personaliter, nisi pro causâ pro quâ venit deponendus.

SECUNDUS.

Quòd testes super indiciis etiam debeant esse omni exceptione majores.

TERTIUS.

Quòd causa debeat referri in consistorio & terminari per sanctissimum Dominum nostrum.

QUARTUS.

Quòd Episcopus possit procedere ad verbalem & realem degradationem constitutorum in sacris, absque numero Episcoporum, (a) sed illorum loco sufficiat habere juris peritos, in dignitate Ecclesiasticâ constitutos, si reperiantur.

QUINTUS.

Quòd ab Episcopo in causis criminalibus correctionis, visitationis, & habilitatis, vel inhabilitatis non possit appellari, nisi à diffinitivâ, vel à gravamine irreparabili &c.

SEXTUS.

Quòd causa similium appellationum si committi contigerit in Partibus, committatur Metropolitano, vel vicinioribus Episcopis.

SEPTIMUS.

Quòd reus appellans in casû, quo appellare licet in causis criminalibus prædictis, teneatur coràm Judice ad quem, producere processum primæ instantiæ, & illi infra certum terminum debeat concedi.

OCTAVUS.

Quòd Episcopus possit agnoscere tanquàm delegatus Sedis Apostolicæ super surreptione & obreptione litterarum, in quibus Clerici absolvuntur à delictis vel pœnis, in quibus per ipsum Episcopum fuerunt condemnati. Super quibus Patres dabunt vota die Veneris horâ XIX. in Congregatione Generali.

SESSIO TERTIA.

Dic Dominicâ XI. Octobris celebrata fuit Sessio perquàm solemnis in æde Tridentinâ, in quâ D. Episcopus Majoricensis (b) Missam de Spiritu Sancto celebravit. Archiepiscopus Turritanus (c) orationem doctam & prolixam.

Deindè Legatus Sessionem inchoavit cum debitis Cæremoniis.

Nnn

(a) De jure antiquo ad degradationem Episcopi, numerus decem Episcoporum requirebatur. Pro degradatione presbiteri, sex Episcopi desiderabantur. Vide Can. XI. Concilii Carthag. I. an. 349. & Can. X. Conc. 2. Carth. an. 390.

(b) Joannes Bapt. Campegius.

(c) Turritanus Arch. Salvator Alexo orationem habuit de Vener. Sacramento. Urbe Turritana à Lombardis anno 569. deleta, Archiepiscopatus ad Suffariensem civitatem ab Eugenio IV. translatus est anno 1441.

Orator Marchionis Brandeburgensis Electoris (*a*) mandatum suæ legationis exhibuit, orationem habuit, in quâ nomine procuratorio submittebat se diffinitioni Concilii Tridentini, quem Synodus obviis ulnis excepit.

Decreta tum doctrinæ & Canonum de Sacramento Eucharistiæ, tum reformationis morum per eundem Majoricensem è suggestu publicata, & omnium Patrum consensu probata fuerunt. Subindè Archiepiscopus Turritanus ascendit ambonem & cedulam (*b*) legit dilationem Canonis de Communione sub unâ specierum, continentem, quodque futura Sessio celebranda foret die Beatæ Catharinæ proximè sequenti, in quâ decideretur materia Sacramentorum pœnitentiæ & extremæ unctionis. E vestigio lecta fuit copia litterarum securitatis, sive salvi-conductûs Protestantibus in amplissimâ formâ concessarum.

Insuper Episcopus Biduntinus, nomine Cornelius, legit responsum (*c*) Synodi ad Regem Francorum, & sic benedictione acceptâ soluta fuit Sessio.

Decretum de Sacramento Eucharistiæ publicatum in tertiâ Sessione Tridentinâ, sub Julio III. Pont. Max. die 11. *Octobris M D LI.*

SAcro-Sancta œcumenica & Generalis Tridentina Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata, præsidentibus in eâ eisdem Sanctæ Sedis Apostolicæ Legato, & Nunciis; Etsi in eum finem, non absque peculiari Spiritûs Sancti ductû & gubernatione convenerit, ut veram & antiquam de fide & Sacramentis doctrinam exponeret, & ut hæresibus omnibus, & aliis gravissimis incommodis, quibus Dei Ecclesia miserè nunc exagitatur & in multas ac varias partes scinditur, remedium afferret; hoc præsertim jam indè à principio in votis habuit stirpitus convellere zizania execrabilium errorum & schismatum, quæ inimicus homo his nostris calamitosis temporibus in doctrinâ fidei, usu & cultu Sacro-Sanctæ Eucharistiæ superseminavit, quam alioqui Salvator noster in Ecclesiâ suâ tanquam Symbolum reliquit ejus unitatis & charitatis, quâ Christianos omnes inter se conjunctos & copulatos esse voluit. Itaque eadem Sacro-Sancta Synodus sanam & sinceram illam de venerabili hoc & divino Eucharistiæ Sacramento doctrinam tradens, quam semper Catholica Ecclesia ab ipso Jesu Christo Domino nostro, & ejus Apostolis erudita, atque à Spiritu Sancto illi omnem veritatem in dies suggerente, edocta retinuit, & ad finem usque sæculi conservabit, omnibus Christi fidelibus interdicit, ne post hac de Sanctissimâ Eucharistiâ aliter credere, docere, aut prædicare audeant, quam ut est præsenti decreto explicatum atque definitum.

(*a*) Joachimi, cujus orator Strasius, obsequia & obedientiam Concilio præstitisse creditur, ut Pontifex amoveret obstacula, quæ suscitarat, ne Fridericus Marchionis filius Archiepiscopatum Magdeburgensem adipisceretur ad quem fuerat à Canonicis postulatus.

(*b*) Orator Cæsaris Comes de Monteforti petiit à Patribus, ut supersederent à definiendis articulis de Eucharistiæ Sacramento, donec Protestantes accessissent ad Concilium. Varii in varias abiere sententias. Tandemque Legatus judicavit quæstiones de usu Calicis, de communione parvulorum, nec-non de sacrificio Missæ, Sessioni futuræ esse reservandas.

(*c*) Cum Amiotus Tridento discessisset tertio 7.bris absque Patrum responsis ad litteras Henrici 2. Regis Galliæ, ad fores Ecclesiæ citatus est orator, vel quispiam procurator Regis, qui Patrum responsa exciperet. Nemine comparente, ad Promotoris requisitionem & de præsidum assensu, lecta publicè fuit Concilii responsio à Biduntino præsule.

CAPUT I.

De reali præsentiâ D. N. Jesu Christi (a) & Eucharistiæ Sacramento.

PRincipio docet Sancta Synodus, & apertè ac simpliciter profitetur, in almo Sanctæ Eucharistiæ Sacramento, post panis & vini consecrationem, Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum atque hominem, verè, realiter ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri. Neque enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat juxtà modum existendi naturalem, & ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter præsens suâ substantiâ nobis adsit, eâ existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustratâ assequi possumus, & constantissimè credere debemus. Ita enim majores omnes nostri quotquot in verâ Christi Ecclesiâ fuerunt, qui de Sanctissimo hoc Sacramento differuerunt, apertissimè professi sunt. Hoc tam admirabile Sacramentum in ultimâ cœnâ redemptorem nostrum instituisse, cum post panis vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem, disertis & perspicuis verbis testatus est. Quæ verba à Sanctis Evangelistis commemorata, & à Divo Paulo posteà repetita, cùm propriam illam & apertam significationem præ se ferant, secundùm quam à Patribus intellecta sunt, indignissimum sanè flagitium est, ea à quibusdam contentiosis & pravis hominibus, ad fictitios & imaginarios tropos quibus veritas carnis & sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiæ sensum detorqueri, quæ tanquàm columna & firmamentum veritatis, hæc ab impiis hominibus excogitata commenta, velut satanica, detestata est, grato semper & memore animo præstantissimum hoc Christi beneficium agnoscens.

CAPUT II.

De ratione institutionis hujus Sanctissimi Sacramenti.

ERgò Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui ergà homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum: & in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamque communicare (a) mortem donec ipse ad judicandum mundum veniat. Sumi autem voluit Sacrementum hoc tanquam spiritalem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vitâ illius, qui dixit: qui manducat me, & ipse vivet propter me; & tanquam antidotum quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit nostræ futuræ gloriæ, & perpetuæ fœlicitatis, adeòque symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit, cuique nos tanquam membra arctissima, fidei, spei & charitatis connexione astrictos esse voluit, ut id ipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata.

CAPUT III.

De excellentiâ Sanctissimæ Eucharistiæ super reliqua Sacramenta.

COmmune hoc quidem est, Sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis, symbolum esse rei sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem.

(a) In Editis legitur, *In* Eucharistiæ Sacramento. (b) Annunciare.

Verùm illud in eâ excellens & singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur. At in Eucharistiâ, ipse sanctitatis auctor ante usum, est. Nondùm enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cùm verè tamen ipse affirmaret corpus suum esse quod præbebat. Et semper hæc fides in Ecclesiâ Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis & vini specie, unà cum ipsius animâ & divinitate existere, sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie, ex vi verborum, ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utrâque vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit non ampliùs moriturus, inter se copulantur. Divinitatem porrò propter admirabilem illam ejus cum corpore & animâ hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est tantùmdem sub alterutrâ specie, atque sub utrâque contineri totus integer Christus sub panis specie, & sub quâvis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie, & sub ejus partibus existit.

CAPUT IV.

De Transsubstantiatione.

QUoniam autem Christus redemptor noster, Corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit, ideò persuasum semper in Ecclesiâ Dei fuit, idque nunc denuò hæc sancta Synodus declarat, per consecrationem panis, & vini, conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus, quæ conversio convenienter & propriè à sanctâ Catholicâ Ecclesiâ Transsubstantiatio est appellata.

CAPUT V.

De cultu & veneratione huic Sanctissimo Sacramento exhibenda.

NUllus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles, pro more in Catholicâ Ecclesiâ semper recepto, Latriæ cultum qui verò Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione adhibeant. Neque enim ideò minùs est adorandum, quòd fuerit à Christo Domino, ut sumatur institutum. Nam illum eundem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit, *& adorent eum omnes Angeli Dei*, quem Magi procidentes adoraverunt, quem denique in Galilæâ ab Apostolis adoratum fuisse scriptura testatur.

Declarat prætereà sancta Synodus piè ac religiosè admodùm in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam & festo (*a*) die præcelsum hoc & venerabile Sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur: utque in processionibus (*b*) reverenter & honorificè

(*a*) Hoc festum ab Urbano institutum pro universali Ecclesiâ, jam invaluerat in Diœcesi Leodiensi ab anno 1230. Roberto Episcopo ad instantiam B. Julianæ de Monte Cornelii, approbante.

(*b*) Usus & ritus circumferendæ Eucharistiæ processionaliter exordium sumpsit à Joanne

honorificè illud per vias & loca publica circumferretur. Æquissimum enim est sacros aliquos statutos esse dies, cùm Christiani omnes singulari ac rarâ quâdam significatione gratos & memores testentur animos ergà communem Dominum & redemptorem, pro tam ineffabili & planè divino beneficio, quo mortis ejus victoria & triumphus repræsentatur, ac sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio & hæresi triumphum agere, ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris, & in tantâ universæ Ecclesiæ lætitiâ positi, vel debilitati & fracti tabescant, vel pudore affecti & confusi aliquandò resipiscant.

CAPUT VI.

De asservando Eucharistiæ Sacramento & ad infirmos deferendo.

CONsuetudo (*a*) asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam adeò antiqua est; ut eam sæculum etiam Nicœni Concilii agnoverit. Porrò deferri ipsam sacram Eucharistiam ad infirmos, & in hunc usum diligenter in Ecclesiis conservari, præterquàm quòd cum summâ æquitate & ratione conjunctum est, tum multis in Conciliis præceptum invenitur & vetustissimo Catholicæ Ecclesiæ more est observatum. Quare hæc sancta Synodus retinendum omninò salutarem hunc & necessarium morem statuit.

CAPUT VII.

De præparatione quæ adhibenda est, ut dignè quis Sanctam Eucharistiam percipiat.

SI non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sanctè; certè quò magis sanctitas & divinitas cœlestis hujus Sacramenti viro christiano comperta est, eò diligentiùs cavere ille debet, ne absque magnâ reverentiâ & sanctitate ad id percipiendum accedat; præsertim cum illâ plenâ formidinis verba apud Apostolum legamus: *Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum, *Probet autem seipsum homo.* Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantùmvis sibi contritus videatur, absque præmissâ sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quòd à christianis omnibus etiam aliis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuò servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessoris (*b*). Quòd si necessitate urgente sacerdos absque præviâ confessione celebraverit, quàmprimùm confiteatur.

Joanne XXII. si auctori historiæ Leod. Chapeaville credimus T. 1. c. 16. Antiquiorem hunc usum, probat Mabillonius à sæculo XI. viguisse in Normanniâ. Acta Ecclef. Tornacensis an. 1325. & Carnot. an. 1330. anteriorem Joanne XXII. hunc fuisse cultum evincunt in Occidentali Ecclesiâ, quem nescivit Orientalis.

(*a*) Consuetudinem asservandæ Eucharistiæ in Sacrario, testatur usitatam à primis sæculis, facultas indulta etiam laicis, illam ad proprios deferendi lares. Vide Cyprian. Tract. de lapsis. Basilium Epist. ad Cæsariam Patriciam. Gregor. Magnum. l. 3. Dialog. C. 36. Concil. I. Toletan. an. 405. &c.

(*b*) Circa necessitatem confessionis respectu hominis conscii pecati mortalis diversa fuit Theologorum & Patrum opinio. Alii votum, contritioni junctum suffi-

CAPUT VIII.

De usu admirabili hujus Sacramenti.

QUoad usum autem, rectè & sapienter Patres nostri tres rationes hoc sanctum Sacramentum accipiendi distinxerunt; quosdam enim, docuerunt sacramentaliter dumtaxat id sumere, ut peccatores; alios tantùm spiritaliter, illos nimirùm qui voto propositum illum cœlestem panem edentes fide vivâ, quæ per dilectionem operatur; fructum ejus & utilitatem sentiunt; tertios porrò sacramentaliter simul & spiritaliter, hi autem sunt qui ita se priùs probant & instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant. In sacramentali autem sumptione semper in Ecclesiâ Dei mos (*a*) fuit, ut Laici à sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent, qui mos tanquam ex traditione Apostolicâ descendens, jure ac merito retineri debet.

Demùm verò paterno affectu admonet sancta Synodus, hortatur, rogat & obsecrat, per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes & singuli qui Christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ symbolo, jam tandem aliquandò conveniant, & concordent, memoresque tantæ majestatis, & tam eximii amoris Domini nostri Jesu Christi, qui dilectam animam suam in nostræ salutis pretium, & carnem nobis dedit ad manducandum. Hæc sacra misteria Corporis & sanguinis ejus, eâ fidei constantiâ & firmitate, eâ animi devotione, ac pietate & cultu credant & venerentur, ut panem illum super-substantialem frequenter suscipere possint. Et is verè eis sit animæ vita, & perpetua sanitas mentis, cujus vigore confortati, ex hujus miseræ peregrinationis itinere, ad cœlestem patriam pervenire valeant, eundem panem Angelorum, quem modò sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi. Quoniam autem non est satis veritatem dicere, nisi detegantur & refellantur errores, placuit sanctæ Synodo, hos Canones subjungere, ut omnes jam agnitâ doctrinâ Catholicâ, intelligant quoque quæ ab illis hæreses caveri, vitarique debeant. *Canones vide supra.*

---

cere autumarunt post Cajetanum, Adrianum 6. Joan. Roffensem, Paludanum & Richardum, Ambrosius Pelargus Dominicanus, Melchior Canus, Reginaldus à Genua, quibus se adjunxit Franciscus Villarva Hyeronimitanus Granatensis Archiepiscopi Theologus, asserens obligationem hanc confitendi non ex divino mandato, sed ex laudabili Ecclesiæ consuetudine descendere. Alii verò oppositam sententiam tenentes, gravissimis Patrum & Theologorum dictis eam suffulcierunt, & laxiorem quorumdam Doctorum opinionem, hæreseos notâ inusserunt. Legatus Concilii præses, utrique parti, volens indulgentiùs parcere, judicavit abstinendum à qualificatione hæreticâ, sed tantùm rejiciendam esse sententiam & damnandam, quæ homines peccati mortalis conscios, asserebat immunes à necessitate confitendi. Jacobus Nanclantus Clodiensis Episcopus, vocem *Sacerdotes* priùs in Canonis contextu positam, in *confessarii* vocem immutari obtinuit, ne Sacerdos quilibet excipiendæ confessioni idoneus putaretur.

(*a*) Mos ille quem Concilium dicit in Ecclesiâ viguisse semper, non ad primæ Ecclesiæ tempora, nec ad omnes Ecclesias protendendus est, cum ætate Augustini mulieres exciperent linteaminibus corpus Christi. ser. 252. & Antissiodorense Concilium an. 578. Can: 36. statuat, non licere mulieri Eucharistiam nudâ manu accipere. Forsan Tridentini Patres hoc tantùm definire intenderunt, laicos à Sacerdotibus Eucharistiam consuevisse ab inveterato usu accipere, non verò per se ipsos hanc in altari accepisse manducandam.

Decretum super Reformatione, publicatum in Sessione babitâ 11. Octobris MDLI.

EAdem sancta Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata, præsidentibus in eâ ejusdem sanctæ Sedis Apostolicæ Legato & nunciis, intendens nonnulla statuere, quæ ad jurisdictionem pertinent Episcoporum, ut juxta proximæ sessionis decretum, illi in commissis sibi Ecclesiis eò libentiùs resideant, quò faciliùs & commodiùs sibi subjectos regere, & in vitæ ac morum honestate continere potuerint. Illud primùm eos admonendos censet, ut se pastores non percussores esse meminerint, atque ita præesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tanquàm filios & fratres diligant, elaborentque ut hortando & monendo ab illicitis deterreant, ne ubi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur. Quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda præceptio; ut illos arguant, obsecrent, increpent, in omni bonitate & patientiâ: cùm sæpè plus ergà corrigendos agat benevolentia, quàm austeritas, plus exhortatio, quàm comminatio, plus charitas, quàm potestas. Sin autem ob delicti gravitatem virgâ opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordiâ judicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina populis salutaris ac necessaria conservetur, & qui correpti fuerint emendentur, aut si resipiscere noluerint, cæteri salubri in eos animadversionis exemplo à vitiis deterreantur; cùm sit diligentis & pii simul pastoris officium, morbis ovium lenia primùm adhibere fomenta. Post ubi morbi gravitas ita postulat, ad acriora & graviora remedia descendere. Sin autem ne ea quidem proficiant illis submovendis, cæteras saltem oves à contagionis periculo liberare. Cùm igitur rei criminum plerumque ad evitandas pœnas, & Episcoporum subter fugienda judicia, querelas & gravamina simulent, & appellationis diffugio judicis processum impediant, ne remedio ad innocentiæ præsidium instituto, ad iniquitatis deffensionem abutantur. Utque hujusmodi eorum calliditati & tergiversationi occurratur, ita statuit & decrevit.

PRIMUS CANON.

In causis visitationis & correctionis, sive habilitatis & inhabilitatis, nec-non criminalibus, ab Episcopo seu illius in spiritualibus vicario generali, ante diffinitivam sententiam, (*a*) ab inter locutoriâ, vel alio quocumque gravamine, non appelletur, neque Episcopus seu Vicarius appellationi hujusmodi tanquàm frivolæ deferre teneatur. Sed eâ, ac quâcumque inhibitione ab appellationis judice emanatâ, necnon omni stylo & consuetudine, etiam immemorabili contrariâ non obstante, ad ulteriora valeat procedere, nisi gravamen hujusmodi per diffinitivam sententiam reparari, vel ab ipsâ diffinitivâ appellari non possit, quibus casibus sacrorum Canonum statuta, illibata persistant.

SECUNDUS CANON.

A sententiâ Episcopi vel ipsius in spiritualibus Vicarii Generalis, in criminalibus appellationis causâ: (ubi appellationi locus fuerit) si Apostolicâ authoritate in partibus eam committi contigerit, Metropolitano seu illius etiam in spiritualibus Vicario Generali, aut si ille aliquâ de causâ suspectus foret,

(*a*) Vide Cap. 20. sess. 24. hujus Concilii.

vel ultra duas (a) Legales diœtas distet, seu ab ipso appellatum fuerit, uni ex vicinioribus Episcopis seu illorum Vicariis, non autem inferioribus Judicibus, committatur.

TERTIUS CANON.

Reus ab Episcopo, aut ejus Vicario in spiritualibus Generali, in criminali causâ appellans, coràm judice ad quem appellavit, acta primæ instantiæ omninò producat, & judex nisi illis visis, ad ejus absolutionem minimè procedat. Is autem à quo appellatum fuit, intra triginta dies acta ipsa postulanti gratis exhibeat. Alioquin absque illis causa appellationis hujusmodi pròut justitia suaserit, terminetur.

Cùm verò tam gravia nonnunquàam sint delicta ab Ecclesiasticis commissa personis, ut ob eorum atrocitatem ex sacris ordinibus deponendæ & curiæ sint tradendæ sæculari, in quo secundùm sacros Canones, certus Episcoporum numerus requiritur, quos si omnes adhibere difficile esset, debita juris executio differretur; si quando autem convenire possent, illorum residentia intermitteretur: propterea statuit & decrevit.

QUARTUS CANON.

Episcopo per se, seu illius Vicarium in spiritualibus Generalem, contra clericum in sacris etiam præsbiteratûs ordinibus constitutum, etiam ad illius condemnationem necnon verbalem depositionem, & per se-ipsum etiam ad actualem atque solemnem degradationem ab ipsis ordinibus & gradibus Ecclesiasticis, in casibus in quibus aliorum Episcoporum præsentia in numero à Canonibus definito requiritur, (b) & jam absque illis procedere liceat, adhibitis tamen, & in hoc sibi assistentibus totidem Abbatibus, usum mitræ & baculi ex privilegio Apostolico habentibus, si in civitate aut Diœcesi reperiri commodè inveniri possint. Aliòquin aliis personis in Ecclasiasticâ dignitate constitutis, quæ ætate graves ac juris scientiâ commendabiles existant.

Et quoniam per fictas causas, quæ tamen satis probabiles videntur interdùm accidit, ut nonnulli ejusmodi gratias extorqueant, per quas pœnæ illis Episcoporum justâ severitate inflictæ aut remittuntur omninò, aut minuuntur; cùm non ferendum sit, ut mendacium quod tantòperè Deo displicet, non modò ipsum impunitum sit, verùm alteriùs etiam delicti veniam impetret mentienti, idcircò ut sequitur statuit & decrevit.

QUINTUS CANON.

Episcopus apud Ecclesiam suam residens, de surreptione & obreptione gratiæ, quæ super absolutione alicujus publici criminis vel delicti, de quo ipse inquirere cœperat, aut remissione pœnæ, ad quàm criminosus per eum condemnatus fuerit, falsis precibus impetratur, per se-ipsum tanquàm Sedis Aposto-

(a) Id est viginti milliaria sive decem leucas in die, juxta paragr. Qui autem. Instit. de *Excusat. Tutor. vel Curat.*

(b) Verbali depositione Clericus remanebat adhuc sub Episcopi potestate, & restitui ad pristinum poterat gradum. Actuali autem sive solemni degradatione clericus ad laicorum sortem redactus, recuperandæ dignitatis spem amittebat. Hinc à Theodosio sancitum, *Quemcumque clericum indignum officio suo Episcopus judicaverit, & ab Ecclesiæ ministerio segregaverit, continuò eum sibi curia vindicet, ut liber illi ultra ad Ecclesiam reversus esse non possit.*

Apoſtolicæ delegatus, etiam ſummariè cognoſcat, ipſamque gratiam poſtquàm per falſi narrationem aut veri taciturnitatem, obtentam eſſe legitimè conſtiterit, non admittat.

Quoniam verò ſubditi Epiſcopo, tametſi jure correcti fuerint, magnopere tamen, eum odiſſe, & tanquàm injuriâ affecti ſint, falſa illi crimina objicere ſolent, ut quòquo pacto poſſint, ei moleſtiam exhibeant. Cujus vexationis timor plerumque illum ad inquirenda & punienda eorum delicta ſegniorem reddit. Idcircò ne is magno ſuo & Eccleſiæ incommodo gregem ſibi creditum relinquere, ac non ſine Epiſcopalis dignitatis diminutione vagari cogatur, ità ſtatuit & decrevit.

SEXTUS CANON.

Epiſcopus niſi ob cauſam, ex quâ deponendus, ſivè privandus veniret, etiam ſi ex officio, aut per inquiſitionem ſeu denuntiationem, vel accuſationem, ſive alio quovis modò procedatur, ut perſonaliter compareat, nequaquàm citetur vel moneatur.

SEPTIMUS CANON.

Teſtes in cauſâ criminali ad informationem vel indicia, ſeu alias in cauſâ principali contra Epiſcopum, niſi conteſtes, & bonæ converſationis, exiſtimationis & famæ fuerint, non recipiantur, & ſi odio, temeritate, aut cupiditate, aliquid depoſuerint, gravibus pœnis mulctentur.

OCTAVUS CANON.

Cauſæ Epiſcoporum, cum pro criminis objecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice maximo referantur, ac per ipſum terminentur. (*a*)

Decretum prorogationis 4. articulorum de Sacramento Eucharistiæ, & Salvi-Conducti Proteſtantibus dati, publicatum in tertiâ Seſſione Tridentinâ, die 11. Octobris MD LI. ſub Julio III. Pontifice Maximo.

EAdem ſancta Synodus errores omnes, qui ſuper hoc ſanctiſſimo Sacramento repullularunt, tanquàm vepres, ex agro dominico evellere, ac omnium fidelium ſaluti proſpicere cupiens, quotidianis precibus Deo Omnipotenti piè oblatis, inter alios ad hoc Sacramentum pertinentes articulos diligentiſſimâ veritatis Catholicæ inquiſitione tractatos, plurimis accuratiſſimiſque pro rerum gravitate diſputationibus habitis, cognitiſque præſtantiſſimorum Theologorum ſententiis, hos etiam tractabat. An neceſſarium ſit ad ſalutem, & divino jure præceptum, ut ſinguli Chriſti fideles ſub utrâque ſpecie ipſum venerabile Sacramentum accipiant, & num minùs ſumat qui ſub alterâ quam qui ſub utrâque communicat, & an erraverit ſancta mater Eccleſia, Laicos & non celebrantes ſacerdotes, ſub panis ſpecie dumtaxat communicando, & an parvuli etiam communicandi ſint. Sed quoniam ex nobiliſſimâ Germaniæ

(*a*) Ob reverentiam Stæ. Sedis, cauſæ criminales & majores Epiſcoporum, quæ priùs, docente Petro de Marca, à Provincialibus Epiſcopis, Metropolita præſide judicabantur, Summis Pontificibus judicandæ reſervantur à Concilio Tridentino, anteriorum Conciliorum renovante diſciplinam.

provinciâ, ii qui se Protestantes (a) nominant, super his ipsis articulis, antequàm diffiniantur, audiri à sanctâ Synodo cupiunt, & eam ob causam fidem publicam ab illâ postularunt, ut ipsis tutò huc venire, & in hac urbe commorari, ac liberè coram Synodo dicere; atque proponere quæ senserint, & posteà cùm libuerit recedere liceat; sancta ipsa Synodus licet magno desiderio eorum adventum multos anteà menses expectarit, tamen, ut pia mater quæ ingemiscit & parturit, summoperè id desiderans, ac laborans, ut in iis qui Christiano nomine censentur, nulla sint schismata, sed quemadmodum eundem omnes Deum & redemptorem agnoscunt, ita idem dicant, idem credant, idem sapiant, confidens in Dei misericordiâ, & sperans fore, ut illi in sanctissimam & salutarem unius fidei, spei, & charitatis concordiam redigantur, libenter eis in hac re morem gerens, securitatem & fidem (ut petierunt) publicam, quam *Salvum-Conductum* vocant quòd ad se pertinet, ejus qui infra scriptus erit tenoris dedit, atque concessit, & eorum causâ diffinitionem illorum articulorum ad secundam sessionem distulit, quam ut illi commodè ei interesse possint, in diem festum conversionis Divi Pauli, qui erit XXV. die mensis Januarii anni sequentis indixit. Illudque præterea statuit, ut in eâdem sessione de Sacrificio Missæ agatur: propter magnam utriusque rei connexionem. Intereà sessione proximâ de Pœnitentiæ & Extremæ-Unctionis Sacramentis tractandum. Illam autem die festo Divæ Catharinæ Virginis & Martyris qui erit 25. Novembris habendam esse decrevit, simul ut in utrâque materiam reformationis prosequatur.

Salvus-Conductus.

SAcro-Sancta Generalis Tridentina Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata. Præsidentibus in eâ eisdem sanctæ Sedis Apostolicæ Legato & nunciis, omnibus & singulis sive Ecclesiasticis, sive sæcularibus personis universæ Germaniæ, cujuscumque gradûs, statûs, conditionis & qualitatis sint, quæ ad œcumenicum hoc & Generale Concilium accedere voluerint, ut de iis rebus, quæ in ipsâ Synodo tractari debent, omni libertate conferre, proponere & tractare, ac ad ipsum œcumenicum Concilium liberè & tutò venire, & in eo manere, & commorari, ac articulos, quot illis videbitur, tam scripto, quàm verbo offerre, proponere & cum Patribus, sive iis qui ab ipsâ sanctâ Synodo delecti fuerint, conferre & absque ullis vitiis & contumeliis disputare, nec-non quando illis placuerit, recedere possint & valeant, publicam fidem & plenam securitatem, quam salvum conductum appellant, cum omnibus & singulis clausulis & decretis necessariis & opportunis, etiam-si specialiter & non per verba generalia exprimi debeant, quæ pro expressis haberi voluit, quantùm ad ipsam sanctam Synodum spectat, concedit (b). Placuit præterea sanctæ Synodo, ut si pro majori libertate ac securitate eorum, cer-

(a) Protestantis appellatione Lutherani designantur, & suam denominationem à Carolo V. Imperatore sic eos compellante in Comitiis Augustæ Vindelicorum anni 1530. obtinuerunt.

(b) Salvum conductum. Sub alia verborum formâ, & ad tenorem illius quem Bohemis concesserant Patres Basileenses, confecerat Imperatoris juris-consultus, & per Franciscum Toletanum Legato consignarat, sed placuit præsidi alium effingere, qui à Lutheranis equivocæ securitatis insimulatus est, quasi locum daret Pontifici, salvo Concilii honore in Lutheranos sæviendi pro suâ voluntate. Sed cavillus est hæretici sibi malè conscii.

eos tam pro commissis, quàm pro committendis per eos delictis, Judices eis deputari cupiant, illos sibi benevolos nominent, etiamsi delicta ipsa quantumcùmque enormia ac hæresim sapientia fuerint.

Sacro-Sanctæ Tridentinæ Synodi adscripta Christianissimo Francorum Regi Responsio.

CUm ex proximâ sessione maximam hæc sancta Synodus lætitiam voluptatemque cœpisset, non solùm propter auctam Patrum frequentiam, adventu amplissimorum Germaniæ Præsulum, & eorumdem Principum ac sacri Romani Imperii Electorum (*a*), verùm etiam quòd à piissimo Imperatore, & ex Hungariæ ac Bohemiæ regnis, à serenissimo Romanorum Rege, Legati (*b*) viri ornatissimi cum litteris ac mandatis venerant, quæ fuerunt in eâ ipsâ sessione recitatâ, ac per eosdem dies ex litteris duorum clarissimorum Regum (*c*) Lusitaniæ & Poloniæ cognitum fuerat, illos quoque inclitos Reges in animo habere, Legatos suos ad sacro-sanctam hanc Synodum mittere, omnes tunc Patres collaudato Imperatoris & illorum Regum officio, atque ergà hanc sanctam Synodum reverentiâ, cùm meritas Deo gratias egerunt, quòd post tam diuturnas tenebras, maxima subitò lux Chistianæ Reipublicæ fulcisset, tum minimè dubium habuerunt, quin Rex Christianissimus pro suâ & majorum suorum dignitate suos ipse quoque Legatos Episcoposque missurus, ac in insigne quoddam studium Religionis & pacis atque unitatis Ecclesiæ esset declaraturus. Namque cum omnibus gentibus notum, quòd egregia Francorum Regum merita in rempublicam Christianam extiterint; cùmque illum Regem putandum sit, nec pietate ergà Deum, neque studio fidei Orthodoxæ, neque adeò magnitudine animi quoquàm illorum esse inferiorem: quis non existimarit firmum præsidium sanctæ huic Synodo & Catholicæ Ecclesiæ in ejus virtute & authoritate esse constitutum. Verùm cùm ipsius nuncius in concessum Patrum processisset, & litteræ allatæ unâ cum scripturâ quâdam illis adjunctâ, recitatæ fuissent, magno mox Synodus dolore & sollicitudine affecta est: quanquàm enim illæ modestè admodùm scriptæ erant nec parvam reverentiæ, quâ ille Rex hunc conventum prosequitur, significationem habebant, tamen difficultatem inde videri objici, unde auxilium expectabatur, quis non & vehementer admiraretur, & magnoperè doleret, sed etsi propter quasdam causas, opinionesque incommodas Regis animum offensum, & exulceratum esse apparebat, non propterea tamen hæc sancta Synodus spem de illo pristinam sibi abjiciendam putavit. Optimorum enim Consiliorum sibi & rectissimæ voluntatis conscia, præter spem quam in Deo Omnipotente sacrorum Conciliorum authore & præside habet maximam, ipsum Regem confidit, pro suâ prudentiâ meliùs secum perpensâ habiturum esse,

(*a*) Joannis d'Isenburg Trevirensis, Sebastiani Hensteisten Moguntini, Adolphi de Scanenburg Coloniensis.

(*b*) Hugo Comes de Monteforti Tridentum ingressus est 13. Julii, Orator nomine Imperii. Guillelmus à Pictaviâ, ex parte Belgicarum Provinciarum, ablegatus, 2. Sept. 1551. Synodo comparuit. Franciscus Toletanus Hispaniarum Orator, jam à die 29. Aprilis Tridentum advenerat & hi tres à Carolo V. Imperatore deputati. A Ferdinando autem Rom. Rege destinati Oratores accesserant, Gregorius Episcopus Zagubiensis, & Fridericus Nausea Viennensis Antistes.

(*c*) Rex Lusitaniæ Joannes 3. cujus Oratores die 5. Martii 1552. Tridentum pervenerunt, iique erant Jacobus de Sylva à sanctioribus Conciliis, Jacobus Gonea Theologus, Joannes Peez juris peritus.

cum officii ac dignitatis suæ rationem, tum communis Ecclesiæ utitilitatis, atque adeò salutis, ne plus apud Deum authoritatis & ponderis habitura esse, minùs recta forasse quorumdam Concilia, quàm sanctæ œcumenicæ, illiusque amantissimæ Synodi monita; quàm quidem libenter audire, & ejus authoritate moveri Christianissimus Rex debet, memor ejus quòd Dominus dixit: qui vos audit, me audit: ac primùm illa quam Rex Christianissimus non reticuit, omnibus omittenda suspicio est. Si qui sunt qui existiment, ab hoc sacro Concilio non communi Ecclesiæ utilitati, sed privatis alicujus commodis & rationibus inservìri. Etenim quibus de rebus agendum sit, disertè præscriptum ac diffinitum est binis litteris duorum Summorum Pontificum, quarum alteris, Concilium huc à Paulo III. fel. record. hujus prædecessore indictum est; alteris ab hoc ipso Pontifice Maximo in eandem hanc Urbem restitutùm. Res autem hæ sunt, extirpatio hæresum, reformatio morum, pax Ecclesiæ. Quæ tandem harum rerum cum toti Ecclesiæ utilis ac potiùs necessaria est, tum ab omnibus piis, ac verè Christianis principibus expetenda, & summis studiis adjuvanda. Hæreses jam pridem longè lateque non per Germaniam modò, unde ortæ sunt, sed per reliquas etiam ferè Provincias omnes, non sine miserabili animarum interitu atque strage, & maximâ divini cultus diminutione, pervagantur, corroborantur. Ea pestis, & in dies latiùs serpit, non absque novarum rerum periculo, qui tanto malo obviam ire cupiunt, hi proprio cujusque commodo ac non Dei Opt. Max. honori & animarum incolumitati inservire putandi sunt: Vetus illa & sancta majorum nostrorum disciplina jam pridem negligitur, populorum mores depravati majorem in modùm atque corrupti sunt; qui Ecclesiasticam disciplinam restituere, qui mores reformare, qui populos ad rectiorem vivendi rationem revocare conantur privatim, principi cuiquam consultum volunt? Postremò ob Principum discordias, quis nescit quantas respublica Christiana calamitates acceperit; quibus hoc propositum est, cùm Dei honori & animarum saluti prospexerint: verùm ii videntur uni alicui obsequi & gratificari cupere? an cum Principibus, tùm eorum populis Regnisque prospicere? non cadit profectò in hac sanctâ Synodo hæc suspicio. Aliena est atque abhorrens ab ejus fide & gravitate constantiâ, nisi verò existimandum est Patres in eâ congregatos, tam longè à sedibus & Ecclesiis tanto suo & suarum rerum incommodo, in hanc Urbem convenisse, quo cuipiam Principi fidem & religionem, & animas addicerent: illi verò pro loco, pro munere, pro ministerio ad quod à Deo vocati sunt, Principi Principum Christo primùm, deindè sanctissimæ ejus Ecclesiæ deserviunt, neque præcipuum alicujus commodum spectant, sed communem Christiani populi utilitatem & salutem intuentur. Quòd quidem cum principium ipsum indicare jam potuit, tum rerum exitus Deo juvante apertiùs declarabit. Quamobrem movere Christianissimum Regem minimè suspicio hæc debet, quòminùs sinat Episcopos regni sui huc venire: neque cum huic sacro conventui tantùm in litteris suis tribuat, cùmque perhonorificè semper appellet, de eo hujusmodi quidpiam debet suspicari. Quòd verò ad eam controversiam attinet, quæ propter Urbem Parmam exorta est, non dubitat hæc sancta Synodus, quin Pontifex Maximus totius sit facti & Concilii sui rationem redditurus, ipsis quidem Patribus nihil potest esse gratiùs quàm ut res ad pacem concordiamque deducatur, utcùmque autem ea res se-se habet, nihil privatum illud negotium, ad hoc quod publicum est pertinet, neque ob eam controversiam

Christia-

Christianissimo Regi recusandum censet hæc Synodus, quominùs ad Sacrosanctum hoc Generale Concilium sinat regni sui Episcopos venire, pluris enim à tam pio & Orthodoxo Rege universa Ecclesia facienda est, quàm unus ab eo in fidem, & is alienus cliens & stipendiarius receptus, neque Christianissimum Regem decet, propter privatam offensionem, officium ergà communem matrem deserere, & rem Christianæ reipublicæ maximè salutarem non adjuvare. Nam quòd accessus huc illis esse parùm tutus videtur, propter bellicos scilicet motus, hac excusatione minimè uti licet Episcopis, qui nec bello domi tenentur, & in locum quietum & pacatum & omni tumultu vacuum ad Concilium vocantur, & tutò illuc possunt pervenire: etenim fortasse metuunt, ut si fortè aliquâ de re actum fuerit, quæ illis minùs probetur parùm illis liberè quòd senserint liceat dicere? quod nequaquam illis verendum est. Non-ne Regius Nuncius, cum litteras à Rege attulisset, illas quidem non-nimis huic Sanctæ Synodo jucundas, in Patrum concessum admissus est, & cum liberè quidquid ei videretur diceret, attentè & patienter auditus est? an verò privato homini tantâ uti libertate permissum fuit, Episcopis illo honore, illâ dignitate præditis minùs liberè proferre quod senserint in hoc fratrum suorum cœtu licebit? illis verò liberè loquendi potestas erit: etsi venerint omni honore & studio cum suâ tantùm Regis causâ ab omnibus Patribus excipientur. Sin autem (quòd credere difficile est) muneri atque officio suo defuerint, quod more exemploque aliorum Generalium Conciliorum indictum, & in Spiritu Sancto jure & legitimè congregatum est, & huc tandem justis de causis restitutum, ubi ex compluribus provinciis Episcoporum adventus atque concursus, quotidiè fit frequentior, nec ejus acta atque decreta Sanctæ Apostolicæ & universalis Ecclesiæ minùs authoritate nituntur, unus est enim Christus, una ejus sponsa, unum corpus, catholica unica Ecclesia, quæ ut illa D. N. tunica fuit inconsutilis, ita ipsa singularis extat atque unica.

„ Quod verò testatur Rex (*a*) atque denuntiat, se si necessè fuerit ad eadem „ esse remedia descensurum, quibus majores sui aliquando usi fuerint, adduci „ non potest hæc Sancta Synodus, ut ita sentire arbitretur, aut omninò hu„ jusmodi quidpiam nec temporis quidem in causâ, unquam esse facturum, „ etenim quid tam alienum à Christianissimo Rege esset, quam ea instituta (*b*) „ quæ significat, revocare, quæ gravissimis de causis, non sine maximo Fran„ corum Regum commodo fuerunt jampridem abrogata atque sublata, quæ „ porrò tanta capiendi ejusmodi Concilii necessitas unquam poterit existere? „ nonne quoddam subire incommodum satiùs fuerit, quam tantam nobilissi„ mo illi Regno labem aspergere, tanto scandalo Deum omnipotentem & Ec„ clesiam Catholicam offendere? quàm verò alienum à prudentiâ Christianissimi „ Regis esset præter offensionem Dei atque Ecclesiæ, præter animæ & salutis „ æternæ periculum, omnibus seipsum commodis, beneficiisque privare, tum „ à Sede Apostolicâ anteà concessis, tum ab hoc ipso Pontifice Maximo tri-

Qqq

(*a*) Franciscus Vargas Regni Castellæ Sindicus generalis, asterisco sequentia verba notaverat, & dixerat expungenda, ne Regem Galliæ læderent, Patribus aliunde, sed præsertim Summo Pontifici infensum.

(*b*) Ea instituta, quibus alludit responsio, innuunt Pragmaticam sanctionem ex decretis Concilii Basileensis conflatam, & in Conventu Bituricensi anno 1438. confirmatam, sed à Leone X. uti *corruptelam Regni Franciæ*, abrogatam xix. Decembris, anni MDXVI, Francisco primo Rege annuente.

„ butis? hæc Sancta Synodus minimè timet ne Rex tam turbulentum consilium „ tamque inutile unquam capiat, neve plus dolori indulgeat, quam obtempe- „ ret rationi, „ illud ab eo potiùs expectat, ut Dei honori, Ecclesiæ tranquillitati, animarum saluti consulat atque prospiciat. Quibus quidem rebus fervire eas quas potiores habere omnes debent. Imprimis tamen quia constituti sunt Reges atque Principes, ut quò altiore honoris ac dignitatis gradu locati sunt, hoc in illum existant gratiores, tantum & opulentum Regnum Dei munere Rex adeptus, tantis prætereà beneficiis affectus, non operam dabit, non enitetur, ut quàm gratissimus esse in eum videatur, nec eum charissimæ Christi Domini nostri sponsæ, & sanctissimæ nostrûm omnium parentis Ecclesiæ, diuturnæ miseriæ calamitatesque movebunt? Jampridem vexatur, scinditur, laceratur, crescit in dies malum & vehementiùs ingravescit, nullam ampliùs dilationem ac moram interponi patitur. Cum tandem aliquando Sacra hæc Synodus in Spiritu Sancto excitata ad ejus salutem incumbere cœperit, Christianus simul Francorum Rex Henricus tam piorum & salutarium Conciliorum expers esse sustinebit? Non opem & fidem suam imploranti dexteram porriget? non fulciendis ejus ruinis manus admovebit? Nescio quam aliam occasionem expectabit, cum ille perpetuus Ecclesiæ adversarius atque hostis aliud minimè ipse tempus expectet, sed eam oppugnare, vexare, lacerare non desinat? absit ut ille nunc in tam gravi & necessario tempore desit Ecclesiæ! absit ut tantam quotidie fieri animarum jacturam negligat! Propria hæc quidem Episcoporum curatio, proprium hoc munus est Ecclesiæ unitatem tueri, & saluti animarum prospicere; sed tamen pii semper hoc Reges Principesque fecerunt, ut hujusmodi Episcoporum Conventibus authoritate & studio adessent suo, civitatum suarum Episcopos non ire ad eos solùm sinerent, verùm etiam hortarentur, Legatos suos mitterent, pietatem denique in eo suam toti terrarum orbi declararent, hoc idem facere clarissimum illum Regem, & huic sanctæ Synodo amabilem Principem oportet, si officio ac muneri suo satisfacere, si se dignum illo eximio præbere, cognomine *Christianissimi*, si Galliarum Ecclesiis quæ meritò illi Christianissimo subsunt studet consulere, si denique patrem suum vult piæ memoriæ Regem imitari: etenim is pro suâ præstanti pietate, & unitatis Ecclesiæ studio in hanc ipsam urbem ad Concilium lectissimos Regni sui Episcopos venire non solùm non prohibuit, verùm etiam unà cum eis Legatos (*a*) ornatissimos viros misit. Et eò magis hoc facere debet, quod jam Episcopi Galliarum à Pontifice Max. per litteras de restituto huc (*b*) Concilio certiores facti & ut venirent ipso sciente & consentiente Rege admoniti fuerunt. Quæ cùm ita sint fratres illos suos hæc sancta Synodus amantissimè ac studiosissimè in Domino hortatur & rogat, ut ad ipsam in cursu tam piarum actionum adjuvandam omni cunctatione omissâ huc se conferant; quod ipsorum munus sit, quod officium, quod tanta Ecclesiæ necessitas ab eis postulet ac potiùs efflagitet, quid Deo, quid Ecclesiæ suæ, quid univer-

(*a*) Franciscus 1. Legatos ad Concilium direxit 3. Kal. Aprilis 1545. Camerarium suum Claudium Dulfeum, Jacobum Lignerium, in Curiâ Parisiensi, tertiæ Judicum Decuriæ præsidem, & Petrum Danesium Suseonarum præfectum & posteà Episcopum Vaurensem. Tridentum pervenerunt 26. Junii MDXLVI.

(*b*) Ex decreto Sess. 8. translatum est Concilium Bononiam an. 1547. ob grassantem Tridenti popularem morbum. Reclamavit cum antistitibus septemdecim, Cardinalis Pacceco, sed spreta eorum oppositione, Legati die 12. Martii. iter Bononiæ ter arripuerunt. Illuc Rex Galliæ Oratores transmisit, cum Episcopis Gallicanis.

fali Synodo præstare debeant, minimè ignorent, ne recusent à Pontifice Maximo evocati atque admoniti, à fratribus suis & universali hac Synodo expetiti, ad res sanctissimas salutaresque gerendas, ad instaurandam Religionem, ad reformandos mores, ad pacem & unionem Ecclesiæ constituendam, accedere. Regem verò Christianissimum eadem hæc sancta Synodus per viscera misericordiæ D. N. Jesu Christi obtestatur, ut animi sui offensionem, ipsi Christo redemptori nostro velit submittere, & cæteris rebus omnibus Christianæ reipublicæ commoda anteponere, imitetur eos ipsos Principes quos propter hujus modi moderationem ac magnitudinem animi, & ob dissimulatas interdùm pacis retinendæ causâ graves injurias laudat; imitetur superiores Francorum Reges ac majores suos quos ob Ecclesiam non solùm illorum opibus exornatam, verùm etiam armis & corporibus ipsorum periculis oppositis deffensam, magnis meritò laudibus extollit: meminerit præclari illius cognominis, quòd ab illis acceptum perpetuò habens, de Christianâ republicâ merendo non minùs quàm regnum ipsum tueri & conservare debet, in quo si hujus sanctæ Synodi spei opinionique responderit, & fidelissimis ejus amantissimisque consiliis paruerit, maximam ab omnibus laudem & æternum à Deo præmium moderationis & pietatis suæ consequetur. Deus in cujus manu mentes & corda Principum sunt, Regium animum ad hæc consilia dirigat, quæ & Regi gloriosa, & Christianissimæ Reipublicæ futura sunt salutaria.

Prælati qui interfuerunt Sessioni III. Tridentinæ sub Julio III. Pont. Max. die 11. Octobris MDLI.

Reverendissimus & Illustrissimus D. Marcellus S. R. E. Presbiter Cardinalis Crescentius nuncupatus, Sacri Concilii Legatus & primus Præsidens. Romanus.
R. D. Sebastianus Pighinus Archiepiscopus Sipontinus, 2dus Præsidens. Regiensis.
R. D. Aloysius Lippomanus Episcopus Veronensis, 3. Præsidens. Venetus.

Cardinales.

R.mus & Ill.mus D. Christophorus Madruccius, tituli Sci. Cæsarii in Palatio, S. R. E. Cardinalis Presbiter & Episcopus Princepsque Tridentinus & Administrator Brixiensis. Germanus.

Sacri Imperii Principes Electores.

R.mus & Ill.mus D. Sebastianus Henseistein, Archiepiscop. Maguntinus. Germa.
R. & Ill. D. Joannes ab Issemburgh Archiepiscopus Trevirensis. Germanus.
R. & Ill. D. Adulphus ex Comitibus de Scanemburgh, Archiepiscopus Coloniensis. Germanus.

Oratores Cæsaris.

Illustr. D. Hugo Comes à Monfort, & Rotensels. Germanus.
Illustr. D. Franciscus à Toleto. Hispanus.
R. D. Guillelmus à Pictavia, Archidiaconus Campiniæ. Flandrus.

Oratores Ferdinandi Romanorum Regis.

R. D. Paulus Gregorian. Episcopus Ragubriensis. Hungarus.
R. D. Fredericus Nanseri, Episcopus Viennensis. Germanus.

Oratores Electoris Brandeburgensis.

Excell. D. Christophorus à Strassen, J. U. Doctor. Germanus.
Mag. D. Joannes Hoffmannus, Secretarius. Germanus.

Archiepiſcopi.

R. D. Salvator Salaputius, Archiepiſcopus Turritanus.	Sard.
R. D. Ludovicus Chiregritus, Archiepiſcopus Antibarenſis.	Vicentin.
R. D. Olaüs, magnus Archiepiſcopus Upſalenſis.	Gothenſ.
R. D. Petrus Taqliania, Archiepiſcopus Panormitanus.	Siculus.
R. D. Petrus Gnerrero, Archiepiſcopus Granatenſis.	Hiſpanus.
R. D. Balthazar de Heredia, Archiepiſcopus Calaritanus.	Sard.

Epiſcopi.

R. D. Thomas Campegius, Feltrenſis.	Bononienſis.
R. D. Gaſpar Joffredus, Epiſcopus Segrobricenſis.	Valentinus.
R. D. Coriolanus Marticanus, Epiſcopus Sti. Marci.	Neapolitanus.
R. D. Jo. Baptiſta Campegius, Majoricenſis.	Bononienſis.
R. D. Becardus Bonjoannes, Camerinenſis.	Romanus.
R. D. Joannes Fonſcea, Epiſcopus Caſtellimaris.	Hiſpanus.
R. D. Joannes Salazar, Epiſcopus Laucianenſis.	Hiſpanus.
R. D. Balthaſar Vauſiman, Miſienſis ſuffraganeus Maguntinus.	Germanus.
R. D. Petrus Vagnier, Epiſcopus Algarenſis.	Hiſpanus.
R. D. Hieronimus de Bononiâ, Epiſcopus Syracuſanus.	Siculus.
R. D. Richardus Patus, Epiſcopus Vigornienſis.	Anglus.
R. D. Eraſmus à Limpurgh, Argentinenſis.	Germanus.
R. D. Cornelius de Muſſis, Bitutinenſis.	Placentinus.
R. D. Jacobus Jacobellus, Bellicaſtrenſis.	Romanus.
R. D. Franciſcus Manricque, Epiſcopus Aurienſis.	Hiſpanus.
R. D. Franciſcus de Navarra, Pacenſis.	Hiſpanus.
R. D. Joannes Jobinus, Conſtantianenſis.	Hiſpanus.
R. D. Petrus de Auguſtinis Oſcenſis.	Hiſpanus.
R. D. Jacobus Naclautus, Olodienſis.	Florentinus.
R. D. Gregorius Elarh, Epiſcopus Solonen. Suffragan. Herbipolenſis.	Germa.
R. D. Joannes Bernardus Diaz de Luco, Calagurritanus.	Hiſpanus.
R. D. Michaël Puccius, Epiſcopus Elnenſis.	Hiſpanus.
R. D. Michaël à Turre, Setenenſis.	Utinenſ.
R. D. Octavianus Preconis, Monopolitanus.	Siculus.
R. D. Joannes Ferdinandi Teſmino, Legionenſis.	Hiſpanus.
R. D. Chriſtophorus Roſcius, Onetenſis.	Hiſpanus.
R. D. Joannes Emilianus, Tudenſis.	Hiſpanus.
R. D. Antonius Codina, Laconenſis. Suffraganeus Barchinonenſis.	Hiſpanus.
R. D. Martinus Aliala, Guadicenſis.	Hiſpanus.
R. D. Petrus de Acuqua, Aſtoricenſis.	Hiſpanus.
R. D. Nicolaus Pſeaume, Epiſcopus Virdunenſis.	Lotharingus.
R. D. Chriſtophorus, Conſtantienſis.	Germanus.
R. D. Franciſcus Salazar, Salaminenſis.	Hiſpanus.
R. D. Vincentius de Leone, Boſſanenſis.	Siculus.
R. D. Ægidius Faſcararis, Mutinenſis.	Mutinenſis.

Abbates.

R. P. Gerardus de Hamerincourt, Abbas Sti. Martini, Marinenſis Diœceſis. — Flandrus.

R. P. Mar-

R. P. Marcus de Brixia, Abbas Sancti Vitalis de Ravenna.
R. P. Eusebius de Parma, Abbas Sanctæ Mariæ Gratiar. Placentin. Diœces.

Alii Episcopi.

R. D. Lacier de Caravalla, Episcopus Placentinus.	Hispanus.
R. D. Franciscus de Benavides, Episcopus Meridoniensis.	Hispanus.
R. D. Gerardus de Pambaldis, Episcopus Civitatensis.	Veronensis.
R. D. Petrus Ponz de Leon, Episcopus Cinitatensis.	Hispanus.
R. D. Gaspar del Stuniga, Episcopus Segobriensis.	Hispanus.
R. D. Angelus Bragadinus, Episcopus Vicentinus.	Venetus.
R. D. Alvarus Mescosus, Episcopus Pampilonensis.	Hispanus.
R. D. Thomas de Plantanis, Episcopus Turiensis.	
R. D. Julius Phutqius, Episcopus Neumburgensis.	Germanus.

R. D. Christophorus Patavinus, Generalis Ordinis Heremitar. S. Augustini.

Doctores Theologi missi à S. D. N.

Jacobus Lainez, Hispanus.
Alphonsus Fermeco, Hispanus. } Congregationis Jesu.

Missi ab Imperatore.

Petrus Malvenda, Hispanus.
Joannes Arse, Hispanus. } Clerici Sæculares.

Melchior Canus, Ordinis Prædicatorum.	Hispanus.
Alphonsus de Castro, Ordinis Minorum.	Hispanus.

Missi ab Universitate Lovaniensi & Serenissimâ Reginâ Hungariæ Mariâ.

Quardus Quaper, Decanus & Cancellarius Universitatis Lovan.	Flandrus.
Joannes Leonhardus Fassolensis, Clericus Sæcularis.	Flandrus.
Franciscus Sonnius, Clericus Sæcularis.	Flandrus.
Jodocus Ramensthein, Ciletanus Clericus Sæcularis.	Flandrus.
Joannes Valtheri, Ordinis Prædicatorum.	Flandrus.
Joannes Mauthius, Aldernandensis Ordinis Minorum.	Flandrus.
Rogerius Juvenis, Ordinis Sancti Augustini.	Flandrus.
Alexius Candidus, Ordinis Carmelitarum.	Flandrus.

Qui sunt cum Sacri Imperii Electoribus.

Ambrosius Pelargus, Ordinis Prædicatorum cum R.mo Trevirensi.	Germanus.
Joannes Troperus Clinis cum R.mo Coloniensi.	Germanus.
Eberardus Billicus, Ordinis Carmelitarum cum R.mo Coloniensi.	Germanus.
Joannes Delphicus, Sæcularis Clericus cum R.mo Trevirensi.	Germanus.

Qui sunt apud D. Prælatos Clerici Sæculares.

Martinus Malo, familiaris R. D. Onetensis.	Hispanus.
Jacobus Ferrusius cum R. D. Segobriensi.	Hispanus.
Franciscus Joto cum R. D. Granatensi.	Hispanus.
Martinus Claveus, Procurator R.mi Cardinalis Augustensis.	Hispanus.

Melchior Vosmediano cum R. D. Episcopo Pacensi. Hispanus.
Petrus Frago cum eodem R. D. Pacensi. Hispanus.
Joannes Caballus cum R. D. Auriensi. Hispanus.

Regulares Ordinis Prædicatorum.

Reginaldus de Genua.
Aloizius de Catavia cum R.D. Panormitano. Siculus.
Bernardinus de Colloredo cum R. D. Lenentensi. Utinensis.
Didacus Xanes, Socius Patris de Cano. Hispanus.
Desiderius de Verona in Sancto Laurentio, Ordinis Minorum de observantiâ.
Alphonsus de Contreras, Socius Patris de Ortega. Hispanus.
Antonius Ulla, Socius Patris de Castro. Hispanus.

Ordinis Sancti Augustini.

Marianus Feltring, Prior Sancti Marci. Tridentinus.
Adeodatus de Senis cum R.mo D. Panormitano.
Franciscus cum Generali.

Ordinis Minorum Conventualium.

Sigismundus Feduus Dedicuta Umber cum R.mo Tridentin.

Ordinis Carmelitarum.

Desiderius de Panormi cum R. D. Bossanensi.

Ordinis Sancti Hieronimi.

Franciscus de Visargia cum R. D. Granatensi. Hispanus.

Litteræ Cæsaris ad R.dum in Christo Patrem & Dominum D. Nicolaum Episcopum Virdunensem, quibus monetur ne à Concilio Tridentino recedat.

Venerabili Nicolao (a) Episcopo Virdunensi Principi nostro devotè dilecto.
Carolus divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator Augustus.

VEnerabilis Princeps, devotè dilectè. Relatum ad nos est, devotionem tuam, nescimus quo colore aut prætextu, è Sacro-sancto Concilio oecumenico Tridenti congregato, discedere, ac domum redire constituisse, eamque profectionem suam summoperè urgere; quoniam verò discessus ille tuæ Devotionis hoc præsertim tempore, quo res Concilii in satis bonam spem erectæ sunt, non posset non ingens scandalum parere, atque adeò aliis Patribus in Concilio congregatis, occasionem præbere, de reditu ad suos cogitandi, deque causâ publicâ deserendâ, ideò hortamur Devotionem tuam seriò requirentes, ut istic omninò sese continere, ac nullo modo indè movere, sed publicam causam suâ præsentiâ juvare & provehere velit. Alioqui enim non possemus tuam profectionem non ægro animo ferre, neque prætermittere, quin ad privationem, & alias pœnas in novissimis nostris litteris monitorialibus ad Metropolitanos, & alios Imperii Prælatos directis, contra Devotionem tuam,

(a) Occasionem responsioni Cæsareæ dedit instantissima littera quam Psalmæus Perrenoto Atrebatum Episcopo scripserat pro impetrando regressu ad suam Ecclesiam. Tantæ verò & tam urgentis instantiæ genuinam causam præbuerat Cardinalis Crescentius Concilii præses, qui in Congregatione habitâ mense Septembris, in quâ de reformatione & commendarum abusu agebatur; Psalmæum liberiùs in commendas assurgentem, corripuerat in fellis amaritudine.

pro casus qualitate, procedere faceremus. Etsi meliora nobis de tuâ Devotione pollicemur, quam ut causam dare velit, quidquàm duriùs adversus illam cogitandi. Nam quòd ad Devotionis tuæ causas & controversias attinet, quas cum rectoribus Civitatis Virdunensis habet, nos interim daturi sumus operam omnem, ne quid præjudicii juribus ac præeminentiis tuæ Devotioni competentibus, propter hanc suam absentiam, generetur, sed omnia illi salva permanebunt; etsi quid interim Ecclesiæ tuæ acciderit, quòd nostram provisionem requirat, in eo, neque muneri nostro, neque Ecclesiæ illius rebus defuturi sumus. De quâ re Devotionem tuam certiorem reddendam duximus, quæ in parendo huic nostræ monitioni, & officium suum præstiterit, & voluntati nostræ morem gesserit. Datum in Civitate nostrâ Imperiali Augustâ Vindelicâ die tertio mensis Septembris. Anno Domini MDLI. Imperii nostri XXXI. Et regnorum nostrorum XXXVI.

CAROLUS. Ad mandatum Cæsareæ & Catholicæ Majestatis proprium.

Locus Sigilli. JOBERNBURGER.

Litteræ S.mi D. N. D. Julij, divinâ providentiâ Papæ III. ad Christianissimum Regem Francorum Henricum II. Ratione Belli Parmensis.

CHarissime in Christo fili mi, salutem & Apostolicam Benedictionem. Con tutte l'injurie & danni che mavete fatti, non posso se non desiderarui augmento & prosperità, sensa detrimento pero del stato mio, & di questa Sede. Per il che diro libera mente quel chè mi occorro, cossi per honorè & commodo vostro, come per il mio proprio, massime chè vedo, chè non havetè persona, laquale ardisca di dirui la verita, per distorui, sa dio piacera dall' impresa di Parma, mi bisogna di monstrarvi scia injusta. Dico adunque chè voi non haveté causa alcuna privata ne publica di pigliare protectione d'Ottavio contra di me, ma dovevate per causa privata, & publica conteneruene, quanto allo privata, egli non era vostro conjunto, ne dependente, ne servitor, n' in alcun modo interessato con voi, ma era bene conjunto dell' Imperatore essendo suo genero, & era dependente, & servitore, & interessato con me, essendo egli discesò de Papa Paulo per naturâ del quale io descendo per adoptione, & essendo mio feudatorio & stipendiato, & consalloniere, & Capitano Generale. Quanto alla publica, la ragione che l'Imperator non intrasse in Parma, non milita per che tutta Italia stava quieta, ne si vadevasegno o preparamento alcuno di nova gente in Lombardiâ, & io davo à Ottavio tre milia scudi il mese che li bastavano davanzo per guardarsi, fin che non si vedesse major necessita; oltra che ne ancora alla sede vacante, q'n l'haverebbe potuto fare senza offeza di persona particolare, ne di poi L'assumptione mia al Pontificato, s'era veduto movimento alcuno d'arme d'alla banda, d'esse Imperator, il quale era occupato à ridurre alla vera strada gli desviati dalla sede & religione nostra in Germaniâ, & à tranquillare quella provintia; & l'impressa era tale, che si poteva pensare che gli bastasse, & non havesse da d'ar molestia a chi non ne desse alui, come ancora si poteva pensare che una tale innovatione, la quale non si vedessi che potesse ess'er causata d'altra intentione che perturbar, i stati suoi l'havesse d'excitare apigliar l'armi contra chi si fosse, & dolersi di me, & riputar me ne colpevole & partecipe, quando io non havessi commandato à Ottavio

che desistesse, & poi che gli haveno commandato, & ckegli perseverava nella sua disubedientia, come poteva far di manco, di non procedere per ognivia contra di sui! dovevate dico contenervene per causa publica, vedendo offendevate, me tanto vestro amico! che forse non havete in altro maggiore, massime poi ch' io haveno rispostо ad vostro Ambassiator d'Urse, ch' io non potevo in alcun modo contentarmene; & poi ch' haveno scritto al mio nuncio una littera longa piena di ragione, per le quali voi dovesse contenervene, & poi che cento volte haveno fatto il medesimo officio con li Cardinali di Turnone, & di Ferrara, monstrando che potevate piu commodo da mericever & d'allo stato mio ch' da Ottavio & se pur non volevate contenorvene, non dovevate rispondere ad mio nuntio con parole contumeliose, ne publicare ad medesimo tempo, l'editto del Concilio nationale, ne correre cossi à furia à capitolar con Ottavio, ma andar un poco piu ritenuto, & cercàr d'havere il mio consenso, & di persuadermi con ragione come si fa fra gl'amici. Qual causa di diffidentia vi haveno yodato che vi dovesse anteporre, l'amicitia d'Ottavio alla amicitia mia! voi mi chiamate ingrato, per che essendo mio feudatorio il Duca di Ferrara, & il Duca d'Urbino, & casa Colonna, & casa Ursina, & casa Contesca, & casa Savella, con centenara d'altri signoretti, non ho voluto comportare, che con l'essempio d'Ottavio perniciosо imperpetuò à questa sede, il minimo di loro venisse col favore d'un Principe secolare a d'ar à me, & alli successori, miei delle ditta ne gl'occhi tutte le volte, che ben le venisse. Se per ordinatione dellâ providentiâ divinâ m'havete ajutato à fallire à questo grado, quo me buttat in facciâ, & io nò l'ho negato mai, doyevate volere mantenermici honorato, & non vituperato, & scornato; Potrei bene chiamar voi con quel nome che si conviene a un Re, il quale hafatto tutto quello chè puo, per che ries cha Papa uno suo amico, & di puoi sa subdito tutto quello chè puo per opprimerlo, vituperarlo, & sotterarlo, & farlo schiavo d'altri. Paragoni si un puoco il procedere vostro verro dime & il procedere mio verso di voi fino al giornò d'hoggi. Lasciaro i primi principii, & le justificationi chè sonno dal canto mio, per non replicar piu volte il medesimo. Quando ho veduta la ostinatione vostrâ, chè non vi havete vossuto lasciare, pregare, ne da tante raggioni, & precè mie, ne pur rispondermi una buona parola, non ho fatto ogn' opera non ho usato d'ogni humilta per restar vostro amico? non ho pregato li Cardinali, Ambasciator & tutti gl'huomini vostri, che sonno stati dalle bande di qua, che volessino far uffitio con voi, che facendo voi tutto quello che vi piacessi per mantenere Ottavio nella sua disubedientia & rebellione, nel resto stessi l'amicitia ferma fra voi & me: & voi subito con tutte le dimonstrationi vi sete voluto publicar per mio inimico in ogni conto. Mando Ascanio mio nipote, & vostro amore volmo servitor apregarvi di pace, & concordia, & amicitia, & voi il giorno Inanzi che gl'arivassi alla præsentia vostra spedesse Horatio à farlo mio ribello, & Pietro Strosziі, & altri fuorusciti & sbanditi quali non voglio nominare, & Capitani & gente dal Piamonte à Farmasâ allâ Mirandolâ: Do comissione alli miei conduttieri, che si discostino dal paese della mirandola, come dal foco, per rispetto vostro, & gli vostri senza alcuna provocatione venqono, al medesimo tempo a invadere tanto dishonestamente, il paese mio di Bolognia. Jo a tutte l'hore ho detto, & dico a ogn'uno ch'l vuole intender, che per amor vostro voglio capitulár con uno mio subdito,

ſubdito, far pace con carico mio, pur chevi foſſe l'honor voſtro, & voi in parole & in fatti, fate tutt' il peggio ché poſſete per dishonorarmi, levato di qua il voſtro Ambaſciator, havete levato gli Cardinali & Prelati, li quali yo potevo ritener juſtamente, havete licentiato il mio Nuntio, coſa che non fece la glorioſa memoria di voſtro Padre, verſo di Papa Leone, ché gli folſe lo ſtato di Milano, del quale era pacifico poſſeſſore, ne verſo P. P. Adriano, che gli fece la legua contro: yo ho ſalvato il Cardinal Farneſe, & il Cardinale Sto. Angelo ch' andavano in proditione, ho lo ſtato di caſtro in Mario, & ſo groſſa ſpeſa per la cuſtodia di eſſo, & non ſocco un piceiolo di quelle contrade, non obſtante la voluntaria rebellione d'Horatio, gli ſtroſzizanno il valore di pui d 100. mil. Scudi in ſu le porte di Roma, & non s'a dato ancor a loro danuo alcuno, n'al Fregoſo, n'al Bentivoglio, n'a molti altri miei ſubditi, ché poſſedeno molta robba nel dominio mio, per ſtar ſempré con le braccia aperte, per potermi riabbracciarmi con voi; & voi minacciate di tuormi l'ubedientia di regni voſtri: & credete di ſeuſarvi con dio, & con gli huomini per di re che conſervarete l'amicitia con la Sede Apoſtolica non ſo s'intendete la ſede di legno, o della perſona che ſede in eſſa. Qual neceſſita viſtringe a far una tanta novita? qual gratia m'eſtata mai domandata in nomine voſtro, che non l'habbia ſubito conceſſa? Voi date gli beneficii elettivi, qua li non do yo: & ſi bene nelli concordati ſono ecettuati li beneſitii vacanti in queſta corte ſonno non dimeno trovatè le cautele di huomini particulari, per le quali venite adar quelli ancora: mettete decime adoſſo alle chieſe a piacer voſtro, commandate a Cardinali, veſconi quello che vi pare & piace; niſſuna cauſa ni matrimoniale, ni benefitiale, ni ſpirituale vien mai in queſta corte: finalmente voi ſete piu che Papa nelli voſtri Regni; ſete amato, honorato, & riſpettato da me, & ſarete ſemper ſe vorrete. Non ſo à che propoſito vogliate diventar ſchiſmatico. Quando m'haverete fatto tanto dishonore che non poſſiate andar piu oltre, non penſate ch' io ancora m'habbi da cavar i quanti per pigliar la penna in mano, & far canoni canot. & ragione volmente pro defenſione della authorita mia, d' le cauſe che potrebbono ditpiacer à voi ancora! ſi e nitaſo il voſtro grande riſentimento de la lettera ch' yo vi ſcriſſi, querelandomi dell' inſulti fallominel paeſe mio di Bologna, non ch' parola ſia ni quella littera che ni poteſſe offendera non dovete coſſi irritarui delle parole vi dice un Papa cheſſo na attione della conſcientia voſtra, & ſua. Se rivederete l'Hiſtoria de Franza trovarete ch'i Papi, per cauſe aſſai piu legieri & piu excuſabili hanno parlato piu ſeriamente, con i re, & proceduto piu inanzi. Minacciate di mandar groſſo exercito, & venir perſonalmente in Italia: achefine, & con qual certeza di guadagno volete metterui in tanta rivoltura e diſpendio. Doue e gita la prudentia, la cautela del Conneſtabile. Non dico del Cardinale Loreno, per che ho inteſo, che egli non e in tutto netto di colpa in queſta impreſa di Parma; & alcune lettere ſue le quali ho vedute me ne fanno qualche fede. Douena il Cardinale di Loreno non ſolamente, non conſentire, che foſſino levati di quali Cardinali Turnone, & Ferrara li quali per laloro providentia & conſcientia che portano a voi & a me potaveno operar gran bene; ma douena egli ancora venire qua perſonalmente per ridurre l'amicitia & bona intelligentia fra voi, & me, vedendo che il diſparer nato fra poi, non era cauſato d'altro, che dal non eſſerſi inteſe le coſe per il verſo ſuo, per difetto

di ministri (poco intelligenti) di mala natura. Diffegia uno senatore antiquo Romano che la vecchiezza, & la indignita sua lo facevono impavido; potrei dire il medesino, & agjungere che la buona gjustitia qual so certo esser dal canto mio, & la conscientia di non vi haver mai offeso, ne mai di haver havuto pensamento d'offenderui in un pelo, ma disarui sempre cosa grata, mi fanno impavido. Et se pure in qual che parola i fussce pavido, confesso non esser meno per beneficio vostro, che per mio ho da star poco in questo mondo: & in quel punto che fui eletto Papa pensai di esser eletto al martirio: & forse sara mio successor uno nemico mio: voi sete un giovene, & hanno da succederui li figlivoli vostri medesimi: & pero trouvandoui, voi il pui felice Re. di christiani, & meglio ordinato nelle cose sue, dovete haver gran consideratione di non vi porre in tanto disordine, che si atroppo à consideratione d'uno Ottavio contra a un Papa, il quale nessuna cosa desidera piu che l'amicitia vestra: sono stato injuriato, vilipeso, & damnificato, non de meno vi dimando pace, con ogni humilta, non per paura la qual non cognosco per le cose supradette, ne per chivar spesa, ma per evitar il paragone di haver a esser superato d'uno amico, & benefactor mio, qual sete voi, o vero disuperar voi, non mi parendo che questo paragone metta conto ne a voi, n'a me; ma che metta conto a voi, & a me, dinnir. Si contese, & non andar piu manzi con la discordia: nella pace s'ha da servar l'honor nostro, & la securozza d'ell' Imperator, & mia, la quale non vi potrebbe esser, s'Ottavio non usassi di Parma, l'honor nostro vi sarebbe ogni volta ch' Ottavio havesse honesta ricompensa, la quale non si mancarebbe di dargli, ancora che egli non la meriti, & casa Jarnesa fussi conservata indemne: al ch'io credo che l'Imperator quanto alla parte ch'i farnesi hanno nello stato suo condescenderebbe per sua bonta, & per amor vostro & mio, & se vorrete accio ch'il mondo conossa che venite alla pace per vostra virtu, & con per alcuna necessita, o forse ch'io vi mandi uno Cardinale, o un mio nipote a pregarvene lo faro molto volunticri, etsi bisognassi ch' io anclassi dall' Imperatore, & ch' yo venisse da voi permetter pace fravoi dui, no' ricussarei fatica, ne periculo alcuno della persona mia, pur che vedessi yo di poter far qualcha buono effetto. L'Eletto di Burdeos hadetto al mio nuncio che voi mi chiamate inconstante, per che pare che vi parli in un modo, & facci in un altro. Di nissuna cosa in questo mundo io manco professione che dell' inconstantia, ne credo di meritar questo nome: vi dimando la pace hora con tutta l'inconstantia ch' yo posso, & con ogni summissione: & non dimeno non resto di farle debite provisioni, & diligentia per puotér resistér alla forza: & questo Giorno d'hoggi che scrivo la presente mando denari allo exercito: non per questo penso, o credo di possér essér ch'iamato inconstante, nevedo repugnantia alcuna, che per esso effetto Jo vi habbia fatto demandar la pace: & per mie litteræ vi habbia Chiesto Ristoro & emendationi didanni, liquali vi ho dimandato, non per irritarvi, ma excitarvi tanto piu alla pace, come Principe Christianissimo, al quale delba dispiacér il danno che li innocenti patiscono, massima mente pro la guerra. Ne vorrei che in questo v'ingannassi, che la colpa fosse la mia, come intendo che solete dire tal volto, per che yo non ve toglio le littere vostre, deffendo li subditi disobedienti, & non ho cercato altro, ne cerco, che diri durre il mio vassallo & subdito all'obedienza, & chi lo deffendo & ajuta a mantenersi nella disubedientia, & la resistentia al

braccio secular invocato pro giustitia; & servati tutti i termini della ragione, si puo dire ch' habbia la colpa della guerra, & ch' offenda Dio, & il proximo: & sel vostro Confessore, & qualunche altro vi persuade altra, non amano l'honor vostro, ne la salute dell' anima vestra. Faro qui fine con pregar Dio ch'ui inspiri a pigliar deliberatione degna di voi stesso, & corrispondente al saggio ch' havete dato prima ad mondo della pieta & religion' nostra, & a farui cognoscer qual sia il vestro debito verso di me, suo Vicario in terrâ ben ch' indignissimo com' io conoscero sempre qual sia l'mio debito verso di voi. Datum Nel Pallazo mio Apostolico alli 4. di Septembre 1551.

JULIUS III.

Risposta Sanctissimo Padre.

PEr il Secretario del vescovo di Mirapoys ch' questi Giorni prossimi verso me, e arrivato in questo luoqo, jo ho ricevuto la lettera di XIII. del passato ch' a V. Sta. hapiacciuto di Serivermi, in laquale mi fa intender, ch' in breve ella mi deve inviare uno suo Legato, il quale yo ricevero conquello honore & riverentia che debbo & porto a quella da parte del quale verra: & mi trovara disposto a tutte le cose raquionevole per provenire alla reconciliatione tra noi, laquale no desidero meno di quello che fa un figliolo labuona gratia del Padre: & non era punto necessario Pater Ste. usare queste cermionie meco, per che tutto qllo che verra, in buona parte sa ra preso & riceputo da me, come per una rimonstratione & admonitione paterna, alla quale yo maccommodaro, & confermero sempre secundo la ragione, & lubedienza figliale, ch' io l'hoportata ordinariamente, voranno & promete ranno, & quanto al primo capo, dove olla dice, che con tutte l'injurie & danni ch' yo l'ho fatti ella non puo si non desiderarmi augmento & prosperita, senza pero il detrimento dello stato suo, & della Sede Apostolica. Io non posso che affettamente ringratiarla del suo buono & honesto desiderio: supp.la accedér che io non ho hauto, ma di far ingiuria alluoqo, al quale yo debbo di finire, ne moltó meno, daugmentarvi, & preservarvi dalle spese del stato detto del quale di miei predecessori sonno stati in ogni tempo augmentatori, desensori & conservatori, & volendo in questo sequire & imitare labuona & laudabile intentione loro: yo mi sonno ingerito cossi inanzi alla assumtione di V. Sta. al Papato, & durante la vacatione di quella come di poi, a intercessione del Duca Ottavio, di pigliar la protectione di Parma, per conservar alla Sede Apostolica il suo feudo, & il suo Vassallo, al quale si cercava di farli perder, come per l'usurpationi cominciate sopra quello, & altre verisimili conjecture, & stato assai aperta mente notorio per tutta Italia, per che non ho yo per questa causa suscitata la guerra, ne si disturbi; ansi pensavo esser mezzo per evitargli pigliando questa protectione in mano mia, movendo mi quella id profitto lutilita & laccressimento che si puo vedere: & non dimeno si sonno sparsi in questa parte li miei buoni officii per pessimi, correndo pervia hostile & inhumana sopra il territorio & subditi della Mirandola, li quali dal tempo del Re mio Padre si sa esser' nella protectione della corona di Franza, allegando per colorir la cosa alqune incursioni fatte sul Bolognese da certi diquelli, che yo tenevo nella Mirandola, solamente persavorir la ricolta, li quali per nostra loro quanto io havessi grato quello che fecero, furono incontinente

cacciati & mandati via, prima che legenti di V. Sta. Venissero nel territorio della Mirandola, laquale ella tiene ancora assediata, piu (come in penso) per satisfattione alvolere, & appetito de glialtri che per male che la mi voglia, ne per consequentia a quello che mi socca, io mi debbo assicurar come so, sopra le parole & discorsi che V. Sta. mi fa, in detta sua. Et quanto a me mi sento in tutte lo mie attioni cossi ben questificato verso Dio, & il mondo, circa le differentie che sonno tra noi, che nissuno mi puo impugnare, ch' io habbia fatto cosa da potersi frovar altio che bona & ragionevole, ne che sia cotio la conscientia, honor, & debito mio. Jo comprehendo parmiente che V. Sta. per le ragioni che discorre in detta sua, vole inferire altro tanto del caso suo, ma in tutto questo non ci e ch' un sol punto da notar', cioe ch' ella desidera la pace, & me la dimanda, ancora che non posso mancar d'ilcursar mi verso la Santita vestra, quanto a i termini ch'ella usa vel dimandarmela con tanta humilita ch', e, quello ch' sapprene a me come a figliolo: & cossi con tutta l'humilita, obedientia, & divotione figliale yo gliela consento potendola ben assicurar', ch'io non saro mai frovato in alcun modo discorde in quello ch'io potio, & dovero far, con il filo della ragione, & della conservatione dell' honor mio, li quali mi saranno di continoo dua testimonii per quistificarmi quanto al debito, nel quale yo mi voglio mettér di gratificarla in quello che potro. Pregando in tanto Dio che voglia longamente mantener, preservar & guardar la Sta. V. pro lo regimento & governo della nostra sancta madre Chiesa. Scritta in Orviet. alli VI. d'Ottobre M D LI.

Articuli super Sacramentis Pœnitentiæ & extremæ unctionis per Doctores Theologos disputandi, an scilicet hæretici sint & à Sanctâ Synodo damnandi.

PRIMUS.

Pœnitentiam non esse propriè Sacramentum ad reconciliationem pro relapsis post Baptismum à Christo institutum, nec rectè à Patribus secundam tabulam post naufragium appellari, sed Baptismum, verè esse ipsum Sacramentum Pœnitentiæ.

SECUNDUS.

Non esse tres Pœnitentiæ partes, contritionem, confessionem & satisfactionem, sed duas tantùm, terrores scilicet incussos conscientiis agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio vel absolutione, quâ credit quis sibi per Christum remissa peccata.

TERTIUS.

Contritionem quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum non præparare ad gratiam Dei, nec remittere peccata, sed potiùs facere hominem hypocritam & magis peccatorem, eamque contritionem dolorem esse coactum & non liberum.

QUARTUS.

Confessionem Sacramentalem secretam juris divini non esse, nec apud antiquos Patres ante Concilium Lateranense ejus factam fuisse mentionem, sed publicæ tantum pœnitentiæ.

QUINTUS.

QUINTUS.

Enumerationem peccatorum in confessione non esse necessariam ad illorum remissionem, sed liberam & tantùm hæc ætate utilem ad erudiendum pœnitentem & consolandum, & olim fuisse ad satisfactionem canonicam imponendam; nec necessarium esse confiteri omnia peccata mortalia, utpote occulta & quæ sunt contra duo ultima decalogi præcepta, sed neque ullas circumstantias peccatorum, quas homines otiosi excogitarunt, velleque omnia confiteri esse nihil relinquere divinæ misericordiæ ignoscendum, imò neque licere confiteri venialia.

SEXTUS.

Confessionem omnium peccatorum, quam Ecclesia faciendam præcipit, esse impossibilem, traditionemque humanam à piis abolendam, neque confitendum esse tempore quadragesimæ.

SEPTIMUS.

Absolutionem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi & declarandi remissa esse peccata confitenti, modò credat se esse absolutum, etiamsi non sit contritus. At Sacerdos non seriò sed jocò absolvit, imò etiam sine confessione peccatorum Sacerdotem eum absolvere posse.

OCTAVUS.

Sacerdotes non habere potestatem ligandi & solvendi, nisi Spiritûs Sancti gratiâ & charitate sint præditi, & non eos solos esse ministros absolutionis, sed omnibus & singulis Christianis esse dictum: *quodcumque solveritis super terram, erit solutum & in cælo*, quorum verborum virtute absolvere possunt peccata, publica quidem per correctionem, si correctus acquieverit, secreta verò per spontaneam confessionem.

NONUS.

Absolutionis ministrum, etiamsi contra prohibitionem Superioris absolvat, verè nihilominùs absolvere coram Deo, ideò casuum reservationem non impedire absolutionem, nec Episcopos habere jus eos sibi reservandi, nisi quoad exteriorem politiam.

DECIMUS.

Totam pœnam & culpam simul remitti semper à Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam quàm fidem, quâ apprehendunt Christum pro eis satisfecisse: ideòque satisfactiones canonicas quondàm exempli tantùm vel disciplinæ, vel probandi fideles, causâ fuisse à Patribus institutas, & in Concilio Nicæno exortas, nunquàm autem ad remissionem pœnæ.

UNDECIMUS.

Optimam pœnitentiam esse novam vitam, pœnisque temporalibus à Deo inflictis minimè satisfieri, sed neque voluntariè susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosinis, & aliis bonis operibus non præceptis à Deo, quæ super erogationes vocantur.

DUODECIMUS.

Satisfactiones non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratiâ & verò Dei cultu, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; & fictiones esse quod virtute clavium æterna supplicia in pœnas temporales commutentur, cum illarum munus non sit pœnas imponere sed absolvere.

De Extremâ Unctione.

PRIMUS ARTICULUS.

Extremam Unctionem non esse Sacramentum novæ legis à Christo institutum, sed ritum tantùm acceptum à Patribus aut figmentum humanum.

SECUNDUS.

Extremam Unctionem non conferre gratiam, nec remissionem peccatorum, sed neque alleviare infirmos, qui olim per gratiam curationum sanabantur, atque ideò eam cum primitivâ Ecclesiâ cessasse, sicut & gratiam curationum.

TERTIUS.

Extremæ Unctionis ritum & usum non observari ab Ecclesiâ Romanâ, juxta Beati Apostoli Jacobi sententiam, ideòque commutandum esse, posseque à Christianis absque peccato contemni.

QUARTUS.

Extremæ Unctionis ministrum non esse solùm Sacerdotem, præsbiterosque Ecclesiæ quos Beatus Jacobus adducendos ad infirmum ungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quâvis communitate.

Die Martis XX. Octobris inceperunt Congregationes Theologorum in Palatio R.mi Legati, quorum primi à Summo Pontifice missi, articulos confutarunt, scripturis, traditionibus, & rationibus. Deindè Decanus (*a*) Lovaniensis unâ cum aliis Doctoribus Lovaniensibus à Reginâ Hungariæ missis. Tertio Doctor Melchior (*b*) Cano Dominicanus Hispanus à Cæsare missus. Deindè Doctor Clambe. (*c*) Culperus Doctor Illustrissimi Coloniensis magnâ cum sui nominis laude sententiam dixit, qui obiter suggessit Synodo uti simplices Sacerdotes hortaretur ne aliis in Paulum homiliis, quàm Chrisostomi uterentur in suis concionibus; quodque Confessores memoriâ tenerent, Augustinum in Sermone super Psalmum L. sive libellum de utilitate pœnitentiæ. Pelargus (*d*)

(*a*) Quardus Quaper Cancellarius & Decanus Lovaniensis cum aliis septem Doctoribus à Mariâ Reginâ Hungariæ & Germaniæ inferioris administratrice nomine Cæsaris fratris sui, ad Concilium ablegatus est orator.

(*b*) Melchior Canus origine Toletanus, professione Dominicanus & Salmanticæ Doctor & Magister, defuncto Francisco de Cerda Tridentum proficiscenti sufficitur, & Canariæ Episcopus renuntiatur à Philippo 2. Hispaniarum Rege, anno 1552.

(*c*) Adolphus de Schawenburg Hermanno de Weda exantorato ob hæresim, in Archiepiscopatu Coloniensi subrogatus anno 1547. Doctores Clampe & Culperum, misit ad Synodum Tridentinam pro Catholicæ fidei causâ acturos.

(*d*) Ambrosius Pelargus Niddanus Ordinis Prædicatorum à Trevirensi Archiepiscopo destinatus ad Concilium an. 1546. Maji 2. admissus est, sedem supra Abbates & Ordinum Generales habens in sessionibus. 23. Augusti 1547. à Cæ-

Licentiatus Trevirensis, Doctores (a) Reverendissimi Trevirensis sententias dixerunt, deindè Doctores Hispani.

Interim venit ad Concilium R. Machatius (b) Archiepiscopus Heracleæ Græcus, missus à Patriarchâ Constantinopolitano, qui cum aliquot dies apud me egisset convictor tandem recessit.

(c) *Capita Reformationis super quibus Canones formabuntur per Doctores deputatos.*

PRIMUM.

Quòd illi cui à suo Prælato fuerit interdictus ascensus etiam extra judicialiter ad Sacros Ordines, aut qui fuerit à suis Ordinibus suspensus, quæcumque licentia de se promoveri faciendo, seu restitutio ad Ordines priores pro tempore concessa nullatenùs suffragetur.

SECUNDUM.

Quòd Episcopus titularis non exercens Pontificalia pro aliquo loci Episcopo, etiamsi in loco nullius Diœcesis residens, vigore cujusvis privilegii sibi de promovendo quoscumque ad se venientes concessi, alterius subditum absque suâ licentiâ ad aliquos sacros aut minores Ordines, etiam prætextu familiaritatis suæ promovere non præsumat. Contrafaciens ab exercitio Pontificalium per annum, ac taliter promotus ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Episcopo visum fuerit ipso jure sint suspensi.

TERTIUM.

Quòd Episcopus quoscumque suos Clericos præsertim in sacris constitutos, absque suo præcedenti examine, aut litteris commendatitiis qualitercumque & ubicumque promotos, quos minùs habiles & capaces repererit, à susceptorum Ordinum executione, ad tempus de quo ei videbitur suspendere possit.

QUARTUM.

Quòd homicida voluntarius, etiam occultus, nullo tempore ad Sacros Ordines promoveri possit, nec illi aliqua beneficia Ecclesiastica conferri, sed omni Ordine, & beneficio & officio Ecclesiastico perpetuò careat, nec ad hoc ei aliqua dispensatio prodesse possit.

---

sare revocatus, iterum restitutæ Synodo interfuit Archiepiscopi sui Theologus 20. Augusti 1551. Ad Patres habuit concionem é suggestu, & variis voluminibus pro fide asserenda claruit.

(a) Præter Pelargum alios secum deduxerat Doctores Joannes ab Isemburg Trevirensis Archipræsul, nempe Joannem Delphicum sæcularem clericum & septem Doctores Hispanos sæculares.

(b) Meminit Pallavicinus hist. l. 12. c. 10. Macarii Archiepiscopi Thessalonicæ, forsan in apellatione sedis hallucianatus est. Patriarcha Constantinopolitanus à quo fuit missus, erat Fabius Columna, qui etsi latinus, anno 1550. electus est. Antequam Archiepiscopis assideret Macarius, disertam fidei Catholicæ professionem ab eo exegerunt Patres Tridentini.

(c) Horum articulorum elenchum non judicavit Pallavicinus historiæ suæ intrudendum.

QUINTUM.

Quòd quando homicidium non ex proposito vel per industriam, sed casu vel sui deffensionem, necessariam commissum suisse asseritur, ex quo etiam ad Sacrorum Ordinum & altaris ministerium ac beneficia jure quodam-modò dispensatio debeatur, committatur loci ordinario, quod non nisi causâ cognitâ & probatis precibus dispensare possit.

SEXTUM.

Quòd omnes Ecclesiasticæ personæ quæ aut in sacris fuerint, aut dignitates seu beneficia qualiacùmque Ecclesiastica, vel annuas pensiones detinuerint, si postquàm ab Episcopo suo & per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem, juxtà ipsius Episcopi ordinationem non detulerint, per suspensionem ab ordinibus, ac officio & beneficio ac fructibus ipsorum, nec non si semel correpti denuò in hoc delinquuntur, etiam per privationem coerceri possint & debeant. Constitutionem Clementis quinti in Concilio Viennensi editam, quæ incipit, quam innovando.

SEPTIMUM.

Quòd nulli cujusvis conditionis quoad causas criminales, aut civiles, aut mixtas, in quibus ipse tanquàm actor alium conveniret, aliquæ litteræ conservatoriæ cum quibus vis clausulis, & quorumcumque Judicum deputatione suffragentur. Si verò in criminalibus causis, in quibus ipse reus extiterit, Judex tanquàm conservator ab eo electus ab adversario contra eum agente allegatus fuerit suspectus, aut inter ipsum judicem conservatorem & ordinarium super competentiâ jurisdictionis differentia orta fuerit, in causa non procedatur donec per arbitros in formâ juris electos, super suspicione aut competentiâ jurisdictionis pronunciatum fuerit.

OCTAVUM.

Quòd Episcopus in Ecclesiâ suâ residens Clericos quoscumque seculares, & qualitercumque exemptos, qui aliàs suæ jurisdictioni subessent, de illorum successibus & delictis, etiam extrà visitationem tanquàm Sedis Apostolicæ delegatus, corrigere & castigare possit ac debeat, nec illis aut illorum familiaribus & capellanis consanguineis aut quibuscumque aliis illorum intuitu, quominùs omnes debitè ut præfertur puniri possint, quoquomodò suffragentur aliquæ exemptiones cujuscumque tenoris extiterint.

NONUM.

Quòd cum regulares translati, à suo superiore facilè licentiam standi extrà monasterium obtinere soleant, nemo superior alicujus ordinis, religiosum alterius Ordinis vigore cujusvis facultatis ad habitum seu professionem admittere possit, nisi ut in ordine ipso ad quem transfertur, sub sui superioris obedientiâ, & in claustro perpetuò maneat, & taliter translati etiamsi Ordinis Canonicorum Regularium fuerint ad beneficia secularia etiam curata omninò incapaces existant.

DECIMUM.

Quòd quicumque Episcopus vel Ecclesiastica persona habens privilegium in

in certis atrocibus delictis puniendi quoscumque clericos, etiam sibi non subditos, procedere non valeant, contra Episcopi in Ecclesiâ suâ residentis subditos, sine illius vel alterius ab eo deputandi licentiâ.

UNDECIMUM.

Quòd beneficia unius Diœcesis, Ecclesiis seu locis etiam piis alterius Diœcesis non uniantur, decretum Sanctæ Synodi jam promulgatum, quatenus ex legitimâ causâ, uniones recto modo & formâ permittit in hoc declarando.

DUODECIMUM.

Quòd regularia beneficia in titulum regularibus professis provideri consueta, cum illa per obitum aut resignationem, aut aliàs illa in titulum obtinentes vacare contigerit, regularibus tantùm illius Ordinis conferantur.

DECIMUM TERTIUM.

Quòd nemo cujusvis dignitatis ad aliqua beneficia etiam de novo erigenda, etiam ratione augendi cultum divinum, aut numerum beneficiatorum, vel aliâ quâcumque de causâ nisi is Ecclesiam ipsam fundaverit, seu jam erectam, quæ sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis & patronalibus, non autem de fructibus beneficiorum unitorum, competenter dotaverit, jus patronatus impetrare possit aut debeat.

QUARTUM DECIMUM.

Quòd non liceat patrono cujusvis privilegii prætextu aliquem ad beneficium sui juris patronatûs, nisi loci ordinario ad quem cessante privilegio primo seu instituto ipsius beneficii jure pertineret præsentare, aliàs præsentatio & institutio forsan secuta nulla esse censeantur.

DECIMUM QUINTUM.

Quòd ætas legitima quæ jure in obtinendis beneficiis in titulum requiritur, eadem ad obtinenda beneficia in commendam requiratur.

SESSIO IV.

Die 25. Novembris 1551. celebrata fuit Sessio in æde majori. Orationem Episcopus (*a*) Divi Marci Italus. Doctrinam de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis perlegit è suggestu Turritanus, deindè Auriensis (*b*) Canones eorumdem Sacramentorum & reformationis, ita finita fuit Synodus benedictione Legati acceptâ circa 23. horam.

Doctrina de Sanctissimis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis Sacramentis publicata.

Sacro-Sancta œcumenica Generalis Tridentina Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata, præsidentibus in eâ eisdem Sanctæ Sedis Apostolicæ

(*a*) Coriolanus Marticanus.
(*b*) Franciscus Menrique, totius Castellæ antiquior Episcopus à Perrenoto ordinatus olim ut testatur in Epistola quam tertio Novembris 1551. illi conscripsit dum Tridenti ageret.

Legato, & Nunciis. Quamvis in decreto de justificatione multus fuerit de pœnitentiæ Sacramento, propter locorum cognationem necessariâ quâdam ratione, sermo interpositus: tanta nihilominus circà illud nostrâ hac ætate diversorum errorum est multitudo, ut non parùm publicæ utilitatis retulerit de eo exactiorem, & pleniorem diffinitionem tradidisse, in quâ demonstratis & convulsis Spiritûs Sancti præsidio erroribus universis, Catholica veritas perspicua & illustris fieret, quam nunc Sancta hæc Synodus Christianis omnibus perpetuò servandam proponit.

CAPUT I.

De necessitate & institutione Sacramenti Pœnitentiæ.

SI ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam in baptismo ipsius beneficio & gratiâ susceptam constanter tenerentur, non fuisset opus aliud ab ipso baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus dives in misericordiâ cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese posteà in peccati servitutem, & dæmonis potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet pœnitentiæ, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur, fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendum necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petivissent, ut perversitate abjectâ & emendatâ, tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur. Unde Propheta ait. Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Dominus etiam dixit: nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Et Princeps Apostolorum Petrus, peccatoribus Baptismo initiandis, pœnitentiam commendans, dicebat: pœnitentiam agite & baptisetur unus quisque vestrûm: porrò nec ante adventum Christi, pœnitentia erat Sacramentum, nec est post illius adventum cuiquam ante Baptismum. Dominus autem Sacramentum pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cum à mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos, dicens. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt. Quo tam insigni facto & verbis tam perspicuis potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis eorumque successoribus legitimis fuisse communicatam, universorum Patrum consensu semper intellexit, & novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magnâ ratione Ecclesia Catholica tanquàm hæreticos explosit, atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum Sancta hæc Synodus probans & recipiens damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei, & Christi Evangelium annunciandi, contrà hujusmodi Sacramenti institutionem falsò detorquent.

CAPUT II.

De differentiâ Sacramenti Pœnitentiæ & Baptismi.

CÆterùm hoc Sacramentum multis rationibus à Baptismo differre dignoscitur. Nam præterquam quod materia & forma, quibus Sacramenti essentia perficitur, longissimè dissidet: constat certè Baptismi ministrum judi-

tem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non priùs in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus, quid enim mihi, inquit Apostolus, de iis qui foris sunt judicare? secùs est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lavacro Baptismi sui corporis membra semel effecit. Nam hos si se posteà crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptismo ablui, cum id in Ecclesiâ Catholicâ nullâ ratione liceat; sed ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit, ut per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab amissis peccatis, ad ipsum pœnitentes confugerent, possent liberari. Alius præterea est Baptismi, & alius pœnitentiæ fructus; per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsùs in illum efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes; ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus & laboribus, divinâ id exigente justitiâ pervenire nequaquam possumus: ut meritò pœnitentia laboriosus quidem Baptismus à Sanctis Patribus dictus fuerit. Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondùm regeneratis ipse Baptimus.

CAPUT III.

De partibus & fructu hujus Sacramenti.

DOcet præterea Sancta Synodus Sacramenti pœnitentiæ formam, in quâ præcipuè ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse. Ego te absolvo &c. (*a*) Quibus quidem de Ecclesiæ Sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur: ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquàm spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ, sunt autem quasi materia hujus Sacramenti, ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio. Qui quatenùs in pœnitente ad integritatem Sacramenti ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur. Sanè verò res, & effectus hujus Sacramenti, quantùm ad ejus vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdùm in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientiæ pax, ac serenitas cum vehementi spiritûs consolatione consequi solet. Hæc de partibus & effectu hujus Sacramenti Sancta Synodus tradens, simul eorum sententias damnat qui pœnitentiæ partes incussos conscientiæ terrores, & fidem esse contendunt.

CAPUT IV. (*b*)

De Contritione.

COntritio quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non pec-

(*a*) Formam imperatoriam nescit Orientalis Ecclesia, & antè sæculum undecimum Occidentalis ignorabat, ut multiplici argumento probare nititur Morinus l. 8. de Administr. Sacramenti Pœnitentiæ. Varians utriusque Ecclesiæ ritus, fide nihilominùs intactâ, arguit, Sacramentorum quorundam formas à Christo non fuisse institutas in specie.

(*b*) Caput hoc integrum adversùs dogmata Lutheri structum est. Ex contextu verborum ansam arripuerunt Scholastici digladiandi in invicem, an attritio quæ ad Lutheri mentem, peccatum augebat, magisque hipocritam faciebat

candi de cætero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus necessarius, & in homine post baptismum lapso, ita demùm præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiduciâ divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur Sancta Synodus, hanc contritionem non solùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud, *projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum.* Et certè qui illos Sanctorum clamores consideraverit, *tibi soli peccavi & malum coram te feci. Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Et alios hujus generis, facilè intelliget eos ex vehementi quodam ante actæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse. Docet prætereà, etsi contritionem hanc aliquandò charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominùs reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto quod in illâ includitur, non esse ascribendam, illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritûs Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericor-

hominem, per se sufficeret cum spe veniæ sine charitatis saltem remissæ initio, ad obtinendam remissionem peccati in Sacramento Pœnitentiæ. Si Theologorum Patrumve Concilii Trid. sententiam, ex referentis Pallavicini historiâ lib. 12. c. 10. consulas, intelliges omnium Ordinum Theologos censuisse Sacramento Pœnitentiæ necessaria esse timorem, dilectionem, contritionem, absolutionem. Addit quod, „ Canon quoque paratus fuerat, ubi „ damnabatur, quisquis negaret, contritione quâ pœnitens divinâ gratiâ „ per Christum cooperante dolet de peccatis propter Deum, cum proposito „ confitendi & satisfaciendi, remitti peccata Sed Balthasar Eredia Calaritanus Archiepiscopus admonuit, cum ea esset Cajetani & Adriani sententia, damnandam non esse. „ Abstinuerunt ergò Patres à promulgatione hujus Canonis ob duorum Theologorum reverentiam, & certè tantò faciliùs, quò, ut Pallavicinus ait, mens Theologorum erat damnare errorem hæreticorum improbantium pœnæ timorem, non verò ferre sententiam de scholasticâ quæstione, an hujusmodi timor, absque eo quod ullus excitetur amor imperfectus, sufficiat ad peccatorum remissionem in Sacramento. Ita Pallavicinus. Sed etsi à definiendâ hac questione Patres supersederint, proclives imò unanimes fuisse constat, ut improbarent cum Clero Gallicano in Comitiis anni 1700. propositionem asserentem, attritionem ex gehennæ metu sufficere etiam sine ullâ Dei dilectione, sine ullo ad Deum offensum respectu. Oppositam doctrinam nunc omnes sanioris doctrinæ, & melioris notæ Theologi profitentur. Vide Havermannum, Natalem Alexandrum, Iveninum ex instituto materiam tractantes eruditè.

misericordiam à Domino impetrarunt. Quamobrem falsò quidam calumniantur, Catholicos scriptores, quasi tradiderint Sacramentum pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre. Quod nunquàm Ecclesia Dei docuit, neque censuit: sed & falsò docent, contritionem esse extortam, & coactam, non liberam & voluntariam.

CAPUT V.

De Confessione.

EX institutione Sacramenti pœnitentiæ jam explicatâ, universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere, quia Dominus noster Jesus Christus è terris ascensurus ad cœlos, sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tanquàm præsides & judices ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, quo pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim hoc Sacerdotes judicium incognitâ causâ exercere non potuisse. Nec æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat & non potiùs in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, & tantùm adversùs duo ultima decalogi præcepta commissa, quæ nonnunquam animum graviùs sauciant, & periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur. Nam venialia quibus à gratiâ Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quanquàm rectè & utiliter, citraquè omnem præsumptionem in confessione dicantur, (quod piorum hominum usus demonstrat) taceri tamen citrà culpam multisque aliis remediis expiari possunt. Verùm cum universa mortalia peccata etiam cogitationis, homines iræ filios & Dei inimicos reddant, necessum est, omnium etiam veniam cum apertâ & verecundâ confessione, à Deo quærere. Itaque dum omnia quæ memoriæ occurrunt, peccata Christi fideles confiteri student, proculdubio omnia misericordiæ divinæ ignoscenda exponunt. Qui verò secùs faciunt, & scientes aliqua retinent nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat. Colligitur prætereà etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant, quod sine illis peccata ipsa nec à pœnitentibus integrè exponantur, nec judicibus innotescant, & fieri nequeat ut de gravitate criminum censere possint, & pœnam quam oportet pro illis, pœnitentibus imponere. Undè alienum à ratione est docere circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse, aut unam tantùm circumstantiam confitendum esse, nempè peccasse fratrem, sed & impium est confessionem quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare. Constat enim nihil aliud in Ecclesiâ à pœnitentibus exigi, quàm ut postquàm quisquam diligentiùs se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelli-

guntur, pro quibus fideliter cum Prophetâ dicimus. Ab occultis meis munda me Domine. Ipsa verò hujus confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis & consolationibus levaretur. Quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus per absolutionem certissimè conferuntur. Cæterùm quoad modum confitendi secretò apud solum sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem tum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ edificationem, delicta sua publicè confiteri possit. Non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consultè humanâ aliquâ lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta, publicâ essent confessione aperienda, unde cum à sanctissimis & antiquissimis Patribus, magno unanimique consensu secreta confessio sacramentalis, quâ ab initio Ecclesia Sancta usa est, & modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifestè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam à mandato divino alienam, & inventum humanum esse à Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse docere non verentur. Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium, & institutum esse intellexerat, sed ut præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus & singulis cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur. Undè jam in universâ Ecclesiâ cum ingenti animarum fidelium fructu, observatur mos ille confitendi salutaris, sacro illo & maximè acceptabili tempore Quadragesimæ, quem morem hæc Sancta Synodus maximè probat, & amplectitur, tanquàm pium & meritò retinendum.

CAPUT VI.

De ministro hujus Sacramenti & absolutione.

Circa ministrum autem hujus Sacramenti declarat Sancta Synodus, falsas esse & à veritate Evangelii penitùs alienas, doctrinas omnes quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos & Sacerdotes (*a*) clavium ministerium perniciosè extendunt: putantes verba illa Domini, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo, & quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt: ad omnes Christi fideles indifferenter & promiscuè contra institutionem hujus Sacramenti, ità fuisse dicta ut quivis potestatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem, si correptus acquieverit; secreta verò per spontaneam confessionem cuicumquè factam. Docet quoquè etiam Sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritûs Sancti in ordinatione collatam, tanquàm Christi ministros functionem remittendi peccata exercere, eosque pravè sentire, qui in malis Sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt. (*b*) Quamvis autem absolutio Sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solùm nudum ministerium vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa

(*a*) Wiclefi & Waldensium errorem, circà ministrum Sacramenti Pœnitentiæ instauraverat Lutherus, asserens cum illis spectato solo jure divino, quemque fidelem posse credentes absolvere.

(*b*) Hoc dogma pravum Waldensibus impingit Reinerus, Bonus Laicus inquiebant, non verò malus Sacerdos, habet potestatem absolvendi.

esse peccata, sed ad instar actus judicialis, (a) quo ab ipso velut à judice sententia pronuntiatur. Atque ideò non debet pœnitens à Deo sibi de suâ ipsius fide blandiri, ut etiamsi nulla illi adsit contritio aut Sacerdoti animus seriò agendi, & verè absolvendi desit, putet se tamen propter solam suam fidem verè & coram Deo esse absolutum, nec enim fides sine pœnitentiâ remissionem ullam peccatorum præstaret, nec is esset, nisi salutis suæ negligentissimus, qui Sacerdotem jocosè absolventem cognosceret, (b) & non alium seriò agentem sedulò requireret.

CAPUT VII.

De Casuum Reservatione.

QUoniam igitùr natura & ratio judicii illud exposcit ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesiâ Dei fuit, & verissimum esse Synodus hoc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem, (c) magnoperè verò ad Christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam, & graviora crimina non à quibusvis sed à summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur. Undè meritò Pontifices maximi pro supremâ potestate sibi in Ecclesiâ universâ traditâ causas aliquas criminum graviores suo poterunt peculiari judicio reservare, nec dubitandum est (quandò omnia quæ à Deo ordinata sunt) quin hoc idem Episcopis omnibus in suâ cuique Diœcesi (in ædificationem tamen non in destructionem) liceat pro illis in subditos traditâ suprà reliquos inferiores sacerdotes authoritate, præsertim quo ad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem, consonum est divinæ authoritati non tantùm in externâ politiâ sed etiam coram Deo vim habere. Verùmtamen piè admodùm, ne hac ipsâ occasione aliquis pereat in eâdem Ecclesiâ Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reser-

(a) Jam supra advertimus apud Græcos formam absolutionis deprecatoriam fuisse, eamque Clemens 8. in instructione editâ super Græcorum ritibus anno 1595. laudavit. Apud Latinos eadem forma viguit usque ad Sæculi 13. cadentis finem, ut liquet ex opusculo 22. c. 2. Sti Thomæ & testimonio Francisci Mayronis. Sed postmodum prævalente formâ imperativâ, eam assumpsit Ecclesia penès quam stetit semper autoritativa potestas præscribendi certas conditiones, quibus non adhibitis, Sacramentum nullum est, quæ maximè locum habent in Sacramento Pœnitentiæ, quod actum judicialem essentialiter includit.

(b) Ex his verbis, inquit Pallavicinus l. 12. c. 10., potest quisquis ea legerit, conjicere, haud esse expunctam sententiam Catharini, aliorumque Theologorum opinantium Sacramento, quo ratum sit, sufficere in ministro voluntatem seriò agendi, & abesse tantummodò jocum, quem Sacramentum suscipiens cognoscere possit.

(c) Veteres & novos Theologos carpit Synodus, qui Sacerdotes nec ordinaria, nec delegata potestate instructos, putant idoneos esse Sacramenti Pœnitentiæ ministros. Invitæ œcumenicæ Synodi sanctione, portentosos autores sæculum præteritum produxit, qui spretâ ordinariorum delegatione & posthabitâ reservatione casuum, docuerunt, in vim consecrationis, aut privilegii exoleti, posse Sacerdotes in foro conscientiæ absolvere à peccatis, etiam reservatis, non obtentâ licet Episcoporum facultate. Vide censuras & declarationes Conventûs Generalis Gallicani an. 1700.

vatio in articulo mortis, atque ideò omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt, extrà quem articulum Sacerdotes cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores, & legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant.

CAPUT VIII.

De satisfactionis necessitate & fructu.

DEmùm quoad satisfactionem, quæ ex omnibus pœnitentiæ partibus, quemadmodum à Patribus nostris Christiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ità unâ maximè nostrâ ætate summo pietatis prætextu, impugnatur ab iis, qui speciem pietatis habent, (*a*) virtutem autem ejus abnegarunt, Sancta Synodus declarat falsum omninò esse, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur perspicua enim & illustria in sacris litteris exempla reperiuntur quibus præter divinam traditionem hic error quàm manifestissimè rejicitur. Sanæ & divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui antè baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter verò qui semel à peccati & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritûs Sancti dono, scientes templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contristari non formidaverint, & divinam clementiam decet, ne ità nobis absque ullâ satisfactione peccata dimittantur, ut occasione acceptâ peccata leviora putantes, veluti injurii & contumeliosi, Spiritui Sancto in graviora labuntur, thesaurisantes nobis iram in die iræ, proculdubio enim magnoperè à peccato revocant, & quasi frœnò quodam cohærent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque & violentiores in futurum pœnitentes efficiunt, medentur quoque peccatorum reliquiis & vitiosos habitûs malè vivendo comparatos contrariis virtutum tollunt actionibus, neque verò securior ulla via in Ecclesiâ Dei unquàm existimata fuit ad amovendam imminentem à Domino pœnam, quàm ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque indè Arrham habentes, quod si compatimur & conglorificabimur. Neque verò ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exolvimus, ut non sit per Christum Jesum, nam qui ex nobis tanquàm ex nobis nihil possumus, eo cooperante qui nos confortat, omnia possumus. Ita

(*a*) Non modò ætate Patrum Concilii Triden. sed Valentiniani senioris tempore, Audiani, teste Theodoreto lib. 4. hæretic. fabular. adversùs satisfactionem insurrexerunt. Deindè, inquit, confessis dant veniam, non tempus ad pœnitentiam definientes, sicut leges Ecclesiæ præcipiunt, sed potestate condonantes. Hos sectarii novissimis temporibus imitati, satisfactionis non modò necessitatem, sed & nomen expunxerunt. Vehementer odi, ait Lutherus *in Assert. art.* 5. & sublatum vellem hoc vocabulum *satisfactio*, quod non modo in scripturis non invenitur, sed & periculosum habet sensum, quasi Deo quisquam possit, pro ullo peccato satisfacere, cùm gratis ille ignoscat omnia. Idem docent Philippus Melanchton in Apologiâ Confessionis Augustanæ. Kemnitius in suo examine par. 2. Calvinus in suis Instit. l. 3. omnes scripturarum & traditionis hostes apertissimi, & pœnitentialium canonum ab exordio nascentis Ecclesiæ observatorum subversores audacissimi.

Ita non habet homo undè glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo morimur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ qui ex illorum habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre. Debent ergò sacerdotes Domini quantùm spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere, ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo aliorum peccatis participes efficiantur, habeant autem præ oculis, ut satisfactio quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem. Nam claves sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed etiam ad ligandum concessas etiam antiqui Patres & credunt, & docent. Neque propterea existimarunt Sacramentum pœnitentiæ esse forum iræ vel pœnarum, sicut nemo unquam Catholicus sensit, ex hujusmodi nostris satisfactionibus vim meriti & satisfactionis Domini nostri Jesu Christi, vel obscurari, vel aliquâ ex parte imminui, quod dum novatores intelligere volunt, ita optimam pœnitentiam novam vitam esse docent, ut omnem satisfactionis vim & usum tollant.

CAPUT IX.

De Operibus Satisfactionis.

DOcet prætereà tantam esse divinæ munificentiæ largitatem ut non solùm pœnis spontè à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio pro mensurâ delicti impositis, sed etiam (quòd maximum amoris argumentum est) temporalibus flagellis à Deo inflictis & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

VIsum est autem Sanctæ Synodo præcedenti doctrinæ de pœnitentiâ adjungere ea quæ sequuntur de Sacramento extremæ unctionis, quòd non modò pœnitentiæ sed & totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est à Patribus. Primum itaque circa illius institutionem declarat, & docet quòd clementissimus redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversùs omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodùm auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus Christiani conservare se integros dum viverent, ab omni graviori spiritûs incommodo possint, ita extremæ unctionis Sacramento finem vitæ, tanquam firmissimo quodam præsidio munivit, nam etsi adversarius noster, occasiones per omnem vitam quærat & captet, ut devorare animas nostras quoquomodo possit, nullum tamen tempus est, quo vehementiùs ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitùs, & à fiduciâ etiam (si possit) divinæ misericordiæ deturbandos, quàm cum impendere nobis exitum vitæ prospicit.

Instituta est autem sacra hæc unctio infirmorum, tanquam verè & propriè Sacramentum Novi Testamenti à Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fide-

libus commendatum ac promulgatum. Infirmatur, inquit, quis ex vobis, inducat præsbiteros Ecclesiæ orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus & si in peccatis sit dimittenrur ei. Quibus verbis & ex Apostolicâ traditione per manûs acceptâ, Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum, & effectum hujus salutaris Sacramenti: intellexit enim Ecclesia materiam esse oleum ab Episcopo benedictum. Nam unctio aptissimè Spiritûs Sancti gratiam, quâ invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat. Formam deindè esse illa verba, per istam unctionem &c. Res porrò & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur. Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit dimittentur ei. Res etenim hæc, gratia est Spiritûs Sancti, cujus unctio delicta si quæ sint adhuc expianda ac peccati reliquias abstergit & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, quâ infirmus sublevatus, & morbi incommoda, ac labores leviùs fert, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis faciliùs resistit, & sanitatem corporis interdùm, ubi saluti animæ expedierit consequitur.

Jam verò quod attinet ad præscriptionem eorum, qui & suscipere & ministrare hoc Sacramentum debent, haud obscurè fuit illud etiam in verbis prædictis traditum, nam & ostenditur illic proprios hujus Sacramenti ministros esse Ecclesiæ præsbiteros, quo nomine eo loco, non ætate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis ritè ordinati per impositionem manuum præsbiterii. Declaratur etiam hanc esse unctionem infirmis adhibendam, illis verò præsertim qui tam periculosè decumbunt ut in exitu vitæ constituti videantur, undè & Sacramentum exeuntium nuncupatur. Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterùm hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint. Quare nullâ ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam & dilucidam Jacobi sententiam docent, hanc unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum à Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ habentem. (*a*) Et qui illam jam cessare asserunt quasi ad gratiam curationum dumtaxat in primitivâ Ecclesiâ referenda esset, & qui dicunt ritum, & usum, quem Sancta Romana Ecclesia in hujus Sacramenti administratione observat, Jacobi Apostoli sententiæ repugnare, atque ideò in alium commutandum esse, & denique qui hanc extremam unctionem à fidelibus sine peccato contemni posse affirmant. Hæc enim omnia manifestissimè pugnant cum perspicuis tanti Apostoli verbis, nec profectò Ecclesia Romana, aliarum omnium mater & magistra, aliud in hac administrandâ unctione, quantùm ad ea quæ hujus Sacramenti substantiam perficiunt,

(*a*) Waldenses, Wicleffus, Hussitæ, Sacramentum extremæ unctionis inter humana figmenta amandasse, culpantur à Reinero, Ænea Sylvio, Philedorfio & Bellarmino. Hos suæ infidelitatis præcursores habere gloriantur sectarii, sed attentâ Waldensium professione fidei, & Hussitarum, vix credas patronos aut præcones fuisse hujus hæresis, quam Lutherus *lib. de captivitate Babilon.* Calvinus *lib.* 4. *c.* 19. Institut. §. 18. novo portento excogitarunt, extremam unctionem, pro fictitio Sacramento, & histrionicâ hypocrisi deridentes. Jacobi Apostoli Epistolam subsanoantes itidem uti apocripham, licet consuetudine, ait Lutherus, autoritatem obtinuerit. Tamen si etiam esset Apostoli, subdit, dicerem non licere Apostolo, suâ autoritate Sacramentum instituere, hoc enim ad solum Christum pertinebat.

observat, quàm quod beatus Jacobus præscripsit. Neque verò tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere & ipsius Spiritûs Sancti injuriâ esse posset.

Hæc sunt quæ de pœnitentiæ & extremæ unctionis Sacramentis Sancta hæc œcumenica Synodus profitetur, & docet atque omnibus Christi fidelibus credenda & tenenda proponit. Sequentes autem Canones inviolabiliter servandos esse tradit, & asserentes contrarium perpetuò damnat, & anathematizat.

Canones de Sacramenti Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis publicati in supradictâ Sessione.

CANON PRIMUS.

Si quis dixerit in Catholicâ Ecclesiâ pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis à Christo Domino nostro institutum. Anathema sit.

SECUNDUS CANON.

Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Sacramentum pœnitentiæ esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint atque ideò pœnitentiam, non rectè secundam post naufragium tabulam appellari. Anathema sit.

TERTIUS CANON.

Si quis dixerit verba illa Salvatoris, accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt; non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica semper ab initio intellexit; detorserit autem contra institutionem hujus Sacramenti ad authoritatem prædicandi Evangelium: Anathema sit.

QUARTUS CANON.

Si quis negaverit ad integram & perfectam peccatorum remissionem, requiri tres actûs in pœnitente, quasi materiam Sacramenti pœnitentiæ, videlicet, contritionem, confessionem & satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur, aut dixerit duas tantùm esse pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, quâ credit quis sibi per Christum remissa peccata. Anathema sit.

QUINTUS CANON.

Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem & detestationem peccatorum, quâ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, & multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, demùm illam esse dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium: Anathema sit.

SEXTUS CANON.

Si quis negaverit confessionem sacramentalem, vel institutam vel necessariam esse ad salutem jure divino, aut dixerit modum secretè confitendi soli

Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit & observat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse hominum. Anathema sit.

SEPTIMUS CANON.

Si quis dixerit in Sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, necessarium non esse jure divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debitâ & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima decalogi præcepta, & circumstantias quæ peccati speciem mutant; sed eam confessionem tantùm esse utilem ad erudiendum & consolandum pœnitentem, & olim observatam fuisse tantùm ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit eos qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum, aut demùm non licere confiteri peccata venialia: Anathema sit.

OCTAVUS CANON.

Si quis dixerit confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat esse impossibilem, & traditionem humanam à piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes & singulos utriusque sexûs Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem semel in anno, & ob id suadendum esse Christi fidelibus ut non confiteantur tempore quadragsimæ. Anathema sit.

NONUS CANON.

Si quis dixerit absolutionem sacramentalem Sacerdotis, non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti, modò tamen credat se esse absolutum. Aut Sacerdos non seriò sed jocò absolvat; aut dixerit non requiri confessionem pœnitentis, ut Sacerdos ipsum absolvere possit. Anathema sit.

DECIMUS CANON.

Si quis dixerit Sacerdotes qui in peccato mortali sunt, potestatem solvendi atque ligandi non habere, aut non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus & singulis Christi fidelibus esse dictum, quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque solveritis super terram erunt soluta & in cœlo, & quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt; quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat si correptus acquieverit, secreta verò per spontaneam confessionem. Anathema sit.

UNDECIMUS CANON.

Si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casûs nisi quoad externam politiam, atque ideò casuum reservationem non prohibere quominùs Sacerdos à reservatis verè absolvat. Anathema sit.

DUODECIMUS CANON.

Si quis dixerit totam pœnam simùl cum culpâ remitti semper à Deo, satisfactionem pœnitentium non esse aliam quam fidem, quâ apprehendunt Christum pro eis satisfecisse. Anathema sit.

DECIMUS

DECIMUS TERTIUS CANON.

Si quis dixerit pro peccatis, quoad pœnam temporalem minimè Deo per Christi merita satisfieri, pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis, sed neque spontè susceptis, vel jejuniis, orationibus, eleemosinis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideò optimam pœnitentiam esse tantùm novam vitam. Anathema sit.

DECIMUS QUARTUS CANON.

Si quis dixerit satisfactiones quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultûs Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratiâ & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes. Anathema sit.

DECIMUS QUINTUS CANON.

Si quis dixerit claves Ecclesiæ esse datas tantùm ad solvendum, non etiam ad ligandum, & propterеà Sacerdotes dum imponunt pœnas confitentibus agere contrà finem clavium, & contrà institutionem Christi, & fictionem esse quod virtute clavium, sublatâ pœnâ æternâ pœna temporalis plerumque exolvenda remaneat. Anathema sit.

Canones de Sacramento Extremæ Unctionis.

PRIMUS CANON.

Si quis dixerit extremam unctionem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à beato Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum. Anathema sit.

SECUNDUS CANON.

Si quis dixerit sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessasse, quasi olim tantùm fuerit gratia curationum. Anathema sit.

TERTIUS CANON.

Si quis dixerit extremæ unctionis ritum & usum quem observat Sancta Romana Ecclesia repugnare sententiæ Beati Jacobi Apostoli, ideòque eum mutandum, posseque à Christianis absque peccato, contemni, Anathema sit.

QUARTUS CANON.

Si quis dixerit præsbiteros Ecclesiæ, quos Beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate, ob idque proprium extremæ unctionis ministrum non esse solùm Sacerdotem. Anathema sit.

Decretum de reformatione publicatum in eâdem IV. Sessione Tridentinâ.

CUm propriè Episcoporum munus sit subditorum omnium vitia redarguere hoc illis præcipuè cavendum erit, ne clerici præsertim ad animarum curam

conſtituti, criminoſi ſint, neve inhoneſtam vitam ipſis conniventibus ducant. Nam ſi eos pravis & corruptis moribus eſſe permittant, quo pacto laicos de ipſorum vitiis redarguent. Qui uno ab eis ſermone convinci poſſent, quod clericos ipſis patiantur eſſe deteriores, quâ etiam libertate laicos corripere poterunt Sacerdotes, cum facile ſibi ipſi reſpondeant, eadem ſe admiſiſſe quæ corripiunt. Monebunt propterea Epiſcopi ſuos clericos in quocunque ordine fuerint, ut converſationes, ſermone & ſcientiâ commiſſo ſibi populo præeant, memores ejus quòd ſcriptum eſt. Sancti eſtote quia & ego ſanctus ſum : & juxta Apoſtoli vocem. Nemini dent ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium eorum; ſed in omnibus exhibeant ſe ſicut miniſtros Dei, ne illud prophetiæ dictum impleatur in eis. Sacerdotes mei contaminant ſancta, & reprobant legem. Ut autem ipſi Epiſcopi liberiùs id exequi ac nullo prætextu deſuper impediri queant, eadem Sacro-Sancta Tridentina Synodus præſidentibus in eâ eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legato & Nuntiis hos qui ſequuntur Canones ſtatuendos & decernendos duxit.

PRIMUS CANON.

Cum honeſtiùs ac tutiùs ſit, ſubjecto debitam præpoſitis obedientiam impendere, in inferiori miniſterio deſervire, quàm cum præpoſitorum ſcandalo graduum altiorum appetere dignitatem, ei cui aſcenſus ad Sacros Ordines à ſuo Prælato ex quâcumque causâ, etiam ob occultum crimen, quomodolibet etiam extrajudicialiter fuerit interdictus, aut qui à ſuis ordinibus, ſeu gradibus, vel dignitatibus Eccleſiaſticis fuerit ſuſpenſus, nullâ contra ipſius Prælati voluntatem conceſsâ licentiâ de ſe promovere faciendo, aut ad priores ordines, gradus & dignitates, ſive honores reſtitutio ſuffragetur.

SECUNDUS CANON.

Et quoniam nonnulli Epiſcopi Eccleſiarum quæ in partibus infidelium exiſtunt, clero carentes, & populo Chriſtiano, cum ferè vagabundi ſint, & permanentem ſedem non habeant, non quæ Jeſu Chriſti, ſed alienas oves, inſcio proprio paſtore, quærentes, dum per hanc Sanctam Synodum ſe pontificalia officia in alterius Diœceſi, niſi de loci ordinarii expreſsâ licentiâ, & in perſonas eidem Ordinario ſubjectas tantùm exercere prohibitos vident in legis fraudem & contemptum, quaſi Epiſcopalem cathedram in loco nullius Diœceſis ſuâ temeritate exigunt, & quoſcumque ad ſe venientes, etiamſi ſuorum Epiſcoporum ſeu Prælatorum litteras commendatitias non habeant, clericali caractere inſignire & ad ſacros etiam præsbiteratus ordines promovere præſumant, quo plerumque fit ut minus idonei & rudes ac ignari & qui à ſuo Epiſcopo tanquam inhabiles & indigni rejecti fuerunt, ordinati, nec divina officia peragere, nec Eccleſiaſtica Sacramenta rectè valeant miniſtrare. Nemo Epiſcoporum qui titulares vocantur, etiamſi in loco nullius Diœceſis, etiam exempto aut aliquo monaſterio cujuſvis ordinis reſiderint aut moram traxerint, vigore cujuſvis privilegii ſibi de promovendo quoſcumque ad ſe venientes pro tempore conceſſi, alterius ſubditum etiam prætextu familiaritatis continuæ commenſalitatis ſuæ abſque proprii ſui Prælati conſenſu expreſſo, aut litteris dimiſſoriis ad aliquos ſacros aut minores ordines, vel primam tonſuram promovere, ſeu ordinare valeat: contrà faciens ab exercitio pontificalium per annum, taliter verò promotus ab executione ordinum ſic ſuſceptorum donec ſuo Prælato viſum fuerit, ipſo jure ſint ſuſpenſi.

TERTIUS CANON.

Episcopus quoscumque suos clericos, præsertim in sacris constitutos, absque suo præcedenti examine, & commendatitiis litteris, quâcumque authoritate promotos, licet tanquàm habiles ab eo, à quo ordinati sunt probatos, quos tamen ad divina officia celebranda, seu Ecclesiastica Sacramenta ministranda minus idoneos, & capaces repererit, à susceptorum Ordinum exercitio ad tempus de quo ei videbitur suspendere, & illis ne in altari aut aliquo ordine ministrent, interdicere possit.

QUARTUS CANON.

Omnes Ecclesiarum Prælati, qui ad corrigendos subditorum excessûs diligenter intendere debent, & à quibus nullus clericus per hujus Sanctæ Synodi statuta cujusvis privilegii prætextu, tutus censetur, quominùs juxtà Canonicas sanctiones visitari, puniri & corrigi possit, si in Ecclesiis suis resederint, quoscumque sæculares clericos, qualitercumque exemptos, qui alias suæ jurisdictioni subessent de eorum excessibus, criminibus & delictis, quotiès & quandò opus fuerit, etiam extra visitationem tanquam ad hoc Apostolicæ Sedis delegati, corrigendi & castigandi facultatem habeant, quibuscumque exemptionibus, declarationibus consuetudinibus, sententiis, juramentis, concordiis, quæ suos tantùm obligant authores, ipsis clericis ac eorum consanguineis, capellanis, familiaribus, procuratoribus & aliis quibuslibet ipsorum exemplorum contemplatione & intuitu minimè suffragantibus.

QUINTUS CANON.

Insuper cùm nonnulli qui sub prætextu quod super bonis & rebus ac juribus suis diversæ eis injuriæ, ac molestiæ inferantur, certos judices per litteras conservatorias deputari obtinent, qui illos à molestiis & injuriis hujusmodi tueantur, & deffendant, & in possessione seu quasi bonorum rerum ac jurium suorum manuteneant, & conservent, neque super illis eos molestari permittant, ejusmodi litteras in plerisque contra concedentes mentem in reprobum sensum detorqueant. Idcircò nemini omninò cujuscumque dignitatis & conditionis sit, etiamsi capitulum fuerit, conservatoriæ litteræ, cum quibuscumque clausulis aut decretis & quorumcumque judicum deputatione, quocumque etiam alio prætextu aut colore concessæ suffragentur ad hoc, & coràm suo Episcopo sivè alio Superiore ordinario, in criminalibus & mixtis causis accusari, & conveniri, ac contra eum inquiri & procedi non possit. Aut quominùs si qua jura ei ex cessione competierint, super illis liberè valeat apud judicem ordinarium conveniri, in civilibus etiam causis, si ipse actor extiterit, aliquem ei apud suos conservatores judices in judicium trahere minimè liceat. Quòd si in his causis, in quibus ipse reus fuerit, contigerit ut electus ab eo conservator ab actore suspectus esse dicatur, aut si qua inter ipsos judices, conservatorem & ordinarium controversia super competentiâ jurisdictionis orta fuerit, nequaquàm in causâ procedatur, donec per arbitros in formâ juris electos, super suspicione, aut jurisdictionis competentiâ fuerit judicatum. Familiaribus verò ejus qui hujusmodi litteris conservatoriis tueri solent, nihil illæ prosint, præterquàm duobus dumtaxat. Si tamen illi propriis ejus sumptibus vixerint, nemo etiam similium litterarum beneficio ultrà quinquennium gaudere possit. Non liceat quoque conservatoribus judicibus ullum habere

tribunal erectum. In causis verò mercedum aut miserabilium personarum hujus Sanctæ Synodi super hoc decretum in suo robore permaneat. Universitates autem generales, ac collegia Doctorum seu scholarium & regularia loca, nec non hospitalia actû hospitalitatem servantia, ac universitatum collegiorum, locorum, & hospitalium hujusmodi personæ in præsenti canone minimè comprehensæ, sed exemptæ omninò sint & esse intelligantur.

SEXTUS CANON.

Quia verò etsi habitus non facit monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitûs extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant. Tanta autem hodiè aliquorum inolevit temeritas religionisque contemptus, & propriam dignitatem & honorem clericalem parvipendentes, vestes etiam publicè deferant laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus. Propterea omnes Ecclesiasticæ personæ quantumcumque exemptæ, quæ aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatûs officia, aut beneficia qualiacumque Ecclesiastica obtinuerint, si posteà quàm ab Episcopo suo, etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem, illorum ordini ac dignitati congruentem, & juxtà ipsius Episcopi ordinationem & mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus, ac officio, & beneficio, ac fructibus, redditibus & proventibus ipsorum beneficiorum, nec non si semel correpti, denuò in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, & beneficiorum hujusmodi coerceri possint & debeant. Constitutionem Clementis V. in Concilo Viennensi editam, quæ incipit, quoniam innovando & ampliando.

SEPTIMUS CANON.

Cùm etiam qui per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari avelli debeat, qui suâ voluntate homicidium perpetraverit etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec aliâ ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit. Nec illi aliqua beneficia Ecclesiastica, etiamsi curam non habeant animarum conferre liceat: sed omni ordine ac beneficio, & officio Ecclesiastico perpetuò careat: si verò homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte deffenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad sacrorum ordinum, & altaris ministerium, & beneficia quæcumque ac dignitates jure quodammodo dispensatio debeatur, committatur loci ordinario, aut ex causâ metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui non nisi causâ cognitâ, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter dispensare possit.

OCTAVUS CANON.

Præterea quia nonnulli, quorum etiam aliqui veri sunt pastores, ac proprias oves habent, alienis etiam ovibus præesse queunt, & ita alienis subditis quandoque intendunt, ut suorum curam negligant. Quicumque etiam Episcopali præditus dignitate, qui puniendi alienos subditos privilegium habuerit, contra clericos sibi non subjectos, præsertim in sacris constitutos, quorumcumque & atrocium criminum reos, nisi cum proprii ipsorum clericorum Episcopi, si apud Ecclesiam suam resederit, aut personæ ab ipso Episcopo

Episcopo deputandæ interventu, nequaquàm procedere debeat, aliàs processus, & indè secuta quæcumque viribus omninò careant.

NONUS CANON.

Et quia jure optimo distinctæ fuerunt diœceses & parochiæ, ut unicuique gregi proprii attributi pastores, & inferiorum Ecclesiarum rectores, qui suarum quisque ovium curam habeant, ut ordo Ecclesiasticus non confundatur, aut una & eadem Ecclesia duarum quodammodò diœcesum fiat non sine gravi eorum incommodo, qui illi subditi fuerint. Beneficia unius diœcesis, etiamsi parochiales Ecclesiæ, vicariæ perpetuæ, aut simplicia beneficia, seu præstimonia, aut præstimoniales portiones, fuerint etiam ratione augendi cultum divinum, aut numerum beneficiorum, aut aliâ quâcumque de causâ, alterius diœcesis beneficiorum monasterio, seu collegio, vel loco etiam pio, perpetuò non uniantur, decretum hujus Sanctæ Synodi super hujusmodi unionibus in hoc declarando.

DECIMUS CANON.

Regularia beneficia in titulum, regularibus professis provideri consueta, cum per obitum aut resignationem, vel aliàs illa in titulum obtinentis, vacare contigerit, religiosis tantùm illius ordinis, vel his qui habitum omninò suscipere & professionem emittere teneantur, & non aliis, ne vestem lino lanâque contextam induant, conferantur.

UNDECIMUS CANON.

Quia verò regulares de uno ad alium ordinem translati facilè à suo superiore licentiam standi extrà monasterium obtinere solent, ex quo vagandi & apostatandi occasio tribuitur; nemo cujuscumque ordinis, Prælatus vel Superior, vigore cujusvis facultatis aliquem ad habitum & professionem admittere possit, nisi ut in ordine ipso, ad quem transfertur sub sui Superioris obedientiâ in claustro perpetuò maneat, ac taliter translatus, etiamsi Canonicorum regularium fuerit, ad beneficia secularia etiam curata omninò incapax existat.

DUODECIMUS CANON.

Nemo etiam cujusvis dignitatis Ecclesiasticæ, vel secularis, quâcumque ratione, nisi Ecclesiastica beneficia aut capellam de novo fundaverit & construxerit, seu jam erectam, quæ tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis & de patrimonialibus bonis competenter dotaverit, jus patronatûs impetrare, aut obtinere possit, aut debeat, in casu autem fundationis, aut dotationis hujusmodi, institutio Episcopo, & non alteri inferiori reservetur.

TERTIUS DECIMUS CANON.

Non liceat prætereà patrono, cujusvis privilegii prætextu, aliquem ad beneficia sui juris patronatûs, nisi Episcopo loci ordinario ad quem provisio seu institutio ipsius beneficii, cessante privilegio, jure pertineret quoquomodò præsentare, aliâ præsentatio ac institutio forsan secutæ nullæ sint & esse censeantur.

Declarat prætereà Sancta Synodus in futurâ Sessione quam ad XXV. diem Januarii subsequentis anni M D LII. habendam esse jam decrevit, unâ cum sacrificio Missæ agendum & tractandum etiam esse de Sacramento Ordinis & prosequendam esse materiam reformationis.

Articuli (a) de Sacramento Missæ & Sacramento Ordinis per Doctores Theologos examinandi, an videlicet hæretici sint, & per Sanctam Synodum damnandi.

DE SACRIFICIO MISSÆ PRIMUS ARTICULUS.

Missam non esse sacrificium, nec oblationem pro peccatis, sed tantùm commemorationem sacrificii in cruce peracti. Vocari autem à Patribus translato nomine sacrificium, at verè & propriè non esse, sed tantùm testamentum & promissionem remissionis peccatorum.

SECUNDUS ARTICULUS.

Missam non esse ex Evangelio, neque à Christo institutam, sed inventum ab hominibus, neque eam esse opus bonum, aut meritorium, immò in ea committi manifestam & multiplicem idolatriam.

TERTIUS ARTICULUS.

Blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto, si quis credat Dei filium denuò à Sacerdotibus in Missâ Deo Patri offerri, Christumque pro nobis misticè immolari, & offerri, non aliud esse, quàm illum nobis ad manducandum dari, & Christum illis verbis: hoc facite in meam commemorationem, non ordinasse ut Apostoli offerrent corpus & sanguinem ejus in sacrificio Missæ.

QUARTUS ARTICULUS.

Canonem Missæ erroribus & seditionibus scatere, abrogandum esse, fugiendumque non secùs ac pessimam abominationem.

QUINTUS ARTICULUS.

Missam nec vivis, nec mortuis ut sacrificium prodesse, & impium esse applicare eam pro peccatis, pro satisfactionibus & aliis necessitatibus.

SEXTUS ARTICULUS.

Sicut nemo pro alio communicat, vel pro alio absolvitur, ita nec in Missâ Sacerdos pro alio sacrificium offerre potest.

SEPTIMUS ARTICULUS.

Missas privatas in quibus scilicet solus Sacerdos, & non alii, communicat, antè Gregorium magnum non fuisse, & illicitas esse atque abrogandas, ac cum Christi institutione pugnare, & repræsentare magis excommunicationem quàm communionem à Christo institutam.

(a) Hi omnes articuli ex nuperis hæreticis Luthero & Calvino deprompti, Doctorum & Episcoporum examini subjecti fuerunt, & uno quoque die bis conveniebant in privatis congregatienibus, Doctores, ut nihil esset prætermissum ad veritatis & fidei elucidationem. Eliquatâ post varias concertationes veritate, ad canonum confectionem deputati sunt Patres, quos inter erat Coloniensis Archiepiscopus, sed adventus Oratorum Ducis Wirtembergici, Urbis Argentoratensis & Mauritii Saxonum Ducis ab ulteriore progressu cessatum est.

OCTAVUS.

Vinum non esse materiam sacrificii, neque aquam miscendam cum vino in calice, idque esse contra Christi institutionem.

NONUS.

Ecclesiæ Romanæ ritum, quo secretâ & sumissâ voce verba consecrationis proferuntur; damnandum esse, Missamque nonnisi in linguâ vulgari quam omnes intelligant, celebrari debere, imposturamque esse certas Missas certis Sanctis attribuere.

DECIMUS.

In celebratione Missarum omnes ceremonias, vestes & externa signa irritabilia impietatis esse, magis quàm officia pietatis: & sicut Missa Christi simplicissima fuit, ita quantò Missa illi primæ omnium viciniori & simiIiori sit tantò magis esse christianam.

Articuli de Sacramento Ordinis.

PRIMUS ARTICULUS.

Ordinem non esse Sacramentum, sed ritum quemdam eligendi & constituendi ministros verbi & Sacramentorum, imò quòd ordo Sacramentum sit, figmentum esse humanum excogitatum ab illis rerum Ecclesiasticarum imperitis.

SECUNDUS ARTICULUS.

Ordinem non esse unum Sacramentum, nec infimos & medios ordines velut gradûs quosdam tendere in sacerdotii ordinem.

TERTIUS ARTICULUS.

Nullam esse hierarchiam Ecclesiasticam, sed omnes Christianos ex æquo esse Sacerdotes, & ad usum seu executionem, opus esse vocatione magistratûs & consensu populi. Et qui Sacerdos semel fit, eum laicum rursùs posse fieri.

QUARTUS ARTICULUS.

Non esse in Novo Testamento sacerdotium visibile & externum, neque potestatem aliquam spiritualem, sive ad conservandum corpus & sanguinem Christi, sive ad offerendum, sive ad absolvendum coram Deo à peccatis, sed officium tantùm & ministerium prædicandi Evangelium, & eos qui non prædicant prorsùs non esse sacerdotes.

QUINTUS ARTICULUS.

Unctionem non solùm non requiri in ordinum traditione, sed esse perniciosam & contemnendam, similiter & omnes alias cæremonias, & per ordinationem non conferri Spiritum Sanctum, proindè impertinenter Episcopos cum ordinant dicere, accipite Spiritum Sanctum.

SEXTUS ARTICULUS.

Episcopos jure divino non esse institutos, neque præsbiteris superiores; neque habere jus ordinandi, aut si habent id esse illis commune cum præsbiteris, ordinationesque ab ipsis factas sine plebis consensu irritas esse.

Sententiæ per Theologos dicendæ, deducentur (ut aliàs præscriptum est) ex Sacrâ Scripturâ, traditionibus Apostolicis, sacris & approbatis Conciliis, ac Summorum Pontificum, & Sanctorum Patrum Constitutionibus, & authoritatibus & Ecclesiæ Catholicæ consensu &c.

DIcant ea brevitate quæ decet viros pios & non contentiosos & verbosos propterea abstineant omninò à superfluis & inutilibus.

Incipiant primi die Lunæ quæ erit septima Decembris horâ XVI. dein prosequantur alii eâdem die horâ XXI. & successivè singulis diebus bis in die eisdem horis.

Congregatio Patrum.

DIe 2. Januarii 1552. more Romano Congregatio Episcoporum ad dicendas sententias celebrata est, in quâ Legatus posteàquam dixit Theologos convenisse in condemnationem articulorum, proposuit Patribus modum quem observarent, nempè ut doctrina simul cum articulis tradatur, super quibus dicerent sententias quantâ fieri posset brevitate, deindè novi deputati electi sunt ad conficiendos Canones, cæteraque Synodi negotia pertractanda, in quorum numerum ascriptus fui Psalmæus.

Articuli de Missâ, & Ordine omnes judicantur damnandi à Theologis, neque adnotationes alicujus momenti factæ sunt. Ut tamen quibusdam Patribus satisfiat, hæc minutula ex sententiis ipsorum Theologorum excerpta fuerunt.

IN PRIMO DE MISSÂ.

Quidam nollet simpliciter damnari, Missam esse testamentum, cum possit habere bonum sensum, & alius quidam nollet verba illa translato nomine vocari Missam, sacrificium, damnari simpliciter, quia dicit posse esse vera in aliquo sensu.

IN SECUNDO.

Missam inventam ab hominibus &c. Cuidam non videtur hoc simpliciter falsum, quòd possit esse aliquid à Deo & ab hominibus inventum. Quidam censet illa verba (neque esse opus meritorium) non damnanda, quia derogatur ipsi Sacramento.

IN SEPTIMO.

Aliquis admonuit ultimam partem hujus articuli non asseri à Lutheranis, quidam vellet etiam damnari in hoc loco alium articulum; videlicet singulis diebus unam Missam, & illam publicam in unâ Ecclesiâ celebrandam esse. Item & alium. Videlicet non licere Missas privatim ob devotionem celebrare.

IN OCTAVO.

Vinum non esse materiam hujus sacrificii: quidam admonuit considerandum hanc assertionem non ita poni ab hæreticis.

IN NONO.

Quidam non putat expedire, quod hic articulus damnetur generaliter, sed

sed tantùm quoad Ecclesiam Romanam & Latinam, cum Græci, Æthiopes & quædam aliæ nationes contrarium observent &c. vel non damnetur sub censurâ aliorum articulorum. Vellet quidam edi à Sanctâ Synodo decretum, quòd in Missis publicis semper aliqui interpretarentur, Evangelium & Epistolam in linguâ vulgari. Quidam vellet etiam damnari quòd verba illa, hoc facite &c. pertineant ad administrationem, non autem consecrationem & oblationem. Item quòd etiam damnentur formæ diversæ consecrationis, & declaretur quæ sit vera forma consecrationis.

De Sacramento Ordinis.

IN PRIMO.

Ordinem non esse Sacramentum: quidam vellet addi, novæ legis à Christo institutum, cùm id negent hæretici, & verba, incogitatum à viris &c. monuit animadvertenda, quia non credit esse hæreticorum.

IN SECUNDO.

Quidam censet abstinendum omninò in decisione, an inferiores ordines sint Sacramenta propter opiniones Doctorum.

IN TERTIO.

Sed omnes Christianos &c. quidam vellet hunc articulum clariùs poni cum non videantur illa vera adversativa, & posset dici, quin imò omnes &c. vel quia simile, cum possit esse Ecclesiastica hierarchia & omnes esse ex æquò Sacerdotes. Et qui Sacerdos semel fit &c. Quidam ità vellet dici & Sacerdotes non differre à laicis nisi ministerio, atque ideò qui Sacerdos semel fit &c.

BREVE APOSTOLICUM.

Julius Papa III. Venerabilibus Fratribus Moguntinens. & Trevirens. Episcopis, S. R. Imperii Principibus Electoribus.

VEnerabiles Fratres salutem & Apostolicam benedictionem. Magnam nuper molestiam nobis attulerunt litteræ dilecti filii Marcelli, Cardinalis Crescentii, Legati nostri & venerabilium fratrum Prælatorum Sacro œcumenico Concilio præsidentium, per quas certiores facti sumus novos quosdam motûs in finitimis fraternitatum Ecclesiarum vestrarum locis concitatos; ex quibus tam & aliæ Ecclesiæ detrimentis & calamitatibus non mediocribus affectæ fuerunt, & in ipsos Moguntinenses & Trevirenses grave immineat periculum. In tantâ tamen ac inopinatâ re, ea nobis occurrit consolatio: quòd charissimus in Christo filius noster Carolus, Romanorum Imperator semper Augustus. Unus omnium tam nostrâ, quàm Patrum memoriâ maximus & potentissimus. Hanc causam non solùm communem, sed etiam propriam existimare debeat, ejus opibus consilio & authoritate, facilè hujusmodi tumultûs sedari, & extingui posse speremus. Ad quam curam eum in vos cogitationes suas converfurum minimè dubitamus: cum ut nobilissimæ illius regionis incolumitati consulat, tum ut suo ipsius imperio hanc tam seditiosarum factionum pestem arceat, quod illi haud quaquàm difficile forè ar-

bitramur, cum illam nefariam tumultuariorum militum manus nullâ rectâ ratione subnixam furendi, ansam intelligamus. Quare per seipsum delapsuram & ejus omnes conatûs brevi in irritum casuros facilè, ut credamus adducimur. Vos quidem fratres, cum ex eisdem litteris acceperimus in animo habuisse; Isthinc discedere, ut Ecclesiis vestris opem ferretis, talem divinâ adjuvante clementiâ earum seditionum exitum fore confidimus, ut ipsis etiam speretis Tridenti maneatis Dei operi insistentes, ad quod vos magnoperè hortamur; & quoniam Concilium œcumenicum vestrâ inprimis præsentiâ & authoritate prosperos usque huc habuit progressûs, pro singulari prudentiâ & pietate vestrâ, cogitetis velim, ne ipsius Concilii tam exoptati omnibus nationibus, & ab ipsâ præcipuè Germaniâ efflagitati, & in quo orthodoxæ religionis atque otii & tranquillitatis universæ reipublicæ Christianæ stabiliendæ spes certissima reposita esse debet, causam deseratis. Neque enim dubitandum est, quin ex vestro discessu, tam sanctum, tam salutare, tam necessarium opus quodammodò titubare incipiat, cum vester adventus ei tantùm attulerit adjumenti. Atque ut eò libentiùs permaneatis, & Concilii ipsius acta securiore animo prosequamini, illud sciatis volumus ad omnem periculi metum funditùs tollendum (quod facere neque ante unquàm desiimus) in præsentiâ nihil à vobis prætermitti, neque officii, neque sedulitatis, quo inter Christianos Principes pax & gratia reconcilietur. Immensâ Dei præpotentis benignitate ac misericordiâ, cum in ejus manu sint ipsa Regum corda & concilia, brevi successurum confidimus. Quamobrem si (ut nobis persuademus) fraternitates vestræ publicam Christi Redemptoris nostri & religionis Catholicæ causam, quibuscumque privatis vestris rationibus, quibus etiam absentes ipso præsertim Cæsare adjuvante prospicere poteritis, potiorem duxeritis, præterquàm quòd & ipsius Dei gratiam promerebuntur, nobis etiam qui vos paternè diligimus, vestrumque honorem quantùm cum Deo poterimus, augere cupimus, plurimùm satisfacietis. Hæc erant quæ pro summâ nostrâ in vos charitate & rei gravitate scribenda habuimus, nam illud ut vos moneamus supervacaneum ducimus ne scilicet quicumque rerum eventus fuerit aliquid de discessu vestro inconsulto Cæsare & contra ipsius Sanctæ Synodi sententiam pernitioso aliorum exemplo statuatis. Reliqua cum ex ejusdem dilecti filii nostri Cardinalis Crescentii Legati, tum verò ex Petri Camazeni intimi cubicularii nostri quem etiam hac ipsâ de causâ ad Serenissimum Cæsarem mittimus sermone pleniùs fraternitates vestræ recognoscent. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 24. Decembris 1551. Pontificatûs nostri anno secundo.

ROMUL. AMASŒUS.

Die x. Januarii 1551. ad calculum Romanum, Rumor sparsus fuit Tridenti, Georgium quemdam Monachum Transsilvaniæ gubernatorem, qui paulò antè Cardinalis creatus fuerat à Julio III. ob suspicionem proditionis Regni in manibus Turcæ, nuper fuisse à quodam Regis Romanorum Capitano interfectum, de quo multi multa dixerunt, inter quos unus retulit mihi de illo dici, non propter proditionem, non propter peccatum, sed pernitiosè illum occiderunt.

Copia litteræ super obitu Fratris Georgii, Cardinalis, Gubernatoris in Transsilvaniâ, Regis Romanorum Tridentum transmissæ. (a)

PEr piu particolar aviso di quanto gia duoi giorni scrissi à V. Sa. Ill.ma & R.ma circa la morte di fratre Georgio, ho voluto agiungerle per questa mia quanto dipoi circa cio autenticamente me venuto à notitia. Et è ch' chavend' il sudetto fratre in tutto questo negotio, di Transsilvania & guerra passata sempre proceduto dopdiamente, talmente ch'il Castaldo alquante volte hebbe a scriver a sua M.ta ch'in vero non cognosceva ne sapeva cavar construtto di costui, il quale in un instante rideva, piangeva, mentiva, il vero diceva, pur alla fine dette si chiari inditii dell ambition sua, & nell impresa il lippa, tantosi scoperse, che sipuote toccar con mano il gran veneno, che nascosto teneva, impero ch' essendo Vlamabech l'occhio dritto del gran Turco con 2000. della sua compagnia de la expugnato terra retirato nel castello loco debile & mal fornito di vettu aglie, ne sperando piu so corso dalli sugi come gia da pregioneri le caputo, havea fatta deliberatione per il giorno sequente di rendersi a discretione, ma parendo al frate che tal conquisto fosse contr'il suo dissegno, prima li dett' aviso chè si tenessero per un poco di tempo che sarebbe procurato la loro liberation, & s'impedirebbe che non se li desse assalto. D'indi ad alcuni giorni fu d'un Ongaro visto & udito un familiar suo aprossimarsi alle mura, e disse aquelli di dentio in Turchesco che stessero saldi & non dubitassero, per ch' in breve sariano liberati, il che essendo venuto a notitia del Sign.re Castaldo, volse in pleno Concilio che si facesse essamination ditaleosa, ma fu impedito dal fratè, & la querela rigettata come frivola & impertinente, dipoi lui medesino propose che si dovesse accettar' il castello, salvo le robbe & le persone de li Turchi n'allegava altra ragione che non se ben sapeva lui come far si douca la

(a) Georgius Episcopus Varadinensis, cognomento *Monachi*, tutor Joannis Sigismundi Regis Hungariæ, unà cum Petrovitio creatus est anno 1540. Monachi nomen habuit non à familiâ quæ *Utissenovich* dicebatur, eaque inter proceres Croatiæ, illustri, sed à professione Monachatûs in Ordine S. Pauli primi Eremitæ. Joanni Vaivodæ addictus potiorem ei Hungariæ partem asseruit, à quo deindè, opulentissimâ Varadinensi Ecclesiâ remuneratus, publicis quoque muneribus præfectus est. Demûm à moriente Joanne Vaivodâ, tutor minorennis filii renunciatus est. Sed anno 1551. cum Isabellâ Reginâ & matre pupilli, altercatus, & partæ autoritatis gloriâ intumescens, Reginam coegit Transilvaniâ cedere Ferdinando Regi Hungariæ. Strigoniensis deindè Archiepiscopus factus, paulò post eodem procurante Ferdinando Cardinalitiâ dignitate insignitur. Solimannus de Transilvaniâ Ferdinando deditâ certior factus, ingentem exercitum ad eam recuperandam immisit. Castra & arces occupat. Georgius armorum & victoriæ velut autor, ab invidis traducitur apud Ferdinandum, suspiciones auget Castaldus Cassani Marchio vir Italus & vafer, Thesauris & potentiæ Georgii anhelans, rapit Ferdinandum consiliis, & mutabilis ingenii Archiepiscopum ultrò se offert, ligatum aut occisum tradere Regi. Annuit Ferdinandus, & ecce perditissimus Castaldus in Bintium Castellum favente Ferrario Alexandrino admissus, Georgium summo mane matutinas persolventem adoritur, & simûl cum Sfortiâ, Pallavicino, Scaramuciâ, Campegio, aliisque ejusmodi nominum ac hominum monstris irruit in præsulem & repetitis ictibus confodiunt crudelissimi, proferentem *Jesus Maria*, in iisque verbis efflavit animam. Vide Natalem l. 4. & 5. Thuanum l. 9. Flavium Ascanium Com. de Bellis Dacicis.

guerra con Turchi, & che non accadeva render conto dogni cosa allaquale proposta d'el castaldo ne quei altri capi con tutta la ragion del mundo pòterno obviar, ma furono astretti d'haver' patienza, concludendo che talera il voler suo. La notto la liberation de quelli Turchi, Vlamabech si ritrovò nel paviglion del frate à ragionamento con lui, per ne trare de poi messolo nel suo cocchio favorito & fornito d'archibusi, lo fece accompagnar a salvameto: Erò el essercito regio per il volontario socorso diquelle gente come ho inteso del cugnato di V. S. Ill.ma accressiuto al numero di 80000. & sufficiente & bastante di soffocar quanti Turchi ch'avevano passato il tibisco, m'a ogn' occasion & bon' opera s'impediva de costui, & alla fine per ordine suo, sensa consenso del General tutti li comandati in un giorno tutti si dilegarono, ritornando alla casa loro: si sonno ritrovate l.re sue ad gran Turcho, Pustan Bassa & Belierbei, ch'escusavano questo suo fatto, con promissione desser fidele & obedientissimo algram Sig.re & ch'al fine si sapperebbe la causa de questa tumultuatione, com era apparecchiato di darli il tributo solito con buono avantagio, & metter Alleman sue quanti Allemani & Spanoli se trovavano in quelle parti, & tanto era la confidenza sua nel mal far; che qualche volta gli bastava alanimo, di mandar le copie dital lettere a sua M.ta Regia, dicendole che per tal maniera voleva trapolar li Turchi, & per haver giocco al molinello, mandava ancora al Turcho, copia di quanto scriveva a sua M.ta, shaveva ancor lassiato intender in Transsilvania voler tener un mezzo che mai Spagnoli ne Allemani piu intrarebbeno nel paese loro, & pensava sott'il pretexto del sott il practicar poter' copprir' ognicosa: ma questo fu senza aperta che venne in leve come lui havea gran quantita di vettovaglie nelle mane & tamen faceva morir li poveri soldati di fame. Si seppe ancor come pro intelligentia & practica sua il beglierbei havea passato il fiume, il qual altrimente conquella suo gente non si sarebbe messo à tal pericolo & giamai pervenuto à tanta licenza, che essendo il Castello di Theben loco forte & importantissimo patronnegiato da doi Capitani in nome di sua M.ta e uno di esso frate pochi giorni sonno che d'authorita propria licentiette uno delli Regi alio che in quel locho tra S. M.ta & esso lui l'autorità fosse igvalmente compartita, & che poi tanto meglio potesse gioccar del resto: il fine a donche di questo trafficho era questo prima di accortarsi con questa M.ta perhaver occasione & mezzo di rimover da quel regno dove concorrenti suoi la Regina Isabella & Petro. Fatto questo con la mossa de Turchi, non lasciar pigliar piedi in quelle bande l'essercito regio, ma travagliando tener le forze sue in equilibrio con le Turchesche, accioche rimanendo le cose pari, & debilitate esso rima nesse arbitro & superiore in quel locho, dal quale & Re & Turco, shavesser a depender'. La conclusion del tutto era di tradir & condure alle beccharie le reliquie delle genti regia, impetrar' del Turco ch'accettasse il solito tributo, & che lo sassiasse ivi principe solo & sensa compagno, il che tutto shavea da concluder con li duoi chiausse presi nel tempo della dieta che gia era publicata per li 18. Febraro in Albagiulia, il tutto sa rebbe facilmente potuto haver miserando exito, siddio pro sua misericordia non ei havesse posto il concedente & opportuno remedio. Per obviar dunche a tanto pericolo, fù gia aliquante setti mane di questa corte espedito mercaldo falconier maggiore di S. M.ta il qual con la sua gionta hebbeadar risolutione al negotio, & mancava solamente loccasione di puoter essequir la sudetta impresa

senza

ſenza ſcandalo ; Ilche dal viaggio che ſi fece dalippa in Albagiulia fù impedito dalle 200. holidoni archibuſieri , ch'il frate tenuia pro guardia , & ſintrato foſſe nella terra, reuſciva il diſegno quas' impoſſibile. Par qñ. iddio volſe alli 16. di queſto gionſe il frate in uno ſuo Caſtello Rintoga, lontano d'Albagiulia circa 3. legue , ove il Sig.re Caſtaldo con pocha campagnia con eſſo lui inſieme fù allogiato , & per la Strettezza del locho , havea il frate mandato la maggior parte della ſua guardia avanti con le Regie & laltra parte allogiata fuori del Caſtello in uno villagio : fu in tempo antiveduto queſto & dar ardire che 100. Spagnuoli come per negligenza partiti piu tardi dell altri arrivaſſino in quel locho quaſi à un hora di notte con in qual color , ben che con grandiſſima difficulta ſi puote obtener & impetrar dal frate che poteſſero allogiar ivi vicino 25. di quelli ſecundo lintentione havuta , la mattina ſequente avanti giorno ſi preſentarono alla porta del Caſtello & ivi preſa occaſione che ſappriſſe le porte per forza & parte per amor ſecerno lintrata ſtava il Sig.re Sforſa Palavicino con doi Secretari del Caſtello Marcant Sr. Ferraro Alexandrino & Franciſo ſtrepato Milaneſe attenti per tal neg.o quali ſubito che viddeno di Spagnoli in caſa de longo andarno alla camera del frate ch'allora ſi levava dal letto & aventato legli adoſſo luno con il pugnale l'altro con laſpada di radoppiati colpi gli paſſorono quel petto traditor , & il Sig.re Sforza sfendendogli la teſta dun colpo mando quell anima aſtar con Giuda : Erano in cam.a doi ſuoi ſervidori ch'Ongari Chiamano Garmel , ſi volſero intromettervi a diffeſa del patron mà indarno & furono feritià morte. Occorſe che dippoi eſſendo quelli genti del Caſtello convocate , & narrato loro queſto ſucceſſo inſieme con le cauſe & proceſſo del tradimento riſpoſe uno de quella molto famigliar del frate confirmando quello ſegli haveva recitato , A ſe ch' e vero : & io tante volte gli prediſſi che ſi doveſſe guardar & mutar camino. Spagnoli non potreno contenire che non ſualis aſſero il Caſtello ; nella camera del frate furno trovati xv. fionnini , & dipoi ſtata preſa lobedienza d'Albagiulia , & altri Caſtelli che dal frate ſi tenevano ſenza tumulto , per che erano ſtracchi della malignita & perfidia del frate. Si dice ch'in orial Caſtello ineſpugnabile haveva il teſoro , noſtro ſe niteſo ancora ſeſi habbi piglia ſo il poſſeſſo.

Congregatio Deputatorum.

Die Jovis 21. Januarii actum fuit inter Deputatos de Seſſione differendâ ad inſtantiam Cæſaris, & in gratiam Proteſtantium, qui poſtquàm obtinuerunt Salvum-Conductum in ampliori formá, audiri voluerunt , & proponere Patribus ſuam fidem.

Alia Congregatio eorundem.

Die verò ſequenti 22. diſputandum fuit inter eos, an nuncii Wittemburgenſes audiendi forent in Concilio, vigore procuratorii quòd ipſi exhibituri eſſent in Congregatione Generali , ad proponendum doctrinam quamdam fidei Wittemburgenſium. Viſum fuit audiendos forè omni cum charitate & patientiâ, prævia tamen proteſtatione aut declaratione, pro conſervatione juris Synodi , & quòd pro reſponſo Synodus provideret. Quoad Salvum-Con-

ductum, quem missi à Duce Mauritio petierunt in ampliori formâ, ad instar Salvi-Conductûs Bohemis concessi in Concilio Basileensi, Sessione quarta, visum fuit dandum esse adhibitis aliquot animadversionibus, videlicet quòd ab initio dicatur. Sacro-Sancta Synodus &c. præsidentibus &c. prout moris est. Item quòd tollantur verba disponendi, & concludendi. Item quòd loco verborum quibus dicitur, Sanctissimus Dominus Romanus Pontifex, dicatur Sanctissimus Dominus noster Summus Pontifex, prout visum fuit Legato, quæ sententia cum non omnibus placeret, dissoluta fuit Deputatorum Congregatio, & totum negotium ad Congregationem Generalem relatum, quæ 23. Januarii futura erat.

Consultatio Generalis.

DIe Sabbati 23. Januarii consultatio habita est, an Pontifex dispensare deberet cum filio Marchionis Magdeburgensis, juvene nato annos circiter 22. ut præficeretur Ecclesiis Magdeburgensis & Halberstatensis, ad quas fuit postulatus per Capitula Ecclesiarum, in quâ Patres diversa senserant, cum propter ætatis defectum, & hæresim de quâ suspectus erat; tum quia Concilium vetat quemquam præfici duabus Ecclesiis: deindè actum fuit de audiendis Wittembergensibus & de Salvo-Conductu impertiendo nunciis Ducis Mauritii; placuit autem Patribus dandum esse Salvum-Conductum in amplissimâ formâ, & præfigendum illis terminum peremptorium, intrà quem venirent, ne deluderetur Synodus tantis dilationibus, atque interim prorogandam esse promulgationem materiarum ad 59. usque diem, eâ tamen lege, ut interim non intermitteretur discussio articulorum de Sacramento Matrimonii, aliorumque proponendorum, quòd & decretum fuit die 24. in Congregatione matutinâ. Deindè venerunt ad Congregationem duo missi à Duce Wittembergensi, unus Nobilis, alter verò utriusque Juris Doctor, qui habitâ oratione ad Synodum exhibuit mandatum, & nonnullas scripturas fidem & confessionem Ducis Wittembergensis continentes, petens responsum à Synodo. Responsum est quòd Synodus cum deliberatione provideret. A meridie autem auditi fuerunt Oratores Ducis Mauritii, quorum alter, videlicet Doctor orationem habuit satisfacundam, sed perniciosam, deindè tradidit dictam orationem in scriptis Synodo.



SESSIO QUINTA.

DIe verò Conversionis Sti. Pauli 25. Januarii celebrata fuit Sessio 5. in æde Divi Vigilii. Episcopus Catinensis, Italus, celebravit Missam de Spiritu Sancto, Majoricensis orationem habuit facundam. Legatus inchoavit Sessionem cum ceremoniis consuetis. Deindè finito hymno, *Veni Creator*, cum versu & collecta, præfatus Catinensis ex suggesto legit clarâ voce, decretum prorogationis materiarum hujus Sessionis ad diem Divi Josephi, qui fuit 19. Martii. Deindè lectæ fuerunt per eundem litteræ Salvi-Conductûs concessæ Protestantibus.

Censura Reverendissimi Domini Coloniensis in doctrinam conceptam pro Sessione celebrandâ in die Conversionis Sancti Pauli.

QUamvis ea quæ de statuendâ doctrinâ ex dictis Theologorum sint eruditè admodùm & piè tradita, fideique nostræ Catholicæ, & Patrum anti-

quorum ſcriptis per omnia ferè conſentanea, quædam tamen videntur nonnihil ſaltem verbis diſcrepare, & poſſe accuratiùs paucis immutatis tradi. Quod non velimus in ſuggeſtionem illorum dictum, qui formam hanc conceperunt, quibus potiùs cenſemus pro labore & ſtudio habendas maximas gratias, quos etiam non arbitramur ità abundare, in ſenſu ſuo, ut noſtram ſententiam non ſint æquanimiter & piè laturi. Præſertim cum in eis quæ ad fidem & religionem noſtram orthodoxam pertinent, debeat quiſque quòd ſentit abſque omni diſſimulatione liberè & apertè, potiſſimùm verò in Conciliis, in quæ omnium nationum gentes ſuſpiciunt pronunciare. Nam & nos viciſſim quæcumque dicimus, pro noſtro tantùm dicimus ſuffragio, nemini præjudicantes, rectiori judicio libenter acquieturi.

Et in primis placet ſatisfactio, quæ datur in præfatione ſuper eo, quare hoc loco doctrina de ſacrificio tradatur, quanquàm noſtro judicio, rectiùs actum fuiſſet ſi non eam adeò Synodus ab Euchariſtiâ ſeparaſſet, ſed utriuſque & Euchariſtiæ & ſacrificii doctrinam, cùm circà idem verſetur, tradidiſſet ſimul, quo nulla daretur ſimplicibus cauſa, alterum ab altero diverſum eſſe, ſuſpicandi aut hereticis alteram ſupprimendi.

DE CAPITE PRIMO.

QUæ priori hujus capitis articulo dicuntur, de novo ſacerdotio, novoque ſacrificio, cum lege novâ ſuſceptis, per placent, ubi tamen verbis illis, ut ſub novâ potiùs & longè præſtantiori lege viverent, vellemus adjectam voculam, *Chriſti, aut fidei lege.* Idque propterea ne adverſarii hoc legentes continuò exclament, nos redigere iterùm fideles ſubſervitutem, & legem imponere liberis, Ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Item, *juſto non eſt lex poſita.* Item, *ſi Spiritu ducimini* &c. Quæ loca objicere ut ſolent, non poterunt, ſi diſertis Scripturæ verbis utamur, & legem novam appellemus novam Chriſti legem, aut ſpiritus, aut fidei legem. Quemadmodùm facit Apoſtolus Paulus, qui veterem appellat, nunc factorum, nunc operum, nunc damnationis mortis, aut litteræ legem, novam autem legem Chriſti, aut fidei, aut ſpiritus.

Articulo ſequenti ejuſdem Capitis, rationibus efficaciſſimis convincitur Miſſam eſſe ſacrificium, probanturque nobis omnia quæ huc afferuntur, præter unum hoc quòd dicitur *Chriſtus in cruce perfunctus ſacerdotio Aaron*, quòd non videbatur nobis ullo pacto perferendum, propter multas rationes, ut prætereamus hoc quòd Chriſtus non ducit originem ex tribu Levi, aut Aaron, ſed de tribu Juda, cui non licuit offerre ſacrificia Aaronica. Aaron & ſacerdotes ejus offerebant meras figuras, nec quidquàm amplius, Chriſtus autem ipſam rem figuris illis adumbratam. Proindè quantùm diſtat res à ſuâ umbrâ, tantùm diſtabat Chriſti ſacrificium, à ſacrificiis Aaronicis, erantque Aaronica ſacrificia omnia imperfecta & infirma, nec poterant auferre peccata, ſanguis autem Chriſti & ejus ſacrificium emundavit nos à peccatis. Etſi percurramus Epiſtolam ad Hæbreos, Apoſtolus totâ ferè Epiſtolâ hoc agit potiſſimùm, ut collatione ſacrificii Chriſti & ſacerdotii ejus, cum Aaronico ſacerdotio & ſacrificio facta, oſtendat hæc divertiſſima eſſe, nec Chriſtum ullo pacto, ſacerdotio Aaronico perfunctum. Expreſſa Apoſtoli verba ad Hæbreos ſunt. Si eſſet ſuper terram ſacerdos, non eſſet, cum eſſent qui offerrent ſecundùm legem munera, qui exemplari & umbræ deſerviant cœleſtium. Nunc autem melius ſortitus eſt miniſterium, quantò & melioris teſtamenti mediator eſt &c. Si dicimus autem Chriſtum, qui ſeipſum in cruce obtulit, functum fuiſſe ſacer-

dotio Aaronico, multò potiùs fatendum erit, Sacerdotes Ecclesiæ qui eandem hostiam in Missâ offerunt, Aaronis Sacerdotio perfungi, magis enim videtur ad legis umbras accedere, quàm Christus, qui nihil umbratici in cruce exhibuit, quòd minus absurdum videtur. Neque ad hunc modum Patres, de Christi sacerdotio vel sacrificio crucis unquàm locuti sunt, undè non videtur nova ista loquendi forma ullo pacto recipienda. Ad rationem autem quâ videtur dictum illud in doctrinâ probari, scilicet, quòd Christus in cruce fudit sanguinem suum, & sacrificiorum cruentorum quæ in lege præcipiebantur, figuras implevit. Dicimus implere figuras, non esse Aaronicum: nec Aaronici Ordinis aut sacerdotii est offerre sanguinem proprium, sicut fecit Christus, sed alienum. Undè ratio hæc adeò non confirmat dictum illud ut infirmet potiùs. Quin etiam Apostolus planè contrarium docet, multisque rationibus convincit Christum non obtulisse secundùm ordinem Aaron, nec ejus sacerdotio fuisse perfunctum. Ad Hebr. 9. sic ait. In priùs tabernaculum semper intrabant sacerdotes sacrificiorum officia consummantes. In secundo autem semel in anno, solus Pontifex non sine sanguine quem offerret pro suâ & populi ignorantiâ. Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per ampliùs & perfectiùs tabernaculum non manu factum, id est non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem semel introivit in sancta, æternâ redemptione inventâ, & semetipsum obtulit immaculatum Deo &c. Item ad Heb. 10. umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquàm potest accedentes perfectos facere alioquin cessassent offerri. Impossibile enim est sanguine hircorum aut taurorum auferri peccata, sequitur. Omnis quidem sacerdos præsto est quotidiè ministrans, & easdem sæpè hostias offerens, quæ nunquam possunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, sedet in sempiternum in dexterâ Dei. Tales facit Apostolus Antitheses sacerdotiorum & sacrificiorum Christi & Aaronis per universam ferè Epistolam illam. Tantùm abest ut consentiat Christum Aaronis sacerdotio fuisse perfunctum. Sed ordinem ei asserit Melchisedecis toto capite 7. nec verò id propter panem tantummodò & vinum quæ Melchisedech obtulit, quæ tanquàm vulgaria præterit Apostolus, sed propter sacerdotii præstantiam, quòd in Melchisedech præfigurabatur. Primùm quidem inquit, interpretatur Rex justitiæ. Deindè Rex Salem, quòd est Rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogiâ, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem filio Dei, manet sacerdos in perpetuum. Intuemini autem quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarchâ &c. Et cur magis restringamus Christi sacerdotium cruentum, ad sacerdotium Aaronis, quam ad illorum Patrum qui Aaronem præcesserunt sacerdotio, qui & hostias cruentas obtulerunt, Christi sacrificium utique præfigurantes: Abel obtulit agnum Gen. 4. Christus autem scripturâ teste est Agnus ille qui occisus est ab origine mundi. Abraham pro Isaac filio obtulit arietem hærentem cornibus inter vepres, Gen. 22. quo utiquè Christi caro significabatur cruci affixa. Cæterùm Christus neque ordinis eorum, qui legem præcesserunt, nec istorum qui sub lege fuerunt, est sacerdos, sed sicut Apostolus ad Hebr. ait 5. non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, filius meus es tu ego hodiè genui te. Intellige, sic eum clarificavit ut Pontifex fieret; Undè subditur quemadmodùm

admodùm & in alio loco dicit, tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, nec tantùm ita ſecundùm ordinem Melchiſedech, ut non præſtantiùs quàm ille, ſacrificium obtulerit, Melchiſedech enim tantùm panem & vinum legitur obtuliſſe, quæ umbræ & figuræ erant. Oportet autem tantò eſſe ſacrificium Chriſti illo præſtantiùs, quantò Chriſtus præſtantior eſt Melchiſedech, & quantò res ſuâ umbrâ eſt præſtantior. Significatur autem pane ſacrificato, corpus ſacrificatum & vino ſacrificato, ſanguis ſacrificatus. Quamobrem Chriſtus, quoniam Sacerdos erat ſecundùm ordinem Melchiſedech, figuras quidem panis & vini retinuit in ſacrificio, non autem agnos, vitulos, & legales hoſtias, ſed tamen res illas, in res præſtantiores & ſacrificium potiùs convertit, & Patri cœleſti in cœnâ offerens ſub ſpeciebus iſtis, corpus & ſanguinem ſuum obtulit ſuis manibus in ſacrificium, quòd in cruce manibus aliorum conſommaretur & perageretur. Spectat igitur Melchiſedech ſacrificium non ſolas ſpecies, ſed etiam res ſignificatas. Et ſicut ſacerdotium Melchiſedech, Chriſti diviniſſimum ſacerdotium adumbrabat, ità & ejuſdem edibile & frangibile panis & vini ſacrificium. Chriſti ſacrificium diviniſſimum quòd in cruce atterebatur, ſed non conſumebatur, à nobis verò in Sacramento editur, ſignificabat. Quamobrem falluntur qui ſacrificium Melchiſedech in ipſis terminant ſpeciebus, corporis verò & ſanguinis ſacrificium ſoli Aaronis ſacerdotio tribuentes, cum utriuſque ſignificatio ſit in ipſo Melchiſedechis ſacrificio, ut non obſcurè Apoſtolus in cap. 5. ad Heb. indicat. Cum enim dixiſſet, tu es Sacerdos in æternum &c. Statim velut ſacerdotii illius munus quod in carne gereret, indicaturus ſubjunxit, qui in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationesque ad eum qui poſſit illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſuâ reverentiâ. Et quidem cum eſſet filius Dei didicit ex iis quæ paſſus eſt obedientiam, & conſommatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech &c. Ecce quòd offert, patitur & conſummatur, certè non alibi quàm in cruce. Apoſtolus diſertis verbis tribuit ſacerdotio ejus ſecundùm ordinem Melchiſedech, ad eundem modum c. 7. cum de præſtantiâ ſacerdotii Melchiſedecis & infirmitate Aaronici ſacerdotii multa diſſeruiſſet, tandem ità inquit, alii quidem ſine jurejurando ſacerdotes facti ſunt, hic autem cum jurejurando, per eum qui dixit ad illum, juravit Dominus & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternùm, in tantùm melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Jeſus, & alii quidem plures facti ſunt ſacerdotes, idcircò quòd morte prohiberentur permanere, hic autem eò quod maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium undè & ſalvare in perpetuum poteſt, talis enim decebat, ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus & excelſior cœlis factus, qui non habet neceſſitatem quotidiè quemadmodùm ſacerdotes, priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre, deindè pro populi, hoc enim ſemel fecit ſeipſum offerendo. Ecce & hic oblationem quâ Chriſtus ſeipſum obtulit in cruce, Apoſtolus aſcribit ſacerdotio non legis, ſed ſecundùm ordinem Melchiſedech, & hoc ipſum appellat melioris teſtamenti ſacerdotium, & quidem æternum. Et ſi Chriſti in cœnâ actionem & verba ſpectemus, idem planè apparebit; gratias enim agens Chriſtus panemque frangens & benedicens, cum eum Patri offerret diſcipuliſque poſteà porrigeret. Significanter dixit, hoc eſt corpus meum quòd pro vobis datur, tra-

ditur, frangitur, & calice accepto, hic eſt calix ſanguinis mei qui pro vobis funditur, quæ ipſa jam tum agebantur quia venerat hora ejus quâ traderetur in manûs peccatorum, & transiret ex hoc mundo ad Patrem. Illâ itaque horâ cum jam adeſſet, ſe obtulit Patri ſuis manibus. Mali verò quibus tradebatur, ab eo tundendo, atterendo, flagellando & crucifigendo non ceſſabant, donec ſacrificium quòd in pane & vino offerebatur in cruce conſummaſſent. Fatendum quidem eſt, Chriſti ſacrificium cruentum non Aaronicis modò, verum etiam aliorum Patrum oblationibus & figuris plurimis fuiſſe adumbratum, ſed non propterea rectè dicitur Chriſtus ſecundùm ordinem umbraticorum ſacerdotiorum illorum, ſacrificaſſe, ſed potiùs & ordines illos & ſacerdotia ſuſtuliſſe. Sed manet Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, cui & incruentum & cruentum competat ſacrificium, non ſuſtulit, ſed perfecit, & id in cruce. Cui ſententiæ concordant omnes Scripturæ & Patres, qui à ſacrificio cœnæ ſacrificium crucis non ſeparant, ſed eidem includunt eo modo, quo ei poterat includi, hoc eſt modo incruento, quo tamen modo non erat aliud quàm ipſiſſimum illud ſacrificium, quòd jam offerebatur viſibiliter in ſpecie propriâ, vendebatur, tradebatur, conſpuebatur, flagellabatur, attollebatur in crucem, donec conſummaretur. Quæ cum ſit veriſſima & catholica ſententia, videntur nobis pauca quædam doctrinæ verba, quæ poſſent in diverſam ſententiam trahi, mutanda eſſe, & loco ejus quod ibi ponitur, etenim cum ſacerdotio hoc functus Dominus &c. ita legendum, ſed enim eum Chriſtus in cruce ſui corporis oblatione & ſanguinis effuſione ſacrificiorum cruentorum figuras, quæ in lege præcipiebantur, impleverit conſtetque cum ſacerdotali munere perfunctum fuiſſe, nec tamen appareat ſecundùm ordinem Melchiſedech ſacrificaſſe, niſi in pane illud oſtendatur & vino, & neceſſè ſit jurisjurandum Dei in eo impletum eſſe, conſequitur utique tunc munere illum ſacerdotii Melchiſedech perfunctum, quandò in cœnâ ſub panis & vini ſpecie eam oblationem quam in cruce conſummabat Patri obtulit, & per ſacerdotes qui ejus miniſterio funguntur &c. quæ clariſſima eſt ſententia & cætera omnia ut ſint doctè & catholicè poſita retineri.

Quæ articulo ejuſdem Capitis tertio, de inſtitutione hujus ſacrificii in cœnâ facta habet doctrina, planè conſentiunt eis quæ nos modò in ſecundum articulum dicemus, & putamus nihil immutandum.

CAPUT SECUNDUM.

ARticulus prior, qui incipit, *ſatis conſtat* &c. nobis probatur. Articulus ſecundus, qui incipit, ***quamquam autem*** &c. habet quædam, quæ optaremus nonnihil, ſalvo aliorum judicio, mutata. Nam quod initio dicitur, non decuit Chriſti oblationem, niſi ſemel tantùm ſecundùm plenam ſuam efficaciam applicari, videtur divinæ bonitati ponere modum & leges miſerendi, ſuæque paſſionis meritum, ubi & quibus voluerit applicandi, cum veriſimile ſit multos eſſe caſûs in quibus Dei bonitate pleniſſimam peccatorum remiſſionem conſequamur. Dimiſſa ſunt peccatrici fœminæ peccata multa, quoniam dilexit multum, ***cui autem minùs dimittitur minùs diligit.*** Et indubitatum eſt martyrio pleniſſimam indulgentiam conferri, ad quam etiam digna pœnitentia, quamquàm per partes & gradatim eſt pervenire. Certè noſtrum non eſt dicere Deo, quid ipſum facere deceat, vel non. Poteſt autem locus ille reſtitui, mutatione unius vel alterius voculæ, & ſic poni : ***non tamen illa niſi***

semel, ut semel tantùm in cruce oblata fuit ab ipso, secundùm plenissimam efficaciam per Sacramenta applicatur, idque in baptismo &c. Verùm quòd posteà allegatur locus ad Hebr. 9. Christus per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æternâ redemptione inventâ. Et ad Hebr. 10. unicâ oblatione consummavit in æternum sanctificatos, ad probandum quòd semel tantùm & id in baptismo sacrificium secundùm plenam efficaciam nobis applicetur, non videtur ex istis locis effici posse, neque item sufficienter & clarè ostendetur quomodò loci illi, qui de unico Christi sacrificio loquuntur, non tollant neque eripiant nobis sacrificium Christi quotidianum, quin potiùs injiciunt scrupulum, quem sanè aliter quàm hìc fiat, nempè solâ pronuntiatione, & non etiam, per scripturarum collationem tollere oportet, alioqui hærebit in mentibus hominum qui dicent, si unicâ oblatione consummavit ille sanctificatos, in æternùm, quid iterùm sacrificamus? cui quidem difficultati, & aliis quæ hic prætereuntur, leguntur tamen apud Apostolum, non succurritur distinctione hostiæ inter cruentam & incruentam, de quibus ita hic differitur, ac si sint hostiæ duæ, quarum altera in baptismo, altera in sacramento applicetur. Cum tamen unica omninò & eadem sit hostia, quæ nunc cruenta, nunc incruenta dicitur, ut rectè habet doctrina in calce hujus articuli. Dicitur autem cruenta propterea quòd aliquando sic pependit in cruce. Incruenta verò quòd non ampliùs in eâ formâ sit, nam desiit esse cruenta, semel enim Christus introivit in sancta per sanguinem, quomodò non ampliùs intrat, & semel mortuus est, nec ampliùs moritur, & cum ipse sit hostia illa viva & sempiterna, manet in ipso incruento Christo, quidquid in eo cruento erat, proindè ut hoc tempore altari applicetur cruentus, alteri inerventus, & fingantur duæ esse hostiæ, una cruenta major, altera incruenta minor, prorsùs displicet. Melius & absque omni reprehensione diceretur, totam sacrificii sive cruenti, sive incruenti efficaciam & vim applicari in baptismo ubi Christo commorimur, non autem totam in Eucharistico sacrificio, ut sacrificii gratiâ distinguatur, non ipsa hostia, gratia enim sacrificii non datur omnibus eadem, cujus ipse Pontifex Christus est dispensator, etiam si hostia detur atque applicetur.

Tertius hujus Capitis articulus qui incipit, *tantùm autem abest* &c. eadem difficultate laborat. Initio enim quòd dicitur, *tantùm autem abest ut incruentum hoc Eucharistiæ sacrificium, illi cruento crucis vel repugnet, vel quidquam deroget, ut efficacia expiandi, ab eo mutuatâ cum ipsius fine maximè consentiat. Unumque enim asserimus à Christo Domino offerri* &c. quæ sic ponuntur, quasi diversæ sint hostiæ, & Eucharistia non illam cruentam, quæ pependit in cruce contineat, sed mutuet sibi ab eo efficaciam quæ certè valdè absurda sunt, cum nulla sit in Eucharistiâ hostia alia, quàm illa quæ pependit in cruce. Ut jam anteà diximus, quàm verè enim idem est Christus qui tunc pendebat in cruce cruentus, & nunc sedet ad dexteram Patris incruentus, gloriosus, atque exaltatus, tam verè eadem est hostia quæ nunc offertur incruenta in Eucharistiâ & tunc pendebat cruenta in cruce; nunc autem ampliùs non est cruenta, proindè displicet hæc loquendi forma, quâ res una in duas distinguitur, ubi in duos modos, non autem in res duas poterat dividi. Ubi dicitur in doctrinâ. *Utrumque sacrificium asserimus à Christo offerri*, dici poterat idem sacrificium utroque modo, & cruento & incruento asserimus à Christo offerri. Poterit igitur scrupulus iste tolli, si paucis mutatis, ità in doctrinâ legatur. Tantùm autem abest, ut incruentum hoc Eucharistiæ sacrificium, illi cruento crucis, vel repugnet, vel beneficio ejus ut adversarii

volunt, quidquam deroget, ut etiam ipsissimum illud crucis sacrificium in se contineat, quamquàm non in eâ formâ, & ne nunc quidem cum idem sit Christus, & in cœlis advocatus noster in eâ sedet formâ, quâ pependit in cruce. Et incruenta ista hostia vim & efficaciam eandem habet, quam ipsa cruenta habebat in cruce, percipimus autem de efficaciâ ejus sivè in hoc Eucharistico, sivè in aliis Sacramentis, quantùm ejus dispensator summus ille Pontifex Christus, qui eam Patri offert, nobis impartit seu applicat. Nec verò maxima illa &c. quæ sententia etiam iis consonat quæ in sequentibus per totam de hoc sacrificio doctrinam traduntur, eo tantùm excepto, quòd paulò infrà de efficatiâ, quam alterum ab altero mutuari dicitur. Sed de hoc jam satis diximus.

DE CAPITE TERTIO.

ARticulus primus qui incipit, *quantus & quam varius* &c. omnibus numeris videtur esse perfectus & perplacet. Tantùm ubi dicitur, in quâ idem illud sacrificium offertur, quòd à Domino in cœnâ fuit immolatum, appositum vellemus, & consummatum in cruce, ut intelligeretur idem esse sacrificium, quemadmodùm infrà hoc in eodem articulo dicitur, in Eucharistiâ contineri eum sanguinem, qui in cruce effusus est. Et post, articulo tertio dicitur, eadem est hæc hostia cum illâ quæ in cruce oblata fuit.

Articulus secundus, qui incipit, *illud quoque Sancta Synodus* &c. similiter Articulus tertius, qui incipit, *modus porrò* &c. perplacent salvo tamen aliorum judicio meliori, cui libenter accedemus.

DE CAPITE QUARTO.

QUæ hic dicuntur de ceremoniis, sivè in genere, sivè in specie. Item de canone & linguâ quâ in sacrificicando uti conveniat, probantur nobis, donec audiamus aliorum sententiam meliorem, nemini enim volumus à nobis præjudicatum. *Hæc in præsens de Sacrificio.*

Item de doctrinâ consertâ pro Sacramento Ordinis, quam brevissimè dicemus, ut etiam aliis relinquamus locum.

DE PRIMO CAPITE.

ARticulus primus qui incipit, *illud antè omnia* &c. hic articulus non videtur nobis aliquid continere incommodi, nisi quod hic statim à principio dicitur non solâ revelatione constare, quòd Sacramentum Ordinis sit necessarium &c. sed nusquàm de hac revelatione quòd quidem nobis veniat in mentem, legitur. Indicetur igitur Scripturæ locus, qui revelationem illam probet, aut vox illa, non solâ revelatione, tollatur. Sacramenta enim non innituntur quibuslibet revelationibus, aut instinctui naturæ, cujus captum excedunt, sed institutioni divinæ. Præterea dicitur hic, *in quo sub sensibili impositionis manuum signo* &c. quasi impositio manuum esset proprium hujus Sacramenti signum, quod & infrà innuitur. Cum constet autem Sacramentum ordinationis gradu septuplici, & ordinationes minores, non ad ipsum Sacramentum, sed ipsius Sacramenti sint gradûs, sicut Canones Conc. 4. Carthag. de uno quoque dicunt, ostiarius cum ordinatur, lector cum ordinatur, exorcista cum ordinatur &c. & ex iisdem ordinationibus præscriptum sit, subdiaconum & alios inferiores quandò ordinantur, manûs impositionem

impoſitionem non accipere, expendendum videtur, utrùm pro ſigno hujus Sacramenti, ut ordinationem omnium ordinum comprehendit, impoſitio manuum propriè aſſignetur. Apparet enim huic Sacramento ſignum generaliùs quòd omnibus gradibus, ne à Sacramenti ratione excludantur, competat, tribuendum. Quòd ſine dubio eſt, miſſio ſeu vocatio viſibilis ad certum miniſterium formâ verborum ordinationis expreſſum, ut apertè ſatis colligitur ex Ambroſio in *c. 4. ad Ephеſ.* cum inquit, rectores & cætera officia in Eccleſiis ſint ordinata, ut nullus de clero auderet, qui ordinatus non eſſet, præſumere officium, quod ſciret non ſibi creditum vel conceſſum. Cui aſtipulatur, Innoc. III. *in c. cum ex injuncto. de heret.* Cæterùm ſinguli ordines, ſeu gradus hujus Sacramenti ſua propria & ſingularia ſigna habent, ut traditur in memorato Concil. Carthag. 4. & Pontificalis, & ſacerdotii quidem ordo, illuſtribus quibusdam ſignis datur. Ut ſunt poſt manuum unctionem, & patenæ cum pane & vino mixto traditio, ſub certâ verborum formâ, & impoſitio manuum cum inſufflatione per verba, *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis &c.*

Articulus ſecundus qui incipit, *Quamobrem Dominus* &c. Hic innui videtur poteſtatem ordinis ſacerdotalis, continere tantùm facultatem duo Sacramenta adminiſtrandi. Nobis verò ſecùs apparet, ut infrà dicemus; præterea hic dicitur ſacerdotibus conferri poteſtatem & Spiritum Sanctum per quem habiliores ad peragendum opus divinum redderentur, quaſi etiam aliàs ſint habiles idcircò pro (habiliores) poni habiles redderentur. Deindè inter alia dicitur Apoſtolos elegiſſe ſeptem Diaconos, potiùs ut munus ſpiritale exequerentur & diſpenſarent calicem Domini fidelibus, quàm ut ſervirent communibus menſis viduarum &c. quòd eſt contra expreſſam ſcripturam. Act. 6. ubi ad hoc dicuntur ab Apoſtolis, & totâ multitudine diſcipulorum electi, ut miniſtrarent menſis; Apoſtoli verò orationi & prædicationi verbi Dei inſtarent. Idcircò venit hic locus, juxtà ſcripturam emendandus. Quòd autem Apoſtolus hortatur Diaconos ut miſterium fidei habeant in conſcientiâ purâ, non probat id quod hic dicitur, multa ſunt enim miſteria fidei, quæ nihil habent cum calice Domini commune, ſed hoc tam eſt clarum ut non requirat ulteriorem diſcuſſionem, quin etiam eodem loco vocationem Diaconorum expreſſis verbis Apoſtolus deſcribit, probentur inquit primum & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes, quòd extrà controverſiam omnium Patrum ſententia de miniſterio menſæ dicitur. Idcircò volunt eos non multo vino deditos eſſe, aut turpe lucrum ſectari, Hieronimi de hoc ſententiam eſt videre in Epiſtolâ ad Evagrium. Ubi Diaconorum elationem reprehendens, ſic inquit, quid patitur menſarum & viduarum miniſter ut ſuper eos tumidus ſe efferat ad quorum preces Chriſti corpus & ſanguis conficitur. Et poſt aliquanta, ſciant Diaconi quare conſtituti ſunt, legant acta Apoſtolorum, & recordentur conditionis ſuæ &c. Interim tamen verum eſt, eos fuiſſe etiam ſacerdotum præcipuos ad altare miniſtros.

Articulus tertius. *Jam verò ad hanc manuum impoſitionem &c.* Hic diſertis verbis dicitur, ordinem inter Eccleſiæ Sacramenta jure optimo annumerari, quòd ſit nimirùm efficax ſacræ rei ſignum, & inviſibilis gratiæ viſibilis forma &c. ſi propriè loquamur omnium Theologorum ſententia. Ordo poteſtas quædam eſt Eccleſiaſtica quæ per ordinis Sacramentum confertur, nempè per ipſam ordinationem; Oportet autem doctrinam quæ à Concilio

traditur minimè ambiguam esse, idcircò arbitramur ità dicendum, ordinationem, seu Ordinis Sacramentum inter Ecclesiæ Sacramenta, jure optimo annumerari &c. Ipse enim Ordo effectus est Sacramenti, non Sacramentum, nec signum est ullius gratiæ, sed est ipsa gratia gratis in sacramento data, videlicet spiritalis potestas. Paulò post sequitur, quod variæ Ecclesiæ functiones per gradus distinctæ, multos diversæ potestatis ministros postulent; ubi malimus, expunctis his vocibus *multos diversæ potestatis* legi, sui ordinis ministros, ubi populosus est locus postulent.

Subditur deindè, *dubitari non debet, quin graduum omnium novi Testamenti & Sacramenti per quod ordines ipsi conferuntur, Christus Dominus auctor atque institutor fuerit.* Expendendum putamus hunc locum; utrum consonet sacris Canonibus & Patrum sententiis, Christum instituisse omnes gradus novi Testamenti & Sacramenti, per quod gradus ipsi conferuntur. Certè Cyprianus sic ait. Meminisse autem diaconi debent, quoniam Apostolos, id est Episcopos & præsbiteros Dominus elegit: Diaconos autem post ascensionem Domini in cœlum, Apostoli sibi constituerunt, Episcopatûs sui & Ecclesiæ ministros. Et 21. *distinct. in summâ §. banc ergò formam*, dicitur, hanc eandem formam Apostoli secuti in singulis civitatibus Episcopos & præsbiteros ordinaverunt. Levitas autem ab Apostolis ordinatos legimus, quoniam maximus fuit Beatus Stephanus. Subdiaconos & Acolytos procedente tempore Ecclesia sibi constituit. Hactenùs Gratianus. Quamvis tamen eatenùs rectè dicatur, Christum omnes ordines instituisse, quatenùs omnes sacerdotio insunt, ut Ambrosius ait, quòd Christus instituit. Cùm igitur ordinantur inferiores, vocantur per Episcopum in partem ministerii à Christo instituti distributione quâdam spiritalis potestatis, cujus plenitudo est in Episcopo. Sic & illud expendendum putamus, utrum omnes ordines etiam minores ad Eucharistiæ confectionem, tanquam ad unum finem (sicut hic dicitur) referantur. Præsertim propter ordinem lectorum & Exorcistarum. Lector enim ordinatur, ut sit lector verbi Dei habiturus partem cum eis qui verbum Dei ministraverunt. Exorcista verò ad imponendum manum super energumenum, sivè baptisatum, sivè cathecumenum. Ut habetur in Concilio Carthag. 4.

Articulus quartus incipit, *statuit præterea Sancta Synodus* &c. totus placet & probatur, illo excepto quòd hic dicitur *statuit*, Ecclesia enim non habet potestatem statuendi, ut Sacramentum Ordinis conferat caracterem, sed potest declarare. Itaque pro verbo, statuit, ponatur verbum *declarat*, vel *docet*, vel simile.

DE CAPITE II.

ARticulus primus incipit, *quia multi* &c. Hic articulus sacerdotii duas tantùm ponit functiones, cùm tamen & Evangelii prædicatio, & baptisandi, Sacramentaque administrandi munus propriè ad hunc ordinem pertineant, sicut magno consensu Patres omnes testantur, & liquet ex Evangeliis ubi dicitur, *Ite prædicate Evangelium omni creaturæ, baptisantes eos* &c. Sic misit Christus & septuaginta duos discipulos qui prædicarent, in quorum locum utique successerunt sacerdotes, quin immò nihil æquè ab eis exigitur Act. 6. *non est æquum nos relinquere verbum Dei* &c. Item Apostolus, *væ mibi si non evangelisavero;* quòd verò posteà in articulo sequenti citatur, Apostolus, quasi is munus sacerdotale præcipuè constituat in offerendis sacrificiis, perperam citatur. Nam Apostolus ibi loquitur de sacerdotibus legalibus, non de sacerdotio

Novi Testamenti, quòd longè plures habet functiones, & præstantiores. Sed clara sunt hæc, nec requirunt longam probationem. Istud tamen interim addimus, ut sicut non potest, nec debet sacerdos absque jurisdictione seu legitimâ vocatione absolvere, vel ligare, ità nec prædicare debet absolutè ordinatus, nisi vocatus, videlicet ne falcem suam mittat in messem alienam. Proindè non probatur nobis quod hic dicitur, ad ordinem præsbiteratûs per se non spectare prædicationem verbi, sed eam esse tantùm jurisdictionis, posseque illam & non ordinatis conferri. De quo videatur Divus Ambrosius in c. 4. ad Ephes. & Epiphan. in multis locis. Quod deindè ad probandum sacerdotes ungi debere, sumitur argumentum ex nomine Christi & Christiani, quæ ab unctione deducta sunt, infirma sanè sunt argumenta, & non probant solos ungendos sacerdotes. Multum decedit ab authoritate Sacri Concilii, si tam infirmis rationibus innitatur, & velit causam suam agere. Præstiterat istis expunctis quæ nihil profectò ad rem conferunt, solis inniti traditionibus Apostolicis, quæ hac de re habentur, certissimæ. B. Cyprianus in sermone de unctione chrismatis ait; non tamen cessantibus his quæ ritu antiquo inoleverant unctionis misterium, Christiana religio contempsit, sed cæteris Generali Sanctorum consensu damnatis, in Regibus & Sacerdotibus unctionis honor permansit. Porrò quod statim sequitur, nequè movere debet, quod Christus Rex & Sacerdos sit, nec tamen aut Reges, aut Judices, aut externos Doctores tollit, ità nec Sacerdotes abrogare cogitandum est, veremur ne adversarii irrideant, aptiùs forsan diceretur, non enim propterea Reges sustulit, aut nullum in suâ lege voluit esse sacerdotium, sed novum & quidem veteri illo longè præstantiùs instituit.

DE CAPITE III.

Articulus primus incipiens, *cum in hoc visibili mundo* &c. Ecclesiasticæ hierarchiæ institutionem probat esse à Deo, hic nihil est quod non mereatur nostros calculos, tantum vitio scriptoris in loco ex Apostolo allegato, pro verbis ad consummationem Sanctorum, ponitur ad confirmationem Sanctorum, quod facilè potest emendari.

Articulus secundus incipit, *Sancta autem Synodus*. In hoc articulo etsi non nihil desideremus, quo doctrina pro Concilii authoritate perfectior exiret, & ordo hierarchicus per omnes gradus suos & officia explicaretur, pro Ecclesiæ cum ornatu, tum communitione & nexu ordinatissimo, tamen volumus hac de re potiùs aliorum expectare & audire sententias. Interim tamen hoc duximus prætereundum non esse, quod ubi hic dicitur, cujus dispensatione sic reliquis omnibus membris officia distribuuntur; eo loco propter adversariorum virulentissimas suggestiones & calumnias quas huic ad plebem, studio sedem illam omnibus injustam reddendi detonabunt, sic poni malumus, cujus universali sollicitudine & authoritate, quam in Ecclesiâ ut Christi vicarius obtinet summam, omnes ordines in officio retinentur, ut suis quique in ordinibus & stationibus collocati munera, &c. ut in doctrinâ norunt qui adversariorum scripta legerunt. *Quo pacto, c. in Novo Testamento* 21. *dist.* qui est Anacleti Pontificis. Et tractat. B. Cypri. de simplicitate Prælatorum ad elevandam hujus Sanctæ Sedis authoritatem exaggerent, ubi aliàs neque B. Anacletum, neque B. Cyprianum magni pendunt.

Articulus 3. incipit, *docet deindè*. Hic nihil offendimus, quod non probetur nobis, donec audiamus aliorum sententias, nisi quod loco verborum, (*declarat autem etsi nomina, præsbiteri & Episcopi nonnunquam in primitivâ*

Ecclesiâ temporibus præsertim Apostolorum confunderentur, quod pauci tunc Sacerdotes fierent, qui non statim tunc in Episcopos eligerentur & consecrarentur, functiones tamen Episcopatûs & Sacerdotii distinctas semper & dissimiles fuisse &c.) ob non leves quasdam causas poni velimus; declarat autem etsi nomina præsbiteri & Episcopi nonnunquam apud Apostolum indifferenter accipiantur, semper tamen quasdam eminentes functiones, non præsbiteris, sed solis competiisse Episcopis, in quibus, ut Ambrosius inquit, omnes ordines sunt, & sacerdotii plenitudo, ad solos enim Episcopos &c. ut in doctrinâ.

Paulò infrà cogitandum an rectè dicatur, *nunquam ad simplices Sacerdotes &c.* Cum Ambrosius testetur Sacerdotes apud Ægyptum consignare infantes, si præsens non sit Episcopus. Et B. Gregorius idem præsbiteris suo seculo permisit. *in c. pœnituit dist.* 95.

Articulus ultimus qui incipit, *postremò insigniter &c.* videtur nobis circumspectè ponendus, ne Patres videantur secùs de hac re diffinire quam olim in multis Canonibus constitutum est, qui habetur 24. & 63. *dist.* inter quos unus incipit, *ne quis invitis & non petentibus detur*, & nullam rationem sinere ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, videatur de hoc & B. Cypr. *Epist.* 4. *lib* 1. ubi inter alia inquit, ordinationes sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientiâ fieri oportere, ut plebe præsente detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, undè & allocutio Episcopi ad populum de ordinando præsbitero sic habet, nec frustrà à Patribus reminiscimur institutum ut de electione eorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur & populus &c.

Quæ sint in doctrinam de Sacrificio Missæ compositam, pro nostro suffragio dicta, salvo tamen aliorum judicio meliori.

PRÆFATIO.

Doctrina Theologorum, proponenda Patribus, circa Sacrificium Missæ & Ordinationem in futurâ Sessione.

EXposcebat instituta à Sanctâ Synodo de Sacramentis omnibus tractandi ratio, ut post explicatam eorum Sacramentorum doctrinam, quæ ad omnes homines ex æquo pertinent, de Ordinationis Sacramento ageretur, quo illi soli initiari solent, qui sunt aliorum Sacramentorum administrationi præficiendi. Verùm quoniam Sanctissimum Missæ Sacrificium tum arctè est cum hoc Sacramento copulatum, ut ad illud omnes ordines spectare ejusque gratiâ præcipuè instituti videantur, visum fuit Sanctæ Synodo nihil de eo tunc statuere cum de Sacræ Eucharistiæ Sacramento tractabatur, sed ejus potius diligentem excussionem in hoc tempus reservare, cum omnia quæ ad ipsius explicationem attinent, commodissimè poterunt, unà cum sacerdotii doctrinâ tradi: quemadmodum enim sacerdotium & sacrificium mutuò sibi respondent, sic eorum etiam tractatio & decisio, ita inter se conjunctæ & alligatæ sunt, ut alteræ ab alteris exactè & dilucidè nequeant declarari. Quibus summâ cum diligentiâ per hanc Sanctam Synodum discussis jam & constitutis, hæc nunc primùm de venerando & tremendo Missæ sacrificio doctrina fidelibus omnibus tenenda profitendaque proponit.

CAPUT

CAPUT I.

In Missâ verum & proprium esse Sacrificium à Christo Domino institutum.

UT semper in Ecclesiâ Dei creditum est per veteris legis abrogationem, factum non fuisse, ut Christiani omni lege carerent, sed ut sub novâ potiùs & longè præstantiore lege viverent, qualem novum & tantò excellentiùs testamentum postulabat. Ita Sancta Synodus multis Scripturarum testimoniis adducta & constante veterum Patrum traditione confirmata, ac divino Spiritûs Sancti magisterio instructa. Nunquam in ipsâ dubitandum fuisse declarat, novum sacerdotium, Christianis simul cum novâ lege suscepisse, nec veterum sacrificiorum abolitionem omnem illis sacrificandi rationem sustulisse: quin imò novum & plane divinum sacrificium Christianis sacerdotibus esse relictum, quod ipsi non tantùm in gratiarum actionem, sed pro peccatis etiam quotidiè offerant. Missam igitur veri & proprii sacrificii habere rationem, illud in primis Dei Patris jusjurandum ostendit, tu es *Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*. Hujus etiam sacerdotii munere tunc Christus Dominus functus est, cum se suo Patri sub sensibilibus panis & vini signis, in ultimâ cœnâ obtulit, & per sacerdotes qui ejus ministerio funguntur, usque ad judicium offerre non cessat, sicut ipse Melchisedech, panem & vinum in sacrificium Deo obtulerat. Confirmat deindè oblatio illa munda, quam Dominus per Malachiam priori populo & ejus munere reprobato, suo nomini in omni loco sacrificandam & offerendam prædixit, quod nomen suum magnum futurum esset in gentibus, nam adeò sanè munda illa est, ut inquinari malitiâ offerentium nequeat, offertur enim per eam, is qui mentes hominum ab omni peccatorum pollutione mundare potest, tam assiduè etiam illa in omni loco quàm latè vera Christi redemptoris nostri fides extenditur, per Christianos sacerdotes offertur, ut meritò à Daniele juge sacrificium sit appellata. Paulus quoque ad Corinthios scribens. Videte, ait, Israel secundùm carnem: nonne qui edunt hostias participes sunt altaris? quid ergò dico quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid? sed quod quæ immolant gentes, immolant dæmoniis & non Deo, nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Quibus verbis dum manifestè connumerat inter victimas Israelis & immolatas dæmoniis, Eucharistiam colligitur illam esse sacrificium, ergà quod, ea semper veterum Patrum pietas & religio fuit, ut certatim præclaris & magnificentissimis elogiis augustissimam ejus dignitatem commendarent, & suam ergà ipsum reverentiam & devotionem declararent. Itaque appellatum id invenimus sacrificium verum, incruentum, purum, summum, plenum, vivificum, singulare, rursum salutarem hostiam, holocaustum semper permanens, sacrificium sacro-sanctum, omnes excedens victimas, afferens honorem, tremenda misteria, aliis denique hujus generis nominibus honorificentissimis.

Ad hæc cùm constet rem externam misticâ sacerdotis operatione consecratam ac Deo oblatam, sacrificium esse propriè dictum, nihil causæ dici potest quin Eucharistia, quàm sacerdotes Christi sacrâ benedictione, quæ

verbis fit, quibus Catholica Ecclesia utitur, tanquàm formâ Sacramenti, conficiunt, atque Deo offerunt, verum ac proprium sacrificium dici debeat.

Instituit autem Christus Dominus pro suâ divinâ sapientiâ hoc mirabile sacrificium, cum in novissimâ cœnâ verus ipse secundùm ordinem Melchisedech, sacerdos, panem & vinum in suum corpus & sanguinem convertens, æterno suo Patri, sub panis vinique speciebus obtulit, suisque se discipulis sub earumdem rerum simbolis communicavit, præcipiens illis, hoc facite in meam commemorationem; quibus verbis Ecclesia Sancta Dei præceptum esse sacerdotibus intellexit, ut sacrificium in Christi memoriam offerrent. Proindè in sacro Canone Missæ, eos dicere voluit; undè & memores nos Domine servi tui offerimus præclaræ majestati tuæ, hostiam puram &c. Eo autem tempore cùm novum ipse Dominus sacerdotium suis Apostolis contulit, tùm partes illas quæ ad perfectum & consummatum Missæ sacrificium pertinent, consecrationem videlicet, oblationem & communionem instituit, quemadmodùm veteres Ecclesiæ Patres magno consensu tradunt: Nam quòd nonnullos movere solet, Eucharistiam donum Dei esse, sumique solere, commemorationem deniquè & signum existere salutaris illius sacrificii, quod semel à Christo Domino in cruce peractum est, veram sacrificii rationem, Eucharistiæ non ademit. Constat enim etiam illum Judæorum immolatitium agnum donum fuisse Dei, edique solitum, ipsumque à Judæis in memoriam exitûs ab Ægypto immolari consuevisse. Nec verò quòd sanguis in Missâ consecratus testamentum à Domino vocetur, ideò minùs ad sacrificium pertinet. Ob id enim sanguinem suum Dominus testamentum vocat, quòd per eum novum testamentum confirmetur, quemadmodùm sanguine animalium vetus olim confirmabatur. Ex his quæ dicta sunt perspicuum evadit, Christum Dominum Missæ sacrificium instituisse, idque primum omnium in novissimâ cœnâ eum celebrasse, quod per Apostolos posteà sanctosque Dei ministros continuè in Ecclesiâ Deo oblatum extitit. Quare vehementer hallucinantur, qui eam opus bonum esse negant, cùm Missæ opus, Christi ipsius sit, ut præcipuè sacrificantis, non autem hominis, nisi ut ministerium exhibentis, qui dùm dignè & in charitate sacrificat, opus proculdubiò meritorium & Deo gratum exercet.

CAPUT II.

De necessitate sacrificii Missæ, & ejus cum crucis sacrificio convenientiâ.

ETsi nunquam in Christi Ecclesiâ sit dubitatum, quin vis æternæ purgationis, unicæ illi cruentæ crucis hostiæ adfuerit, per quam solam aditus ad salutem & reconciliationem nobis patet. Quia tamen duplex ratio, divinâ lege est hominibus demonstrata, quærendi per externum cultum, fructum & applicationem illius hostiæ in Sacramentis videlicet, quæ solis suscipientibus prosunt, & in sacrificiis quæ non offerentibus modò, sed aliis etiam atque adeò toti Ecclesiæ utilia sunt. Idcircò semper etiam in ipsâ Ecclesiâ creditum est, conveniens & necessarium fuisse, mundum hoc & salutare sacrificium Eucharistiæ in Christo Domino nobis esse relictum, ut per id meritum passiones ejus non ad unum & alterum tantùm hominem, sed ad universam etiam Ecclesiam posse applicari. Nec decuisset sanè legem novam quæ omnibus perfectionis numeris est absoluta, caruisse omni externo & visibili sacrificio, quo Christiani homines Dei opem & gratiam in suis rebus omnibus implorare, & uti illud

maximum reconciliationis nostræ remedium quod in Christi morte omnibus fuit expositum, sibi & aliis applicet, possent impetrare. Igitur ut olim Patres antè Christi adventum sacrificia habuerunt, quibus spem in suis animis excitabant futuri illius magni sacrificii, quod aliquando per ipsum mundi servatorem erat offerendum, & fiducia in eo per fidem defixa, admirabili quâdam anticipatione ejus in se fructum, antequam offerretur, transferebant. Ita Sancta Synodus docet hanc omnium Sanctorum Patrum fidem fuisse, Christianos sacrificium in Missâ habere, longè quidem illud efficaciùs & sublimiùs omnibus antiquis hostiis, atque ejusmodi quod expectationem futuri Christi sacrificii nequaquàm affert, sed memoriam renovat jam peracti, nec illud figura tantùm quemadmodùm vetera, sed rem ipsam in se comprehendit. Eandem etenim corporis & sanguinis Christi hostiam in Missâ offerri, quæ fuit in cruce immolata, eundem agnum non alium & unum ubique Christum sacrificari, unum etiam eumdemque præcipuè utrobique esse Pontificem, qui simul hostia, simul sacerdos est. Nam Christianos Sacerdotes ministros dumtaxat Christi esse, atque ipsius cùm Eucharistiam conficiunt & offerunt personam sustinere. Discrimen autem in variâ tantùm ratione offerendi constitutum esse. Quòd nimirùm in cruce seipsum Christus absque ullius hominis ministerio, secundùm corporalem existendi rationem morte intercedente semel immolaverit, in Missâ autem, quotidiè sacerdotum ministerio secundùm existentiam sacramentalem in commemorationem mortis se offerat. Quare etsi verissimum est, quod Apostolus ait, Christum Dominum unâ oblatione, cruentâ videlicet consummasse in sempiternum sanctificatos, oportuit nihilominùs eandem oblationem jugiter in Ecclesiâ incruento modo offerri, ut nos recolentes quotidiè in hac incruentâ oblatione illius cruenti memoriam, & gratias agentes pro beneficiis, quæ per eam redemptor noster universis hominibus promeruit atque contulit, ea ipsa beneficia cum nobis, tum aliis applicentur & conferantur, neque enim illa maxima dona quæ nobis quotidiè Deus per hoc sanctissimum sacrificium confert, quidquam aliud sunt quàm præmium & fructus quos Redemptor noster ex illâ summâ obedientiâ nunc percipit, quam Patri mortem pro nobis subiens exhibuit. Sic enim Paulus ait eum cùm filius Dei esset didicisse obedientiam & consummatum factum esse omnibus obtemperantibus sibi causam salutis æternæ, appellatum à Deo Pontificem juxtà ordinem Melchisedech. Atque hinc profectò ratio sumitur quæ necessitatem & commodum sanctissimi Missæ sacrificii vehementer commendat, quòd videlicet per id ipse Redemptor noster se sacerdotem esse secundùm ordinem Melchisedech perspicuè omnibus patefaciat, dum quotidiè sacerdotii hujus munus, per Ecclesiæ sacerdotes gerit, qui tametsi multi sint & infirmitate circumdati, in eo tamen sacerdotes veteris legis superant longè, quòd sub uno & immortali sacerdote constituti, eandem semper hostiam offerunt, eandemque omnes litant propitiationem. Quorum oblationibus qui maximum tribuunt honorem, tantùm quidem abest ut excellentiam & dignitatem mortis Christi imminuant, ut nullâ aliâ ratione extollere illam magis ac commendare possent. Nam ut orationes nostræ, Christi interpellationi per quam sanctificantur & valent, nihil detrahunt, nec martyrum holocausta ejus passioni derogant, à quâ dignitatem suam & meritum accipiunt. Ita haud dubiè Missæ oblatio, vim & excellentiam passionis Christi non obscurat, sed magis ac magis illustrat: quare gravissimè profectò peccant qui per eam blasphemiam Missæ sanctissimo sacrificio derogari calumniantur, atque hi scelestum planè & nefarium admittunt facinus,

dum in summam Dei benignitatem tam impiè ingrati sunt, ut se ac reliquos homines tanto ipsius beneficio privare velint.

CAPUT III.

De fructibus sanctissimi Missæ sacrificii & ejus applicatione.

QUantus & quam varius ex venerando hoc Missæ sacrificio in Christianos fructus redundet, illi demùm rectè noverunt, qui commoda omnia, quæ universis legis sacrificiis parabantur, diligenter enumerantes, ea viderunt in hoc uno & singulari sacrificio, cujus illa umbræ fuerunt copiosiùs & abundantiùs, quàm in illis omnibus esse comprehensa. Et certè qui omnia sacrificia considerare velit, quibus olim populus Dei utebatur; hos præcipuos institutionis eorum fines extitisse comperiet, susceptorum beneficiorum memoriam renovare, ac spem futurorum significando erigere, quæ duo ab Agno paschali inprimis efficiebantur, maximum Dei supra res omnes imperium commendare, hominesque cum optimo & supremo suo Domino, commercio aliquo & consuetudine copulare, fœdera Dei confirmare, & promissionum ejus fide altè in mentibus impressâ eos ad summas ipsius laudes excitare, ut holocausto fieri solebat, largitori bonorum omnium gratias agere, opemque ejus & auxilium in futurum tempus implorare, hac tantùm hostia pacifica spectabat admissorum delictorum ac scelerum remissionem ex fide & devotione offerentium impetrare. Quod per ea præsertim sacrificia præstabatur, quæ pro peccatis nominatim erant instituta. Denique animos hominum sanctis actionibus & meditationibus occupare, & ne pravis ullis desideriis serviant (quod omnium sacrificiorum munus erat) inhibere. Hæc autem omnia beneficia, etsi quæ alia magna & salutaria fuerunt quæ ex quibusvis, ullo unquam tempore sacrificiis perciperentur, declarat Sancta Synodus uberrimâ & præstantissimâ quadam ratione per unicum Missæ sanctissimum sacrificium Christianis nunc præstari. Nam illud primum quidem nemo nescit memoriam beneficii redemptionis nostræ, & immensæ illius charitatis, quam Pater æternus in nos servos suos, cum adhuc inimici essemus, ostendit, gratissimâ commemoratione in Missâ celebrari, dum ob oculos nobis, divino hoc misterio redemptoris nostri, mors tanquàm in imagine proponitur. Negari etiam non potest, vehementer per ipsam futuri æterni convivii spem in illis confirmari, qui panem sibi in eâ Angelorum proponi intelligunt. Dominium verò Dei in nos & summam ejus providentiam, quâ nam re profiteri evidentiùs potuissemus, quam credendo nos morte filii ejus vivificatos, per eundem in hoc sacrificio viventem sustentari. Commercium autem non esse aliud majus hominibus cum Deo potest, quàm ut per hanc divinissimam hostiam quam Patri ut nostram offerimus, nobiscum præsens sit omnibus diebus usque ad consommationem sæculi, ut potiori nunc jure dicere nos quàm Judæi olim, possimus. Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Constet porrò fœdera non veteris, sed novi testamenti, nec temporalis, sed æternæ hæreditatis sacrâ hac oblatione, tanquam arrabone confirmari. Neque enim si nos Deus aliquandò perdere voluisset, tale nobis unquam sacrificium dedisset, aut de nostris manibus accepisset. Cum maximum etiam fidei misterium sit Eucharistia, rectè religiosè creditum, aliorum

aliorum misteriorum fidem vehementer corroborat, & maximum in nobis charitatis & devotionis ardorem excitat, ut hoc sacrificium tanquam verum holocaustum Deo offerre possimus. Jam verò ut commodior nulla ratio inveniri potuit ad agendas Deo gratias pro summo redemptionis nostræ misterio, quàm si Patri filium suum unigenitum in quo complacitum est ei, & sanguinem ab eo effusum pro nobis offeremus, dicentes cum Prophetâ, *quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? calicem salutaris accipiam & nomen Domini invocabo*, ita nullâ planè rectiore viâ, uti possumus ad exposcenda & impetranda quævis ab ipso dona, quàm hâc per quam majores nostri, non gratiam tantùm & vitam æternam, sed quæcumque præterea vel animis, vel corporibus usui essent, modò spiritui deservirent postulabant, nulla etenim dona à Patre luminum, in Christi fideles descendunt, quæ non etiam ab eo per hostiam hujus salutaris sacrificii impetrari possint: cujus assidua celebratio tam sanctam fidelibus omnibus, non sacerdotibus modò, verùm etiam cæteris occupationem, tantamque à vitiis distractionem affert, dum eos orationibus, laudibus, & canticis, vel piis meditationibus, aut aliis utilibus vitæ christianæ actionibus, maximo cum spiritûs fructû detinet, ut eâ de populo christiano sublatâ, necessùm etiam sit, nutare fidem, claudicare spem, charitatem refrigescere & muta aut clausa ora laudantium Dominum reddi. Cæterùm ex omnibus hujus sacræ oblationis fructibus, ille est longè maximus, quòd cum Dominum nostrum Jesum Christum contineat, qui est propitiator, propitiatio & propitiatorium & expiatorium sacrificium, iratus Dominus placatur, non solùm ut peccata venialia condonet, & pœnas temporales remittat, sed ad tantam nonnunquam misericordiam flectitur, ut ingentibus quoque criminibus propitietur, conferens hominibus per hoc sacrificium prævenientem gratiam, & auxilia quibus excitentur ut ad Ecclesiæ Sacramenta accedant, in quibus immediata salutis remedia inclusit, neque enim Catholica Ecclesia unquam docuit, ita hoc sacrificium valere ad mortalium delictorum expiationem, ut bonos motûs mentis, aut Sacramentum excludat pœnitentiæ, sine quo actu, vel voto suscepto, nullum peccatum mortale remittitur.

Cum autem hoc sacrificium Sancta Synodus expiatorium appellat, non hanc vim illi pro solis viventibus tribuit, sed etiam ad mortuos omnes in Christo, qui aliquo pœnarum reatu sunt obstricti, eam extendi docet ex perpetuâ & constantissimâ Ecclesiæ traditione, quæ ab Apostolis erudita, etiam pro mortuis sacrificium hoc offerre consuevit, de cujus tam solemni more velle dubitare, insolentissimæ prorsus superbiæ est. Nam cum fideles omnes vivi & mortui unum constituant in Christo corpus, sicut aliorum bonorum, ita & hujus sacrificii communionem habent, cujus beneficio æternæ quoque gloriæ citiùs præmia consequuntur. Hanc verò fructuum participationem, particularis applicatio promovet, quæ per sacerdotem legitimum Christi & Ecclesiæ, in sacrificio offerendo ministrum secundùm justitiæ & charitatis regulas, ipsi Deo notas, efficitur. Nam si oratio specialiter applicata ei pro quo funditur, utilis haud dubiè est, etsi sacrificia antiqua certis de causis quibusdam applicabantur, nulla ratio est cur hoc de excellentissimo sacrificio negetur, quod cum omnibus antiquis successerit, omnium illorum virtutem eminenter continet.

CAPUT IV.

De ritibus ac cæremoniis, quæ in Missæ celebratione adbibentur.

QUoniam rudis hominum natura, quæ nihil absque sensuum anticipatione percipit, difficilè contineri in officio, & erudiri in religione, ac ad pietatem & devotionem excitari absque sensibilibus cæremoniis & externis aliis adminiculis potest, noluit Deus Christianam Religionem hoc tanto præsidio esse destitutam. Declarat igitur Sancta Synodus Ecclesiasticas cæremonias, neque scripturarum testimoniis, neque misteriorum ratione carere. Quamquàm autem non omnes peculiares ritus & cæremoniæ quæ in Missæ celebratione adhibentur, in scripturis expressè inveniantur, nullas tamen absque Spiritûs Sancti instinctu in Ecclesiâ introductas fuisse, & tam constanter ac tam religiosè tot sæculis observatas affirmat. Atque illæ quàm sint necessariæ populo in officio continendo, ipsi Ecclesiæ hostes declarant, qui postquàm veteres & receptas cæremonias rejecerunt, novas excogitare & inducere coacti sunt. Nihil igitur in ritibus hujusmodi vel abrogandum est omninò, vel immutandum. Quare totum Missæ canonem Synodus asserit sanctissimè esse constitutum, nec quidquam contineré, quod pietatem & religionem non spiret. Quòd si quæ fortè sint obscuriora loca & quæ explicationis lucem desiderent, qualia per multa in scripturis reperiuntur, consultis orthodoxis Patribus, qui ea suis expositionibus illustrarunt, piè ac catholicè intelligi debent. Ideò nonnisi pernitioso ac pravo consilio abrogari quidam canonem Missæ suadent, vel tanquàm erroribus, mendaciis & seductionibus scatentem impiè traducunt, propter eà religiosè & sapienter etiam observatur, ut consecrationis verba & maxima pars canonis tacitè & submisâ voce à sacerdote recitentur. Hac enim secreti ratione & majestas hujus ineffabilis misterii rectiùs servatur & populus excitatur, ut de eo reverentiùs & majori cum devotione cogitet. Lingua enim latina quæ in titulo crucis Domini tanquam quoddam divinum instrumentum est consecrata, misteriis Missæ in occidentali Ecclesiâ celebrandis, maximè convenit, quæ cum tot gentes magnâ diversitate sermonis distinctas, & frequentissimè inter se communicantes brevi terræ spatio complectatur, uno hoc profectò sermone qui omnibus communis est, in peragendo hoc communionis sacrificio uti debuit: præsertim cum hac ratione plurimis incommodis obviam eatur, quæ ex tantâ evulgatione & tam variâ translationum in misteriis fidei diversitate nasci possent. Quod si quæ intersit, omnibus esse nota (ut veteris & novi testamenti lectiones quæ in Missâ recitantur) & per concionatores debent saltem diebus festis populo declarari, quemadmodùm in illis omnibus Ecclesiis fit, quarum Pastores officiis suis non desunt.

Quantùm autem de vestibus, luminaribus atque aliis externis rebus quæ in Missæ cultum adhibentur, & ad Deum peculiari consecratione per verbum Dei & orationem sanctificantur, moneri homines soleant ut revocent animos à cogitatione rerum prophanarum, & rem ibi sacram ac divinam agi cum reverentiâ cogitent, nemo est qui nesciat. Est enim in his omnibus utilissima & sanctissima significatio, quam qui intelligunt, vehementer excitantur, ut in vero Spiritu Patrem adorent, & illam puritatem ac mentis elevationem quoad ejus fieri possit imitentur, quam redemptor noster in illâ novissimæ suæ cœnæ Missâ habuit: quæ ideò simplicissima fuit, & his externis signis & ornamentis caruit, quoniam nec ullis externis adminiculis quibus excitaretur ille indi-

gebat, nec tempus quoque aut locus ut ea adhiberet, poſcebat. Ideò idem Spiritus, qui ad ſacrificandum eo modo Chriſtum impulit, Eccleſiam docuit decentes & pias pro temporis ratione Cæremonias addere.

Porrò Miſſæ in quibus nulli præter ſacerdotes celebrantes communicant, immeritò ut privatæ & illicitæ traducuntur, nam cùm Miſſa omnis commuune ſacrificium ſit, & à publico miniſtro celebretur, privata profectò Miſſa dici non poteſt, in quâ pro universâ Chriſti Eccleſiâ ſacrificium offertur. Publicæ igitur omnes Miſſæ ſunt, & non abſque maximo totius Eccleſiæ, & multorum membrorum ejus fructu ubicumque illæ fiant, frequentantur. Nec profectò excommunicationis ullam faciem habent, cùm populus qui hujuſmodi ſacrificio adſtat, à ſacerdote ſalutetur, pacis oſculum & benedictionem recipiat, atque etiam communionem ſi velit accipere poſſit; Nec verò earum uſus à Magno Gregorio primùm fuit inductus, ſed longè vetuſtiſſimus eſt, ut ex antiquorum Patrum ſcriptis patere poteſt, cùm crebriùs illis temporibus Miſſæ celebrarentur, quàm fideles in eis communicarent. Nihil eſt quoque quòd offendere quemquam debeat, in illis Miſſis quæ pro interceſſione aliquorum Sanctorum, in eorum etiam memoriam & honorem particulari ratione celebrantur, cum ſit certum nec alii quàm Deo ſacrificium in eis offerri, & Sanctorum commemorationem dumtaxat fieri, quia & in illorum gloriam & in Chriſti fidelium utilitatem, ſemper in Dei Eccleſiâ creditum eſt.

Jam verò quoniam controverſia de aquâ cum vino in hoc ſacrificio miſcendâ, jam pridem extincta, his denuò temporibus eſt excitata. Declarat Sancta Synodus juxta Eccleſiæ Catholicæ fidem & ſanctorum Patrum traditionem & conſenſum aquam vino eſſe admiſcendam, tum quòd ita Chriſtus Dominus feciſſe credatur, tùm quòd illa fluxum nobis aquæ & ſanguinis ex latere Domini noſtri in cruce pendentis ſignificet, ac ipſius Domini cum populo ſuo conjunctionem repræſentet.

CAPUT I.

Doctrina de Sacramento Ordinis examinanda per Patres. De neceſſitate & inſtitutione Sacramenti Ordinis.

DE Sacramento Ordinis illud antè omnia Sancta Synodus docet ordinem adeò neceſſarium in Chriſtianâ Religione eſſe, ut inſtitui debuiſſe, non divinâ tantùm revelatione cognoſcamus, ſed ex ipſâ propemodùm naturâ hauriamus. Nam ſi naturæ lumine, qui religionem aliquam coluerunt, hanc imbuiſſe perſuaſionem videntur, ut nefas ducerent, ſacras actiones ab aliis tractari, quàm ab iis, qui illis obeundis peculiari aliquo ritu eſſent dicati, quomodò nos exiſtimabimus Chriſtum Dominum ſummam Dei ſapientiam, nullum in Eccleſiâ ſuâ Ordinis ſacramentum reliquiſſe, quo initiarentur & à reliquo populo ſepararentur, qui ſacris in eâ miſteriis eſſent præficiendi? præſertim cùm ſint multa ex illis tam ſublimia, ut ad ea exercenda, idoneus nemo eſſe poſſit, qui divinam aliquam præ cæteris & ſupernaturalem poteſtatem non acceperit. Neceſſum igitur haud dubiè fuit, ſacramentum Ordinis in Eccleſiâ Chriſtianâ exiſtere, in quo ſub certis ſignis ac ritibus, qui ad diverſos ordines pro variâ ipſorum ratione eſſent accommodati, poteſtas & gratia conferretur, ejuſmodi ſacra munera ritè & inculpatè exequendi. Itaque Dominum qui porrecto ſancto pane & calicis benedictione ſuis Apoſtolis, dixit, hoc facite in meam commemorationem, inſufflaſſe etiam in illos & dixiſſe legimus, accipite

Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt, atque ita potestatem illis super utrumque suum corpus, & verum & misticum contulisse. Scriptura quoque memorat, Apostolos post Domini in cœlum ascensionem, misso jam Spiritu Sancto, jejunantes & orantes, Paulo & Barnabæ manûs imposuisse, atque ipsos quidem Paulum & Barnabam in ordinandis & constituendis per civitates presbiteris eundem ritum esse secutos. Quo ritu certum est magnam virtutem & gratiam iis qui ordinabantur fuisse collatam. Quare meritò ab eodem Apostolo videmus, quasdam vitæ sanctioris leges ministris illis qui ordinati essent, fuisse præscriptas. Nam & diaconos jubet esse pudicos, non bilinques, non multo vino deditos, non turpè lucrum sectari, deindè habere ministerium fidei in conscientiâ purâ. Ideò autem Sacramentum hoc nomen accepit ab ordine quo variæ Ecclesiæ functiones per gradûs distinctæ, distinctos ministros à quibus exerceantur postulent, qui certum quemdam ordinem inter se servent. Nam si in veteri testamento plures ministrorum gradûs ad varia templi munera constituti fuerunt, non minùs profectò, oportuit diversos etiam ordines esse in hoc Sacramento, quod pro novâ lege instituit. Quod ipsum ideò unum rectè est appellatum, quia omnes ejus gradus ad Sacro-Sanctæ Eucharistiæ confectionem atque administrationem tanquam ad unum finem referuntur.

Docet prætereà Sancta hæc Synodus & veterum Patrum traditione commune esse huic Sacramento, cum Baptismo & Confirmatione caracterem indelebilem imprimere. Proindè minimè licere semel ordinatos etiamsi in hæresim incidant, aut à gradibus suis dejiciantur, denuò ad eosdem ordines promoveri. Si enim in veteri lege præcipiebatur, ut quidquid Domino semel consecraretur Sanctum Sanctorum illi foret, multò magis hoc erit observandum in ministris Evangelii, qui peculiari consecratione, & longè excellentiori, quàm quæ unquam in veteri lege extiterit, per hoc ordinis Sacramentum Deo dedicatur. Et certè cum per id quædam sacerdotii Christi participatio fidelibus impertiatur, necessùm est si Christi sacerdotium sit æternum, ut reverà est, omnem etiam consecrationem quæ per illud fit, re consecratâ, in authoritatem esse perpetuam. Constat autem ìnmortales animas hominum esse, qui hoc Sacramento consecrantur. Quare Synodus hæc Sancta execrandum esse tanquam impium & sacrilegum eorum errorem declarat, qui affirmant sacerdotes novi testamenti temporariam & mobilem potestatem per populi vocationem accipere, eâque ejusdem populi voluntate detractâ, rursùs ipsos laicos effici, illos quoque in crasso & gravissimo errore versari ait qui Sacramentum Ordinis contendunt Ecclesiæ Catholicæ ignotum olim fuisse, & figmentum esse ab hominibus excogitatum. Quoniam perspicuum factum est sanctam ipsam Dei Ecclesiam non-nisi per consecratos hoc Sacramento ministros genitam, auctam, & propagatam esse, neque sine illo conservari in hunc usque diem, & perduci potuisse. Nam ut corpus sine animâ, & mundus hic visibilis absque sole consistere nequit, sic utique nec Christiana Ecclesia absque Sacerdotio stare potest.

CAPUT II.

De visibili & externo Ecclesiæ Sacerdotio.

QUia multi hac nostrâ tempestate ignorantes scripturas & virtutem Dei, externum

externum & visibile sacerdotium", cum interno & spirituali, quod omnibus fidelibus unctionem Spiritûs & gratiam Christi participantibus commune est, confundunt: propterea nunc Sancta Synodus adversùs eorum sacrilegium & execrandum errorem declarat, ut in Ecclesiâ Dei sacrificium externum est, ita visibile & externum esse sacerdotium, hoc est peculiarem illam sacræ Eucharistiæ conficiendæ, offerendæ atque aliis dispensandæ, nec non remittendi & retinendi peccata facultatem; atque ita sanè oportuit, ut qui in Ecclesiâ quæ supra montem posita abscondi non potest, excelsiorem & nobiliorem locum acceperunt, & aliorum necessitatibus subvenire ex officio debent, noti & conspicui redderentur, præsertim illi à quibus populus & doctrinam, & Sacramentorum dispensationem expectare & petere debet. Quare Dominus in creandis sacerdotibus, plures sensibiles cæremonias, orationis, impositionis manuum, & unctionis adhiberi per Ecclesiam voluit, ut sensibiles & notâ consecrationis comprehensibiles esse agnoscamus. Qui autem unctionis hujusmodi ritum, tanquam cæremoniam judaicam insectantur, & illum inutilem & condemnandum esse pernitiosè docent, primùm quidem Dei Ecclesiam gravi contumeliâ afficiunt, quæ tam multis sæculis hanc unctionem religiose servavit, imò in ipsum Deum blasphemi sunt, cujus Spiritu ea eruditur ac regitur. Deindè patùm attendisse videntur unctionis ritum utilissimam habere significationem. Aptissimè enim unctionem eam spiritalem repræsentat, quam Sacerdotes per ordinationem à Christo Domino trahentes, participes quodammodo fiunt regni, prophetiæ & sacerdotii ejus, quatenùs ad regendos & docendos populos, atque ad offerenda pro eis sacrificia idonei redduntur. Atque ita quidem divinum Christi unguentum per ipsos Sacerdotes, quasi per barbam Aaron in reliquos fideles, tanquam in oram vestimenti descendit. Neque movere debet quod Christus immortalis sit Sacerdos ad interpellandum pro nobis semper vivens, ut enim ipse Rex immortalis, unus ac supremus mundi Judex, unicus & solus magister, nec tamen aut reges, aut judices, aut externos doctores tollit, ita nec Sacerdotes, qui Dei ministri, præsbiteri & dispensatores misteriorum Dei in novo testamento appellantur, eum abrogare cogitandum est. Certè si Dominus ipse cum adhuc in terris ageret, Apostolos baptisare, morbos curare, atque alia hujusmodi officia suo nomine gerere voluit, dubitandum non est quin nunc ille in cœlis residens, & summus ac æternus noster Sacerdos existens, velit etiam à Sacerdotibus Christianis, quos ministros suos & suorum misteriorum dispensatores esse jussit, hostiam sui pretiosi corporis & sanguinis, Sanctissimæ Trinitati suo nomine quotidiè offerri.

Porrò omnes Baptismo initiatos constituere, illisque parem potestatem in Eucharistiâ conficiendâ & peccatis remittendis tribuere, quid aliud est quam sacris litteris quæ quosdam selectos & à populo distinctos ad sacrum ministerium promovendos, aut promotos esse docent, manifestè contradicere? vileque Christi Sacerdotium non paucis ut olim, sed omnibus indifferenter & promiscuè concessum reddere, nec nisi frustrà in multis qui illud per se nunquam exercere possent cónstituere, maximamque per hanc æqualitatem, in Ecclesiâ confusionem inducere. Quæ profectò cum Spiritum qui ex Deo est acceperit, ut agnoscat quæ sibi à Deo donata sunt, hanc dignitatem omnibus filiis suis per Christum esse communicatam nunquam intellexit. Agnoscit verò omnibus Christianis, qui fidem per dilectionem operantem ae-

ceperunt ac retinent, sacerdotium & regnum spiritale, ac jus spiritales & viventes hostias offerendi acceptabiles Deo, per Jesum Christum competere, ut jure ac merito à principe Apostolorum, sacerdotium regale, & à dilecto discipulo, Reges & Sacerdotes nuncupentur. Summo verò in errore illi versantur, qui sacerdotibus Evangelicæ legis nullam permittunt oblationem, sed ità eos ad unicum concionandi officium astringunt, quòd negent sacerdotes eos esse, qui Evangelium populo non annuntiant. At longè aliter Apostolus Paulus nos docet, qui munus sacerdotii in offerendis donis & sacrificiis, pro suis & populi peccatis præcipuè constituit, nullâ prædicationis mentione factâ; quare non omnes sacerdotes prædicatione uti solitos esse, etiam in illâ primitivâ Ecclesiâ, cùm tanta erat ministrorum penuria, ex alio ejusdem Apostoli loco colligi posse videtur, nam cùm ille Thimotheo scribens præsbiteros qui benè præsunt, duplici honore dignos esse docuisset, addidit, maximè qui laborant in verbo & doctrinâ, insinuans utique hac sermonis restrictione, non omnes præsbiteros qui benè præsunt, prædicationi verbi incumbere, cujus facultatem ad ordinem præsbiteratûs per se non spectare, argumento nobis sunt Apostoli Domini, qui priùs hanc potestatem prædicandi acceperunt, quàm sacerdotes ab eo fuissent creati. Et certè cùm constet varia esse dona Dei, multosque sacerdotes inveniri, qui etsi donum verbi assecuti non sint, in sollicitudine tamen sanctissimè præsunt, alios qui impulsi à Domini spiritu ab hominum consuetudine se abducunt, & secretioris vitæ rationem eligunt, in quâ etsi aliis verbum Domini non prædicent, puritatem tamen mentis & corporis tueri, contemplationi vacare, sacrificia & orationes offerre, commodissimè quotidiè possunt, absurdissimum profectò esset hos à sacerdotum numero excludere, quod munus concionandi non obeant.

Sed hoc cum docet Sancta Synodus negare non intendit, prædicandi ministerium ad Episcopos & alios sacerdotes, qui Ecclesiis ut pastores præficiuntur, maximè pertinere. Novit enim Apostolum docuisse, Episcopum talem doctorem esse oportere, ut potens sit in doctrinâ sanâ exhortari, & eos qui contradicunt arguere, novit ab Episcopis & aliis pastoribus legem Domini ut olim à sacerdotibus requirendam, juxta Malachiæ sententiam. Verum nunc hoc solum statuit, hanc prædicandi facultatem non ordinis, sed jurisdictionis esse, posseque illam & ordinatis detrahi, & non ordinatis ab Episcopo conferri, proindè vanissimum commentum eorum, qui in eâ universam vim sacerdotii constituunt.

CAPUT III.

De Ecclesiasticâ hierarchiâ & Episcopi ac Præsbiteri differentiâ.

CUm in hoc visibili mundo nihil sit, quod authoris ejus sapientiam æquè commendet, nihil quod contemplantium oculos ita moveat, & delectet, nihil denique quod ipsius statum, magis stabilem & firmum reddat, quàm ordo tot dissimilium & diversarum rerum, quæ tam aptis & accommodatis locis in eo collocatæ sunt, ut supremæ, mediæ, atque infimæ consentire inter se & maximam convenientiam habere videantur. Cum præclaram etiam hanc & eximiam ordinis pulchritudinem, idem author naturæ Deus in Angelicis spiritibus posuerit, quod dispares donis & distinctos naturæ perfectione creavit: vehementer profectò in Christi sapientiam contumeliosi sunt, qui omnem ex ejus Ecclesiâ hierarchiam tollentes, ac summam

eorum omnium confusionem inducentes, nullos in eâ asserunt varios & distinctos personarum ordines esse, nullos in ministeriis gradus, nullam superiorum & inferiorum, (quantùm quidem ad spiritalem & Ecclesiasticam potestatem attinet) diversitatem; sed blasphemum hunc errorem abundè Apostolus confutat apertissimè aliquot in locis indicans, hierarchicum ordinem & Ecclesiasticorum officiorum discrimen divinitùs institutum esse; In Epistolâ enim ad Ephesios de Christo Domino loquens. Et ipse dedit, inquit, quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi. Ad Corinth. autem scribens, postquam eandem officiorum diversitatem enumeravit, dilucidè demonstrat, non omnibus omnia ministeria in Ecclesiâ esse permissa, subdens, *nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ?*

Sancta autem Synodus tollere volens omnem perturbationem ex distincto & pulcherrimo visibilis Ecclesiæ ordine, hoc primùm declarat, dubitari à Christianis nequaquam debere, tam visendam & insignem formam illius hierarchiæ esse, quam Christus Dominus in suâ Ecclesiâ constituit, & tam aptam omnium partium ejus compositionem, ut nulla illius humanæ politiæ species ne excogitari quidem pulchrior & convenientior possit. Hanc etenim novam Jerusalem de cœlo descendentem meritò appellari posse, quod per antiquæ Hierusalem, id est veteris Ecclesiæ ordinatissimam politiam adumbrata, ad cœlestis Jerusalem formam & exemplar exacta fuerit. Nam ut illa sub uno supremo rectore varios & diversos ministrantium continet ordines, ita visibilis Christi Ecclesia summum ipsius Vicarium pro uno & supremo capite in terris habet, cujus dispensatione sic reliquis omnibus membris officia Ecclesiasticæ hierarchiæ distribuuntur, ut suis quæque in ordinibus & stationibus collocata, munera sua in totius Ecclesiæ utilitatem, cum maximâ pace & unione exequantur, in quâ unione quamdiu ipsa per supremum unum pastorem ac ducem, tanquam castrorum acies ordinata continebitur, adeò erit fortis ac terribilis, ut ne portæ quidem inferi adversùs eam possint prævalere.

Docet deindè Sancta Synodus, illos non esse audiendos, qui dicunt Episcopos jure divino constitutos non esse, cum ex Evangelicis litteris manifestè constet, Christum Dominum Apostolos, in quorum locum Episcopi subrogati sunt, per seipsum evocasse, eosque ad Apostolatûs gradum promovisse. Nec illud in cogitationem nostram venire debet, quòd hic tam necessarius & eminens gradus in Ecclesiâ, humanâ institutione introductus fuit, quod esset divinam providentiam tanquam in nobilioribus deficientem suggillare. Pacem quoque Ecclesiæ summoperè perturbant, qui nihil inter Episcopos & præsbiteros interesse arbitrantur, existimantes eadem omninò munera jure divino illis esse permissa, quorum error explosus jampridem & damnatus est, in Ecclesiâ, etsi nomina Præsbiteri & Episcopi nonnunquàm apud Apostolum indifferenter accipiantur, semper tamen eminentes quasdam functiones non ad præsbiteros, sed ad solos spectasse Episcopos, in quibus omnes ordines sunt & sacerdotii plenitudo. Ad solos enim Episcopos, administrationem Sacramenti Ordinis & Confirmationis, consecrationem sancti Chrismatis & olei, altarium item & Ecclesiarum benedictionem semper pertinuisse constat, nunquàm ad simplices sacerdotes, quorum irritus & vanus esset conatus, sic hæc munera obeunda aggrederentur; quòd si absque contradictione qui minor est à majori benedicitur, sacerdos autem benedictionem consecrationis ab Episcopo

accipit, non autem è conversò, colligitur haud obscurè præsbiterum divino jure, Episcopo esse inferiorem. Atque hoc quidem discrimen insinuatum nobis in veteri testamento fuit, in quo Dominus Aaronem in summum sacerdotem, quasi in Episcopum consecravit, filios autem ejus per ipsum variis cæremoniis adhibitis, diversis functionibus tanquam minores sacerdotes, vel inferiores alios clericos dedicavit. Verùm illud posteà redemptor noster expressit & manifestavit, dum multis documentis ostendit, se non eodem numero & loco septuaginta duos discipulos, ac duodecim Apostolos habuisse, sed hos, quos Episcopi referunt, officio & dignitate illis prætulisse, quorum partes simplices sacerdotes in consilium & adjutorium Episcoporum electi nunc sustinent. Quid enim est præsbiterium, ut Gloriosus Martyr Ignatius scripsit, nisi institutio sancta conciliarii Episcopi.

Postremò insigniter desipiunt, & Dei regulas confundunt, qui eligendi Episcopos & reliquos Ecclesiæ ministros potestatem ad magistratus sæculares suffragante populi voluntate transferunt, quasi illis hæc authoritas jure divino competat? Nam quod ad consecrationem & ordinationem attinet, perspicuum ex scripturis, & ipsâ constanti traditione evadit, illam ad solos Apostolos & Episcopos ritè ordinatos pertinere, illud evidenti argumento est, quod pastores & præsbiteri qui per eos manûs impositionem ac promotionem acceperunt, Episcopi à Spiritu Sancto constituti appellantur: undè Paulus ad Ephesinæ Ecclesiæ præsbiteros congregatos, attendite, inquit, vobis & universo gregi in quo vos posuit Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei.

Quod verò ad vocationem & nominationem Ecclesiæ ministrorum attinet, non est illa divino jure Magistratuum, aut laicorum quorumcumque, quos eligendi authoritate multis in conciliis privatos invenimus, cum hæc divina potestas ad eos potiùs divinâ institutione spectare videatur, quorum est Ecclesiam Dei regere & pascere, nempe Episcopos, eminenter verò ad Petrum ejusque successores, cui universæ Ecclesiæ cura est à Domino demandata: non est tamen negandum olim in creatione pastorum plebem convocari solitam, tum ut omnes fidei & moribus eorum qui essent promovendi, testimonium suis suffragiis impertirentur, tum ut ei, in cujus electione acquiescerent, libentiùs & reverentiùs obsequerentur. Verum hæc non ostendunt authoritatem nominandi pastores ad regendas Ecclesias, ipsis laicis à Domino communicatam fuisse.

Hæc sunt quæ de Sacro-Sancto Missæ Sacrificio atque Ordinis Sacramento Sancta Synodus tenenda proponit, in cæteris quæ prædictis addenda necessariò fortè videbantur, ad orthodoxorum Patrum scripta qui his de rebus fusiùs disseruerunt, pium & fidelem lectorem transmittens. Contra verò universalis Ecclesiæ dogmata perperam sentientes & docentes more suo, juxta hos qui deindè sequuntur Canones perpetuò anathemisat & damnat.

Canones de Sacrificio Missæ examinandi per Patres.

PRIMUS.

Si quis dixerit in Missâ non esse sacrificium, nec oblationem pro peccatis, sed tantùm commemorationem sacrificii in cruce peracti, aut vocari translato nomine sacrificium, & verè & propriè non esse. Anathema sit.

SECUNDUS.

SECUNDUS.

Si quis dixerit Missam esse tantùm testamentum & promissionem remissionis peccatorum. Anathema sit.

TERTIUS.

Si quis dixerit Missæ sacrificium non esse ex Evangelio, nec à Christo institutum, sed inventum ab hominibus, neque illud offerre; esse opus bonum, aut meritorium, immò in eo committi manifestam & multiplicem idololatriam. Anathema sit.

QUARTUS.

Si quis dixerit blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto, ab iis qui Dei filium à sacerdotibus in Missâ Deo offerri credunt. Anathema sit.

QUINTUS.

Si quis dixerit Christum pro nobis mistìcè in Missâ immolari & offerri, non aliud esse quàm ipsum nobis ad manducandum dari, aut illis verbis, hoc facite in meam commemorationem, non ordinasse ut Apostoli & alii Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem ejus. Anathema sit.

SEXTUS.

Si quis dixerit Canonem Missæ erroribus & seductionibus scatere, abrogandum esse, fugiendunque non secùs ac pessimam abominationem. Anathema sit.

SEPTIMUS.

Si quis dixerit Missam nec vivis, nec mortuis ut sacrificium prodesse, aut impium esse applicare eam pro peccatis, pro satisfactionibus & aliis necessitatibus. Anathema sit.

OCTAVUS.

Si quis dixerit neminem pro alio sacrificium offerre posse, sicut nullus pro alio communicat & absolvitur. Anathema sit.

NONUS.

Si quis dixerit Missas privatas, in quibus videlicet solus sacerdos & non alii communicant (quæ diù antè Gregorium Magnum fuere) in Ecclesiâ illicitas esse atque abrogandas, & cum Christi instituto pugnare, aut repræsentare magis excommunicationem, quàm communionem à Christo institutam. Anathema sit.

DECIMUS.

Si quis dixerit vinum necessariam materiam non esse hujus sacrificii, neque aquam esse miscendam cum vino in calice, idque esse contra Christi institutionem. Anathema sit.

UNDECIMUS.

Si quis dixerit Ecclesiæ Romanæ ritum quo secretò & submissâ voce verba consecrationis proferuntur, damnandum esse, Missamque non-nisi in linguâ vulgari celebrari debere, ac imposturam esse certas Missas certis Sanctis, sicut Ecclesia intendit, attribuere. Anathema sit.

DUODECIMUS.

Si quis dixerit cæremonias, vestes & externa signa quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse, magis quàm officia pietatis. Anathema sit.

DECIMUS TERTIUS.

Si quis dixerit Missam minùs Christianam esse, quia cum pluribus cæremoniis celebratur quàm fuerit à Christo celebrata. Anathema sit.

Canones de Sacramento Ordinis examinandi per Patres.

PRIMUS.

Si quis dixerit Ordinem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum: sed tantùm ritum quemdam eligendi ministros verbi, & Sacramentorum, aut figmentum esse humanum quod Ordo sit Sacramentum. Anathema sit.

SECUNDUS.

Si quis dixerit Ordinem non esse unum Sacramentum, aut infimos & medios Ordines velut gradus quosdam non tendere in sacerdotium. Anathema sit.

TERTIUS.

Si quis dixerit nullam esse Ecclesiasticam hierarchiam, aut omnes Christianos ex æquo esse Sacerdotes, seu ad usum & executionem Ordinum opus esse vocatione magistratûs sæcularis, vel consensione populi. Anathema sit.

QUARTUS.

Si quis dixerit ordinationes ab Episcopis factas sine plebis consensu, irritas esse, aut eum qui semel est sacerdos, laicum rursùs fieri posse. Anathema sit.

QUINTUS.

Si quis dixerit in novo testamento non esse sacerdotium visibile & externum, nec spiritualem potestatem consecrandi, offerendi & à peccatis absolvendi, sed officium tantùm & ministerium prædicandi Evangelium, aut eos qui non prædicant prorsùs non esse sacerdotes. Anathema sit.

SEXTUS.

Si quis dixerit unctionem non requiri in Sacramenti Ordinis traditione, imò esse perniciosam & contemnendam, similiter & omnes alias cæremonias. Anathema sit.

SEPTIMUS.

Si quis dixerit per Sacramentum Ordinis non conferri Spiritum Sanctum, ac proindè Episcopum dum ordinat frustrà dicere: accipite Spiritum Sanctum. Anathema sit.

OCTAVUS.

Si quis dixerit Episcopos non esse jure divino institutos, nec præsbiteris superiores, aut non habere jus ordinandi, vel id etiam præsbiteris competere. Anathema sit. (a)

(a) Hæc doctrina, Canonibus comprehensa, à Patribus consecrata est, in Sessione 22. & arctiori sermone, ac paucioribus Canonibus promulgata, die 17. Septembris anni 1562. sub Pio IV.

Decretum prorogationis publicationis decretorum in Sessione habitâ 25. *Januarii* 1552.

CUm ex eo quod proximis Sessionibus decretum fuit, Sancta hæc & universalis Synodus, per hos dies accuratissimè, diligentissiméque tractaverit ea, quæ ad sanctissimum Missæ sacrificium, & ad Sacramentum Ordinis spectant, ut hodiernâ Sessione, quemadmodum Spiritus Sanctus suggessisset, decreta de his rebus, & quatuor prætereà articulos ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pertinentes, in hanc tandem Sessionem dilatos publicaret, atque interim affuturos esse putaverit ad hoc Sacro-Sanctum Concilium eos, qui se Protestantes vocant, quorum causâ eorum publicationem articulorum distulerat, & ut liberè, & sine cunctatione ullâ huc venirent, fidem eis publicam, sive salvum-conductum concesserat, tamen cum illi nondum venerint, & eorum nomine supplicatum huic Sanctæ Synodo fuerit, ut publicatio quæ hodiernâ die facienda fuerat, in sequentem Sessionem differatur, certè spe allatâ affuturos esse omninò multò antè illam Sessionem, salvo conductu amplioris formæ interim accepto, eadem Sancta Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata, iisdem Legato & Nunciis præsidentibus, nihil magis optans, quàm ex præstantissimâ natione Germanicâ, omnes de religione dissensiones & schismata, ac ejus quieti, paci, otioque consulere parata, ipsos si venerint & humaniter accipere & benignè audire, confidensque eos non fidei Catholicæ pertinaciter oppugnandæ, sed veritatis cognoscendæ studio esse venturos, & ut Evangelicæ veritatis studiosos decet, sanctæ matris Ecclesiæ decretis ac disciplinæ, ad extremum esse acquieturos, sequentem Sessionem ad edenda & publicanda ea quæ supra commemorata sunt in diem festum Sancti Josephi qui erit dies 19. mensis Martii, distulit, ut illi satis temporis & spatii haberent, non solùm ad veniendum, verùm etiam ad ea quæ voluerint, antequam is dies veniat, proponenda, quibus ut omnem diutiùs cunctandi causam adimat, fidem publicam sivè Salvum-Conductum, ejus qui recitabitur tenoris & sententiæ libenter dat, & concedit. Intereà verò de Matrimonii Sacramento agendum, & de eo præter superiorum decretorum publicationem, definiendum esse, eadem Sessione statuit, & decrevit & prosequendam esse materiam reformationis.

Salvus-Conductus datus à Sanctâ Synodo Protestantibus in Sessione habitâ 25. *Januarii* 1552.

SAcro-Sancta œcumenica Generalis Tridentina Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata, præsidentibus in eâ eisdem Sanctæ Sedis Apostolicæ Legato & Nunciis, inhærendo Salvo-Conductui in penultimâ Sessione dato, & illum juxtà tenorem infrà scriptum ampliando, universis fidem facit, quòd omnibus & singulis Sacerdotibus, Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militaribus, Popularibus, & aliis quibuscumque viris, cujuscumque statûs & conditionis aut qualitatis existant, Germanicæ Provinciæ, aut nationis Civitatibus ac aliis locis ejusdem, & omnibus aliis Ecclesiasticis & Sæcularibus, præsertim Augustanæ Confessionis personis, qui aut quæ unà cum ipsis, ad hoc Generale Tridentinum Concilium venient aut mittentur ac profecturi sunt, aut huc-usque venerunt, quocumque nomine censeantur, aut valeant nuncupari tenore præsentium, publicam fidem, & plenissimam verissimamque securitatem, quam Salvum-Conductum appellant, liberè ad hanc civitatem Tridentinam, veniendi, ibidem-

que manendi, ſtandi, morandi, proponendi, loquendi unà cum ipsâ Synodo, de quibuscumque negotiis, tractandi, examinandi, diſcutiendi & omnia quæcumque ipſis libuerit, ac articulos quoslibet tàm ſcripto, quàm verbo liberè afferendi, propalandi, eoſque ſcripturis ſacris & Beatorum Patrum verbis, ſententiis & orationibus declarandi, aſtruendi & perſuadendi etſi opus fuerit etiam ad objecta Concilii Generalis reſpondendi, & cum iis qui à Concilio delecti fuerint diſputandi, aut charitativè abſque omni impedimento conferendi, opprobriis, conviтiis, ac contumeliis penitùs ſemotis, & ſignanter quòd cauſæ controverſæ ſecundùm Sacram Scripturam & Apoſtolorum traditiones, probata Concilia, & Catholicæ Eccleſiæ conſenſum, & Sanctorum Patrum authoritates in prædicto Concilio Tridentino tractentur. Illo etiam addito ut religionis prætextu, aut delictorum circa eam commiſſorum aut committendorum minimè puniantur, impartitur & omninò concedit, ſic etiam ut propter illorum præſentiam neque in itinere aut quocumque locorum eundo, manendo aut redeundo, nec in ipſâ civitate Tridentinâ à divinis officiis quovismodo ceſſetur & ut his peractis vel non peractis, quandocumque ipſis libuerit aut majorum ſuorum mandato & aſſenſu ad propria reverti optabunt, aut aliquis eorum optabit, mox abſque ullâ renitentiâ & occaſione aut morâ ſalvis rebus eorum & ſuorum pariter honore & perſonis viceverſa poſſint, juxta beneplacitum liberè & ſecurè redire, de ſcientiâ tamen ab eadem Synodo deputandorum, ut tunc opportunè eorum ſecuritati abſque dolo & fraude provideatur. Vult etiam Sancta Synodus in hac publicâ fide ſalvoque conductu omnes & quaſcumque clauſulas includi & contineri, ac pro incluſis haberi, quæ pro plenâ efficaci & ſufficienti ſecuritate, in eundo, ſtando, ac redeundo neceſſariæ & opportunæ fuerint, illud etiam ad majorem ſecuritatem, & pacis ac conciliationis bonum exprimens, quod ſi quiſpiam aut illorum aliqui ſive in itinere Tridentum veniendo, ſive ibidem morando, aut redeundo, aliquod enormè, quod abſit, egerint aut commiſerint quo poſſet hujus fidei publicæ & aſſecurationis beneficium eis conceſſum annullari aut ceſſari, vult & concedit, ut in hujuſmodi facinore deprehenſi ab ipſis dumtaxat, & non ab aliis condignâ animadverſione cum emendâ ſufficienti per partem ipſius Synodi meritò approbandâ & laudandâ mox puniatur, illorum aſſecurationis formâ, conditionibus & modis omninò manentibus illibatis. Pariformiter & vult ut ſi quiſquam, vel aliquis ex ipſâ Synodo ſive in itinere, aut manendo, aut redeundo aliquod enormè, quod abſit, egerint aut commiſerint, quo poſſet hujus fidei publicæ & aſſecurationis beneficium violari, aut quoquo modo tolli, in hujuſmodi facinore deprehenſi, ab ipſâ Synodo dumtaxat & non ab aliis condignâ animadverſione & emendâ ſufficienti per partem Dominorum Germanorum Auguſtanæ Confeſſionis tunc hic præſentium meritò laudandâ & approbandâ mox puniantur, præſentis aſſecurationis formâ, conditionibus & modis manentibus omninò illibatis. Vult prætereà ipſa Synodus quòd liceat ipſis Ambaſciatoribus omnibus & ſingulis toties quotiescumque opportunum fuerit, ſeu neceſſarium ad auram capiendam exire de civitate Tridentinâ, & reverti ad eandem, nec non nuntium vel nuntios ſuos ad quæcumque loca pro ſuis neceſſariis negotiis ordinandis liberè mittere, ſeu deſtinare, ac ipſos miſſos, ſeu deſtinatos, ſeu miſſum & deſtinatum ſuſcipere toties quoties eis videbitur expedire. Ita quòd aliqui, vel aliquis per deputandos Concilii ſociatus qui eorum

eorum securitati provideant, vel provideat. Qui quidem salvus-conductus & securitates stare ac durare debent, & à tempore, & per tempus quo in ipsius Synodi & suorum tuitionis curam ipsos suscipi contigerit, & usque ad Tridentum perduci, ac toto tempore mansionis de re ibidem & rursum sufficientem audientiam habitam spatio viginti dierum præmisso cum ipsi petierint, aut Concilium habitâ hujusmodi audientiâ ipsis recessum indixerit à Tridento, usque in quem quisque elegerit sibi locum tutum Deo favente restituet, dolo & fraude prorsùs exclusis. Quæ quidem omnia pro universis & singulis Christi fidelibus, pro omnibus Principibus tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus quibuscumque, atque omnibus aliis Ecclesiasticis ac sæcularibus personis, cujuscumque statûs & conditionis existant, aut quocumque nomine censeantur, inviolabiliter observanda esse promittit & bonâ fide spondet. Insuper omni fraude & dolo exclusis verâ & bonâ fide promittit ipsam Synodum nullam vel manifestè, vel occultè occasionem quæsituram, aut aliquâ authoritate, potentiâ, jure, vel statuto, privilegio, legum vel canonum, aut quorumcumque Conciliorum, præsertim Constantiensis & Senensis, quâcumque formâ verborum expressâ in aliquod hujus fidei publicæ & plenissimæ assecurationis, ac publicæ & liberæ audientiæ ipsis per Sanctam Synodum concessæ præjudicium quovis modo usuram aut quemquam uti permissuram, quibus in hac parte pro hac vice derogat. Quod si Sancta Synodus, aut aliquis ex eâ, vel suis cujuscumque conditionis, vel statûs, aut præeminentiæ existens præscriptæ assecurationis & salvi-conductûs formam & modum in quocumque puncto, vel clàm violaverit, quod tamen avertere dignetur omnipotens, & sufficiens emenda mox non fuerit subsecuta, & ipsorum arbitrio meritò approbanda & laudanda habeant ipsam Synodum & habere potuerunt incidisse in omnes pœnas quas jure divino, aut humano, aut consuetudine hujusmodi salvorum conductuum violatores incurrere possunt absque omni excusatione, & quâvis in hac parte contradictione.

Copia orationis Saxonum habitæ in Congregatione Episcoporum: quod bonum fœlix ac faustum sit Christianæ Reipublicæ.

Reverendissimi & Amplissimi quarumcumque dignitatum & ordinis ac statûs Viri, Patres ac Domini debitâ reverentiâ observandi.

ILlustrissimus Princeps Mauritius, Dux Saxoniæ, Sacri Romani Imperii Elector, & Archimarscallus, Præses Turingiæ, & Marchio Misniæ, & Dominus noster clementissimus misit nos ad vestras Reverendissimas & Amplissimas dignitates ac præstantias, & precatur primum omnium à Deo optimo maximo Patre Domini nostri Jesu Christi, ut Spiritum Sanctum suum benignè largiri ac aspirare dignetur, quo omnia quæ hic agitis, acturique estis ad sui sanctissimi nominis, & Christi filii sui Domini ac Salvatoris nostri gloriam & honorem, Ecclesiæ suæ pacem & incrementum, atque cunctorum Christi fidelium veram & æternam salutem tendant & dirigantur. Deindè notum vult esse universo huic ordini vestro, quod tamdiù secum constituit, & animum suum ita declaravit, si quando propitio Deo contingeret universale, liberum & christianum Concilium congregari, in quo controversia Religionis nostræ, sepositis affectibus, secundùm Sacram Scripturam tractari & dijudicari, omnes tutò admitti ac audiri, atque christiana reformatio tam in capite, quàm in membris

institui deberet, quod ad tale Concilium suos quoque Theologos viros pios, doctos, ac pacificos mitteret. Et quia putat hoc nomine congregatos nunc esse, & in hoc convenisse hic vos omnes, ut eo quo dictum est modò procedatur. Ideò convocatis suis Theologis, qui antecessorum suorum, & partim etiam suo tempore scribendo claruerunt, mandatum dedit, ut missis ex suo numero quibusdam suæ doctrinæ confessionem in hoc cœtu vestro faciant, & eam Sacræ Scripturæ testimoniis confirment, atque in omnibus quibus secundùm Sacram Scripturam possint, vobiscum conveniant & concordent, id quod illi se facturos prompti ac volentes in se receperunt, quod verò hoc hactenus factum non sit, & illi hic nondum comparuerint, causam hanc habet, quòd Princeps noster admonitus fuit, cujusdam Constitutionis Concilii Constantiensis quæ habet, quod de hæreticis, & de hæresi suspectis nulla publica fides, nullusque Salvus-Conductus, sive per Imperatorem, sive Reges, seu alios datus, quocumque vinculo illi ad servandum se astrinxerint, servare debent. Quin imò si confisi aliqui, super hujusmodi salvo conductu venerint, aliàs non venturi, ad potestatem Ecclesiasticam possint, non obstante ejusmodi salvo conductu, nihilominus puniri: ut habetur tenor illius Constitutionis in 18. Sessione Concilii Constantiensis, cujus Constitutionis exemplar si fortè ad manum non sit, jam dabimus. Et movit hæc Constitutio Principis nostri animum eò magis quòd timore hujus etiam Bohemi tempore Basileensis Concilii, accedere ad illud nequaquàm voluerint, nisi eis plena & perfecta securitas veniendi eò, & ibi commorandi, atque indè redeundi in propria, à Concilio daretur, cum derogatione dictæ Constitutionis Constantiensis, & cum aliis quibusdam clausulis. Undè & Concilium illud Basileense plenissimam securitatem salvi conductûs illis concessit, cum memoratæ Constitutionis Constantiensis expressâ derogatione, & multis aliis clausulis, ut est videre in quartâ Sessione ejus Concilii, cujus formam priori subjecimus. Ejusmodi ergò salvum conductum petivit Princeps noster dari etiam suis Theologis, Consiliariis & aliis quos huc emissuros esset cum eorum ministris & familiaribus, quos secum adducerent, ut tutò huc venire, hic morari, ac redire hinc securè possint. Et spem certissimam conceperat fore ut quod Basileensis Synodus Bohemis benignissimè concesserat, id hic Tridenti Germanis non negaretur. Verùm oblata est illi antè dies non multos, quædam membranea scheda aperta sine sigillo, cum significatione hac quod per istam satis cautum ac prospectum suis esse deberet, cujus copiam quoque exhibebimus. Sed quia multum discors hæc ab illâ fuit, & cum Basileensi salvo conductu, vester salvus conductus in plurimis articulis, minimè conveniebat, ob id grave & periculosum judicatum est, non impetrato eo qui petitus, & qualis Bohemis datus esset salvo conductu concedere, maximè cum ex proœmio & aliquot decretis hic Tridenti promulgatis, quæ typis excusa in publicum prodierunt, manifestum sit eos pro schismaticis & hæreticis hic haberi ac culpari, cum tamen nequaquam huc vocati, multò minùs auditi fuerint. Et nihilominùs prompti sint doctrinam suam testimoniis Sacræ Scripturæ corroborare. Quare petit Princeps noster ut enumeratis causis, & se & suos quominùs hic hactenus comparuerint excusatos haberi, & quâ, rogant, formâ, quâque Bohemis in Basileensi Concilio datus fuit salvus conductus, eadem nunc suis etiam dari, atque quam primùm sibi transmitti. Prætereà certior est redditus Princeps noster, quamvis ut dictum est, sui Theologi neque vocati, neque auditi fuerint, & propter defectum pleni atque integri salvi conductûs venire huc, & comparere

hic nondum potuerint, quòd tamen nihilominùs sine morâ, hic procedatur & concludatur etiam in illis articulis religionis, qui controversiam habent, sicut videmus quod nunc sessionem habere, & decreta super articulis in controversiâ positis, publicare velitis. Id quod Principi nostro præjudiciale, & tam divino, quàm humano, tum naturali, tum positivo juri contrarium existit, quæ jura omnia volunt, quod non auditi, non debeant prægravari. Cum itaque velit Princeps noster suos Theologos huc mittere, doctrinæ suæ confessionem facturos, & eam Sacræ Scripturæ testimoniis corroboraturos, quamquam in omnibus quibus cum verbo Dei possint & velint & debeant vobiscum concordare, sed ex defectu salvi conductûs id facere hactenus impediuntur, manifestum est culpam nullam illis attribui posse. Undè rogamus nomine Illustrissimi nostri Principis, ut tractatio illorum articulorum religionis qui controversiam habent, & priùs instituta Sessio, decretorum publicatio eò usque differantur & protrahantur, dum ipsius etiam Theologi tutò huc adveniant, & ad plenum audiantur, qui jam nunc in itinere sunt, & ad sexaginta milliaria Germanica huc processerunt, expectantes vestrum Salvum-Conductum, ut eo accepto, mox huc porrò progrediantur, & quam primùm fieri poterit, hic apud vos compareant, doctrinam suam ejusque testimonia sacra edant ac in lucem proferant. Tertium est quod relatum fuit Principi nostro, quòd illa decreta quæ superioribus annis hic Tridenti tractata fuerunt, pro decretis conciliaribus & firmis conclusis, habere articulos qui controversiam habent, & in quibus qui Augustanæ sunt Confessionis, dissentiunt non reassumere, neque audire suos super illis velitis, cùm verò declaratum illi sit, pleraque eorum decretorum etiam in præcipuis capitibus religionis, nostram justificationem concernentibus errores non leves continere, qui per sacram scripturam ostendi ac declarari possint, summè necessarium ut ipse & plerique alii semper judicarunt, & adhuc judicant, ut sui Theologi etiam super illis decretis audiantur, & sic in controversiâ positi articuli reassumantur. Quapropter orat Princeps noster ut illa decreta in articulis qui controversiam habent, omninò reassumantur, & tum sui, tum alii Augustanæ Confessionis Theologi super illis planè audiantur, eorum rationes & argumenta ex sacris litteris expendantur, quòd pium & Dei verbo consentaneum fuerit, admittatur, atque suffragiis omnium nationum Christiani orbis laudetur, recipiaturque. Adhuc sunt ista decreta tunc tractata quandò paucissimi eorum qui ad universale liberum & Christianum Concilium requiruntur, pauci Prælati, paucique Legati statuum Germaniæ præsentes fuerunt, ut patet ex catalogo nominum eorum, qui unâ cum illis decretis, typis excusis in publicum prodiit: Undè etiam pro decretis universalis Concilii illa decreta haberi aut vendicari nequaquàm possent. Nam ad universale liberum & Christianum Concilium requiruntur universæ totius Christiani orbis nationes, & ut omnes securè admittantur, liberèque audiantur, utque eorum rationes, causæ & argumenta, secundùm sacram scripturam expendantur, dijudicenturque, alioquin ea quæ habetur Congregatio, nomen universalis, liberi & Christiani Concilii minimè meretur, & quòd in eâ decernitur, pro decretis œcumenici, liberi & Christiani Concilii haberi & acceptari minimè potest. Quarto loco referre & in memoriam revocare debemus, vestris amplissimis dignitatibus & præstantiis, quòd articuli controversiam habentes fidem nostram Christianam, & aliqui, eorum Pontificem præcipuè concernunt. Cum autem & jura & Concilia, tum Constantiense, tum Basileense expresè constituerint, quòd in causis fidei & quæ ipsummet Pontificem contingunt, Pontifex Concilio subjacens,

& Concilium suprà Pontificem sit, & esse debeat, conveniens fuerit illud hoc etiam in loco omninò ita servare, & antè omnia confirmare, sicut in Basileensi Synodo factum est, & in secundâ Sessione ejusdem habetur. Et quod per hoc Prælati & reliqui à Concilio cujuscumque gradûs ac ordinis fuerint, à suis juramentis quibus Pontifici obstricti erant, quantum ad Concilium & causas in eo tractandas pertinet, liberi sunt. Et censet Princeps noster quod hujusmodi liberatio etiam sine expressâ Pontificis relaxatione sequatur clarè ex conclusis Basileens. Concilii in multis locis, ubi ponitur, quod etiam Papalis eminentia & dignitas in talibus casibus Concilio subjecta sit. Si ergò subjecta est Papalis eminentia Concilio, sequitur quod personæ Concilium repræsentantes, ab ejus nexibus & ipsis præstitis juramentis quantùm ad fidei articulos, & Christianam reformationem tam in capite, quàm in membris instituendam spectat, liberæ sint, Etiamsi Pontifex nollet eis juramenta ea remittere, quod tamen ut ex virtute prædictarum Constitutionum Constantiensis & Basileensis Conciliorum jam liberæ sint & quod hoc ita declarari meritò debeat.

Si enim liberum debet esse Concilium, in quo semotis affectibus de controversiis religionis & Christianâ reformatione capitis & membrorum tractari, atque omnia secundùm Sacram Scripturam fieri conveniat, necessè est liberas esse personas, quæ liberè de his omnibus differere & judicare debeant, liberi autem & sine affectibus nunquàm erunt, qui Pontifici subjecti, & ab ejus imperio quantum ad causas in Concilio tractandas pertinet, non soluti censeri debebunt. Rogat itaque summoperè Princeps, ut prædictas Constitutiones Constantiensis & Basileensis Concilii, quod nimirum in fidei articulis & qui Pontificem ejusque potentiam contingunt, Pontifex Concilio subjectus sit, antè omnia confirmari Basileensis exemplo, quod ab initio decretum Constantiensis Concilii in articulo quod universale Concilium suprà Pontificem sit, antè omnia repetivit, approbavit, ratificavit, atque etiam de verbo ad verbum actis illis inseruit, quemadmodùm fidem sessionis ejus Concilii acta manifestissimè demonstrant. Et negari nunquam potest quod & Pontifex & reliquorum Clericorum status ac vita magnâ & gravi omninò reformatione opus habeat: quamquàm enim proxima antè centum & aliquot annos celebrata Concilia, tempora certa præfinierunt, intrà quæ semper Generalia Concilia celebrari debuissent, quod præviderunt jam tunc absque dubio prudentiores ejus seculi, futuros & secuturos hos articulos quibus occurrendum in tempore esse rectissimè judicarunt: tamen sequentium temporum Pontifices neque eas, neque alias bonas Patrum institutiones, quas bonâ cum conscientiâ potuissent & necessariò debuissent observare, servaverunt. Et sic perniciosos hosce errores & abusus succrescere permiserunt, undè plurima & infinita mala & multiplicia schismata Christianum orbem invaserunt, exorta bella, odia, dissensiones, tumultus, & latissima occasio data, ac relicta est grassandi in populum Christianum miserè, sævissimo, crudelissimo, nefandissimoque Christiani nominis hosti perpetuo. Quis non videt, aut quis dubitat difficillimum forè hos abusus tollere, piè & christianè emendare atque corrigere, pro quibus ita prophetatum esse constat statum Ecclesiasticum, ut species & fucus quidam religionis, potiùs quàm religio appareat, quis emendabit, aut quomodò emendabit hoc Concilium, si personæ Concilii ad nutum & voluntatem Pontificis vivere, ad ejus præscriptum agere omnia, ad ei obediendum & conservandum ejus honorem, statum & potentiam juramentis debeant esse & manere obligatæ? Decla-

Declarandum ergò & exprimendum hoc ampliùs fuerit, quod quicumque sunt in Concilio Cardinales, Archiepiscopi, Prælati, atque omnes omninò omnium ordinum & officiorum homines, per talem Constitutionem suis juramentis Pontifici præstitis, quantùm ad Concilii causas & ejus reformationem spectat, debeant esse liberi & soluti, & quod per illam ipsam Constitutionem liberi & soluti declarati esse debeant, ut eo confisi & eâ libertate freti, liberiùs quod sentiant dicere in mediumque consulere ac suffragari liberè secundùm Sacram Scripturam possint, si verò etiam prætereà à Pontifice hoc impetrari posset quo sua dignitas pro honore Dei & juvandâ Christianâ reformatione, atque provehendis communibus commodis ultrò relaxaret ac remitteret, eis illa sua juramenta, hoc verò laudabile, rectum, integrum atque celebrè fuerit, & apud idiotas hæc res singularem at ingentem favorem conciliatura plus fidei & fiduciæ paritura, memorem obedientiam authoritatemque datura Concilio, & omnibus quæ in eo decreta & conclusa fuerint, quod confiteri omnes necessè esser, verè libenter & christianum hoc esse Concilium in quo liberi homines, liberæ linguæ & voces, libera suffragia essent, & non ad hujus aut illius nutum aut voluntatem sententias dicere oporteret, si ad Christi verbum & præscriptum tractare & dijudicare omnia liceat; Certò hoc mirabilem assensum, ingentem favorem, & singularem authoritatem Concilio ejus reputationi daturum esset.

Et quòd hoc ita urgeat & fieri adeò hæc Princeps noster quæ ordine dinumeravimus, id non vitio sibi verti, neque in aliam quam ipse facit partem accipi etiam atque etiam orat, testem Deum habet, quòd cuncta hæc fidelissimo & optimo animo & affectu scilicet jucundissimo faciat, quo ergà religionem & Christianam rempublicam afficitur, quodque ipsius causæ gravitas, negotii magnitudo, hæc ita exigere & requirere omninò videtur, neque dubitat quin quicumque pii, prudentes & sapientes estis, quibusque curæ & cordi est Christiana respublica, Christiani orbis calamitas & præsens rerum status, intellecturi ipsimet sitis, hæc summè necessaria esse & requiri omninò ad celebrandum verè liberum, & christianum, atque universale Concilium, in quo de communi omnium salute, de verâ fide, vero Dei cultu & divini numinis sincerâ invocatione & veneratione tractari debet, de tollendis erroribus, de abusibus, formandis moribus Christiani populi & tam capitis, quàm membrorum emendatione reparandâ, verâ pace Ecclesiæ propagandâ, fide & regno Christi. Quare quò cuique hæc sunt chariora, quò magis his quisque movetur & afficitur, quò propiùs tangit sua quæque propria & suorum omnium patriæ, sua & communis totius populi salus, pax & tranquillitas, quò magis amat & diligit quisque Deum, & filii Dei gloriam propagari cupit, quò beatiùs & in hoc & in futuro sæculo vivere omnes desideramus, & majori studio, fide & diligentiâ in hoc quisque incumbat. Quâ in re & Deo omnipotenti & toti orbi Christiano gratissimum ac verè bonum opus præstabitis, & vestræ vestrorumque atque omnium saluti consuletis, quod ut fiat faxit Christus Jesus Dominus & Salvator noster, cui cum Deo Patre & Sancto Spiritu sit honor, laus & gloria.

Quæ voce dixi eadem in scriptis offerimus cum copiis earum Constitutionum, quarum mentionem perorando fecimus. *Dixi.*

Die Martis 16. *Februarii.*

Reverendiſſimus Trevirenſis Archiepiſcopus, Elector, à Tridento in patriam reverſus eſt. Die verò 11. hujus Colonienſis & Moguntinenſis Electores poſt acceptum nuntium de tumultibus exortis in Germaniâ, miniſterio Mauritii & Alberti, aliorumque Principum Germanorum à Tridento in patriam quoque remigrarunt. Die verò Veneris 18. Martii Oratores Wittembergenſes, Brentius cum Doctoribus Argentinenſ. Tridentum appulerunt. Die verò Sabbati 19. Martii Seſſio celebrata non fuit, propterea quod interim nullæ materiæ fuerant diſcuſſæ, interim Congregatio tamen facta fuit in quâ Orator Regis Portugaliæ cum Doctore Theologo Goatano & alio utriuſque juris Doctore produxit mandatum, & à Synodo fuit admiſſus. Præteteà placuit Patribus Seſſionem differendam ad Calend. Majas.

Oratio Legatorum Wirtembergenſium.

ILluſtriſſimus Princeps ac Dominus, Dominus Chriſtophorus, Dux Wirtembergenſis..... Dominus noſter clementiſſimus, reverſis ad Celſitudinem ipſius prioribus quos in gratiam & debitam obſervantiam Cæſareæ Majeſtatis, & ſecundùm decreta Comitiorum Auguſtanenſium, huc ad præſens Concilium Tridentinum antè aliquot menſes miſit, nos alteros Legatos Celſitudinis ipſius ad ea quæ in communi negotio religionis, & aliis neceſſariis punctis, adhuc peragenda & deliberanda ſuperſunt, omni ſtudio ac operâ promovenda & abſolvenda huc ablegavit: ſimulque injunxit, ut initio adventûs noſtri ampliſſimis Dignitatibus veſtris exhiberemus nos, illiſque nos quàm humiliter commendaremus; deindè in Cæſaris ipſius nomine ampliſſimis dignitatibus veſtris amicas atque benignas ageremus gratias, pro ſingulari Dignitatum veſtrarum ampliſſimarum ſtudio, gratiâ ac benevolentiâ, quâ priores Celſitudinis ipſius Legatos in expediendis negotiis commiſſis & mandatis ſuis, tam apud ampliſſimas Dignitates veſtras, quàm apud communem Congregationem Concilii, complexæ ſunt, idque Celſitudinis ipſius oblatâ occaſione, & benignè referre & gratioſè agnoſcere non eſt dedignatura. Quantùm verò ad adventum C. ipſius Theologorum attinet, ordinaverat quidem Celſitudo ſuâ eo etiam tempore quo priores ſuos Legatos ablegavit, quoſdam Theologos qui præſens Concilium viſitarent, quemadmodùm nunc etiam à Celſitudine ipſius quidam Theologi deſtinati atque itineri accincti ſunt, quorum etiam adventum intrà pauciſſimos dies ſperamus. Verùm cum certa quædam gravamina, quæ per Ducis Saxoniæ Electoris, partim per C. ipſius Legatos propoſita ſunt incidiſſent, abſque quorum reſolutione & relevatione parùm utilis & frugifera erat futura tractatio Theologica de doctrinâ, ideò hactenus negotium cum Theologis commodè promoveri non potuit.

Nobis autem diſcedentibus, ſæpè dictus illuſtriſſimus Princeps noſter, de novo in mandatis dedit, ut ampliſſimis Dignitatibus veſtris, gravamina in memoriam iterùm revocaremus, ac quàm diligentiſſimè pro reſolutione & relevatione eorum apud ampliſſimas Dignitates veſtras laboraremus. Etſi enim quantùm ad ſecuritatem datam attinet Celſitudo ipſius de ſecuritate, & de fide, atque conſtantiâ in ſervandâ eâ nihil dubitet, nec habeat quæ Celſitudo ſua præcipuè in ſecuritate deſideret, tamen cum Celſitudo ſua conferret exemplum ejus ſecuritatis & ſalvi-conductûs, qui in Concilio Baſileenſi

Bohemis datus, & cujus similis forma postulatas est, cum eo exemplo quod Celsitudini ipsius transmissum; atque à Concilio publicatum est, comperit re ipsâ non cum levi Celsitudinis ipsius & aliorum Augustanæ Confessioni adhærentium Theologorum præjudicio, quædam necessaria partim omissa, partim mutata esse, nam ubi in Basileensi salvo-conductu hæc verba habentur, & signanter quod in causis controversis lex divina, apostolica & Ecclesiæ primitivæ, unà cum Concilio Doctoribusque fundantibus se veraciter in eadem pro verissimo & indifferente judice admittantur, pro his verbis in novo exemplo alia substituta sunt, videlicet, & signanter quod de controversis secundùm Sacram Scripturam & Apostolorum traditiones in prædicto Concilio Tridentino &c. Est præterea & ea deliberatio in propositis gravaminibus unâ cum aliis nondùm resoluta, quòd Papa pro præside Concilii nec agnosci, nec haberi, sed quod ipse Concilii cognitioni se submittere debeat, quodque omnes personæ quæ Congregationi Concilii intersunt, & intererunt atque ipsi juramento astrictæ & obligatæ sunt, suis liberentur, quantùm ad præsentem tractationem pertinet juramentis & obligationibus, quibus sanè non expeditis, nec resolutis, nulla utilis & salutaris tractatio de doctrinâ cum Theologis institui potest. Licet enim in communi congregatione & communi consensu, atque Concilio aliquid pium, & christianum & salutare constitueretur, quod tamen Papæ non placeret, id certè suâ voluntate & authoritate facilè & mutare & respuere posset, indèque nihil aliud sequeretur, quàm quod omnia studia, omnia concilia, omnes labores, ac denique omnes actiones planè essent frustrà institutæ atque susceptæ. Quare adhuc petit illustrissimus Princeps noster, ut amplissimæ Dignitates vestræ pro summo suo studio, quo hactenùs universum negotium complexæ sunt, in eo etiam laborare & operam dare velint, quo enarratorum & aliorum anteà propositorum gravaminum antequàm ad theologicam tractationem perveniatur, fiat resolutio & relevatio.

Illustrissimus Princeps ac Dominus, Dominus Christophorus, Dux Wirtembergens. Dominus noster clementissimus, certo ordine Tridentum quosdam è Theologis suis qui oblatam Confessionem, authoritate Sacræ Scripturæ & veræ Catholicæ Ecclesiæ consensu deffendant ac tueantur, & si opus fuerit copiosiùs explicent, sed priusquàm Theologi suscipiant explicationem, petit Illustrissimus Princeps noster de quibusdam gravaminibus suis sententiam Tridentini Conventûs audire.

PRIMUM GRAVAMEN.

Quòd ad audiendam Theologorum explicationem, nondùm sint ordinati & constituti ex utriusque partis consensu, idonei judices aut arbitri, qui de præsenti controversiâ religionis legitimæ, juxtà scripta Prophetica & Apostolica & juxtà verum veræ Ecclesiæ Catholicæ consensum cognoscant. Nam cùm Illustris. Princeps noster intellexerit maximam partem doctrinæ suorum Theologorum pugnare cum doctrinâ & sententiâ Pontificis Romani & eorum Episcoporum qui sunt Romano Pontifici juramentis & aliis obligationibus addicti, nullo jure, nullâ æquitate fieri potest, ut Pontifex & Episcopi ejus in hac causâ in quâ ipsi sunt pars, sivè accusatores, sivè rei, pro idoneis judicibus aut arbitris agnoscantur. Petit Illustrissimus Princeps se certiorem reddi qui sint futuri hujus rei judices aut arbitri.

SECUNDUM GRAVAMEN.

Quòd Conventus Tridentinus non videatur servari, juxtà recessus Comi-

tiorum Imperialium Auguſtanorum, in quibus decretum fuit quòd Concilium Tridentinum continuari, & omnia chriſtianè & honeſtè ac congruenti ordine tractari debeant. Hæc verba Illuſtriſſimus Princeps noſter nunquàm aliter intellexit, quàm quod Concilium Tridentinum anteà anno 46. inſtitutum, non ſit ita continuandum & proſequendum, ut decreta in eo facta pro concluſis & ratis habeantur. Quæ enim hæc eſſet honeſtas & congruentia, ea decreta pro ratis & ſacro-ſanctis habenda imponere, quæ parte alterâ nondum auditâ, ſunt conſtituta; ſed quod ab initio omnia capita religionis noſtræ de quibus controvertitur, iterum tractari, & iis audiendis & dijudicandis verè legitima, & æquitati conveniens actio obſervari debeat. Quod cum hoc Tridentinum Concilium, cum videatur hoc modo inſtitutum petit Illuſtriſſimus Princeps, ut receſſui Comitiorum Imperialium hac in parte ſatisfiat.

TERTIUM GRAVAMEN.

Quòd in Seſſionibus non ſolùm ejus Concilii quod anno 46. Tridenti inſtitutum eſt, verùm etiam hujus Concilii quod jam continuatur decreta ſint multo aliena à ſacris litteris & confirmati multi veteres errores, ſicut Theologi Illuſtriſſimi Principis ſeſe coram idoneis judicibus aut arbitris declaraturos recipiunt. Petit igitur Illuſtriſſimus Princeps, ut talia decreta non habeantur pro concluſis & ratis, ſed tantùm pro diſcernendis & judicandis, donec idonei judices & arbitri ex utriuſque partis conſenſu eligantur, & ab his legitima juxta ſententiam Sacræ Scripturæ & conſenſum, veræ Eccleſiæ cognitio fiat. Cum igitur Illuſtriſſimus Princeps etiam in hoc præcipuè incumbat ut vera & pia concordia in Eccleſiâ conſtituatur, non dubitat æquum eſſe & his jam commemoratis gravaminibus levetur & exoneretur, ac viciſſim recipit ſe ope & auxilio divinæ clementiæ nullum officium Chriſtiano & pio Principe dignum intermiſſurum, quo ſperat ſe Deo Patri Domini noſtri Jeſu Chriſti fidem & obſequium ſuum probare, & incolumitatem, & tranquillitatem veræ Sanctæ Apoſtolicæ & Catholicæ Eccleſiæ poſſe juvare.

Oratio Legatorum Wirtembergenſium & Argentorinenſium.

ILluſtriſſimi, Generoſi & Rdi. Domini. Cum Illuſtriſſimi Principis noſtri Ducis Wirtembergenſis nomine ampliſſimis Dominationibus veſtris, à ſuperioribus Legatis gravamina quædam plena æquitatis, & rationi conſentanea oblata atque à nobis repetita ſint quibus etiam Reſpublica Argentorinenſis intereà ſe conjunxit, neque tamen tolerabilem eorum reſolutionem à dignitatibus veſtris obtinere hactenùs potuerimus: ut tamen nihilominùs videri poſſit quantoperè ſuprà dictus Princeps, atque Reſpublica ſtudioſi ſunt atque cupidi publicæ pacis & concordiæ, deinde nec cauſæ tractatio longiùs extrahatur, Theologos noſtros ad ſuſcipiendum negotium, cujus causâ miſſi ſunt admittimus & exhibemus. Cum hac tamen ſolemni proteſtatione, quam omni meliori modo ac formâ hìc facimus, ut hac ipſâ admiſſione & Theologorum exhibitione, ea omnia quæ Principi noſtro & ſuprà dictæ Reipublicæ & univerſæ cauſæ, & memoratis Theologis & nobis de jure communi aut conſuetudine, aut etiam ex decretis Auguſtani Conventûs competunt, integra nobis & inviolata ac inprimis reſervata eſſe velimus. Actum Tridenti die 22. Martii anno 1552.

Illuſtriſſimi

Illustrissimi ac observandissimi Domini Cæsareæ Majestatis Oratores dignissimi. Cùm multi optimi Viri vestram insignem humanitatem & egregiam in administrando Ecclesiastico negotio, cujus gratiâ hæc Tridentina Synodus congregata est, prudentiam & æquitatem magnâ laude nobis prædicaverint, speramus forè ut Celsitudo vestra, non solùm ea quæ his supplicibus litteris petimus, boni consulat, verùm etiam pro singulari suo ergà veram Ecclesiam filii Dei studio, nostrum institutum approbet, ac pro virili adjuvet. Postquàm enim spes nobis facta est, ut die 19. Martii publica de articulis in religione nostrâ controversis, tractatio coràm R. P. in Synodo susciperetur, ac nos mandato Illustrissimi Principis nostri Domini Christophori Ducis Wirtembergensis, & inclitæ Reipublicæ Argentorinensis huc Tridentum, ad ea quæ in confessione piæ doctrinæ, anteà Synodo exhibitâ, minùs probata viderentur, explicanda & confirmanda obligati essemus, summam operam dedimus, ut definito die 19. Martii, Tridentum divinâ clementiâ perveniremus. Sed ut ipsi comperimus, quòd non solùm præfato die nihil de controversis articulis Religionis agi cœptum sit, verùm etiam universum hoc negotium in longum tempus rejici videatur, & si autem fieri potest ut multa & varia negotia incidant, quæ fortassè publicis tractationibus aliquid remoræ afferunt, tamen postquàm in animo nostro reputamus, hanc Synodum idcircò institutam, ut legitima & Christiana fiat expositio piæ doctrinæ de Religione, ac viris amantibus veritatem & studiosis veræ tranquillitatis Ecclesiæ, nihil priùs esse debere, quàm primà quàque occasione, in hoc studium incumbere, ut regnum Filii Dei promoveat & æternæ saluti Ecclesiæ consulatur, speramus Celsitudinem vestram nihil curæ ac studii intermissuram quò sinè omni tergiversatione, ea negotia, quorum causâ huc missi sumus, tractanda suscipiantur. Neque enim ullum est officium, aut sacrum, quod Filius Dei majori favore prosequitur, quàm si viri in hoc mundo dignitate & nobilitate insignes, omne studium suum ad illustrandam gloriam Dei, ad juvandam veram Ecclesiam ejus, his temporibus afflictissimam conferant, at res ipsa quoque postulare videtur, ut importunè fortassè, nostræ autem professioni necessariò hanc causam urgeamus. Nam in decretis quæ hactenùs in hac Synodo edita sunt, non ferè legimus nisi dira doctrinæ nostræ Anathema. Et non nulli ex nobis audiverunt his diebus, monachum quemdam publicè in lectionibus suis, quas in Apostolum Paulum profitetur, non solùm absurda de salute impiarum gentium, adversùs omnium ferè veterum piorum authorum sententiam, verùm etiam manifestas calumnias adversùs piam doctrinam nostrarum Ecclesiarum evomentem. Etsi autem quidam affirmant hunc monachum non esse authoritate Concilii institutum, tamen videmus eum non mediocri frequentiâ & assecutione audiri. Etsi non alia causa est, cur ad hunc Conventum profectio nobis suscipienda fuerit, quàm ut simus hominibus spectaculo, & non audiamus nisi convitia, calumnias & doctrinæ nostræ depravationem, & damnationem, potuissemus de iis domi, vel per litteras, vel publicis scriptis certiores fieri. Quare illustrissimi ac observantissimi Domini, oramus & obsecramus vestram Celsitudinem obedientissimè, ut dignetur propter Filium Dei unicum Salvatorem nostrum apud Reverendissimos Patres hujus Tridentini Concilii efficere, quò tandem nobis significetur quid in eâ confessione, cujus suprà mentionem fecimus, desiderent, ac vicissim nostrum responsum publicè audiant. Quo beneficio Celsitudo vestra non solùm nos sibi devotissimos reddet, verùm etiam præstabit

Filio Dei, hoc præsertim tempore quo maximè omnium præcipuis sacris opera dari solet, cultum gratissimum. Postremò precamur, ut Celsitudo vestra hanc petitionem nostram clementer interpretetur, & nos commendatos habeat.

Vestræ Celsitudinis studiosissimi & observandissimi Wirtembergenses & Argentorinenses Theologi.

Nomina, cognomina, dies promotionis, ac Patriæ hodiè Tridenti in Concilio existentium Prælatorum anno Domini 1552. quintâ Martii.

Reverendissimus & Illustrissimus D. Marcellus, Tituli Sancti Marcelli, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Præsbiter Cardinalis Crescentius nuncupatus, Sacri Tridentini Concilii Legatus ac primus Præsidens. Romanus.

Rmus. D. Sebastianus Pighinus, Archiepiscopus Sipontinus, secundus Præsidens.

Rmus. D. Aloysius Hyppomanus, Episcopus Veronensis, tertius Præsidens.

Cardinales.

Rmus. & Illustr. D. Christophorus Madrucius, Tituli Sti. Cæsarii in Palatio, S. R. E. Præsbiter Cardinalis ac Episcopus & Princeps Tridentin. Administrator Brixiensis.

Sacri Imperii Electores.

Rmus. & Illustr. D. Sebastianus Hensensthain, Archiepiscopus Moguntinus.

Rmus. & Illustr. D. Joannes ab Isenbergh, Archiepiscopus Trevirensis, qui relicto Concilio ad suos reversus est 6. Februarii.

Rmus. & Illustr. D. Adolphus ex Comitibus, Archiepiscopus Coloniensis.

Oratores D. Caroli V. Cæs. semper Augusti.

Illustr. D. Hugo, Comes à Montfort & Rothefels.

Illustr. D. Franciscus à Toleto.

Illustr. D. Guillelmus à Pictavia, Archidiaconus Campiniæ.

Oratores Romanorum ac Bohemiæ Regis.

Rdus. D. Paulus à Gregorianis, Episcopus Sugabriensis.

Rdus. D. Fredericus Nansea, qui obiit 6. Februarii 1552. dum vixit Episcopus Viennensis.

R. D. Archiepiscopi.

Salvator Alypus, Archiepiscopus Turritanus & Sassarensis. Promotus 29. Januarii 1524.

Ludovicus Chiregatus, Archiepiscopus Antibarensis.	25. Augusti	1528.
Petrus de Alagon, Archiepiscopus Arborensis.		1537.
Olaüs Magnus, Archiepiscopus Upsalensis.		
Petrus Tagliavia de Aragoniâ, Archiepiscopus Panormitanus.		1544.
Petrus Guerrero, Archiepiscopus Granatensis.	15. Octobris	1545.
Balthazar de Heredia, Archiepiscopus Calarritanus.		1548.

R. D. Episcopi.

Thomas Campegius, Episcopus Feltrensis.	1. Junii	1520.
Guttierrus de Carnasal, Episcopus Placentinus.		1524.
Gaspar Joffredus, Episcopus Segobricensis.		1530.

Coriolanus Marticanus, Episcopus Sancti Marci.		1532.
Joannes Baptista Campegnus, Episcopus Majoricensis.		1532.
Hieronimus Moitig, Episcopus Chiennensis.		1536.
Nicolaus Maria Caracidus, Episcopus Cathinensis.	7. Jan.	1537.
Bernardus Bonjoannes, Episcopus Convernensis.	5. Febr.	1537.
Antonius de Laquila, Episcopus Zamorensis.	16. Apr.	1537.
Joannes Fonseca, Episcopus Castellinaris.	14. Juniii	1537.
Stephanus de Almerda, Episcopus Carthaginensis.	1. Junii	1539.
Joannes Salazar, Episcopus Lancianensis.	ultimâ Aprilis	1540.
Petrus Vagnier, Episcopus Algarensis.	4. Junii	1540.
Balthasar Vathman, Episcopus Missiensis, qui ad suos reversus est.	20. Aug.	1540.
Julius Plonch, Episcopus Nembergensis.	Jan.	1541.
Hieronimus de Bononia, Episcopus Siracusanus.	29. Apr.	1541.
Richardus Palus, Episcopus Wormiensis.	8. Jul.	1541.
Erasmus à Limpurg, Episcopus Argentinensis.	11. Aug.	1541.
Franciscus de Benavides, Episcopus Mnidoniensis.	Octo.	1541.
Cornelius de Muscis, Episcopus Bitonensis.		1541.
Jacobus Jacomellus, Episcopus Bellicastrensis.	Jan.	1542.
Franciscus Manrique, Episcopus Auriensis.	Ap.	1542.
Alvares de Quadra, Episcopus Vemisin.	22. Jan.	1542.
Franciscus de Navarra, Episcopus Pacensis.	22. Junii	1542.
Joannes Thobinus, Episcopus Constantinensis.	27. Junii	1542.
Ferdinandus Loazes, Episcopus Illerdensis.	24. Aug.	1542.
Petrus de Augustinis, Episcopus Oscensis.	6. Aug.	1542.
Jacobus Naclautus, Episcopus Clodiensis.		1544.
Gregorius Flaez, Episcopus Solonensis.	15. Julii	1544.
Joannes Bernardus Diaz, Episcopus Calagurritanus.	17. Apr.	1545.
Michael Puccius, Episcopus Elinensis.	Junii	1545.
Gregorius Siricher, Episcopus Danaliensis Suffrag. Spuens.	7. Junii	1545.
Michael à Turre, Episcopus Genatensis.	Feb.	1547.
Octavianus Preconius, Episcopus Monopolitanus.	15. Apr.	1546.
Joannes Fernandi Theuma, Episcopus Legionensis.	14. Jul.	1546.
Christophorus Ruscius, Episcopus Onetensis.	8. Octo.	1546.
Joannes Emilianus, Episcopus Tudensis.	1. Junii	1547.
Joannes de Mello Episcopus Sylvensis.	2. Martii	1545.
Antonius Codma, Episcopus Lacorensis.	7. Maji	1546.
Martinus Ayala, Episcopus Guadicensis.	16. Maji	1548.
Petrus de Slimiga, Episcopus Astoriensis.	4. Junii	1548.
Nicolaus Pseaume, Episcopus Virdunensis.	8. Junii	1548.
Christophorus Metzler, Episcopus Constantiensis.	2. Jul.	1548.
Thomas de Platanis, Episcopus Curiensis.		
Franciscus Salazar, Episcopus Salaminensis.	16. Decem.	1548.
Vincentius de Leone, Episcopus Bossanensis.	16. Decem.	1548.
Angelus Bragadinus, Episcopus Vincentinus.	17. Maji	1550.
Ægidius Foscararius, Episcopus Mutinensis.	13. Maji	1550.
Gerardus de Rambaldis, Episcopus Civitatensis.	30. Maji	1550.
Gaspar, Episcopus Segobriensis.	25. Junii	1550.
Petrus Pons, Episcopus Civitatensis.	25. Junii	1550.
Alvarus Moschosius, Episcopus Pampilonensis.	25. Junii	1550.

Joannes Kridz, Episcopus Achonensis Suffrag. Monasteriensis. 8. Sept. 1550.
Achilles de Grassis, Episcopus Montis Flasconensis. 1551.

Abbates.

Gerardus de Zumericourt, Abbas Sti. Bertini Morinensis Diœcesis.
Marcus de Brixia, Abbas Sancti Vitalis de Ravenna.
Eusebius de Parma, Abbas Stæ. Mariæ Gratiarum Placentinensis Diœcesis.

R. Patres Generales.

Christophorus Patavinus, Generalis Sti. Augustini.
Franciscus Romeus Castiglionensis, Generalis Ordinis Prædicatorum.
Julius Mananus, Placentinus Vicarius Generalis Ordinis Minorum Conventualium.

DIe Jovis 28. Aprilis 1552. celebrata fuit postrema Sessio in æde Divi Vigilii, in quâ post Missæ celebrationem, R. D. Pighinus Præses, absente D. Legato ob morbi gravitatem quo intereà laboravit, inchoavit solemnia Sessionis, assistente illi D. Veronensi præsidente. Deindè decretum suspensionis Concilii lectum fuit à D. Senedensi ex Ambone, quod quidem placuit ferè omnibus, præterquàm Archiepiscopo Turritano qui maxime contradixit, prout in cedulâ infrà scriptâ, aliisque Episcopis Castellimaris, Laucianensi, Pacensi, Calagurritano, Elmensi, Gadicensi, Astoricensi, Tudensi, Pampilonensi, Civitatensi & Segobriensi.

Copia decreti suspensionis Concilii in Sessione ultimâ Tridenti publicati, per Reverendum Dominum Senedensem.

SAcro-Sancta œcumenica & Generalis Synodus Tridentina in Spiritu Sancto legitimè congregata, Præsidentibus in eâ Rmis. D. Sebastiano, Archiepiscopo Sipontino & Aloysio, Episcopo Veronensi, Nunciis Apostolicis, tam eorum proprio, quàm Rmi. D. Marcelli, Tit. Sti. Marcelli, S. R. E. Cardinalis Crescentii Legati nomine, ob adversam ejus gravissimam valetudinem absentis, non dubitat Christianis omnibus patere, hoc Concilium œcumenicum Tridentinum primò à Paulo fœl. record. convocatum & collectum fuisse, deindè à Smo. D. N. Julio III. efflagitante Carolo V. Augustissimo Imperatore, eâ præcipuè de causâ fuisse restitutum, ut Religionem in multis orbis partibus, & præsertim in Germaniâ, in diversas opiniones miserabiliter distractam, in statum pristinum revocaret, abusus & mores Christianorum corruptissimos emendaret. Cumque ad hoc agendum quam plurimi Patres nullâ laborum suorum periculorumque habitâ ratione, è diversis regionibus alacriter confluxissent, resque strenuè magno fidelium concursu fœliciterque procederet, ac spes esset non levis, illos Germanos qui eas novitates excitarunt, in Concilium venturos, sic animatos ut veris Ecclesiæ rationibus unanimiter acquiescerent, lux denique quædam rebus affulsisse videretur, caputque attollere inciperet, profligata anteà & afflicta Respublica Christiana hi repente tumultus, ea bella hostis generis humani versutiâ exarserunt, ut Concilium velut hærere ac suum cursum interrumpere satis incommodè cogeretur, spesque omnis ulterioris progressûs hoc in tempore tolleretur, tantumque aberat ut Sancta Synodus Christianorum malis & incommodis mederetur, ut multorum mentes præter animi

sui

sui sententiam irritaret potiùs quàm placaret. Cum igitur ipsa Sancta Synodus omnia, & præcipuè Germaniam armis ardere, & discordiis videret, omnes ferè Episcopos Germanos, præsertim Principes Electores suis consultum Ecclesiis è concilio abiisse, decrevit tantæ necessitati non reluctari, & ad meliora tempora reticere, ut Patres quòd eis nunc agere non licet, suis ovibus prospectum, ad suas Ecclesias regredi valerent, ne diutiùs utrobique inutili otio conterantur, atque ita quoniam sic temporum conditio tulit, hujus œcumenici Concilii Tridentini progressum per biennium suspendendum forè decrevit, prout præsenti decreto suspendit, eâ tamen lege, ut si citiùs pacata res sit, ac tranquillitas pristina restituatur, quod sperat Dei Opt. maximi beneficio non longo forsan spatio futurum, ipsius Concilii progressus, eodemmet tempore suam vim, firmitatem, vigoremque habere censeatur. Sin autem, quod Deus avertat, peracto biennio prædicta legitima impedimenta non fuerint submota, quam primùm cessaverint, talis suspensio eo ipso sublata esse intelligatur, ac suus vigor & robur Concilio sit restitutum, & esse intelligatur, sine aliâ novâ Concilii convocatione: accedente ad hoc decretum, consensu & authoritate Sanctitatis suæ & Stæ. Sedis Apostolicæ. Intereà tamen eadem Sancta Synodus exhortatur omnes Principes Christianos & omnes Prælatos, ut observent, & respectivè quatenus ad eos spectat, observare faciant in suis regnis, dominiis & Ecclesiis omnia & singula quæ per hoc Sacrum œcumenicum Concilium fuerunt hactenùs statuta & decreta.

Reverendissimi & Illustrissimi Domini Reverendique Patres, placent ne hæc omnia vobis? omnibus placuit exceptis supramemoratis. Laus Deo.

Scedula exhibita à Reverendo Domino Turritano in Sessione habitâ 28. *Aprilis* 1552.

CUm hoc Sacrum œcumenicum Concilium antè tot annos à toto orbe Cristiano desideratum, tantis laboribus procuratum tandem Tridenti ad extirpandas hæreses, tollenda schismata, reformandos mores, pacemque inter Principes Christianos componendam, fuerit convocatum, neque post ejus convocationem fuerit adhuc satisfactum, nedum omnibus, sed nec planè alicui ex causis, propter quas convocatum est, præsertim reformationi necessariæ abusuum, undè mala omnia quibus vexatur Ecclesia, exorta esse, apertum est. Nos infrà scripti Archiepiscopi & Episcopi nostrarum conscientiarum testimonio compulsi, huic decreto suspensionis Concilii, cum omnibus in eo contentis circumstantiis & conditionibus, tàm quoad substantiam ejus, quàm quoad formam, contradicere decrevimus, prout de præsenti contradicimus & repugnamus. Tamen quia causæ suspendendi quæ in eo assignantur, bella scilicet, & Germanici tumultûs, quos brevi sedatos iri & componi hoc in ipso decreto sperari dicitur, usque adeò non videntur urgere, ut sit propter eas ità à Concilii prosecutione cessandum, saltem in his quæ ad reformationem attinent, quin imò ad sedandas Pricipum discordias aptissima visa est Concilii convocatio, subindèque prosecutio & continuatio: tùm etiam quia dicta suspensio magis dissolutionis, quàm moderatæ aut necessariæ supersessionis speciem præ se ferre videtur, neque enim etsi cæteræ difficultates decrint quas timerè nos docuit experientia, tam celebris Prælatorum conventus, ex tam diversis remotisqué Provinciis haberi facilè poterit, nec deerunt

impugnatoribus Catholicæ Ecclesiæ occasiones & rationes ad seminanda alendaque bella & discordias, quibus hujus Concilii, cujus nomen apud eos tam est odiosum, vel assumptionem impediant, quòd nunc eos conari, variisque rationibus tentare videmus: si præsertim viderint conatus hujusmodi prosperè eis cedere, nosque eò adegisse ut ab incœpto opere cessaverimus. Præterea nos deterret ingens scandalum, certaque hæresum propè confirmatio, quam ex tali & tam diuturnâ suspensione nedum ipsis Ecclesiæ adversariis, sed & Catholicorum plerisque orituram esse manifestum est, cum Dominica Castra, publicamque causam deserere nos non aliâ ratione magis quàm persecutionum metu, laborumque impatientiâ, & quod pejus est, causæ ipsius & divini auxilii desperatione opinabuntur: Cùm tamen in hoc loco ab omni bellicâ injuriâ remoto esse nos viderint, ubi aliàs cùm non minùs periculosa bella gererentur, nihilominùs ipsa Synodus fiducialiter in divino hoc opere perseveraret, quod profectò inficiari nec nos possumus. Cùm itàque è manibus nostris repetendæ erunt animæ quæ peritura sunt per substractionem hujus salubris, atque unici remedii, aliisque de causis conscientias nostras moventibus, huic decreto non expressè contradicere non possumus, imò ei contradicimus & quantùm possumus absolutè repugnamus. Ne tamen non omni Concilio consentiendi rationem quærere videamur, neve abhorrere credamur à suavi rerum dispositione, cùm & nos difficultatis temporum, recessusque Prælatorum Germanicæ nationis ferè omnium, rationem aliquam habendam esse nos improbemus, petimus ut hæc Sancta Synodus sequendo viam quam hactenùs tenuit atque servavit; Sessionem ad proximas Cal. Majas indictam, ad moderatum aliquem terminum proroget, diemque declaret qui ipse ità pro hodie interpellet, ut alia convocatio, declaratio, aut intimatio minimè sit spectanda quominùs ad hunc locum Concilii omnes Prælati convenire & possint & teneantur, addentes nihilominùs quòd si infrà dictum declarandum terminum prædicta impedimenta cessaverint, curet Sanctitas sua Prælatos omnes ad prosecutionem Concilii revocare quos interim ad proprias Ecclesias remeare (si libeat) licebit. Ultima verò decreti verba quibus continetur decretorum hujus Sanctæ Synodi observatio, placerent utique, si absque his verbis, ***quatenùs ad eos de jure spectat***, publicetur, quæ litium occasio esse videntur, & seminarium, quæ quidem omnia ita & non aliter fieri petimus protestamurque si secùs fiat nullum nobis, nec Sanctæ Synodo præjudicium fieri quovis tempore, tam propter hujus decreti suspensionis publicationem, quàm ob quemcumque alium actum, factum, vel faciendum, attentatum, vel attentandum, per quascumque personas contra hujus œcumenici Concilii authoritatem & potestatem, Conciliorumque œcumenicorum omnium. Petimus insuper à Synodi hujus Notario, ut hanc nostram scedulam contradictionis, attestationis, ac protestationis inter acta Synodi unà cum decreto hoc inserat, indèque ipse, vel alii nobis, unum, vel plura authentica instrumenta exhibeant. Ita subscriptum.

S. Archiepiscopus Turritanus.
J. Episcopus Castellimaris.
Alvarus, Episcopus Venusinus.
Jo. Episcopus Tudensis.
P. Episcopus Astoricensis.
Petrus, Episcopus Civitatensis.
Jo. Episcopus Laucianensis.
Franc. Episcopus Pacensis.
M. Episcopus Elnensis.
M. Episcopus Guadicensis.
Alvarus, Episcopus Pampilon.

Sessione finitâ, liberum fuit cuique ad propria redire.

SECUNDA PARS
ACTORUM
ET
DECRETORUM
CONCILII
TRIDENTINI

Ab Anno MDLXII. usque ad Concilii finem,

CONTINENS

MEDULLAM

VOTORUM ET SENTENTIARUM PATRUM CONCILII TRIDENTINI, SUPER PRÆCIPUIS MATERIIS PROPOSITIS IN CONGREGATIONIBUS, AB ADVENTU EMINENTISSIMI CARDINALIS LOTHARINGICI CUM EPISCOPIS GALLIS,

A

AD CONSESSUS SOLUTIONEM.

EX DIARIO MANUSCRIPTO ILLUSTRISSIMI ET DOCTISSIMI DOMINI

NICOLAI PSALMÆI,

EPISCOPI ET COMITIS VIRDUNENSIS.

ADDUNTUR

ELUCIDATIONES NON-NULLORUM LOCORUM EJUSDEM CONCILII A SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIBUS, INTERPRETIBUS, DEPUTATIS, PRÆLATIS, ET ALIIS CONCESSÆ.



Die Veneris decimâ tertiâ mensis Novembris anni millesimi quingentesimi sexagesimi secundi, appulit Tridentum Cardinalis Lotharingus cum comitatu, cui obviam occurrerunt multi Episcoporum, Oratorum, & Legatorum Pontificis, honoris gratiâ, cum Tridentino Cardinali.

Die Lunæ decimâ sextâ ejusdem mensis Novembris Congregatio facta est in æde Sanctæ Mariæ, in quâ dederunt vota super doctrinâ & canonibus Sacri Ordinis, in medium propositis, duo Hispani, & tres Itali Episcopi.

Die Martis decimâ septimâ, horâ vigesimâ primâ, primus votum dedit Urbanus de Rüere, Januensis, Episcopus Senogaliensis, (*a*) qui multum moratus est in allegatione Scholasticorum, ad probationem actûs septimi, in quo agitur an Episcopi sint jure divino instituti, presbyteris superiores & eodem jure, Romano Pontifici subjecti.

Dionysius Græcus, Ordinis Minorum Sancti Francisci de observantiâ, Episcopus (*b*) Milopotamensis, alterius Episcopi, qui priùs dixerat, subscripsit sententiæ.

Petrus Danesius, Gallus, Episcopus Vaurensis oravit, ut Synodus provideret, quatenùs Patres simpliciter sententias dicerent clarè & dilucidè. Tandem suasit, ut Synodus magis ageret ea quæ reformationem spectabant in hac tantâ calamitate, ne essent aliis ludibrio.

Joannes De Munnatones, Hispanus, Ordinis Sancti Augustini, Segobricensis in Celtiberiâ Episcopus, eodem tendebat, ne illud contingeret, væ mihi quia tacui, & quoniam tacui inveteraverunt ossa mea, dum clamarem totâ die, sed quia (dixit) audio maximam inter Patres natam de hoc septimo Articulo discordiam, an Episcopi sint de jure divino instituti, presbyteris superiores, & eodem jure Pontifici Romano subjecti, in quâ terimus tempus, cum aliò nos avocet in præsens cunctæ Ecclesiæ discrimen, quod citiùs excitabit incendium, quod nos tempestivè restinguere possemus, ut jam adversarii clament, Ecclesiam Catholicam, insaniâ nostrâ & Christianum orbem in summum discrimen adduci, nisi Deus Pater misericordiarum, misereatur Ecclesiæ suæ, faciatque nos tandem idem sentire & loqui in Domino. Itaque satiùs fuerit circa reformationem attendere, cum etiam Catholici liberè fateantur, varios esse in Ecclesiâ abusus, mores Cleri turpes, & opus esse magnâ reformatione.

Multis nominibus laudata Confessio Polonica, authore Osio, *fides nostra*. „ Me, adjuvante Deo, neque minis paratæ cædis, neque objecto exem-„ plo tyranni, quisquam avertet à veritate Catholicæ fidei, quam confiteor „ adeò integrè, ut si venulam in corpore meo ullam communem cum se-„ ctariis esse scirem, eam secarem, avelleremque, tantùm abest ut hæreses „ possim probare Lutheri; precor autem Deum, ut me vasculum aliquod „ esse velit misericordiæ suæ, ac si res ita postulet, minimè dubitem martyr

Oooo

(*a*) In Ducatu Urbini.
(*b*) Castrum Insulæ Candiæ, vulgò *Milopotainé*.

„ pro veritate veri Evangelii, contra falsum fictumque Evangelium Lutheri, „ honestam mortem constanter oppetere.

„ Inter hæreticos & Catholicos in hoc convenit, quòd lapsa sit Ecclesiastica disciplina, in eo verò discrepatur, quòd hæretici hierarchiam omnem, & sacerdotalem ordinem cupiant evertere; Catholici autem unitatem comprobantes deformatam Ecclesiam verè deplorent, & ut ea reformetur votis omnibus orandum est. Quod nisi fiat, video (quod Deus avertat) Ecclesiæ maximum impendere periculum. Volo malè oppinari, sed vereor ne hic cancer, in dies latiùs serpat, cui tollendo, nec ferrum, nec flamma satisfuerit. Longe satiùs esset Pontifici Romano, à Christo traditam, & Conciliis confirmatam potestatem ita prædicare, & plenariam illam potestatem, de quâ in septimo canone, & intereà admoneat eum, non ad Ecclesiæ ruinam, sed ædificationem esse concedendam.

„ Potestas Ordinis non est humana, nec civilis, sed omnem nostram virtutem excedens.

„ *Ex libro explicationis articulorum per Universitatem Lovaniensem.* Apostolus Paulus, *ad majores natu Ecclesiæ Ephesinæ*, attendite, inquit, universo gregi, & in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, & Christus ipse est, qui dedit quosdam Pastores, Doctores, & Sacerdotes.

„ Electio Episcoporum, & Pastorum, atque Diaconorum, aliquandò facta est in Ecclesiâ, suffragio plebis: Beatus Cyprianus, divinâ traditione & Apostolicâ observatione sic esse observandum docet, Ex divinâ (ait) descendit auctoritate, quòd Sacerdos plebe præsente, sub omnium oculis deligitur, & dignus atque idoneus publico judicio atque testimonio combrobetur. Aliquandò à solo Clero constituitur, tamen ordinatus & consecratus semper fuit apud solum Episcopum. Beatus Leo *in distinct.* 63. vota civium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio Clericorum, in ordinatione Sacerdotum constituatur.

„ De hac diversitate constitutionis Episcoporum & Pastorum Ecclesiæ (ait) Gerson, Cancellarius Parisiensis, *de potestate Ecclesiæ consid* 12. Prælati Ecclesiæ, majores & minores, quandoque sunt instituti à toto populo & Clero, quandoque à Clero tantùm, quandoque à solis Canonicis cathedralis Ecclesiæ, novissimè crebriùs per Romanum Pontificem, ideò namque variatum est, quia nihil de hoc Christus constituit.

Die decimâ octavâ Novembris Franciscus Blanco, Hispanus, Episcopus Auriensis, dixit super septimo Canone, confirmans multis auctoritatibus ex Basilio, Gregorio Magno, Cypriano & aliis, Episcopatum esse jure divino à Christo institutum, non quoad potestatem modò, sed etiam jurisdictionem, ac procedere à Christo tanquàm fonte, & principali causâ, & ab eo per Papam, tanquàm per ministrum & instrumentum. Eodemque jure presbyteris esse superiores, ità quoque anteà Granatensis & Segobiensis senserant, & mordicùs probaverant, Episcopatum juris esse divini, contra mentem quorumdam Italorum, qui juris esse positivi asseveraverant, tribuentes totam potestatem Papæ.

Donatus de Laurentiis de Asculo Apuliæ, Episcopus Minorensis (*a*), dixit instar sacrilegii esse disputare de auctoritate Pontificis Romani, sine expresso ejus mandato & legatorum, & probavit verba illa (tibi dabo claves Regni

(*a*) *Minori* Civitas Episcopalis in Regno Neapolis.

Cœlorum) non solùm Petro dicta, sed & Apostolis, ex Cypriano & aliis. Et C. *firmiter de summâ Trinitate*, sunt qui Canonem septimum subticeri malunt, ex quo tot dissidia inter Patres nata sunt, & quæ totam Patrum Congregationem perturbaverunt.

Georgius Drascovicius, Orator Regis Hungariæ, Quinque Ecclesiensis Episcopus, dixit sibi displicere, quòd tantoperè defenderetur auctoritas Episcopalis, cùm ferè Patres non laborarent de confirmando primatu Petri, quem eversum cupiebant hæretici, dixitque Episcopos à Deo institutos, sed per hominem, Papam scilicet; allegavit Hieronymum ad Cap. I. ad Galat. Ubi Apostolus dicit missum non ab homine, neque per hominem, sed per Jesum: Hic Hieronymum tria Apostolorum genera assignare, quosdam à Deo tantùm, ut Paulus, alios à Deo, sed per hominem, sic Josue per Moysen, sic Eliseus per Eliam, alios ab hominibus & favore humano, alios à seipsis, ut hæretici.

Die Dominicâ, vigesimâ secundâ ejusdem mensis Novembris, est celebrata Missa submissâ voce, in æde majori, præsentibus Legatis, Oratoribus, Episcopis & Theologis, deindè habita est Oratio per Dominum Franciscbinum de Ferraria, de signis adventûs Domini, & de abominatione desolationis, admonens Patres, ne quis vos seducat, neque turbemini de mysterio iniquitatum nostrarum, sed vindictæ divinæ & judicii, nisi pœnitentiam agamus, proponens exempla diluvii, & destructionis Sodomæ, & devastationis Hierosolymæ, captivitatis Ægyptiacæ, & quid actum sit de Ecclesiâ Orientali, timendum de Occidentali, nisi seriò reformemus nos ipsos, & quod prædicatum est Evangelium Regni in universo mundo, undè sequetur consummatio sæculi, videtis hæc omnia (inquit) & structuram templi, amen dico vobis, non relinquetur lapis supra lapidem, qui non destruatur. Quâ concione finitâ secutæ sunt preces in hunc modum.

Capella Legatorum prostrata antè Altare incœpit antiphonam cum musicâ, deindè Litaniam more Italico, & dicto *Sancta Maria ora pro nobis*, surrexerunt omnes, & facta est processio extrà ædem, & in reditu quisque rediit in locum suum, & finitâ Litaniâ, unus ex Episcopis stans coram altari, dixit preces cum versiculis & orationibus aliquot pro tranquillitate Ecclesiæ & progressu Concilii, & dicto *Benedicamus* quisque recessit in domum suam.

Die Lunæ vigesimâ tertiâ Novembris, horâ vigesimâ, facta est Congregatio in loco solito, ut in æde Divæ Mariæ, non procul à residentiis Dominorum Legatorum, ubi primùm Oratores Galli exhibuerunt Legato, & Patribus litteras Regias, in Idioma latinum traductas, hujus qui sequitur tenoris.

Carolus Dei gratiâ Francorum Rex, Sanctissimis & Reverendissimis Patribus in Sacro-Sancto Tridentino Concilio congregatis salutem.

Etsi ea fuit Dei Optimi Maximi voluntas, ut jam indè ab ineunte ætate nos ad tanti hujus Regni Imperium vocarit, ejusque altæ & infinitæ judiciorum providentiæ placuit, nobis committere hujus principatûs initia, adeò tumultuum & civilium bellorum plena, ut nulla illius vel minima provincia inveniri possit, quæ hisce calamitatibus careat; Oculos tamen pueritiæ nostræ, hæc ipsa divina bonitas ita aperuit, ut tantorum malorum causam facilè judicaverimus, non aliundè quam ex variâ & multiplici de Religione opinione, quâ populus noster imbutus est, processisse. Cognovimus etiam hujus gravissimi morbi remedium, non ab hominum prudentiâ esse petendum, sed à Deo vivo, & inexhausto misericordiarum fonte, qui requirentibus eum ex animo, suique nominis tantum gloriam & honorem spectantibus, nunquàm

defatigatur beneficia & gratias conferre. Itaque eodem Spiritu ducti cum primùm Regiâ coronâ sumus insigniti, nihil nobis magis fuit in votis, quàm cum majorum nostrorum exemplo, ad Sacros Conventûs, velut ad ejus ægritudinis unicum & præsens medicamentum confugere, tum in bonæ memoriæ Francisci Regis Domini & Fratris nostri Amantissimi vestigiis permanere, & quanto potuimus studio & diligentiâ hanc ipsam, in quam nunc ex variis orbis terrarum partibus convenistis celeberrimam Synodum expetere. Ac illud quidem gravissimè tulimus, nos qui hujus instituti adeò pii & optati auctores fuimus, non tamen efficere potuisse, ut Prælati nostri in hoc generale Concilium primi convenirent. Sed hujusmodi dilationis causam, & alii omnes, & vos ipsi necessariam judicastis: Cumque amantissimum & dilectissimum Consobrinum nostrum Cardinalem Lotharingum, Archiepiscopum, Ducem Remensem, primum Franciæ Parem, inque illius comitatu aliquor Regni nostri Episcopos, & Abbates adventare videatis, nihil quidem à nobis cum simulatione, aut exquisitis diffugiis, sed omnia seriò, piaque & sanctâ voluntate gesta esse facilè existimabitis. Causa autem, Sanctissimi Patres, propter quam Consobrinum nostrum ad vos misimus, duplex est, altera quod ille muneris sui non oblitus, quique optimè novit quid Ecclesiastica professio horumque temporum calamitas ab eo, suique ordinis hominibus requirat, sæpiùs & vehementer istuc eundi facultatem à nobis petiit & optavit: Altera quod ille à teneris annis ad secretiora nostra consilia evocatus, & in Regni nostri gravissimorum negotiorum administratione educatus, optimè novit fontes, & origines tumultuum nostrorum, & quibus rebus egeamus ut sedari possint, eique in mandatis dedimus ea apud vos exponere, & quæ à prudentiâ vestrâ & amore paterno remedia jure expectari possunt, non solùm propter Regni nostri tranquillitatem, sed etiam totius Reipublicæ Christianæ salutem à vobis impetrare. Cum enim præ oculis, quod est veri & puri Dei cultûs semel habuerimus, poterimus tandem ad laudatam illam & adeò expetitam rerum emendationem, quæ temporum injuriâ & hominum malitiâ funditùs perierat pervenire, ac in honorem & exaltationem Dei nominis, unitatemque Ecclesiæ, antiqua illa Catholicæ Ecclesiæ Majestas & integritas splendebit, quam rem velut munere vestro dignam universus orbis jure suo à vobis expetit & exquirit, eamque si feceritis, accedet vobis incredibilis remuneratio à manu illius liberali, qui se harum rerum liberalissimum remuneratorem profitetur. Reges item, & Respublicæ, Principesque omnes, vobis se meritò devinctos existimabunt, vestramque pietatem magnâ cum vestrâ laude posteritati commendabunt. Et quoniam eo est ingenio Consobrinus noster, ut ea planè noverit quæ nos speciatim scire cupimus, obsecramus vos, Patres Sanctissimi, illum ut æquo & lubenti animo audiatis, eamque illi fidem, quam nobis si istic essemus, adhibeatis. Petentes intereà à Deo optimo maximo, ut vos suo præsidio, nobis, totique orbi Christiano, diutiùs conservare dignetur.

Datum Rouville die septimâ Octobris MDLXII.

Literis quæ suprà per Secretarium Concilii lectis, Cardinalis Lotharingus habuit orationem exponens animum Regis, ut seriò procedatur ad negotia Synodi, & ut sequitur loqui cœpit.

Illustrissimi

Illustrissimi D. D. Reverendissimi Episcopi, Christianissimus Rex Carolus, Reginæ matris Christianissimæ, auctoritate, ac præcipuè Regis Navarræ assensu, procerumque omnium conscriptorum consilio, has literas quæ modò perlectæ sunt, decrevit, mihique ad vos perferendas dedit. Quarum præcipua ea capita, quæ majorem ex me explicationem desiderant, pro eâ quæ mihi credita est fide, explicabo, quam brevissimè potero. Hæ ut meministis, statim in initio Regni illius nobilissimi, amplissimi ac florentissimi quondam, summæque ergà Regem fidei & observantiæ, statum & conditionem testantur, dicam uno verbo, non sine incredibili dolore, fuimus Galli, fuit ingens gloria Francorum, hæ rerum omnium, Clarissimi Oratores, sunt vicissitudines. Manus Domini tetigit nos, Viri, Patres & Fratres: hoc nobis justum infrà suum judicium, provocaverunt corrupti omnium ordinum mores, ac Ecclesiastica collapsa disciplina: has turbas excitarunt hæreses non suppressæ, & à Domino Deo nostro instituta remedia, tamdiù neglecta: hinc illæ lachrymæ, ac per totum Regnum dissidia, odia, rapinæ, bella intestina & plus quam civilia: luctus ubique, ubique dolor, & plurima mortis imago, nec sacro-sanctis Dei templis parcitur, presbyteri & Religiosi viri ad aras usque, quas amplexantur morientes, trucidantur. Visibilia Sacramentorum signa pedibus conculcantur; passim erecti apparent rogi ex omni genere Ecclesiasticorum ornamentorum, accensa ex imaginibus dissectis pyra, additis non solùm omnium Ecclesiarum, sed antiquissimarum Bibliothecarum libris: nec quicquam ex chartis publicis & instrumentis, quæ ad dotationem pertinent reservatur. Sanctorum reliquiæ ruptis altaribus in cineres rediguntur, quæ supersunt in profluentem post hæc projectæ; horresco referens nec à Summorum Pontificum, Imperatorum, Regum, Principum, Episcoporum, & sine discrimine passim aliorum omnium sepulchtis abstinetur, eorum maximè qui de Ecclesiâ Dei benè meriti per monumenta reperiuntur. Nomen Domini ubique blasphematur, spiritus mendacii in ore omnium est, qui falsò verbi Dei ministerium usurparunt, atque ita expulsis pastoribus, alienæ ovis, custos, fur & latro in ovile ascendit. Postremò, quod longè omnium est gravissimum, juge & Sacro-Sanctum Sacrificium apud eos ubique cessat. Quod intermissum, quantam ruinam secum adferat, ac quantam Regibus jacturam & meministis, Viri doctissimi, ex Prophetarum Oraculis, & experientiâ jam in magnis Imperiis, florentissimis Regnis, amplissimisque Provinciis didicistis, atque in Galliâ nunc aspicitis. Regis enim Majestas minuitur, Imperia detractantur, non modò vectigalia, sed proventus etiam negantur, jura omnia, & leges silent, quilibet vindictam quam exercet ex privato odio meritur, ad defectionem populus excitatur, & excusso Monarchiæ quod appellant, jugo, anarchia in concionibus publicè proponitur. Hæc omnia apud vos cogitate, Clarissimi Oratores, & quod in Galliâ vobis nunc videre otiosis licet, serâ nimis pœnitentiâ experiemini, si modò suo Gallia ex vicinio vos in ruinam trahat. Sed quid vos, Sanctissimi Episcopi, detineo, aut diutiùs affligo, supersunt tanto huic malo nostro opportuna remedia: habemus enim magnæ spei pupillum Regem, non tam Regni ex legitimâ successione Monarcham, quàm Religionis & virtutum omnium avitarum hæredem, quem pater Henricus & avus Franciscus excitat, & in quo jam Francisci fratris demortui omnis generis virtutum igniculi relucent; nec desunt Catharinæ viduæ Reginæ, & Navarræ Regis optima consilia & infractæ procerum vires: nullis opibus

parcitur, undique auxiliares copiæ comparantur, fitque via vi, sed in nostra viscera, quantumcumque victrix dextera sit, ferrum convertitur: eruuntur opes & fit lamentabile Regnum; jamque nulla ad sedandos tantos tumultus aptior via, nullum præsentius remedium, quam quod ab hac sacrosanctâ universalis Ecclesiæ, legitimè in Spiritu Sancto congregatâ Synodo expectatur. Huc nos majorum exempla trahunt, hoc Dei verbum docet: ac ut speremus ex promissis suis, quæ nunquam fecit irrita, imperat atque ita demum ex hoc loco pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, expectatur, templum enim Dei sanctum est, quod sumus, nos viri fratres, & tamen si divisiones gratiarum sint, omnes tamen nos in uno Spiritu, qui in nomine Domini nostri JEsu Christi congregati sumus, quod & dicere necesse est pro ut Spiritus Sanctus dabit eloqui, quæ omnia ut magis scire potestis, ad benè beatèque decernendum ex divino præscripto sunt omninò necessaria: hæc omnia Christianissimus Rex cum sibi satis persuadeat, nec quicquam alienum à nobis expectet; Duo tamen præcipua sunt ea de quibus vos admonet, pro suâ in hanc Synodum observantiâ, & pro eâ quam sentit ex his de Religione dissidiis, summâ molestiâ. Primum itaque à vobis postulat, ut quantùm fieri poterit, nova dissidia vitemus, novas inquam, & infructuosas quæstiones, relinquamus, ac demum quantùm nobis licebit, nitamur, ut Principes, ac Provinciæ omnes ab armis, religionis ergò abstineant. Ab hoc desiderio excitandorum bellorum prorsus nos alienos oportet: ne qui ex nobis discesserunt, & se ab Ecclesiâ Dei præciderunt, existiment magis hoc Conventu Principes ad arma provocari, & societates & fœdera iniri ad bellum quantumcumque sacrum, quàm de universali omnium animorum in unam fidem reconciliatione decerni. Solliciti antè omnia servare unitatem pacis, si quid in eâ sententiâ peccatum est, parcite quæso, Patres amplissimi, Henricus Pater, author fuit pacis, quæ in Christiano orbe tam feliciter hactenùs servatur, eam quasi testamento paulòpost moriens filio Francisco Regi commendavit, hanc Franciscus frater, si nobis tam citò ereptus non fuisset, magnâ prudentiâ retinere conabatur. Pupillo & viduæ iniquissimas semper turbas & bella intestina Rex & Regina mater valdè pertinuerunt, & pacatos subditorum omnium animos, ne quies publica interturbaretur, summâ prudentiâ, ac ut ætatem & sexum decet, perpetuò exoptarunt. Quod etiam si, ut negari non potest, infœliciter successit, infœliciores belli eventus sunt pertimescendi: ne si omnes in eodem periculo versentur, eadem & tempestate acti, nemo periclitantes adjuvet, & sic unum idemque naufragium faciamus. Summam propterea rationem haberi desiderat eorum qui lapsi sunt, ut & illis quantùm ex Deo poterimus condonemus, quibus & nos amicos esse liceat, sed usque ad aras. Alterum legationis meæ caput est, quod jam à principio Regi meo Christianissimo, cum Serenissimo Imperatore & reliquis Regibus & Principibus viris, quorum hic Oratores viros clarissimos habetis, fuit commune, nempe ut de reformatione, & morum & Ecclesiasticæ disciplinæ omninò decernatur. De hac iterum iterumque admonet, ad eam seriò amplectendam, quâ potest observantiâ hortatur, & per Dominum nostrum Jesum Christum qui judicaturus est vivos & mortuos obtestatur. Si Ecclesiæ auctoritatem integram esse vultis, si ejus dignitatem conservare, si jam inclinatum nobilissimum Galliæ Regnum retineri posse judicatis, nec verò ex vestris commodis nostra incommoda metiri æquum est, si enim universa hæc Italia, si Hispania sedem adhuc & clavum tenet, gratulamur vobis Patres Illustrissimi: nos puppi

excidimus, & vix supremo digito gubernacula retinemus, hic vobis liceat jure vestro causas à nobis tantæ tempestatis exquirere, quem accusabimus Coepiscopi fratres? Quem tanti mali authorem faciemus? Memini quid velitis, nec memoriâ excidit vestrum de eâ re commune omnium judicium. Hoc non sine innato pudore, & magnâ ante-actæ vitæ, pœnitentiâ dicere me oportet, propter nos tempestas hæc orta est, viri Patres, propterea mittite nos in mare, quid addam ampliùs, habetis confitentes reos, in eos ut libet animadvertite. Nunc judicium incipiat à Domo Dei, & mundentur qui ferunt vasa Domini: attendamus nobis & universo gregi, quiescamus perversè agere, & discamus benè agere; Imò potiùs tu misericors & bone Deus per viscera misericordiæ tuæ, attende, placare, & adauge nobis fidem, ut sine timore de manu inimicorum liberati serviamus tibi. Nunc viribus opus est, Patres, nunc pectore firmo. Sed vereor Illustrissimi Domini & Reverendissimi Episcopi, ne nimis importunè agam, non est enim sponte currentibus, addendum calcar, finem igitur faciam, est enim mea expedita à Rege legatio, sed quòd scire vos ampliùs oportebit, hæc omnia Clarissimi Regii Oratores curabunt. Ego verò, & mecum unà qui ex Galliis advenerunt Reverendissimi Episcopi in hac universalis Ecclesiæ Sacro-Sanctâ Synodo, testamur Beatissimo Papæ Domino Pio Pontifici Maximo, post Deum in perpetuum subditos esse velle. Ejus enim nos in terris primatum super omnes Ecclesias agnoscimus, cujus nunquàm Imperia detrectabimus, Ecclesiæ autem Catholicæ, ac Sacræ Generalis Synodi decreta veneramur, vobis Illustrissimi & Reverendissimi Legati fasces submittimus, Sanctissimis Episcopis dextras Societatis offerimus, & Clarissimos Oratores testes sententiarum nostrarum huc adesse vehementer gratulamur. Ut Spiritu Sancto Duce in omnibus per omnia, & semper honorificetur Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi.

Finitâ oratione Legatus à Mantuâ respondit satis breviter Cardinali Lotharingo. Deindè eleganter & disertè nomine totius Concilii Archiepiscopus de Zara.

Illustrissime & Reverendissime Domine, inter cæteras Christianæ Reipublicæ miserias & calamitates, quarum memoriam Sacra Synodus neque deponere, neque sine lachrimis repetere unquàm potest, nulla ejus animum cura, magis anxium & sollicitum semper habuit, quàm seditiones, & bellici tumultus, qui Religionis causâ in florentissimo Galliarum Regno commoti ac concitati dicerentur. Nam cum omni tempore, Regnum illud firmissimum Catholicæ veritatis præsidium & columen jure optimo habitum fuerit, cogebatur Sancta Synodus incredibili dolore affici, cùm intelligeret ejusmodi factam esse rerum commutationem, ut non in unâ aut alterâ, sed in pluribus ejus Provinciis omnia ferè impietas, cædes, vastitas occupasse videretur. Accedebat prætereà ad augendam doloris acerbitatem, quòd nunciabatur, nobilissimos gentis vestræ proceres, quod scilicet alii Orthodoxam fidem labefactatam, & eversam, alii defensam & conservatam maximè cuperent, tantò ardore ad arma concurrisse, quantò olim Christianissimi Reges vestri totius gallici nominis consensu, pro Christianâ Religione propagandâ, ejusque dignitate recuperandâ, difficillima sæpè bella suscepissent & confecissent, verùm anteà cùm hæc mala Sancta Synodus multorum famâ & auditione accepisset, graviter sanè dolebat, & præsentem inclyti Regni statum maximè deplorabat, ita tamen ut facilè crederet multò, si miserabiliorum ejus fortunam videre

posset, quam aurium sensu perceperat, cernere etiam oculis, & propiùs omnia ejus vulnera intueri ac penitùs pernoscere licuisset. Quod quidem illi nunc insperato quodam modo contigit. Etenim Illustrissima & Reverendissima Amplitudo vestra, Christianissimi Regis litteras, quæ nuper recitatæ sunt, oratione suâ subsecutâ, eâ verborum copiâ, gravitate, prudentiâ, Gallicarum rerum statum & conditionem exposuit, ut eas non commemorasse, sed earum veluti expressam imaginem omnium oculis subjecisse videatur. Quare constanter Sancta Synodus affirmat se nullas ei proprias doloris partes concedere, verùm eò acerbiùs hanc calamitatem ferre, quò Amplitudo vestra, Matris Charissimæ, ac Dulcissimi Filii ærumnas & incommoda defleat ac conqueratur, sed tamen in tantis malis animum erigit & confirmat, siquidem brevi futurum confidit ut Deus reddat puero Regi pristinam majorum suorum, & præsertim avi, parentis ac fratris Clarissimorum Regum virtutem & fortitudinem, quâ non solùm nefarios hostium conatus reprimere, & audaciam ulcisci queat, sed in tenerâ etiam ætate singulare aliquod pietatis exemplum ad pulcherrimi facti imitationem posteritati prodere; Deindè verò cùm divinâ clementiâ, atque misericordiâ, & S. D. N. Pii Pontificis Maximi operâ & auctoritate hoc Sanctum Generale Concilium coactum sit, si unquàm anteà, nunc certè maximè sperandum est forè ut verus Dei cultus, discussâ errorum caligine, ab omnibus agnoscatur, mores emendentur, pax & tranquillitas Ecclesiæ restituatur. Quâ in re quemadmodùm adhuc Sancta Synodus omnem diligentiam adhibuit, ut quæ sui muneris & officii esse intelligebat, adjuvante Domino perficeret, ità in posterum nihil se de eâ curâ remissuram, verùm si fieri possit, aliquid potiùs ad eam studii & industriæ addituram esse pollicetur ac spondet. Neque verò, Illustrissime Domine, te impulsore tantùm atque hortatore, sed multò magis (quòd summæ fœlicitatis loco habendum existimat) adjutore & Consiliario id faciet; Novit enim quanta tua sit optimarum artium, & præcipuè sacrarum litterarum scientia, maximarum rerum usus, atque apud Regem potentissimum tractatio, summosque Principes existimatio & auctoritas, & quòd caput est, pietas in Deum, vitæ integritas & innocentia, ac veræ & Catholicæ Religionis sincerum studium, quæ quidem tot & tanta sunt, ut quid potissimum in te homines laudare debeant, maximarum virtutum cumulum, an in quoque genere absolutam & perfectam earum formam, meritò dubitari possit. Illud autem exploratissimum Sancta Synodus habet, tam multa ab Illustrissimâ Amplitudine vestrâ, ad communis causæ utilitatem adjumenta allatum iri, ut sibi nunquàm minùs jucundam ejus adventûs memoriam futuram confidat; quàm ille ipse dies quò venientem excepit lætissimus, & jucundissimus omnibus illuxisse visus est. Itaque Illustrissime Domine, omnes hi Sti. Patres, quòd tam longo difficili & periculoso itinere suscepto, ad tuendam Stæ. Matris Ecclesiæ dignitatem, tantâ animi alacritate occurreris, quòd salvus & incolumis cùm tot gravissimorum Patrum comitatu adveneris, quòd tuâ præsentiâ, auctoritate, splendore, frui liceat, primùm Deo immortali maximas gratias agunt, deindè tibi ex animo gratulantur, faustaque omnia, ac fœlicia à Domino precantur. Cæterùm quæ vel de communibus Catholicæ Ecclesiæ rebus, vel de privatis Gallicarum Ecclesiarum commodis proponenda erunt, ea Sancta Synodus quotiescumque Regiis Oratoribus, Viris præstantissimis, vel Illustrissimæ Amplitudini vestræ, de iis dicendi locus & potestas dabitur, libentimè audiet. Neque enim dubitat quin ejus Regis nomine qui

pueritiæ commendationem, à pietatis acerrimâ defensione duxerit, cujuscumque in omni vitâ præcipuum ornandæ atque amplificandæ Religionis studium esse debeat, illa proponantur quæ inprimis cum verâ Dei gloriâ, perpetuâque Stæ. ejus Ecclesiæ utilitate, & summâ Apostolicæ Sedis dignitate & amplitudine conjuncta esse videantur.

Deindè Dominus Renaldus Ferrerius, Præsidens in Parlamento Parisiensi, Secundus Orator Regius in Concilio Tridentino, habuit Orationem ad Synodum ut sequitur.

Orationibus quas nunc audistis Illustrissimi Domini Sanctissimi Patres, nihil est quod à nobis quicquam addi aut detrahi debeat, tantùm unum dicemus bonâ veniâ Paternitatum vestrarum, pro muneris nostri ratione: Christianissimi Regis pius, religiosus, & in Catholicam Ecclesiam propensissimus animus, anteà quidem erat omnibus satis perspectus & cognitus: Nunc autem adventu & oratione Illustrissimi Principis, & Reverendissimi Cardinalis adeò est illustratus, ut ne illius quidem dubitationis locum relinquat, nam quò minùs anteà tanti viri adventus ab hominibus prudentibus & peritis rerum humanarum sperabatur, eò magis cùm venerit, nemo est vel mediocri ingenio præditus, qui non planè videat, quanti nos Galli Catholicæ Ecclesiæ consultum velimus: Quique non intelligat, pluresque, easque gravissimas esse causas quibus adductus Rex Christianissimus, illum ad vos miserit, cujus singulari Consilio in rebus magnis agendis, cùm anteà semper usus est, tum maximè his miserrimis & calamitosissimis Galliæ temporibus. Qui autem existimant privato magis commodo, quàm Reipublicæ Christianæ causâ hæc à nobis fieri, vehementer falluntur. Potest, si modò velit) Rex Christianissimus, vel triduo seditiones omnes ac motus suorum componere, inque officio & obsequio Gallis innato, subditorum omnium animos retinere, sed non tam quæ sua sunt quærit, quàm quæ sunt Catholicæ Ecclesiæ, & Pontificis Maximi, cujus dignitatem & auctoritatem ut sartamtectam in Galliâ retineat, non dubitat tanti Regni Imperium, vitam, fortunas, magnorum Principum & nobiliorum in periculum adducere. Hic est Galliæ nostræ status, hæc fundi nostri calamitas. Quòd si quis nos roget, quid tandem illud est quòd vos, Ecclesiaque vestra Gallicana tantoperè à Concilii Tridentini Patribus expetit? non sumus, Patres sapientissimi, in petitionibus nostris admodùm morosi, & difficiles; nihil aliud petimus quàm quod totus orbis Christianus efflagitat, quod à Concilii Nicæni Patribus petiit ille Magnus Constantinus, hoc ipsum à vobis requirit Rex Christianissimus: omnia illius postulata continentur, aut sacris Bibliorum literis, aut vetustis Ecclesiæ Catholicæ Conciliis, aut antiquis Pontificum & Patrum Constitutionibus, Decretis, & Canonibus. Hæc sunt, hæc inquam sunt, quorum nomine Rex Christianissimus, Ecclesiæ Catholicæ primogenitus filius, Ecclesiæ, inquam, Catholicæ petit restitutionem in integrum, apud vos quos Dominus noster JESUS CHRISTUS prætores legitimos creavit: neque hoc ipsum petitur ex clausulâ, ut dicitur, generali, sed ex verbis expressis Edicti illius divini, & perpetui, adversùs quod nunquam fuit, neque unquam erit usucapioni, aut præscriptioni locus. Redeant quasi postliminio in sanctam Dei civitatem, & in lucem hominum tandem prodeant, quæ antiquus hostis Sathan vi eripuit, & longo tempore suppressit. Sic Darius, Persarum Rex, motus in Judæa propter Religionem excitatos sedavit. Non enim ad arma continuò, verùm ut majorum

ſuorum leges & antiqua Edicta inquirerentur juſſit, inventumque Regis Cyri Edictum de reditu Judæorum in Judæam, & de Templi inſtauratione à majoribus ſuis neglectum, & mandavit executioni & ita pacati ſunt tumultus. Joſias, Rex laudatiſſimus, & ſinceriſſimus Eccleſiaſticæ diſciplinæ exactor, & reformator, librum legis ab Helciâ magno Sacerdote repertum (poſteaquam hominum malitiâ longo tempore ſuppreſſus fuerat) primùm legit diligentiſſimè, deindè lectum recitavit populo: tum ex illius præſcripto ritus & præcepta divina Judæis reſtituit: ſtrenui illi Nehæmiæ milites quos tantoperè commendat Chryſoſtomus, alterâ quidem manu telum tenebant, alterâ muros Hieruſalem ædificabant, hoc eſt, Eccleſiam ex antiquis Patrum legibus reſtituebant: niſi hæc fiant Patres Sanctiſſimi, fruſtrà à vobis rogabimus num etiam pacata eſt Gallia? nos enim vobis reſpondebimus quod Jehu Joram roganti, num pax? num pax? & quomodò, inquit ille, pax, cum adhuc ſuperſint & vigeant? noſtis cætera. Niſi his rebus diligens detur opera: nos fruſtrà confugiemus ad potentiſſimi illius, & maximi Regis Catholici affinitatem, ſingularem amicitiam, incredibilem liberalitatem; fruſtrà fidem & auxilium implorabimus Pontificis Maximi, Sereniſſimi Venetorum Ducis, Lotharingiæ, Allobrogum, & Hetruriæ, Principum auxiliares copias: fallax enim, mihi credite, erit equus ad ſalutem, niſi hæc à vobis fiant: turbabitur brevi nimia quorumdam ſecuritas, & quod caput eſt, qui intereà peribunt, tametſi id illis ſuâ propriâ iniquitate, & peccato eveniet, vobis tamen peribunt, hoc eſt, ſanguis illorum de manu veſtrâ requiretur: Sed priuſquàm nos ad ea veniamus, quæ ſuo loco & tempore ſumus dicturi, ſecundùmque mandatorum noſtrorum formulam agemus, petimus à vobis Sapientiſſimi Patres, à vobis, inquam, quos veſtrâ ſponte, ſcimus eſſe ſatis incitatos, quorumque pietatis, Religionis, & in omnes homines charitatis, ſumus non ſolùm auriti, ſed etiam oculati teſtes; ut ea de quibus jamdiù cœpiſtis deliberare, quàm breviſſimè fieri poterit, abſolvatis, quò citiùs poſſitis de multò gravioribus, & magis hoc tempore neceſſariis, ſententiam veſtram dicere, & his conventibus Eccleſiaſticis finem imponere, ad laudem & honorem Dei Patris Omnipotentis, ejusque Filii Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Ferrerio Oratori reſponſum eſt paucis etiam per eundem Legatum de Mantuâ, quod Synodus maturè deliberaret de omnibus quæ propoſuerat, & tandem reſponderet.

Gaſpardus de Caſal, Luſitanus, Ordinis Sancti Auguſtini Epiſcopus Lerienſis; Inter alia quæ prolixè dixit die vigeſimâ quartâ, viſus eſt dixiſſe omnes Epiſcopos ſimùl collectos non eſſe æquales Papæ, & quòd Papa habebat majus jus in quâlibet Eccleſiâ Epiſcopali, quàm ipſe Epiſcopus; & quòd idem in conſecratione alicujus Epiſcopi, quandò ipſe conſecrabat, concurrebat cum Deo, ſed minùs principaliter, ſicut miniſter ſe habet tanquàm inſtrumentum ergà principaliùs agens.

Idem dixit, Joannem de Turre-crematâ fuiſſe in eâdem ſententiâ, ut Chriſtus ſolum Papam, non cæteros Apoſtolos inſtituerit. L. 2. de Eccle. C. 3.

Die vigeſimâ quintâ Novembris poſtquàm Antonius à Gorrionero Almerienſis, & Antonius Auguſtinus Illerdenſis, Epiſcopi Hiſpani, copiosè dixerunt ſententias. Hieronimus Seripandus Cardinalis Sanctæ Suſannæ Legatus egit apud Synodum de protogandâ Seſſione, quæ die ſequenti celebranda erat, admonuitque Patres ne in dicendo adeò prolixi eſſent, arguens quòd per eos ſtetiſſet quominùs celebrata fuiſſet.

Tùm Cardinalis à Lotharingiâ excusavit se quòd ad indictam Sessionem non venisset, & obtinuisset à Synodo hujusmodi prorogationem in sui gratiam & Coepiscoporum, sed videri sibi non oportere ut Patres tamdiù immorarentur circà quæstiones interminatas, quò fieri posset ut nulla spes esset finiendi unquàm Concilii, & quòd graviora negotia tractanda forent quæ exposcebat sæculum, citòque redeundum esse ad oves illis, & sibi concreditas, ne in discrimen adducerentur. Tum dixerunt aliqui prorogandam esse Sessionem, & tandem cùm consensissent omnes, dictum est id faciendum quod proposuisset Legatus.

Surrexit tunc quidam Episcopus Italus, clamans, & nos volumus audiri, undè negotium istud ad diem sequentem dilatum est.

Sequentibus diebus dixerunt admodùm prolixè multi Patres.

Die Divo Andreæ Sacro Melchior Avosmediano, Hispanus, Episcopus Gnadicensis, dixit sententiam, & visus est sentire quòd aliqui Episcopi fuerunt ab Archiepiscopis consecrati sine ministerio Romani Pontificis, is reprehensus est à Ludovico Symonetta Cardinali tituli Sancti Cyriaci in termis, Legato; quòd ista diceret, & dixit quòd Archiepiscopi isti, si qui fecerant, hoc habuerant ex privilegio Sedis Apostolicæ, indignè ferens quòd iste Episcopus non satis tueri videretur auctoritatem Romani Pontificis, quam tamen pro viribus extollebat. Continuò Episcopi Itali applaudentes dicto Legato cœperunt vociferari, & pedum strepitu interpellare dictum Gnadicensem Episcopum, tanquàm Anathema non audiendum; sed per Judices (cui dari petebant) puniendum, quod ægrè tulit Cardinalis Lotharingus, ut satis demonstravit in sequenti Sessione.

DECEMBER.

Die Mercurii primâ Decembris, Legatus Mantuanus in Congregatione vespertinâ serò monuit Patres, ne uterentur in posterùm hujusmodi strepitu & clamoribus, dum sententiæ dicerentur, sed eas placidè & quietè audirent, prout tantos viros decebat, in rebus tanti momenti & ponderis. Deindè egit de prorogandâ Sessione ad decimum septimum diem ejusdem mensis, ea lege, ut si quid remaneret de doctrinâ, & canonibus, & reformatione discutiendum, hoc ad sequentem Sessionem prorogaretur.

Placuit Cardinali Lotharingo, tam sancta gravis, & modesta, Legati admonitio, & dixit indecorum admodùm esse Patribus in tanto consessu congregatis talia dicere, vociferari, & verbis anathematis uti adversùs eos, qui minùs ipsis placerent; censuitque constituendum esse diem decimum septimum ejusdem mensis ad futuram Sessionem, juxtà proposita à Legato Mantuano, eâ lege tamen & conditione, ut deinceps quæcùmque spectare viderentur ad reformationem circà sacrum ordinem, ad illum diem referrentur. Quæ quidem sententia placuit pluribus Patribus, qui etiam Sessionem proximam in dictum decimum septimum diem Decembris, secundùm Legati sententiam, censuerunt; quamquàm essent aliqui Patres contrariæ sententiæ, & eandem Sessionem ad decimum quartum Januarii sequentis differendam dicerent, quòd in illo tantillo tempore, ea quæ tractanda habebantur, determinari non possent.

Votum meum (Psalmæi) *fuit hujusmodi.*

Non possum non vehementer probare seriam, piam & sanctam Illustrissimi Legati admonitionem. Et primùm quidem diligentissimè curandum esse

puto, ut quisque propriam breviter, sincerè, sed liberè tamen sententiam dicat, sine interruptione, indignatione, & tanto strepitu, quæ maxime dedecent tantum Senatum: Deindè ut tam vanæ, anxiæ, & prolixæ disputationes quibus tempus frustrà terimus rejiciantur, lites enim & contradicendi libidines, tantùm abest ut Ecclesiam piâ aliquâ doctrinâ ædificent, quin potius plurimùm nobis & Ecclesiæ noceant. Ea enim est earum natura & conditio, ut si unam definire atque determinare conamur, exoriantur velut hydræ capita plurima, quæ nobis non minùs facessunt negotii plerumque, quàm superiores. Quare mirum non est si nullum hic finem dicendi facimus. Tollendæ sunt igitur harum morarum causæ, si moras ipsas sublatas esse volumus, & si quid in nobis resideт animi, terram nostram maturiùs invisere, in quâ dum hic disputamus ipsi, aut alios disputantes audimus otiosi, fortasse adversarii indignè prophanant sanctuarium Dei. Denique quoniam rerum præsentium status exigit, ut Sessio aliquantisper differatur, differendam quoque & ipse sentio, Illustrissimi & Reverendissimi Cardinalis Lotharingi Domini mei observantissimi suffragium sequutus. Certum autem constitutumque præfigere diem Sessionis habendæ, partes erunt Illustrissimorum Legatorum, qui pro suâ & prudentiâ & operâ dabunt, ut dictæ Sessioni dies certus assignetur, & de his rebus interim maturiùs tractetur, quæ propiùs facere videbuntur ad veteris disciplinæ reparationem, & morum nostrorum correctionem maximè necessariam, quàm ad otiosam disputandi subtilitatem.

Die tertiâ mensis Decembris, inter alios dixit Franciscus Delgado, Hispanus, Episcopus Lugensis, sibi non placere septimum canonem, prout confectus & propositus erat à Patribus, & quòd idem non esset, esse institutum jure divino, ut sunt Episcopi in Ecclesiâ, atque Episcopos esse jure divino institutos: Nam in simili, jure divino institutum est ut sint leges, non tamen proptereà leges juris esse divini censentur, neque si assumantur à Pontifice, esse proptereà Episcopos cum auctoritate consecrationis; nec sibi placere ultimam particulam, ex quo canone relinquuntur multa dubia, itaque potiùs (ait) reformandus esset, juxta eam formam quæ ab initio proposita fuerat. Dixit præterea Episcopos jure divino immediatè à Christo institutos, sed per Romanum Pontificem, non tamen quoad potestatem ordinis, sed tantùm jurisdictionis, cum à Deo constituti sint, ad regendam & gubernandam Ecclesiam. Deindè quòd dicantur assumi à Romano Pontifice secundùm quid, & quòd non desinant proptereà esse Episcopi, licet non sint à Romano Pontifice confirmati, ut de Orientalibus, qui non agnoverunt Romanum Pontificem. Quid est (inquit) si quispiam electus Bononiis, non possit venire Romam, an desineret esse Episcopus? quod si esset tanquam Ecclesia, sine sacerdotio, & sacerdos sine lege, non quod proptereà imminuatur auctoritas Sanctissimi Potificis, qui in Ecclesiâ primatum tenet, & est Successor Petri & Vicarius Christi prout in Concilio Florentino; qui potest Episcopum deponere prout libuerit, non tamen proptereà potestas illa Episcopalis desinit esse juris divini; sic Rex eligitur à Provinciâ, & tamen potestas Regia juris divini est, cum omnis potestas à Deo sit. Multa alia dixit, dictus Episcopus Lugensis, in eos qui adeò laborant in augendâ auctoritate Summi Pontificis, quam nemo negat, modò usus non vertatur in abusum; sed omnia potest quæcumque expediunt pro universali Ecclesiâ, in ædificationem, & non in destructionem, sic & Episcopus in regendâ suâ Ecclesiâ, omnia potest, quæ ad eam gubernandam pertinent.

A meridie

A meridie dixit inter alios Jacobus Gibertus de Hogueras, Hiſpanus, Epiſcopus Aliphanus, eloquenter & doctè, ſed viſus eſt valdè minuere auctoritatem Summi Pontificis: propterea reprehenſus eſt (modeſtè tamen & benignè) à Legato Warmienſi, quod conveniret cum adverſariis, Epiſcopos à Deo inſtitutos eſſe, ſed quia qui aſſumuntur à Romano Pontifice in partem ſolicitudinis, ſunt veri & legitimi Paſtores, invicem diſſidere, & jure probandum erat: verùm acerbiùs ſuam proſequutus eſt ſententiam, atque inter alia dixit ſimpliciter, Epiſcopos à Deo eſſe inſtitutos immediatè quoad omnimodam poteſtatem, confirmans ſuam ſententiam variis ſcriptorum multorum & priſcorum monumentis, doctè & eloquentiſſimè dicens, nolle ſe credere Doctoribus, qui à Divo Bernardo huc uſque ſcripſerunt, niſi quatenùs conſentirent primoribus.

Tribus Regi Eccleſiam ex Auguſtino dixit, ſcripturâ, traditione univerſali, & conſuetudine. Ut Petrus nullam dedit Apoſtolis poteſtatem, ſic nec Pontifex Romanus Epiſcopis, quoad regendam Eccleſiam.

Innocentius tertius in Epiſtolâ ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, *ſicut miſit me*, & hìc eſſe poteſtatis genus datum Apoſtolis Chriſoſt. in homiliâ 85. & lib. de ſacerdo. Ambroſius in Paulum, item alii Doctores, Epheſiorum 4. Hieronimus lib. 1. contra Jovianum. Chryſoſtomus exprimens de electione Matthiæ, in Paulum *& ipſe dedit, Epheſiorum* 4. affirmans formam perpetuò duraturam, ut primò Chriſtus dederit omnimodam poteſtatem, & poſtmodùm inſtituerit Petrum, ut præeſſet illis, ad conſervandam unitatem & vitandum ſchiſma, reprehendit eos qui dixerunt, Paulum vocatum, non Petrum, ſed ex privilegio; quid enim de Timotheo & Tito, quibus Paulus [illegible] transfundit poteſtatem abſque Petro. Tertullianus vocat ſanctiſſimum vicarium Chriſti. Plura dixit idem Aliphanus.

Die quartâ Decembris, manè multi dixerunt, ſed breviter, inter quos doctè quidem Andreas Duditius Sbardellatus, Hungarus, Tinniacenſis Epiſcopus.

A meridie, Cardinalis Lotharingius ſolus ſuam dixit ſententiam, tam ſuprà doctrinâ, quàm canonibus. In doctrinâ multa reformanda dixit cum obſervationibus: circà canones maximè verò & eloquentiſſimè & prudentiſſimè dixit de poteſtate Epiſcoporum, quæ à Deo, ut totus ordo ſacer, eſt inſtituta; primatum Petri etiam confirmavit indubitatis Scripturæ teſtimoniis, per quem & ejus ſucceſſores vocati ſunt Epiſcopi, in partem ſollicitudinis, nec unquàm viſum, quòd per Romanum Pontificem Epiſcopi eligerentur, ſive inſtituerentur, aut providerentur de Eccleſiis, ſine explicitâ ejus voluntate, vel implicitâ; cujus Primatum magis augere, ſtabilire, & confirmare debemus, quantò magis ad unitatem ſervandam, & ſtabiliendam omnes noſtri conatus tendere debent; & quantò adverſarii expugnare nituntur, ut totum poſteà ordinem Eccleſiaſticum confundant.

Septimum Canonem ſic cenſuit reformari. Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe à Deo in Eccleſiâ inſtitutos, ac presbyteris ſuperiores, anathema ſit.

Octavum Canonem adjiciendum putavit, ut feriretur anathemate, qui negaret Petrum eſſe unum & ſummum Chriſti in terris vicarium, & Papam ſucceſſorem Petri.

Die quinto manè dixit Gabriel de Veneur, Gallus, Epiſcopus Ebroicenſis, ex ſcripto & doctè; egò verò ſtatim poſt illum ſic votum dixi.

Illuſtriſſimi Domini & ampliſſimi Patres, ſummâ veneratione digniſſimi, Etſi de propoſitis in medium ſuper ſacri Ordinis doctrinâ & canonibus diſputatum ſit luculenter, & copioſè à pleriſque Patrum, ab aliis verò accuratè & acutè, ab omnibus certè ita doctè & prudenter, ut nihil quantùm ad hujus argumenti explicationem pertineat, intactum videatur; decreveram nihilominùs unum aut alterum minutum in Gazophilacium Domini mittere, nondùm planè deterritus id facere ingentibus divitum muneribus, ſcilicet poſt exactas Patrum ſententias, nonnulla quæ animum meum tenent ſuſpenſum animus erat adferre, & de his noſtram qualem qualem dicere ſententiam. Verùm heſternâ luce eâ de re Illuſtriſſimus Cardinalis Lotharingius tam diligenter & acutè, doctrinæ & canonum expurgationem excuſſit, & quæ ad ſuam ſententiam facere debebant, ea tam ornatè & diſtinctè pro ſtupendâ ingenii ſui fœlicitate complexus eſt omnia, ut nemini non abundè ſatisfactum putem. Certè ut ingenuè fatear quod ſentio, illa quæſtio quæ multorum Patrum ingenia exercuit & torſit, num Epiſcopi ſint jure divino à Chriſto inſtituti, immediatè, non tantùm quoàd poteſtatem Ordinis, ſed etiam omnimodam juriſdictionem, me non parùm commovit. Quodque eo nomine ſemper habui exoſum, quòd Sanctiſſimi Domini Papæ primariam illam & plenariam auctoritatem, & dignitatis Pontificiæ faſtigium, videretur in dubium nonnihil revoçare, aut imminuere: ſed hujus quæſtionis veritatem idem Illuſtriſſimus Cardinalis pro ſuâ incomparabili doctrinâ, tam validis & irrefragabilibus Scripturæ teſtimoniis, firmam, munitam & ſtabilitam oſtendit, ut exactiſſimæ illius ſententiæ mihi per omnia ſubſcribendum potiùs eſſe putarim, quàm actam agendo, ſcilicet diſſerendo prolixè poſt eum de eo argumento, & tempus fruſtrà terere, & veſtras alioquin patientiſſimas aures ingenii & ſermonis noſtri ruſticitate obtundere. Meam igitur ſententiam hic uno verbo explico. Horum judicio qui piè & chriſtianè affecti ſunt, quique veritatis potiùs quàm placiti rationem ſectantur, dubium non eſt, quin doctrina canonibus permiſſa veritatem Catholicam & ſimplicitatem Eccleſiaſtiçam ita redolere videatur, ut de eâ ſubdubitare, aut contentioſiùs diſputare, meo judicio impium ſit, & eorum qui nimio contradicendi ſtudio laborant. Hanc igitur doctrinam mihi videri omninò ſanam, Chriſtianam, & Catholicam, dignamque quàm Sanctæ huic Congregationi à Spiritu Sancto afflatam agnoſcamus; eâ tamen lege & conditione, ut ſacra deputatio rationem habeat eorum quæ doctiſſimè & prudentiſſimè animadverſa ſunt atque obſervata, cùm à plurimis Patribus, tùm à præfato Reverendiſſimo Cardinali Lotharingo. Idem eſt meum de Canonibus judicium, niſi ſeptimus ille Canon, de quo tantoperè certatum eſt, & nondum lis dirempta eſt, mihi modis omnibus non ſatisfecit, niſi efferatur ad eum modum quem cenſuit idem Reverendiſſimus, omninò neceſſarium eſſe exiſtimo, ut præſcriptis ab eodem Cardinali verbis, adjiciatur Canon de primatu Petri, & plenitudine poteſtatis Sanctiſſimi Domini Papæ, quam habet in univerſas totius Eccleſiæ Catholicæ oves, ut univerſalis Eccleſiæ auctoritate Eccleſiomaſtigium, hæreticorum improbitatem retundamus, eorumque tecnas & Conſilia diſſipemus, quorum conatus & vires omnes tendunt, & in hoc uno mutuò inter ſe conveniunt, ut Monarchiam Papalem, ſupremamque ejus auctoritatem funditùs evertant, & jacto ſuæ impietatis fundamento, hierarchiam Eccleſiaſticam, veluti Caſtrorum aciem ordinatiſſimam, minori negotio è medio tollant, Eccleſiam primò ſine Papâ conſtituant, & deinceps ſine Epiſcopo, ſine Sacerdote, ſine Sacrificio, ſine lege, &, quod

omnis blasphemiæ & impietatis est caput, sine Deo. Hæ sunt Sathanæ & ministrorum ejus artes, hi sunt fructus novi & quinti Evangelii, seu potiùs cacangelii. Sed quoniam plerosque Patres diutiùs immoratos, & nonnullos se torsisse in septimi illius articuli expositione, de quo in diversas distrahuntur sententias video, ratus id non temerè fieri à sapientissimis & prudentissimis Patribus, ipse quoque meam, licet jejunam & tenuem, ferre sententiam, quam licuerit per ingenii imbecillitatem, cùm ratione, tum auctoritatibus fultus conabor: priusquàm tamen rem aggrediar, hoc semel præfatum velim, Patres præstantissimi, me neque de hoc, neque de quovis alio argumento dicturum, pronunciaturumve, quod judicio & censuræ hujus gravissimi consessûs submissum nolim, neque me nullius, aut perexiguæ conditionis hominem, minimèque in erudiendis in Sacrarum Scripturarum abditis sensibus, aut explicandis & solvendis earumdem difficillimis quæstionibus exercitatum, subtiliùs quicquam aut acutiùs videre me posse, existimo, quàm viderint tot Docti & perspicaces Viri, undequaque huc evocati, tanquàm & omnis doctrinæ cumulatissimi Patres, de quorum excellenti judicio, doctrinæ sinceritate, & eximiâ in Ecclesiam Christi pietate dubitate, hominis esset nullius judicii, doctrinæ, & pietatis.

De hoc septimo Canone sententiam meam paucis aperio.

Doctrina hujus Canonis quatuor videtur absolvi posse Capitibus. In primo agitur de Episcoporum institutione. In secundo asseruntur Presbyteris superiores Episcopi. In tertio tractatur de porestate Beatissimi Papæ. In postremo, quomodò eâ quam hactenùs habuerunt, potestate potiri debeant.

Ad primum quidem membrum, Apostolos, atque adeò eorum successores Episcopos à Domino institutos esse, præter ea quæ Matthæi 18. Lucæ 22. Joannis 20. scripta habentur, non-nulli convincunt notissimi Scripturæ loci. Inprimis act. 20. *Attendite vobis & universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo*, ubi institutio tribuitur Spiritui Sancto. Hinc actuum Apost. 13. scriptum legimus *segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos*. Et quid apertiùs verbis Pauli, & ipse quosdam Apostolos dedit? Ubi Ambrosius non erubescit Episcopos surrogare in locum Apostolorum. Ad Galat. 2. Paulus ait *qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis operatus est mibi inter gentes*, sic autem fuit Christus. Igitur Paulus non suscepit hujusmodi officium à Petro, sed à Christo Salvatore nostro; Quemadmodùm ipse fatetur initio hujus Epistolæ, se vocatum Apostolum, non ex humanâ, sed divinâ institutione, asserens se Apostolus *neque ab homine, seu per hominem, sed per Jesum Christum*, quanquàm hoc credo fuisse in Paulo speciali ex privilegio; neque enim intelligo Episcopos sic à Christo institutos esse immediatè, ut non crediderim opus esse vocatione externâ & ministerio hominis, scilicet Romani Pontificis, sine cujus auctoritate, aut voluntate verâ, vel præsumptâ, explicitâ vel implicitâ, nemo Episcopatum adeptus est unquàm à temporibus Apostolorum huc usque, aliàs extraordinariam vocationem oporteret probari miraculis, ut in Paulo qui ad Ananiam missus est, aut oraculis Propheticis, ut Joannes, Pauli præceptoris sui sequutus sententiam. Dyonisius lib. 5. de hierarchiâ Ecclesiasticâ, sic, inquit, lex divina Pontificalium ordinationum sanctimoniam, confectionem unguenti, sacramque altaris consecrarionem, Pontificum officiis atque virtutibus contrariâ sorte distribuit. Ex quo colligere est munia hæc Episcopis convenire, non ex institutione humanâ, sed divinâ. Prætereà Apostoli sunt à Christo instituti. Ergò eorum successores Episcopi qui locum

eorum tenent, ficut Presbyteri, feptuaginta Difcipulorum. In cujus rei confirmationem, innumerorum Doctorum poffunt auctoritates adduci. Anacletus in Epift. ad Patriarcham prima & Epift. Dam. in Epift. de Epifcopis & Coepifcopis. Ifidor. in quodam fermone de Synodo; Beda lib. tertio in Lucam Cap. 15. Clemens in Epiftolâ 2. ad Jacobum fratrem Domini, Epiphan. contrà hærefes lib. 3. tract. 35. Omifi rationem quâ movebatur, figura non potior figurato, atqui Pontificatus veteris legis, eft typus & figura, ergò veritas non debet effe deteriore loco & conditione quam Pontificatus Aaronicus à Deo introductus. Exod. 25. & Num. 4. Ex quo tamen colligitur Pontificatum Aaron, majorem effe facerdotio filiorum Baal. Ignatius quoque in Epiftolâ 3. ad Magnefianos affignans rationem obedientiæ quæ debetur Epifcopo & quam ipfe vehementer commendaverat, ait, quia Epifcopus non ab homine, fed à Deo habet promotionem; etfi autem poteftas Epifcopalis fit à Chrifto inftituta, etiam quoad jurifdictionem dependentem ab ordine, non tamen propterea dicendum eft non affumi, vel vocari in dignitatem Epifcopalem, & in partem follicitudinis per Romanum Pontificem, tanquam legitimum Chrifti Vicarium & præpofitum Ecclefiæ Chrifti, à quo videlicet jurifdictio Epifcopalis, poft Chriftum pendere dignofcitur cap. nono dift. 21. quis autem noftrûm putat fe aliundè in Epifcopum promotum quàm per Romanum Pontificem, cum hæc fit praxis & confuetudo in Ecclefiâ hactenùs inviolabiliter obfervata. Venio ad fecundum caput, presbyteris fuperiores effe Epifcopos, facit auctoritas Pauli, primæ ad Timotheum 5. *adversùs presbyterum accufationem noli recipere*, hæc autem verba, fi attentiùs confiderentur, apertè faciunt nobifcum, nam recipere accufationem in aliquem cum teftium examine, haud dubiè dicit jurifdictionem & fuperioritatem quandam in reum, & eum qui apud Epifcopum accufatur. Omifi locum Pauli ad Titum. *Reliqui te Cretæ, ut ea quæ defunt corrigas, & conftituas per civitates presbyteros, ficut & ego difpofui tibi.* Simplex autem facerdos hoc non poteft, non funt igitur idem Sacerdos & Epifcopus; deindè nullus dubitat Apoftolos fingulari quâdam prærogativâ, & merito, & dignitate cæteris difcipulis fuperiores fuiffe, atqui Epifcopi funt eorum fucceffores. Idem dicit Beati Joannis Evangeliftæ, difcipulus Ignatius in Epiftolâ ad Magnefianos, ficut Dominus fine Patre nihil facit, non enim (inquit) poffum à me ipfo quicquam, fic etiam & vos fine Epifcopo, five presbyteri, five Diaconi, five laici. Epiftola quoque ad Smyrnenfes idem docuit apertiùs. Cùm (inquit) omnia vobis benè ordinatèque mandata funt in Chrifto, laici Diaconis fubditi funt, Daconi presbyteris, presbyteri Epifcopo, Epifcopus Chrifto, ficut ipfe Patri. His fubfcribit Innocentius Papa, hujus nominis primus, Vir & doctrinâ clarus, & vitâ innocens cap. 3. ad Decentium Heugubinum Epifcopum. Nam presbyteri licet fint Sacerdotes, Pontificatûs tamen apicem non habent, hæc autem Pontificibus folis deberi, ut vel configurent, vel paracletum Spiritum tradant, non fola confuetudo Ecclefiaftica demonftrat, verùm etiam illa lectio Actuum Apoftolorum quæ afferit, Petrum & Joannem effe directos, qui jàm baptifatis, traderent Spiritum Sanctum. Huc prætereà faciunt Canones Apoftolorum 130. 133. & 41. Item Canon feptimus Concilii Romani fub Silveftro celebrati, qui omnes docent tempore Apoftolorum, & deinceps Epifcopos à presbyteris proculdubio diftinctos effe, & obedientiam quæ ab inferioribus, Epifcopo debetur inculcant. Quare qui negat jurifdictionem Epifcopi in presbyteros, qui afferit

presbyterum

presbyterum ex æquo cum Episcopo excommunicate, absolvere, aliaque munia Episcoporum exercere; is ante mille annos Aërii impii, Idiotarum Valdensium, antè trecentos, Armacani Hybernici, antè ducentos annos, Joannis item Wiclef & Joannis Hus, non ita pridem damnatam hæresim & sepultam revocat. Quorum quidem hæreticorum major pars in eam lapsa est hæresim, ut Episcopalem dignitatem quam assequi non poterant, & contemptibiliorem redderent, & in odium hominum adducerent, ut de Aërio testatur Divus Augustinus lib. de hæref. cap. 53. & de Joanne Wiclef recentiores historiæ. Quod attinet ad plenitudinem potestatis, quam Summus Pontifex habet à Christo Domino & servatore nostro in universalem Ecclesiam, quod & corde credo, & ore confiteor juxta C. sacro-sanctam 22. distinct. qui est ipsius anacleti. Ego, inquam, Sanctissimum Pontificem eâdem præditum potestate agnosco, quam Evangelium Christi & Catholica Ecclesia illi hactenùs tribuit. Idemque de eo, ut successore Petri sentio, quod de Petro post Chrysostomum Theophilactus in Lucam sentit. Cujus sunt hæc verba: *Tu verò conversus, confirma fratres tuos*, planus hujus loci intellectus is est, quia te habeo ut principem discipulorum, postquàm me negato fleveris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros. Hoc enim te decet, ut qui post me, Ecclesiæ petra es, & fundamentum. Agnosco igitur Summum Pontificem Christi Vicarium in terris, legitimum Petri successorem, ut vetustissimi quique scriptores constanter affirmant, qui est *caput scilicet ministeriale*, quod Christus instituit in terris, ut servetur unitas & ordo, & ad vitandam omnis schismatis occasionem, qui est omnium Episcoporum in omnibus totius orbis Christiani Provinciis, unus tanquàm communis Pater, Ecclesiasticæ dignitatis apicem tenens, ex quo pendent Episcopi, cujus auctoritatem sequuntur, & ad quem de causis majoribus omnibus referuntur omnes, qui ab aliis Episcopis in hoc tantùm differt, quòd illi in partem sollicitudinis sint vocati, penes hunc verò est plenitudo potestatis, omisi verba, nàm si ex æquo omnes possent omnia, retineri unitas non posset, cui etiam Christus Joan. ultimo committens agnos & oves, totum ovile, universalem Ecclesiam, illi commissam esse ostendit. Quamobrem, amplissimi Patres, nobis qui sumus populus ejus & oves pascuæ ejus, non tàm de Sanctissimi Pontificis potestate disputandum esse judico, quàm piè rogandum esse Christum, ut Sanctissimo Domino nostro Papæ, & eis qui ejus successores futuri sunt, inspiret mentem, eâ potestate utendi ad ædificationem ovilis Christiani, nobisque, qui hic adsumus, ea cogitandi quæ faciant ad veteris disciplinæ nostris moribus propemodùm extinctæ reparationem & reformationem.

Sequitur ultimum Caput 7. Canonis, quod expungendum sentio. Quod si Synodus aliter decernat apponi in Canone, desiderarem declarari quænam sit illa potestas Episcopalis in doctrinâ. Proptereàque tota nostra Episcopalis jurisdictio hodiè videtur saltem apud nos, propemodùm absorpta, partim ex parte Principum & magnatum secularium, qui sibi arrogant multa jura Ecclesiastica contra caput *decernimus* de Jud. præpeditur ne nostra jurisdictio suum sortiatur effectum in excommunicationibus, in citationibus, in causis Ecclesiasticis, in causâ hæreseos, in reparationibus parrochiarum, & aliis spectantibus ad visitationem, partim ex parte Ecclesiasticorum maximè exemptorum. Quod si Episcopus velit cogere plebanos ad residentiam, continuò

aut se exemptos asserunt, aut petunt portionem congruam undè vivant, quàm ut æquum est, non est nobis liberum assignare obstantibus his quorum interest, ita fit ut simus stipites & trunci. Prætereà si sic videatur Synodo, aut sacræ deputationi, ut adjiciatur ultima illa clausula, in quâ dicitur, *Episcopos potiri debere eâ potestate quam hactenùs habuerunt*, oportunum esse videtur, ut paucula hæc verba etiam adjiciantur, secundùm Canones Sacrorum Conciliorum, & Patrum decreta, propterea quòd Episcopalem potestatem explicatiùs & certiùs assignant, & videntur illis os obstruere qui maligniùs Canonem interpretantes, eo ad reformationem morum viam præcludi existimant. Qui enim sibi nimium blandiuntur, suæque libidini tantoperè favent, ut voluptatum amatores sint potiùs quàm Dei, eo Canone niti possent, eâque uti potestate deberent asserere quam hactenùs obtinuerunt, si quandò nostri & Ecclesiasticorum mores castigandi essent. Atque utinàm Præstantissimi Patres, hùc mentem & oculos nostros converteremus potiùs quàm ad quæstiones istas, quas Paulus Apostolus vocat pugnas legis ad subversionem audientium utiles, ad salutem autem minimè necessarias, videmur hodiè Patres, ut ingenuè fatear cum omni tamen quâ decet reverentiâ, non ad œcumenicum venisse Concilium, in quo potiùs agendum foret (quoniàm præcedentibus Conciliis bonâ ex parte determinata sunt, quæ de fide sunt controversa) de formandis & reformandis moribus, tollendis abusibus, & scandalis removendis, quæ irrepserunt in agrum Dominicum nobis fortè dormientibus, sed magis ad scholas, ubi ingenia ostentemus, & quantùm utramque in partem Ethicorum Academicorum more disputando possimus ostendamus, hoc interim minùs curare videmur quàm de restaurandâ Ecclesiæ veteri disciplinâ, dùm hìc otiosi quærimus nùm Episcopi sint jure divino instituti, aut alios disputantes audimus, fortè ovile Christi fidei nostræ commissum à lupis devoratur. Scio quamobrem hæc dico Patres Sanctissimi, & ipse testis abundè esse possum, quantùm prosit præsentia pastorum, & noxia sit absentia, & quàm parùm prosit ad revocandas plebeculas mentes in gremium Ecclesiæ, istarum rerum tàm anxia hoc in loco discussio, ut demus ista non esse omittenda, sed hæc primùm facienda. Cogitandum est primo loco de tollendâ causâ horum malorum quæ hodiè patitur totus Christianismus, corrigenda sunt vitia quibus omnium ordinum homines ubivis propemodùm terrarum corruptos cernimus, in quam curam nisi incumbimus, non video quomodò hic officio nostro fungamur, & quibus modis Zizania ab areâ Domini purgari posse speremus. Hinc igitur Sanctissimi à nobis ipsis & à domo Dei sumendum esse initium existimo, si quis zelus Domini Dei comedit nos; alioqui minimè dubium esse debet, quin magis ac magis in posterùm fiamus spectaculum Deo & hominibus, & ne nostrâ incuriâ Christianus orbis in summum adducatur discrimen, qui ingenti cum desiderio expectavit & expectat hoc sacrum œcumenicum Concilium, tanquàm postremum azilum & remedium ad sedandos hosce fluctus, & turbulentissimarum procellarum impetus componendos, deformatæ Ecclesiæ vicem deplorat, & ut reformetur votis omnibus exoptat, ne hæreditas nostra vertatur ad alienos, & domus nostra ad extraneos. *Thren. ult.* neque impleatur quòd habetur Danielis nono, & *erit abominatio desolationis in templo, & in finem & consummationem durabit tribulatio.* Videtur ergò Patres, ne fallatis expectationem, quam totus penè orbis de vobis concepit. Hæc autem æquo animo accipite quæ dixi, ut minimus Episcoporum omnium, & indignus vocari Episcopus, non ut vos Magistros & Dominos

meos sapientissimos & prudentissimos astantes extimulem, sed ut vobis spontè ad tàm necessarium reformationis negotium currentibus gratuler, ac Deo gratias agam, qui tam sanctam mentem vobis inspiravit, ut nullius egeatis exhortatione. Unum est dicendum, cujus me cœperat oblivio, dum de doctrinâ judicium erat ferendum; in quâ habetur non necessariò requiri in ordinationibus Clericorum consensum plebis, aut cujusvis magistratûs sæcularis. Mihi dubium non est, Amplissimi Patres, quin hæc sententia sit verissima, atqui commodum videretur mihi hoc in tempore infœlicissimo, quo nihil necessarium magis esse existimo, ad continendum in officio populos, quàm suo munere dignos eligi ministros Ecclesiæ, ut in reformatione restituatur Canon ille Concilii Carthaginensis. C. 22. quo cavetur Episcopos sine Consilio Clericorum ordinari, ità ut civium assensum conniventiam & testimonium quærat *Cap. Episcopus* 22. *distinct.* cùm eâ ordinandi ratio videatur ab Apostolis accepta. Scribit enim Paulus oportere Episcopum, sivè Presbyterum, habere bonum testimonium ab his qui foris sunt, nec aliud putandum est significare Leonem Pontificem Maximum Epistolâ 78. Vota, inquit, civium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio Clericorum in ordinationibus constituantur *Cap. vota distinct.* 63. Non quòd propterea Laici habeant liberam potestatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi, cùm institutio sacerdotis non sit, nec unquàm fuerit nisi penès Episcopum, sed quòd liceret cuilibet è populo, si quod vellet crimen ordinando objicere, solamque haberet potestatem dicendi, an idoneus esset, nec ne, quod facilè colligi potest ex Cypriano lib 1. Epistolâ 4. „ Coràm „ omni synagogâ, inquit, jubet Deus constitui sacerdotem, instruit & ostendit „ ordinationes sacerdotales, non-nisi sub populi assistentis conscientiâ fieri oporte- „ re, ut præsente plebe detegantur malorum crimina, vel bonorum prædicentur „ merita, & sit ordinatio justa & legitima, quæ omnium suffragio & judicio fuerit „ examinata. Cujus rei in hodiernum diem quoddam remanet vestigium, dùm in sacris ordinationibus rogantur qui intersunt, an ordinandus sit dignus nec ne, respondet autem quispiam nomine plebis, est dignus. Quod utinàm tàm seriò ageretur, quàm hoc necessarium esse existimo, atque ideò cuperem ut saltem Synodus Sancta decerneret, hujusmodi ordinationes imposterùm fieri debere publicè cum solemnitate, in Ecclesiâ Cathedrali, præsente Capitulo & Clero, idque per seipsos, & non per mercenarios & conductitios. Hæc habui, Patres Reverendissimi, quæ tanquàm duo minuta mitterem in gazophylacium Domini, de proposito argumento dicere, quæ omnia & me ipsum, censuræ & judicio hujus sacratissimæ Synodi submitto.

Finitâ & solutâ Congregatione, Cardinalis Lotharingius dixit, me nimis prolixum fuisse, & extrà propositum egisse de iis, de quibus posteà agendum erat, scilicet de reformatione, cui responsum est à me illa de industriâ dixisse, quia nesciebatur, quæ, qualisve esset nostra jurisdictio, & quòd in ordinandis essent quam plurimi abusus.

A meridie doctè dixit inter alios Franciscus de Baucaire, Gallus, Episcopus Metensis, sed ita, ut visus sit paulò acerbior in obscurandâ & extenuandâ auctoritate Pontificiâ, maximè cùm dixit de Paulo, quia de Petro nihil accepit, nec fuit in eo privilegium, quòd neque ab homine, neque per hominem vocatus sit, & de Matthiâ surrogato in locum Judæ, & quòd Pontifex maximus dictus esset 1æ. sedis Episcopus non œcumenicus, undè solutâ

Congregatione, dictum fuit submissâ voce ab Episcopis Italis, à scabie Hispaniæ incidimus in morbum Gallicum, intelligentes de Aliphano, Episcopo Hispano, qui sententiam dixerat antè Metensem, Gallum.

Dixerunt deindè septem Galli Episcopi, inter quos doctè Carolus Dangennes, Gallus, Episcopus Cenomanensis, & dixit, nullam esse differentiam & dissimilitudinem, inter Apostolos & Episcopos, & quod omninò etiam quoad omnimodam jurisdictionem, Episcopi sunt à Christo instituti.

Die Dominicâ sextâ Decembris celebratâ Missâ in æde, more solito, ubi habita concio, per Franciscanum, qui doctè admonuit Patres sui officii in hoc sacro Concilio, ut medeantur morbis, & hæresibus ubique grassantibus, lugebat Germaniam, Brittanniam, aliasque Provincias maximè verò Galliam, quæ olim fuit fidei Catholicæ observatrix, nùnc verò plena monstris, ad quæ tollenda Regis animus erat paratus, sperabat futurum, ut ejus ope, nec non Patrum Episcoporum qui hùc conveuerant, remedium adhiberi; direxit sermonem ad eosdem Gallos Episcopos, sed absentes tùnc temporis. Pro more absolvit per piam orationem ad Christum servatorem, ut inspiraret mentem senatoribus & proceribus Ecclesiæ præsentibus, tractandi ea quæ spectant ad gloriam Dei & Ecclesiæ, ut doctrinâ & vitâ gregem pascerent.

Die Lunæ septimâ ejusdem mensis inter alios dixerunt duo Itali de institutione Episcoporum, & quòd verior esset sententia Christum solum unum Episcopum constituisse videlicet Petrum, & quòd decreta & decretales Pontificum haberi debent tanquàm Sanctæ Scripturæ, & quòd omnis jurisdictio esset à Papâ.

A meridie dixit inter alios Abbas Cisterciensis maximè pro tuendâ dignitate Pontificiâ, citavit Chrysostomum in illa verba, *tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, ubi plùs tribuitur Petro, quàm cæteris Apostolis, & quòd non ex æquo claves traditæ Petro & Apostolis; censuitque, Episcopos sic esse à Christo institutos, sed per Petrum & summum Pontificem, à quo post Christum, ordo sacerdotalis pendet. Damnavit eos qui dixerunt ex æquo potestatem Apostolis datam.

Hyeronimus, Gallus, Abbas Claravallensis, formavit deindè aliquas conclusiones de Episcoporum institutione.

PRIMA CONCLUSIO.

Episcopi à Christo immediatè instituti, eo sensu, quicumque promoventur ad dignitatem Episcopalem, per actionem Sacramentalem, scilicet per consecrationem, sed Sacramenta immediatè à Christo sunt instituta, igitur potestas ordinis non-nisi per Sacramentum confertur, minor nota est.

SECUNDA CONCLUSIO.

Episcopus à Christo aliquid potest ut sit major Presbyteris, in quantùm est minister Sacramenti Ordinis; id autem non competit simplici Sacerdoti, qui ordinare non potest &c.

TERTIA CONCLUSIO.

Jurisdictio Episcopi à solo Christo non est; duplex autem est missio interna & externa. Interna qua Deus facit aliquem idoneum pro suâ voluntate,

ità

ità vocatus est Paulus à Deo internâ vocatione & donis internis, quæ requiruntur in Apostolis, divisiones gratiarum sunt, 1æ. ad Corinthios. 12. Rogate Dominum messis ut mittat operarios in messem suam. De quâ internâ missione loquitur. Alia est exterior quâ quis canonicè promovetur ad ministerium Ecclesiasticum ab eo qui habet potestatem, & qui per hanc vocatur, non est fur nec latro. Dico igitur jurisdictionem Episcoporum, in quantùm interna est, à Deo esse immediatè, sed est inperfecta sine externâ, & auctoritate superioris, scilicet Romani Pontificis, sine quo non potest exercere quæ sunt jurisdictionis, undè Papa consecrans Episcopum, non solùm dat ei materiam, sed & jurisdictionem.

Dixit ex loco illo *qui operatus est Paulo inter gentes*, Christum determinasse jurisdictionem Paulo ergà gentes. Romanus Pontifex in omnibus functionibus Christi minister, sicut cæteri, sed dico diversos gradus ministeriorum & cooperationum.

Nullus censetur Episcopus institutus qui non sit, vel à Conciliis generalibus, vel à Romano Pontifice, & ex consensu illius explicito, vel impliciro, aut si casus occurreret quominùs adiri posset Pontifex; interpretativè tamen non est ità dicendum, quòd Romanus Pontifex omnia possit pro arbitrio, sed secundùm regulam & ad finem, scilicet ad ædificationem Ecclesiæ, & ad salutem nostram.

Abbas Cassinensis dixit, Papam, os, manum, & linguam Christi.

Franciscus Zamora, Hispanus, Generalis Sancti Francisci de Observantiâ, dixit, scopum omnium hæreticorum esse, ut omnibus machinis sedem apostolicam & hierarchiam Ecclesiasticam expugnent, quibus resistendum est, ut ait Ireneus lib. 3. cap. 2. ad Valen. vocavit Papam creatorem Episcoporum. Dixit Lutherum vocare Episcopos indoctas larvas papales, & quòd quæstio de institutione Episcoporum, non solùm inutilis erat, sed etiam scandalosa, & quòd potiùs agendum foret de executione jurisdictionis Episcoporum, & si Episcopi essent Apostolorum successores, rogavit, ut imitarentur eorum opera.

Die Martis octavâ Decembris, celebratâ Missâ in æde majori per D. Antonium de Muglitio, Moravum, Archiepiscopum Pragensem, Oratorem Cæsareum, præsentibus Legatis & Oratoribus & Patribus, habita est oratio per D. Andræam Dudicium Sbardellatum, Hungarum, Episcopum Tinninìensem, de laudibus Maximiliani, Regis Bohemiæ, docta quidem & elegans, idque pro agendis Deo gratiis ob ejus electionem in Regem Romanorum, unanimi Principum Electorum consensu, Francofordiæ factam.

Die Mercurii nonâ Decembris manè dixit Dominus Antonius de Sapientibus, Augustanus, Generalis Conventualium Minorum Sti. Francisci, & alii.

A meridie Jacobus Laynez, Hispanus, præpositus Generalis Societatis Jesu, dixit, sed non admodùm satisfecit.

Die Jovis decimâ ejusdem mensis à meridie, primus dixit Cardinalis Lotharingius super Canone residentiæ.

Imprimis, tria hinc orta esse damna, quòd abfuerint Prælati ab Ecclesiis suis. Hinc enim tempestas hodierna exorta est. Secundò idololatria. Tertiò, ovium dispersio: & in exemplum multa dixit de Jonâ, Moyse, & lupo oves dispergente, ut est in Evangelio, quibus morbis medendum esset uno aut altero decreto.

In causâ noſtrâ nos eſſe judices dixit & reos, atque ideò deſiderare ſe audire Theologorum ſententiam, ut aptior eſſet ad judicandum locus. Ad reſidentiam (inquit) vocat nos Paſtor ille bonus, Joannis decimo, unusquisque aſcendat per oſtium, niſi fur & latro cenſeri velit, & tria obſervavit.

Primò, ut cognoſcat oves, & vocet eas nominatim, quod vicariâ operâ præſtari non poteſt.

Secundò, ut defendat gregem à lupis.

Tertiò, ut benè paſcat gregem ſibi concreditum.

Quoad primum, de ingreſſu idonei paſtoris hic agendum eſſet, ſubjecit imprimis antè oculos diligentiam Jacob in paſcendo grege, de quâ Geneſis 31. ubi tria ſunt obſervanda.

Quoad cauſas abſentiæ in decreto declaratas, dixit quòd omnis reſidentia de jure divino eſt imperata, ſed iſta affirmativa lex eſt attendenda, nomine legis, videlicet ut liceat quandoque abeſſe ad utilitatem Eccleſiæ univerſalis, vel particularis, ad modicum tempus, modò non adſit evidens ruina gregis, vel ex causâ Reipublicæ, ſicut Epiſcopi, Electores Imperii, quandoque vocantur ad Comitia Imperatoria, & proceres Eccleſiaſtici in Regno vocantur à Rege ex juſtis cauſis, & quòd ipſe abundè teſtis eſſe poteſt, quantùm poſſit præſentia paſtoris apud Principes; ſed qui agunt Romæ, aut in Curiis Principum, debent recedere & reverti ad Eccleſias.

Ex tot tantiſque cauſis docuit apertas eſſe feneſtras ad non reſidendum, & citavit Auguſtinum contra Fauſtum Manich. lib. 22. cap. 6. qui voluerit abeſſe, etiam ad modicum, debet cauſam probare abſentiæ coràm Metropolitano, aut antiquiori ſuffraganeo, abſque eo quòd mittat Romam, juxtà decretum Concilii tempore Pauli tertii, non tamen quòd ſemper ſint obligati ad reſidendum.

Quòd dicitur de Epiſcopo abſolvendo à Confeſſore, non placuit. Imponitur nobis jugum, quod & ego, & Patres portare non poterunt, ſatiùs adjiciendum eſſe putans, ſi uolit redire Epiſcopus, ut ſuſpendatur, excommunicetur, vel aliter puniatur.

De licentiâ quæ conceditur Epiſcopis, ut abſolvant à caſibus reſervatis, non placuit, maluitque reticeri, quià aliàs pauci admodùm ituri ſunt Romam, ut petant ſe abſolvi, etiam ab irregularitate, potiùs reſtituenda eſſet pœnitentia publica.

De reſidentiâ Curatorum, invenienda via ut in poſterùm conſtituantur pii & docti plebani, cùm plerumque mallemus habere Vicarios probos in Parrochiis, quàm paſtores proprios, quorum præſentia nihil aut modicùm prodeſſet. Undè renovandus eſſet Canon, *ut nemo abſolutè ordinetur*. Sed iſta materia ſuo loco relinquenda eſt.

Duo verba in Canone illi non placuerunt, videlicet ubi dicitur, modò ipſe vocationem ſuam non procuraverit. Deindè quod poſtremo loco dicitur, porrò tàm decretum hoc quàmque illud &c: Cum iſtâ lege potiùs in Conciliis Generalibus, quàm in compitis, quod etiam diſplicuit Reverendiſſimo Madrucio, qui ferè ſubſcripſit eidem Illuſtriſſimo Domino Cardinali Lotharingio.

Hic dùm agitur de reſidentiâ, potiùs deſiderat factum, quàm ordinationem, & quiſque ad oves paſcendas eat, aliàs malos malè perdet, & locabit vineam aliis agricolis. Frons eſt occipitio potior, id eſt ac ſi dicat, præſentia eſt melior quàm non reſidentia.

Die Veneris undecimâ manè inter alios ſententiam dixit D. Petrus Anto-

nius de Capuâ Neapolitanus, Archiepiſcopus Hydruntinus, cui decretum non placuit. Imprimis Epiſcopi non ſunt præmiis & gratiis ad reſidentiam invitandi, cauſas abſentiæ hìc inſerendas non cenſuit.

Non imponendam eſſe pœnam peccati mortalis Epiſcopis non reſidentibus.

Gravamina à Principibus ſecularibus illata Epiſcopis propoſuit, quibus adhibendum eſſet remedium.

Non videri ſibi aliquid de Epiſcoporum reſidentiâ tractandum, cùm eâ de re tractatum ſit in eodem Concilio tempore Pauli tertii, & non ità pridem Pius quartus conſtitutione ſuâ tractaverit, & ſatis doctè dixit.

Petro Guerrero Archiepiſcopo Granatenſi omninò decretum non placuit, quòd ſi placuiſſet, ſententiæ Illuſtriſſimi Cardinalis Lotharingi ſubſcripſiſſet, & ex eo deduci poſſe reſidentiam Epiſcoporum juris eſſe humani. Sicque præterit remedium aptiſſimum ad cogendum Epiſcopos perſonaliter reſidere, quod eſt tale, ut Synodus ſtatuat reſidentiam Epiſcoporum perſonalem eſſe de jure divino præceptam: undè præcluditur via his qui juſtis de cauſis prætexunt ſe non reſidere, nam ex non reſidentiis naſcuntur omnia incommoda, & hujuſmodi non reſidentia eſt origo & radix omnium malorum. Itaque rogandus eſſet Deus ut mitteret operarios in meſſem ſuam, & ſimpliciter eſſet ſtatuendum reſidentiam juris eſſe divini (niſi caſus occurreret in quo Romanus Ponfex poſſet juſtâ de cauſâ excuſare) ſic non haberentur tot diſpenſationes de non reſidendo, quæ meritò dici debent diſſipationes. Undè Bernardus ait, diſpenſare, eſt potenter infernum intrare.

Præterea ſibi viſum fuit, parvam eſſe gratiam Papæ, quâ liceat Epiſcopos abſolvere à caſibus reſervatis, præterquàm his qui habentur in Bullâ in *Cœnâ Domini*, qui cum ſint multi, vellet ut conceſſio hujuſmodi eſſet liberalior, ut & Epiſcopi ab hujuſmodi caſibus abſolverent, aliàs vix fieri poterit, ut quiſquam petat, aut mittat Romam ad petendum abſolutionem, tantùm abeſt ut pecuniam aliquam det.

Joannes Baptiſta Caſtaneus, Romanus, Archiepiſcopus Roſſanenſis, à meridie dixit inter cauſas abſentiæ, pauca de viſitatione liminum, ad quam omnes tenentur Epiſcopi.

Ludovicus Beccatellus, Bononienſis, Archiepiſcopus Raguſinus, pius admodùm, dixit reſidentiam partem eſſe reformationis, & quod omninò ſit reſidendum Epiſcopis & Curatis, & ad id compellantur per pœnas, non tantùm ſpirituales, ſed corporales.

Hidruntinus admodùm eloquenter dixit, perindè ac ſi oraſſet, nempè cauſam omnium malorum & calamitatum eſſe abſentiam, & paſtorum negligentiam.

Bartholomæus de Martyribus, Luſitanus, Ordinis Prædicatorum, vir religioſiſſimus, dixit, reſidentiam abbreviatum quod fecit Dominus, & eſſe de jure divino; multa egit de abuſibus ſuæ Diœceſis, Epiſcopatûs nempè Braccarenſis, & quòd providendum eſſet, ut etiam Canonici Cathedralium cogerentur ad reſidendum perſonaliter in ſuis beneficiis.

Philipus Mocenicus, Venetus, Archiepiſcopus Nicoſienſis, Regni Cypri Primas, & Legatus natus, dixit poſteà, ſed non facilè eſt auditus propter gracilem ejus vocem.

Die Sabbathi duodecimâ ejuſdem menſis Decembris, dixit, ubi in decreto agitur de morum correctione non placere ſibi, ut hoc in caſu deferatur appellationi ad Sedem Apoſtolicam, & quia jubentur Epiſcopi reſidere, tollenda eſſe impedimenta, quæ à Principibus ſecularibus inferuntur.

Germanicus Bandinus, Senarum Archiepiscopus, vult mentionem fieri in decreto, de juramento præstito in consecratione quod sint visitaturi limina Apostolorum.

Gaspar de Fosso, Cosentinus, vir bonus, Ordinis Sti. Francisci de Paulâ, Archiepiscopus Reginus, visus est concionari, dixitque residentiam non modò necessariam, sed personalem esse debere, sed non continuam, nam præcepta affirmativa semper obligant, sed non ad semper, sed præceptum residentiæ est affirmativum: igitur pro loco, pro tempore fas est, Episcopo abesse, ut dixit Cardinalis Lotharingius. Potest autem quis abesse utpote vocatus à Papâ, cui parere nos oportet ratione consilii, vel à Principe, & etiam ratione ægritudinis, sunt enim qui si sex menses residerent, morerentur ob loci intemperiem.

Archiepiscopus Pragensis, qui suprà, dixit disputatum esse diutiùs de residentiâ, sed sine fructu, & non sine scandalo, non hìc agendum foret de residentiâ tantùm, sed petenda esset reformatio vera & realis, ut jam petierunt Oratores. Quod verò ad residentiam attinet, dixit summoperè necessariam, quod testari possunt Ecclesiæ in quibus Episcopi non resident, & Episcopum de necessitate juris divini teneri ad regendam Ecclesiam, & curam animarum exercendam: ergò eodem jure teneri ad medium sine quo ejusmodi cura exerceri non potest, scilicet ad residentiam, cum maximè teneantur reddere rationem ovium in die judicii, & imponenda est Patribus necessitas residendi, non quòd propterea velimus ligare manum Summi Pontificis, non quòd etiam Episcopus abesse non possit pro commodo Ecclesiæ, cum sit præceptum affirmativum, allegavit Bernardum in Epistolâ 131. ad Mediolanen.

Initium decreti quo dicitur jure divino nos teneri ad rationem villicationis reddendam, non placet, cum sit nimis universale.

Circà causas absentiæ, quàm prosit quandoque Ecclesiæ, ut Episcopus sit alicujus Regis Consiliarius, norunt ii quibus negotium est cum Principibus. Ubi agitur de Principibus hic videmus (ait) nos Principibus subditos, quod libenter admitterem nisi quandoque essent hæretici.

Pœnitentias promereri, hæc quàm malè sonarent in auribus multorum, alii videant? quòd videlicet Episcopi teneantur ad residendum, & residentibus præmia dentur, quasi aculei & calcaria.

Non placuit de casibus in Bullâ reservatis, cum vix Papalis casus repetiatur, qui non ibi contineatur, propterea non esse de dignitate Synodi, ut roget & hortetur Principes, sed suo potiùs uti debet officio & illis statuere sub excommunicationis pœnâ.

De publicatione hujusmodi Decreti, non placuit, ut nec Cardinali Lotharingio.

À meridie dixit Leonardus Marinus, Genuensis, Ordinis Prædicatorum, Archiepiscopus Lancianensis, in re tàm arduâ (inquit) quò me vertam nescio? Interim dum hic terimus tempus, lupus rapit & dispergit. Sunt qui dicant residentiam juris esse divini, alii humani, alii nolunt leges sibi imponi ad residendum, cum non sint filii servitutis & timoris, sed dilectionis. Fuitque in sententiâ, ut omninò tuenda esset lex de residentiâ quæ tàm est necessaria, ne dicatur nobis, oves meæ dispersæ sunt, quia non erat pastor. Dominus ait ad Zachariam, finge te pastorem & ecce ego suscitabo pastorem qui derelicta consolidabit, & ubi describit conditiones pastoris stulti, deindè

deindè exclamat, O paſtor & idolum? perindè eſt enim habere paſtorem abſentem, & idolum. Dum dormimus, diabolus ſeminat zizania, nunc videmus Regnorum magnam viciſſitudinem, ut in Galliâ, & propptereàque omnes peccavimus.

Cauſæ abſentiæ placent, nec claudendum eſt oſtium Epicheiæ.

Clauſula de viſitandis liminibus, in decreto inſerenda non eſt, licet hoc juramentum non ſit inutile, nempè ad unitatem & profitendum fidem noſtram. Non fuit in ſententiâ eorum qui dixerunt unicum eſſe remedium, ut dicamus reſidentiam eſſe juris divini, cum hoc nihil prodeſſet.

Quintius de Ruſticis, Romanus, Epiſcopus Milletenſis, ex ſcripto dixit, atque imprimis petiit per Papam provideri pauperibus Epiſcopis, qui non habent undè vivant in Epiſcopatibus.

Alexander Piccolhomineus, Senenſis, Epiſcopus Pontinus, utrumque dixit, non ſtare per Epiſcopos, quominùs reſidentia non ſervetur promiſſa per Papam, tàm ex parte Pontificis, quàm laicorum &c.

Jacobus Suretus, Græcus, Epiſcopus Milopotamenſis, Ordinis Minorum Sti. Franciſci, dixit reſidentiam eſſe neceſſariam, jureque divino naturali & humano præceptam.

Decretum hoc demonſtrat dignitatem Epiſcopalem.

Quod ad collationem beneficiorum attinet, non dixit, ne in cauſâ propriâ jus dicere videretur, ſed hìc adhibendum fore remedium, cum ex eâ tanquàm pandorâ naſcantur omnia incommoda.

Die Dominicâ, decimâ tertiâ non interfui Capellæ propter concionem hiſpanicè habitam apud Divum Bernardinum, à Reverendiſſimo Segobricenſi Epiſcopo, Joanne de Munnatones, Ordinis Sti. Auguſtini. Deinde pranſus apud Pragenſem, cœnavi apud Cardinalem Madrutium, cum Reverendiſſimo Lotharingio & Epiſcopis Gallis.

Die Lunæ decimâ quartâ ejuſdem menſis Decembris, dixit Octavianus Præconius Ordinis Minorum Sti. Franciſci, Archiepiſcopus Panormitanus, reſidentiam omni jure neceſſariam, ſed in decreto non apponendum jure divino.

Scipio Bongallus, Romanus, Epiſcopus Civitatis Caſtellanæ, excitavit riſum dùm Cardinalium laudes declamavit.

Angelus Maſarellus Septempedanus, Epiſcopus Theleſinus doctè dixit.

Gabriel de Bouverri, Gallus, Epiſcopus Andegavenſis, ex ſe ipſo protulit ſententiam poſtulans reſidentiam declarari eſſe de jure divino.

Leonardus Daller, Germanus, Epiſcopus Philadelphienſis, propoſuit gravamina Epiſcopi Aiſtetenſis, Domini ſui, & ad riſum provocavit Patres.

Die Martis decimâ quintâ, Ægidius Falcetta Cingulanus, Epiſcopus Caprulanus, dixit cùm hìc agatur de reſidentiâ, nullam de eâ fieri mentionem in decreto; itàque dicendum ut reſiderent, & munia Apoſtolica per ſe obirent.

De pœnis, non placuit ut non reſidens inhabilis redderetur, ne gravaretur proviſus, nec reatus peccati, nec abſolutio Pontifici reſervata, cùm de reſervationibus conquerantur Patres.

Julius Contarenus, Venetus, Epiſcopus Civitatis Bellunenſis, doctè admodùm dixit, & ad reformationem hortatus eſt.

Thomas Cæſellus, Roſſanenſis, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Ca-

nenſis, voluit decretum ſub Paulo 3. ſatius & potius iſto de reſidentiâ, & dixit non eſſe ex dignitate ut iterùm de reſidentiâ agatur; quòd etiam gratiæ conceſſæ reſidentibus per conſtitutionem Pii 4. nuper editam, eſſent hìc inſertæ.

Egit coutra Patres, qui reſidentiam juris eſſe divini contendunt, allegans Haymonem, in primæ ad Corinthios 12. qui videtur aſſerere jure canonico Epiſcopos in Eccleſiis ſuis reſidere. Sed non crediderim hoc dixiſſe.

Die Mercurii decimâ ſextâ Decembris, viſum fuit Patribus de conſtituendo die Seſſionis habendæ intrà quindecim dies.

Dictum eſt reſidentiam juris eſſe divini, non quòd non liceat ob bonum majus abeſſe. Abſuit & Timotheus, & Ambroſius Mediolanenſis; Et qui eſt in diœceſi adeſſe conſtat, propterea dicendum in decreto minùs decere à diœceſi abeſſe.

Quod ad cauſas abſentiæ dictum eſt, aut omnes exprimendas, quas eſt difficile exprimere ob varios caſus emergentes, aut ſola hæc clauſula generalis ſic apponenda, *niſi juſta & notabilis cauſa ſubſit.*

Thomas Stetta, Venetus, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Juſtinopolitanus, dixit nullo pacto apponendum eſſe, reſidentiam eſſe juris divini, alioquin tonitrua audirentur ab Aquilone, etſi fuerit juris divini, quomodò diſpenſabit Papa, qui non poteſt contra jus divinum diſpenſare, licet interpretari valeat, & pernegavit reſidentiam eſſe juris divini, ſed potiùs Eccleſiaſtici. Voluit ſtandum eſſe primo decreto de reſidentiâ tempore Pauli tertii, nec voluit novum de reſidentiâ niſi quòd jam aliquandò dixit, placeat, quia omnibus placuit. Sola reſidentia perſonalis, ſi nihil proficiat nulla eſt, cùm potiùs juris divini eſſet, ut quis non reſideat cùm nihil profit.

Die Jovis decimâ ſeptimâ Decembris, multis viſum fuit decretum non eſſe publicandum, cùm de reſidentiâ jam confectum decretum ſit eodem in Concilio ſub Paulo tertio.

Sententiam dixi eodem die, primò commendatiſſimam eſſe Epiſcoporum præſentiam, exemplo Jacob qui in paſcendo grege ſoceri ſui Laban conſtantiſſimus fuit, in perferendis frigoribus & æſtu, diu noctuque vigilans, fidelis & diligens; nam abſentia paſtorum, eſt præcipua cauſa & caput malorum quibus concutitur orbis; qui ſi reſideant rariores eſſe hæreſum aſſertores. Digniſſimum igitur argumentum in quod intendat oculus Epiſcopi, ſed quòd definiri breviter poſſit, nimirùm ſi jubeantur ad amuſſim obſervari Canones, eâ de re antè editi, C. Apoſtolorum 13. C. 8. 11. & 14. Concil. Laodicen. C. 2. Concil. Antioch. C. 9. & 24. Octavæ Synodi. Decretum de reſidentiâ ſub Paulo tertio promulgatum, & conſtitutio Pontificis nuper contra non reſidentes edita, nec puto neceſſarium eſſe anxiè querere, ſit reſidentia juris divini nec ne, quandoquidem conſtat non modò non eſſe utilem, ſed ſummè neceſſariam. Dabo tamen meum exiguum obolum ne videar rem dignam non nihil contempſiſſe. Priùs tamen cum veniâ hoc dictum volui, ſatis jam ſatis adverſariis noſtris fabula fuimus, videamus ne dicatur nos more Gygantum Deo bellum inferre, ut quemadmodùm montes montibus imponentes Deos è cœlo deturbare, & hominibus æquales reddere conantur, ſic nos Canones, Canonibus, diſputationes diſputationibus addentes videamur perſuadere velle juris eſſe humani, quod juris divini eſſe dignoſcitur. Ut igitur hoc argu-

mentum uno verbo absolvam, mea hac de re erit sententia hujusmodi. Quando quidem ex præscripto juris divini tenemur pascere gregem nobis concreditum, agnoscere vultum pecoris, vocare nominatim, illi invigilare, Sacramenta administrare, ordinare, visitare, quæque functionis sunt Episcopalis, ea omnia sedulò exequi, & quod est in proverbio, Spartam in quâ nati sumus ornare, idque per nos ipsos, non per mercenarios suffraganeos, ita necessariò astringimur residere, non quidem expresso Dei verbo, sed ex consequentiâ & dependentiâ præcepti divini, quâ expresè Dei verbo præcipiuntur Episcopis ea, quæ præstari nullo modo possunt sine residentiâ. Nam cum aliquid est præceptum, ad quod implendum necessariò requiritur alterum, quo jure unum præcipitur, alterum quoque eodem jure præceptum censetur. Exempli gratiâ, de potestate sacerdotibus concessa peccatores absolvendi, & peccata remittendi, quod exequi non possunt, nisi pœnitentes confiteantur peccata sacerdotibus, undè jure divino præcepta censetur confessio, licet de eâ non fiat expressa mentio in sacris paginis. Itaque mihi videri residentiam jure divino imperatam & sancitam more cæterorum præceptorum affirmativorum, quæ quidem obligant semper, sed non pro semper, sed pro tempore duntaxat & loco; actum enim inquiunt Theologi exigunt hujusmodi præcepta, in continuo autem actu esse, cumque nullo temporis momento intermittere, nemo nescit esse longè supra vires imbecillitatis humanæ: quare fateor esse tempus quoddam, cum non minus prosit, imò commodius fuerit Episcopum abesse, quàm adesse, propter scilicet majus Reipublicæ, Ecclesiæ universalis, vel particularis commodum. Equidem è re Ecclesiasticâ esse puto, ut Imperatori, Regibus, Principibus, adsint à Consiliis docti, graves, & quod est omnium primum probatissimæ fidei Episcopi, aliique Prælati, qui suo consilio & hortatu, propensiores reddant Principes, ad profliganda harum tempestatum studia, & ad occurrendum his malis quæ pro suâ prudentiâ & ingenii perspicacitate fortasè prospiciuntur ventura; sed quia hoc argumentum Cardinalis Lotharingius dixit tàm doctè, apertè, tantâ sententiarum gravitate, argumentorum pondere, ut novæ & iniquæ rei propemodùm videri debeat studiosus, qui ei sententiæ vellet reclamatum, prudentissimo ejus judicio, & exactissimæ sententiæ, cùm hìc, tùm in cæteris ad decretum animadversionibus subscribo.

Ad decretum venio in quo paucissima dicam quæ non-nulla visa sunt repurgatione indigere, cùm in verbis, tùm in sententiis. Primùm initio commodiùs dici posset, *& illi omnium maximè quibus animarum cura est commissa*, paulò post dicitur *diversæ pœnæ*, aut expungere hoc nomen *diversæ* aut loco ejus surrogare *variæ* cùm hoc nomen *diversæ* apud Latinos repugnantiam quandam probet.

Quoad causas quibus fas est Episcopis abesse, ut gregem derelinquant, videntur commodiùs in hanc clausulam revocandæ, *nisi summa urgeat necessitas, vel evidentissima, Ecclesiæ, vel Reipublicæ, id exposcat utilitas quæ à Metropolitano esset approbanda.* Post innumeras absentiæ causas subjiciatur clausula generalis, *vel si similis causa subsit.*

Hic video multa prudentissimè adjecta quæ afferrent absentiæ cupiditatem adumbratam. Verùm hanc clausulam sublatam esse vellem quæ justissimas etiam absentiæ causas adferret, & latiorem pateretur explicationem, quandò æquum sit & expediat; cùm enim hæc doctrina satis multas conti-

neat absentiæ causas, non videtur in Sanctis inserenda constitutionibus; quæ plerumque magis facerent ad destructionem, quàm ædificationem, & fenestras ut ità dicam, aperirent ad absentias.

Ubi agitur de pœnis in non residentes, non placet *reatus culpæ*, nec ut Episcopus ***non absolvatur à Confessore***: ne hoc nimis grave jugum sit & molestum.:

Ut plenius Episcopi suum exerceant munus, laudo piam Sanctissimi Domini nostri Papæ voluntatem, qui non-nihil de suo jure cedit Episcopis, modò concessio illius sit laxior, & liberalior, & protrahatur ad casus in Bullâ Cœnæ reservatos, & absolvantur Episcopi à visitatione liminum, sed & Episcopi imitatores Patrum voluntatis, debent & Parochis non-nihil de suo jure cedere, ad timidarum conscientiarum securitatem.

De collatione beneficiorum in mensibus Apostolicis, hinc quasi ex pandora Hesiodi omnium malorum & morborum agmen erupit, atque adeò adhibendum erit remedium.

Quòd tàm benignè hortetur Principes Synodus, non est ex dignitate Synodi, quæ seriò illis injungere & præcipere debet nè sub pœnâ Anathematis latæ sententiæ, gravent Ecclesiasticos decimis, quas ipsi subsidia charitativa vocant. In plerisque locis videre est quàm indignissimis modis tractent omnis ordinis Ecclesiasticos, eosque crebris vexent exactionibus, prærer omne jus & fas, citrà Episcoporum & Cleri consensum. Hæc quidem gravamina sunt à Synodo tollenda.

Ubi agitur de Curatis adhibendum esset hìc remedium, ut provideretur de personis idoneis, cum plerumque malint habere vicarios in Parochiis, quàm Curatos residentes, atque ideò revocandus Canon. Cal. Conc. ***ut nemo absolutè ordinetur***.

Prætereà Exempti putant sibi indultum à Sede Apostolicâ, ut non resideant in suis beneficiis, saltem majori parte anni, quòd videantur residere in majori Ecclesiâ.

Publicatio hujusmodi decreti facienda in Cancellariâ, nullo modo placet, ideò retinenda postrema decreti pars.

Hæc sunt quæ circa propositum decretum dicere decreveram, quæ vestro consilio, & calculo hujus Stæ. Synodi, & me ipsum subjicio.

Die Veneris decimâ octavâ, celebrata Missa pro defuncto Rege Navarræ apud Divum Bernardinum, præsentibus Cardinali Lotharingio & Episcopis Gallis.

A meridie Martinus Perezius de Ayalâ, Hispanus, Episcopus Segobiensis, doctissimè multa ad reformationem spectantia dixit, quæ sibi videbantur priùs discutienda, quàm de residentiâ tractaretur, quam juris divini esse dixit, ut Episcopi sint à Deo instituti, nec per hoc imminui auctoritatem Summi Pontificis, imò qui aliud dicunt, non cupiunt honorem illius. Quomodò Episcopus potest cogere curatum ut resideat, nisi habeat portionem undè vivat?

Quod autem dicit residentiam de jure divino esse. Consideranda est duplex, in ordine ad actum, & hæc est juris divini, & in ordine ad applitionem, & hæc est juris humani.

Posuit tria Capita justæ absentiæ, scilicet obedientiam justam, urgentem necessitatem, & obligationem. Maximi-

Maximilianus Doria Genuensis, Naulensis dixit residentiam juris esse divini secundùm distinctionem.

Segobiensis Episcopus multa petiit à Papâ seu Synodo, super quibus petebat justitiam administrari.

Eustachius Bellayus, Gallus, Episcopus Parisiensis in initio dixit se cupere præsentiam Pontificis Maximi in hac Synodo, ut audiat nostras Tragœdias, in hac materiâ de residentiâ, quæ jàm duobus mensibus agitata fuit, quæ utilis & summè necessaria est.

Episcopi à Deo instituti, non ut sint otiosi, sed ut munus suum obeant; munia enim Episcopi non possunt exerceri, sine præsentiâ. Allegavit quædam decreta Nicolai primi contrà Episcopos negligentes.

Proponere volebat impedimenta residentiæ, nisi hoc fecisset Segobiensis. Concubinæ, inquit, quas tenemus cum excommunicationibus, sunt in causâ ut non liberè loquamur de reformatione. Vigilandum cum grege suo, sicut Christus initio nativitatis apparuit pastoribus vigilantibus.

Cyprinus perstitit ut residentia esset juris divini, & hoc in decreto inserendum, loco præmiorum quæ in decreto proponuntur residentibus, vellet proponi impedimenta per rationes. Pœnæ decreti, reducantur ad pœnas juris.

Albertus Duimius de Gliricis, Episcopus Veglensis, doctissimus, multa dixit.

Omissio debiti officii, peccatum est. Thomas in 2a. 2æ. quæstione 75.

Opus pascendi summè necessarium, & est fundamentum reformationis. Jure divino præceptum est pascere, jure etiam naturæ tenemur præstare opus propter quod recipimus mercedem, & proventus Ecclesiasticos.

Dissensio inter Patres, quòd alii dicant perpetuò, & per nos ipsos pascere jure divino teneri, & ad residentiam, alii non.

Pascere personaliter debemus secundùm Paulum qui ait, *væ mihi, si non evangelisavero, necessitas enim mihi incumbit.* Vide Cap. 8. Synodi 8.

Præmium decreti nimis universale, & videtur quod dicendum est initio *præpositi alicui muneri Ecclesiastico,* & cum omnes teneantur jure divino reddere rationem villicationis.

In decreto inserendum esse *jure divino, & naturali.*

Narrativa decreti, dispositiva, exceptiva, punitiva, indicativa & executiva displicuerunt; sic nihil in decreto remanet.

Exceptiones justæ absentiæ, impossibilitas, charitas & ubi de præmiis agitur, non placuerunt, sed remaneant Pontifici, quæ antiquitus illi tradita fuerunt, sic Episcopis.

Item restituantur quæ antiquitùs habebant, cùm omnes penè exempti sint ab Episcopis, tot indultis & concessionibus.

Die Sabbathi decimâ nonâ Decembris Ægidius Fuscararius, Bononiensis, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Mutinensis, Vir doctus: dixit, quòd ex præcepto Dei astricti sunt ad residentiam Episcopi, & quòd cuperet in decreto hoc inseri, quod facit etiam ad illustrandam dignitatem Pontificiam: quòd autem quidam dicunt nihil unquàm profuturum, dixit se credere verbo Dei quod nunquàm redibit vacuum.

Exceptio quâ cui fas est abesse ab Ecclesiâ, videlicet causa hostitilitatis, est contraria Augustino. Placet ut qui duo habet beneficia, quorum alterum curatum, alterum simplex, in curato residere cogatur.

De publicatione hujusmodi decreti in locis publicis, non placet nisi quod qui instituentur imposterùm ad aliquod beneficium, jurabunt se observaturos hoc decretum.

Die Dominicâ fuit Capella more consueto.

A meridie nulla Congregatio.

Die Lunæ vigesimâ primâ, à meridie inter alios, dixit Bartholomæus de Capranicâ, Romanus, Episcopus Carinensis, jure divino residendum & hoc opus Episcopale per se, non per mercenarium præstandum, ut colligitur ex decreto de residentiâ in eodem Concilio sub Paulo 3.

Optaret ut declararetur quanto tempore quis abesse posset. Ubi agitur de beneficiis in titulum, vel commendam, dixit quod vox commendæ, tollenda est, & usus illius, quòd commenda videatur ad corrodendum introducta.

Bellisarius Balduinus, Neopolitanus, Episcopus Larinensis, Vir bonus, dixit principium decreti non placere, non quòd falsum, aut aliquam impietatem contineat, sed quòd nimis universale, non tangens materiam de quâ hìc agitur, quæ est particularis & magni momenti, ex eo quòd de reddendâ ratione vellicationis agitur, & quòd introducere videmur sententiam Ambrosii Catharini, qui residentiam dixit juris esse humani. Deindè quid dicent adversarii, nisi residentiam jure divino asseramus, & in decreto inserendam. Vellem igitur declarari jus quo tenentur Episcopi residere, si enim notum est juris esse divini, cur non inseritur? aliàs si materia non est certa, proponatur Theologis discutienda, quanquàm ipse non dubitat juris esse divini, sed ferre non potest quod sit juris divini, & tamen in decreto non declaretur, allegevit Thomam 2a. 2æ. quæstione 183. articulo 5.

Ambianensis doctè dixit, atque inter cætera inserendum in decreto non solùm ut resideant Episcopi, sed etiam omnia munia Episcopi inserantur quæ ipsemet exerceat, ecquid enim alioqui residere prodesset?

Spinellus Bencius, Politianus, Episcopus Montis-Politiani dixit, imprimis habendam esse rationem eorum quæ annotata sunt circa impedimenta Prælatorum, cum in Regno Neapolitano suppressa penè sit omnis jurisdictio Ecclesiastica, aliàs, (inquit) residere non possumus.

In stabiliendâ verâ residentiâ, tria sunt observanda, primò, ut nominationes, sive præsentationes Prælatorum sint bonæ & legitimæ, quod fiet si duo observentur. Quòd primò antè omnia eligantur tales Episcopi & plebani qui meritò & probabiliter residere debeant. Secundò quod tales nominentur quales Paulus requirit. Hodiè verò in Ecclesiâ pastores paucissimi & mercenarii multi, & provideat Synodus, ut residentia sit stabilis, & quòd Episcopi habeant sua munia libera ad hoc, ut possint suas regere Ecclesias. Tertiò declaret quo jure teneamur ad residentiam, quàmvis quoad se tàm habeat certum de jure divino residentiam esse, atque illud philosophicum *totum est majus suâ parte*. Idque propter multas causas jam allegatas, ut sit notum omnibus juris esse divini, sed etiam ut provideatur necessitati Ecclesiæ, ut omnes intelligant, Episcopos ex præcepto juris divini teneri ad residentiam in suis Diœcesibus.

Die Martis vigesimâ secundâ Decembris, multi Patres dixerunt, sed non interfui ex consilio medici, neque die Mercurii, à quo intermissæ fue-

runt Congregationes propter festa Natalia, usque ad diem Martis 28. sequentem.

Die Lunæ 27, quæ erat festum Innocentum, celebrata fuit solemnis processio pro pace & tranquillitate Regni Galliarum, & extirpatione hæreticorum dicti Regni, & ad Oratorium Sancti Petri itum est.

A meridie venit Cursor à Galliis ad Cardinalem Lotharingium, vel ex parte Ducis Sabaudiæ, qui nuntiavit conflictum habitum inter exercitum Regium & Principis de Condé, non procùl à Ramboüillet, atque initio quidem satis infœliciter pugnatum, quia prima acies exercitûs Regii rupta fuit, captis interim Conestabili & Mareschallo Sti. Andreæ, verùm Deus misertus Regni, victoriam dedit Duci Guysiano, qui mox repressit impetum adversariorum, & cum militibus Hispanis, qui venerant in auxilium Regis, aliisque militibus magno impetu irruit in exercitum adversariorum, quem fudit, maximamque cladem intulit, capto interim Principe de Condé vulnerato; adeò ut pauci, circiter octingenti qui deducebant captivos remanserint, quos exercitus Regis prosequebatur. Statim litteris acceptis per Cardinalem, invisit Legatum Mantuanum certiorem facturus de rebus gestis, quibus auditis ipse cum aliis Legatis, Cardinalibus & Episcopis, adiit summum Templum, acturus gratias Deo cum cantico (*Te Deum*) & oratione pronunciatâ per Episcopum Parisiensem, deindè circiter vigesimam quartam horam,bonâ pars Episcoporum comitata est funus bonæ memoriæ, Cæsaris de Cibo, Genuensis, Archiepiscopi Taurinensis, qui pridie obierat, usque ad Sanctum Petrum, serò autem Cardinalis Lothar. cum Episcopis Gallis curavit strui rogum in signum lætitiæ ob dictam victoriam.

Die Martis 29. Andreas de Cuesta, Hispanus, Episcopus Legionensis, inter multa dixit, residentiam jure divino imperatam.

Carolus de Angennes, qui suprà, Episcopus Cenomanensis, sententiam dixit eodem die disertè & eloquenter.

Die Mercurii trigesimâ, à meridie actum fuit de Sessione proximâ, & conclusum quod intrà quindecim dies deliberaretur.

Inter alios Granatensis dixit, mirari se quòd toties deliberaretur de re eâdem sine fructu, & quod mutetur ordo in dicendis sententiis, ne Patres sint adeò prolixi, & quòd Legati dividant Episcopos per classes, ut breviùs audiantur vota omnium, & ea postmodùm ad Synodum referantur.

Pragensis reservavit se ad dicendum post quindecim dies.

Andreas Duditius Bardellatus, Hungarus, Episcopus Quinque-Ecclesiensis, sententiam dixit super decreto perspicuè, doctè, & graviter, cum applausu omnium. Dixitque residentiam non inveniri in litteris Apostolicis & Propheticis, nisi apud Canonistas. Deindè triplicem esse, superstitiosam ut non liceat unquàm à Diœcesi discedere. Hypocritam qualis eorum qui corpore tantùm præsentes sunt.

Tertiam veram, realem & effectualem, ut videlicet Episcopus per se ipsum pascat gregem, verbo, vitæ exemplo, & sacramentis, hanc jure divino imperatam dixit; Adeòque necessariam ut non fas sit Episcopo abesse nisi justis & legitimis præpeditus fuerit causis, videlicet ob justam obedientiam, necessitatem, & charitatem ut dixit Segobiensis, quibus casibus licet abesse, & causâ majoris boni & quandò Episcopi habent munera publica & secularia, ratione Episcopatuum, ut in Hungariâ. Quod autem li-

ceat quandòque abesse, probavit ex Augustino in Epist. 185. ubi scribens clero & populo Hypponensi, ait, se quidem corpore absentem, sed spiritu præsentem, & absentem quidem non licentiosâ libertate, sed necessariâ servitute, ut propter ægritudinem.

Eodem die venit novum de morte Dandelot Marefchalli Sti. Andræ, & Filii Conestabilis, & quod Dominus de Damville cœperat Principem de Condè in conflictu quem habuit Illustrissimus Dux Guysianus adversùs hæreticos, & quod Dux Nivernensis fuerat vulneratus.

Segobiensis mihi dixit quod timebat ne Legati deciperent Cardinalem nostrum, & quòd nihil minùs cuperent quàm reformationem, sed potiùs solutionem Concilii, & quod illum Hispani multum observabant, quasi sit in puncto ut sit auctor Ecclesiasticæ libertatis, & sacræ reformationis, quemadmodùm frater ejus restituerat Regnum in integrum cui multum debebat tota Gallia.

Ultimis diebus Vesperæ celebratæ sunt solemnes in æde majori, & deputatus fui ad ministerium, & sequenti die videlicet primâ Januarii anni millesimi quingentesimi sexagesimi tertii Missam celebravi in quâ orationem habuit D. Robertus Fournerius Doctor Gallus.

Die Sabbathi horâ vigesimâ dixerunt tres Hispani, Ascisclus Moya de Contreras Episcopus Vicensis, Arias Gallego Episcopus Gerundensis, & Antonius Gorrionero Episcopus Almeriensis, doctè & piè. Gerundensis dixit amovendos esse à confectione decretorum Curiales, & eos qui tàm libenter remanent in Romanâ Curiâ & qui volunt habere plures Episcopatus, & Abbatias, quodque nihil hactenùs reformatum, licet sanctissimus in Bullâ convocationis Concilii hortetur ad reformationem & morum & abusuum.

Almeriensis Episcopus, pastores, dixit, teneri ex præcepto juris divini residere, & citavit Athanasium in quâdam Epistolâ ad Episcopos Sardinis, ubi ne paulisper quidem abesse fas est, & tamdiù tenentur residere quamdiù oves egent præsentiâ pastoris, ferè autem semper egere censentur.

Die Dominicâ tertiâ à meridie dixerunt Petrus Faunus Costacciarius, Aquensis, & Joannes Carolus Bovius, Bononiensis, Ostunensis Episcopi, primus fuit in sententiâ eorum qui juris divini residentiam esse tuentur. Hic fuit ejusdem opinionis, & citavit multos auctores, inter quos Innocentium in quodam decreto.

Hugo Boncompagnus, Bononiensis, Episcopus Vestanus, multa dixit, ut probaret Episcopo non licere per noctem abesse sine Superioris licentiâ.

Bernardinus Delbene, Florentinus, Episcopus Nemausensis, dixit frustrà agi, nisi agamus pœnitentiam de peccatis, & pœnitentiam etiam publicam, & visus est concionari, verum inter cætera dixit, contra jus divinum esse statuere residentiam esse de jure divino, licet pia sit opinio. Abusus intollerabiles allegavit.

Joannes de Quignones, Hispanus, Episcopus Calaguritanus, dixit, nullum præsentiùs remedium quàm statuere residentiam juris esse divini, & lege divinâ Episcopos ad residentiam teneri, initium sumpsit ab eo quod vulgò dicitur: *ad sylvam ne ligna feras.*

Die Lunæ Congregatio facta, in quâ Itali quidam Canonistæ satis doctè dixerunt. Nisi quod Philippus Gerius, Pistoriensis, Episcopus Assisiensis, conquestus est de pensionibus civitatum. Die

Die Martis quintâ Januarii, Vesperæ celebratæ fuerunt per Didacum de Almansa, Hispanum, Episcopum Coriensem, quibus finitis, jussu Cardinalis Lotharingii invisi Granatensem & Segobiensem, quibus ostendi quosdam Canones missos ab urbe, in hunc qui sequitur modum.

Si quis dixerit, Episcopos à Romano Pontifice constitutos non esse, positos à Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, neque presbyteris majores, anathema sit.

Deindè serò paulò antè cœnam Reverendissimi dicti Cardinalis, advenit ad eum è Galliâ nobilis quidam ex parte Regis & Reginæ matris, qui illi narravit quæ gesta erant in Galliâ superioribus diebus, in conflictu inter exercitum Regium & Principem de Condé. Et quòd spatio viginti quatuor horarum, Regina mater, Rex, & tota Lutetia arbitrabantur actum esse de Regno, & quòd adversarii obtinuissent victoriam; sed paulò post missus est ab invictissimo Principe Duce Guysiano Dominus Cossœus ad Regem, & uxorem suam, ut indicaret quomodò se haberent negotia, captus fuit Conestabilis & Mareschallus Sti. Andreæ interfectus, aliique multi nobiles exercitûs Regii sunt capti, & interfecti, inter quos la Brosse, Givry &c. Captus fuit Princeps de Condé, & traditus in manibus Ducis Guysiani, qui eum humanissimè excepit, & admonuit officii, quòd rebellis fuerat in Principem suum, & cogitaret priùs de conservando capite, quàm de Regni gubernaculo.

Regina mater admonuit inter cætera Cardinalem Lotharingium per litteras, ut esset causa restitutionis Ecclesiæ, & ageret de seriâ reformatione in Concilio, undè sequi posset tranquillitas firma Ecclesiæ & publica.

Propositum fuit Legatis Regiis (ut fertur) de communione sub utrâque specie, & de Psalmis gallicè cantandis in Missâ.

Nonnihil deliberatum inter quosdam num expediret centum monasteria Regni destinata esse usui Regis, ut indè decimæ Ecclesiasticis illatæ à Rege, cessarent. Omnis autem novitas metuenda nimis, quod Deus avertat.

Die Mercurii non fuit Congregatio propter Capellam in die Epiphaniæ.

Die Jovis 7. Januarii in Congregatione, inter alios dixit Petrus de Albert, Gallus, Episcopus Convenarum, qui inter alias absentiæ Episcoporum causas, voluit haberi rationem dispensationis, juxta cap. cum pridem de &c.

Petrus Danesius, Gallus, Episcopus Vaurensis, primùm ad reformationem hortatus, dixit, quòd licet residentia sit juris divini, non tamen existimat declarationem hanc faciendam esse, nisi declararentur particularia Episcopi officia.

Alexander Sfortia de S. Fiora, Episcopus Parmensis, admonuit satis juveniliter & imprudenter, ut nonnulli Patres mitiùs agerent cum Curialibus, alioqui futurum, ut illis respondeatur.

Martinus de Corduba de Mendozza, Hispanus, Ordinis Prædicatorum, Dertusensis Episcopus, post Petrum Gonzales de Mendozza Hispanum Episcopum Salamantinum, contra opinionem aliorum Hispanorum, dixit, non expedire hoc tempore, ut declaretur residentia juris divini, & præsumptuosum, ut aliqui petant à Synodo, cum sit Pontificis, qui est director Concilii, proponere in Concilio, & nostrûm super propositis dicere nostras sententias, tamen multùm parti quæ residentiam jure positivo asserit, favit.

Dixit, quod Papa tenetur de jure divino compellere paſtores ut reſideant, tollere impedimenta quæ fructuoſam reſidentiam impediunt, auferre regreſſus & ſimiles gratias, conſolari, defendere Epiſcopos adversùs quoſcumque, & quòd præmia non ſunt tam gratiæ, quàm æquitatis.

Die Veneris octavâ Januarii, Petrus de Xaque, Hiſpanus, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Nioquenſis, ſatis acerbè dixit, contra eos, qui petunt declarationem juris divini circa reſidentiam & reformationem, quam petierunt nonnulli Oratores.

Melchior Avoſmediano, Epiſcopus Hiſpanus Guadicenſis, dixit, munia Epiſcopalia jure divino præcepta eſſe, ergò & reſidentiam ſine quâ exerceri nequeunt. Athanaſius in Epiſtolâ ad Epiſcopum Cretæ, & aſſiduitatem reſidentiæ probavit, & uſque ad ſanguinis effuſionem, ex dictâ Epiſtolâ Athanaſii ad dictum Epiſcopum.

Peccatum eſſe grave & mortale abeſſe à Diœceſi abſque urgentiſſimâ causâ, undè inſtanter petiit declarari jure divino præceptam eſſe reſidentiam, juxtà illud ſapientis, quodcumque poteſt manus tua inſtanter operare. Vult tolli abuſus, ut pluralitatem beneficiorum, ut fecit Clemens IV. filio ſuo legitimo, qui illi non permiſit, ut plura haberet beneficia, ſed uno contentum voluit eſſe, contra abuſum.

In decreto ubi agitur, non fas eſſe cuique primati, nec Epiſcopo &c. velle fieri mentionem, ut Cardinalitia dignitas non exciperetur.

Circà abuſus dixit, aliquem fuiſſe in Legionenſ. Diœceſi, qui 28. aut 30. habuiſſet beneficia.

Didacus de Leon, Hiſpanus, Ordinis Carmelitarum, Epiſcopus Columbrienſis dixit, ſenatum hunc diviſum circà reſidentiæ præceptum, ſe eſſe in ſententiâ, ut ſit juris divini, ſed licet vellet declarari in decreto, eſt in dubio an declarandum ſit.

Annibal Sarracenus, Epiſcopus Licienſis, dixit ex ſcripto & prolixè, ſed ita ſubmiſsè, ut vix à quoquam audiri potuerit. Ajunt virum bonum eſſe, mediâ nocte ſurgere ad orandum, & abſtinere à vino, à tempore quo Tridentum venit.

Die Sabbathi nonâ Januarii, aliqui Itali dixerunt Canoniſtæ, inter quos Theophilus Gallupus, Tropienſis, Epiſcopus Oppidenſis, dixit, Epiſcopos neque à Deo, neque à Petro poteſtatem habere, ſed à Principibus, qui abſorbent totam juriſdictionem Eccleſiaſticam, & movit riſum.

Dominicâ 10. Januarii, Cardinalis Lotharingius celebravit Miſſam ſolemnem de Corpore Chriſti præſentibus Legatis, Oratoribus & Patribus magno ritu, cum admiratione omnium, Epiſcopus Metenſis orationem habuit prolixam & doctam pro agendis gratiis Deo ſuper victoriâ obtentâ contrà Huguenotas per Ducem Guyſianum cui poſt Deum, regnum hanc victoriam debet, res geſtas à dicto Duce & ſtatum rerum Gallicarum ab Henrico ſecundo, conflictum habitum inter exercitum Regium, & Principis de Condè memorans, cum apoſtrophè ad Ducem, Magiſtrum Equitum, & ſtrenuos milites qui pugnarunt pro religione, memoriam etiam faciens defunctorum maximè Broſſii, Bellovaci Givry, & Mareſchalli Sti. Andreæ, & aliorum Catholicorum pro quibus die craſtinâ celebrabitur Miſſa per Epiſcopum Meldenſem Ludovicum de Breзè; Deindè admonuit Concilium ut ſeriò

procedat ad negotia reformationis, nec relinquere intacta nisi velit experiri ruinam Christianismi, & quod factionibus suspensum hactenùs fuit, & translatum, & cùm hodiè per verè pium summum Pontificem inchoatum sit, tàm frequentissimum & celeberrimum, non debere permittere ut suspendatur & solvatur, maximè cùm operam allaturus sit Ferdinandus Cæsar & Rex Catholicus.

Die Lunæ undecimâ celebrata est Missa per Episcopum Meldensem pro defunctis Catholicis militibus in conflictu Gallico.

A meridie in Congregatione dixerunt inter alios Franciscus Delgado Hispanus, Lucensis Episcopus, doctè & liberè super decreto. Et Jacobus Gylbertus de Nogueras Episcopus Aliphanus. Lucensi quidem minus placuit quòd in decreto utantur his verbis præfecti & præpositi, quia videntur innuere jure positivo institutos esse, habentes potestatem ab his à quibus præficiuntur & præponuntur, quòdque hujusmodi decretum videatur confectum hac arte, quâ septimus Canon de quo tanta controversia fuit; utendum esse nomine Episcoporum, ut in Canonibus Episcoporum, & quòd statuatur Episcopis, per se ipsos residere.

Ubi dicitur *abire ab Ecclesiâ*, non placet. Quia non includit residentiam, præcipuè Cardinalatum esse incompatibilem cum Episcopatu, quod confirmavit ex usu Ecclesiæ Romanæ. Nam dùm Pontifex creat aliquem Cardinalem aufert illi titulum suæ Ecclesiæ, & dat illi in commendam, & probavit ex capite de potestate Prælatorum.

Ubi agitur de peccato mortali, vellet inseri propter transgressionem juris divini, & naturalis, & quamvis residentia esset juris positivi, adhuc tamen peccarent mortaliter.

Videretur illi inconveniens, ut in decreto dicatur Sanctissimus Dominus noster, cùm non utantur præcedentia Concilia; deindè adversarii dicent nos deferre plus Romano Pontifici, quàm Christo, qui vocatur Christus Dominus.

Instantissimè petiit declarationem juris divini, & quia Neoquensis dixit, imprimis reformandos Principes, multa dixit de laudibus Regis Catholici, qui sanctè providet Ecclesiis, & Regna gubernat cum omni justitiâ, adeò ut nolit eum comprehendi ab eo qui talia dixit, cùm sit Hispanus; & quod licet Principes nolint reformari, tamen imprimis reformandam esse Ecclesiam, & admittendos saltem aliquos Principes, maximè Regem Catholicum in regendis nostris Ecclesiis.

Mutandus ergò ordo gubernandi Ecclesiam, alioqui futurum, ut diù non duret propter tot abusus, quorsum enim attinet conficere trecentas leucas, & Romam adire pro consequendâ justitiâ? satius fore jus suum indefensum relinquere, quam tantis sumptibus suum prosequi; ut probè expertus est pro Canonicatu Toletanæ Ecclesiæ.

Aliphanus, qui suprà, doctè, liberè & satis prolixè dixit de decreto quod sibi non placuit; nisi in uno, videlicet majori opus esse declaratione, quam ut adferret scripturam de quâ in Decreto sub Paulo III. *attendite vobis* & qui locus declarandus esset.

Episcopi non sunt delegati Papæ, sed in Diœcesi jurisdictionem habent ordinariam.

Admonuit, ut Patres advertant super declaratione residentiæ. A multis annis fuimus spectatores incendii, quo Ecclesiam conflagrare videmus, adeò

ut nisi adhibeatur remedium, diù duraturus non est ordo hactenùs in Ecclesiâ Romanâ observatus.

Petiit declarari Residentiam juris esse divini, quòd maximè suæ Sanctitati expediat, alioqui quid dicturi sunt adversarii si viderint non declarari, atque etiam Catholici?

Solutâ Congregatione, bona pars Episcoporum interfuit funeri Ludovici Vannini de Theodolis, Forliviens. Episcopi Britonoriens. qui senex obiit, sepultus apud Dominicanos, & à Julio, mense quolibet obiit unus Episcopus.

Die Martis duodecimâ Januarii, dixit Andreas Duditius Bardellatus, Hungarus, Episcopus Tininiensis, qui suprà, Oratorum more proponens calamitatem nostrorum temporum, maximè in Hungariâ, in quâ Prælatis cum adversariis est perpetuum bellum; propterea Synodus properare debet ad reformationem seriam, quò ad propria revertantur, nec ita formidare jus divinum quo firmandam esse residentiam admonuit, refellens argumenta eorum qui ajunt, si declaretur in Decreto, non-nihil imminui dignitatem Pontificiam, aliaque plura, neque hoc tempore hanc declarationem expedire, cum nihil magis necessarium sit quàm ut declaretur quo jure sit residentia; hoc enim non solùm adversarii expectant, sed & probatissimi quique Catholici, & in hoc Concilio Patres à vobis omnibus expectant. Satis prolixus fuit.

Spinellus Bencius, Politianus, Episcopus Montis-Politiani, dixit sententiam, & censuit residentiam esse juris divini.

Die Mercurii, neque die Jovis, nullæ Congregationes habitæ propter negotia Legatorum.

Die Veneris decimâ quintâ, horâ vigesimâ primâ Congregatio habita, in quam Legatus Mantuanus duo proposuit de eligendis videlicet deputatis ad confectionem canonum & decretorum, & de die futuræ Sessionis. Placuit Cardinali Lotharingio, quem sequti sunt omnes, ut eligantur arbitrio Legatorum, & quod dies Sessionis designetur ad diem quartum Februarii, juxtà sententiam dicti Legati Mantuani, modò tamen die sequenti Sessionem, Patres deliberent de observando alio ordine in dicendis sententiis, ut prolixitas vitetur, & omnis contentio procul arceatur; deindè antè dogmata alia fidei quæ restant, tractetur omninò de reformatione quæ dependet ab ordine, & ordinatis, quod omnibus placuit.

Deindè Sebastianus Vantius de Arimino, Episcopus Urbevetanus, dixit super decreto, allegans ex juribus multò plures alias absentiæ causas, & quòd residere sit, per seipsum certæ Ecclesiæ deservire secundùm doctores, neque hoc præceptum esse à Deo injunctum. Cum non sit determinatus pascendi modus, dixitque munia Episcopalia esse delegabilia, atque ideò minimè personalia, quem secutus Tiuiniensis, multa inutilia, & vana circà residentiam allegavit, quam jure divino non esse, sed Pontificio firmare conatus est, & cum non reperiatur residentia in jure divino, ideò non esse juris divini.

Crastinâ die nominabuntur Patres, deputati ad confectionem canonum & decretorum, per Legatos.

Die Lunæ decimâ octava, in Congregatione Legatus Mantuanus nominavit deputatos, Cardinales Lotharingium & Madrutium, penes quos sit facultas

facultas adsciscendi & advocandi alios Episcopos Synodi, quod omnibus placuit, nisi quòd Antonius Ciurelia, Barensis, Episcopus Buduensis, more suo contradicendi, dixit Cardinales non admittendos in confectione Decreti de residentiâ, cum ipsi non resideant. Deindè inter alios dixerunt sententias Petrus Danesius, Gallus, qui suprà, Episcopus Vaurensis, & Hyeronimus, Gallus, Abbas Claravallens. Vaurensis quidem ob morbum hactenùs suo loco dicere non potuit, & dixit residentiam Episcoporum divino jure sancitam ex Cypriano in Epistolâ 8. aliisque multis locis, Ambrosio in pastorali dùm exponit illa verba Joannis 21. *pasce oves meas*, Augustino in suo tractatu de pastoribus & ovibus Cap. 13. tractans locum illum Ezechielis de pastoribus *ego judico inter pecus & pecus*, ubi ostendit pastorem illum Christum esse, & in illo omnes pastores, & sacerdotes constitui à Deo, ex Lucæ duodecimo; undè colligere licet dispositionem Domini esse ut Episcopi pascant. Cùm enim Dominus admonuisset ut vigilarent, dixit Petrus hanc parabolam dicis ad nos, respondit Christus *quis putas fidelis servus* sivè œconomus & *prudens*, & quòd propriè dictum est de pastoribus, primæ Corinthiorum septimo, *sic nos existimet homo ut ministros & œconomos, & dispensatores* & deindè in illo textu intulit Christus, *& si moram fecerit Dominus, & veniet Dominus servi illius in illâ horâ quâ non speratur*, undè præcipitur ut qui non pascunt, connumerentur inter infideles. Sunt & præcepta Apostolorum maximè Petri *pascite* inquit *qui in vobis* &c. Ubi græcè significantius dicitur ut exerceant suum officium non ex necessitate, sed spontaneè, & respicit locum Pauli ubi dicitur *væ mihi si non evangelisavero! Necessitas enim incumbit mihi*, & tamen dispensatio mihi credità est, (inquit) sequitur in verbis Petri non *turpis lucri gratiâ, sed alacriter*: Sunt & multa alia in sacris scripturis testimonia à Patribus commemorata. Est etiam quidam liber editus de residentiâ Pastorum hoc in eodem loco, per quemdam tunc doctorem, nunc autem Archiepiscopum, hoc idem probans.

Præterea munus pascendi sine residentiâ exerceri non potest; itàque putat faciendum à nobis esse, ut declaremus hanc veritatem ut tollatur omnis dispensandi occasio contrà jus divinum: neque derogabitur auctoritati Summi Pontificis, cujus est interpretari jus divinum, neque tamen ità arctè accipiendum est, quin abesse possit Episcopus, si hoc sit de re sui gregis, & de causis legitimis. Nostro tempore id tractavit Cardinalis Sti. Sixti.

Quoad decretum, causæ absentiæ placent secundùm sententiam Cardinalis Lotharingii. Similiter dixit quoad pœnas, ut simus contenti pœnis legitimis priscorum Patrum. Et quòd fiat promulgatio decreti in Synodo Episcopali.

Abbas Claravallis clarè & succinctè probavit præceptum divinum pascendi per se gregem suum, esse charitatis, non justitiæ, quod satis non intellectum est. Allegavit multa inconvenientia si perpetuò actu resideatur, maximè quòd spectat ad Principes Imperii, & quia (dixit) hoc petunt adversarii, ideò minùs declarare hoc non expedit.

Intermissæ sunt Congregationes donec deputati resormaverint decretum de residentiâ & Canones.

Die verò vigesimâ Januarii, hi Patres fuerunt per Illustrissimos, Lotharingium & Madrutium deputatos à Legatis, nominati in deputationem, septem scilicet Archiepiscopi, & Episcopi septem.

Georgius Draſcovitius Croatus, Epiſcopus Quinque-Eccleſienſis, Orator Cæſareus pro Regno Hungariæ.

Daniel Barbarus, Venetus, Electus Patriarcha Aquilegien. Petrus Antonius de Capua, Neapolitanus, Archiepiſcopus Hidruntinus.

Petrus Guerrero, Hiſpanus, Archiepiſcopus Granatenſis.

Bartholomæus de Martyribus, Luſitanus, Ordinis Prædicatorum, Archiepiſcopus Braccarenſis.

Joannes Bapriſta Caſtaneus, Romanus, Archiepiſcopus Roſſanenſis.

Leonardus Marinus, Genuenſis, Ordinis Prædicatorum, Archiepiſcopus Lancianenſis.

Ægidius Fuſcarius, Bononienſis, Epiſcopus Mutinen. Urbanus Vigerius de Ruere, Genuenſis, Epiſcopus Senogalien.

Franciſcus Blanco, Hiſpanus, Epiſcopus Aurienſis.

Antonius Auguſtinus, Hiſpanus, Epiſcopus Ilerdenſis.

Hugo Boncampagnus, Bononienſis, Epiſcopus Veſtanus.

Martinus de Corduba de Mendozza, Hiſpanus, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Dertuſenſis.

Et ego, Virdunenſis Epiſcopus, & convocati ſunt omnes in ædibus dicti Cardinalis Lotharingii, horâ vigeſimâ primâ, ubi propoſitum fuit per dictum Lotharingium quoddam decretum novum de reſidentiâ, ſuper quo deputati dicerent ſententiam.

Die Veneris vigeſimâ ſecundâ, quanquam Hidruntinus reluctari viſus eſt, propter quòd infligeretur pœna peccati mortalis non reſidentibus, & quòd Patres non reciperent, Dertuſenſis dixit, nullam deputatis eſſe conficiendi novi decreti poteſtatem: tamen concluſum fuit, ut quiſque acciperet copiam hujus decreti ad deliberandum ſuper eo, dicto die Veneris, & quòd interim adferrentur in medium vota Patrum per Secretarium, ut viderent deputati, in quibus præſentes pro majori parte conſentirent, & diſſentirent.

Finitis Patrum ſententiis, deputati fuerunt omnium unanimi conſenſu Cardinales Lotharingius & Madrutius, ad conficiendum & repurgandum decretum de reſidentiâ cum canonibus, qui adſciverunt ſecum in deputationem hujuſmodi dictos Patriarcham Aquilegienſem, Archiepiſcopos Hidruntinum, Granatenſem, Roſſanum & alios qui ſuper, qui per tres continuos dies congregationes celebrarunt in ædibus Cardinalis Lotharingii, à quo propoſita fuit quædam forma decreti, ut quid ſingulis videretur, dicerent ſententias; quod majori parti placuit, cum animadverſionibus, additionibus & mutationibus multis, ex quorum ſententiis ego, Virdunenſis Epiſcopus, qui Secretarii officio fungebar, redegi in formam proponendam Synodo, poſt multas altercationes. Hidruntino enim ſemper diſplicuit, qui planè negavit reſidentiam jure divino ſancitam, nec voluit munia Epiſcopalia præcipi jure divino, ſed poſitivo ſtatuenda, neque abſentes ab Epiſcopatibus, incurrere reatum peccati mortalis, ſed ſibi ſufficere decretum ſub Paulo III. de reſidentiâ factum. Diſplicuit etiam Roſſanenſi & Lacianen. declaratio illa illativa; *idcircò declarat Sta. Synodus &c.* quod videretur innuere nos teneri ad perſonalem reſidentiam. Additum fuit quicquam in gratiam Cardinalis Madrutii, qui petierat mentionem fieri de ſex menſibus, de quibus in ſuperiori decreto.

Altercatio mota est inter Granatensem & Hidruntinum, quod dixisset Granaten. pastores non legitimè excusatos, per se teneri sua munia exercere, de quo non magis dubitat quàm de fidei articulo, undè scandalum patiebatur, quòd videret de eo dubitari (id in Hidruntinum & Rossanen. quadrabat) undè approbarunt præmium decreti, quod vel dæmones interni admitterent, & quòd contraria opinio est hæretica, quod sit juris positivi, undè excanduit ille Hidruntinus. Petitum est à Cardinali, ut imponeret gratiâ silentium, qui respondit non esse de suâ potestate, neque videri sibi hoc faciendum.

Post aliquot dies, cum die Sabbathi vigesimâ tertiâ, singuli dixissent sententias, ac non-nulli petiissent inducias ad deliberandum, tandem Cardinalis Lotharingius seriò dixit se non ampliùs compariturum, quòd videret istas impietates, & scandalum pareretur ex his; quòd nollet nominis sui existimationem periclitari, & mirari se quòd quidam negarent munia Episcopalia præcepto divino mandata esse, quæ scripturis probavit, quod pastor oves suas cognoscat, in quo Spiritus Sanctus posuit vos regere Ecclesiam Dei, & hoc facite in meam commemorationem, prædicate baptizantes, pascite, pauperum memores estote. Undè cùm Hispani rogarent ut dignaretur adhùc suam operam præstare in re tàm seriâ, tandem lecto iterùm decreto, cum additione Cardinalis Madrutii, videlicet an vigore illius decreti, quinque continuis mensibus liceret abesse, conclusum fuit extremam manum apponendam, atque Synodo proponendum, exceptis Hidruntino, Rossanensi, nescio an Laucianensi & Rossano.

Injunctum deindè mihi fuit ut describerentur mihi copiæ Decreti, quod factum est die Dominicâ sequenti manè, ad distribuendum Legatis Madrutio, & non-nullis aliis, & unam Cardinali in quâ adjectum est in superficie, ut certò sciant Regno Christianissimo sicut non deesse suum Josuë, qui qui fortissimè prælietur prælia Domini, ità Christianæ Reipublicæ suum Mosen minimè dubitamus adesse, qui hic prudentissimè curet quæ sunt Dei.

Die Lunæ vigesimâ sextâ Januarii, Orator Ducis Sabaudiæ, Episcopus Augustanus unà cum Episcopo Gebennensi Francisco Bachodio, Sabaudo, venit Tridentum, cui Episcopi Galli cum multis Italis Patribus obviam iverunt.

Hoc die & sequenti videlicet die Martis vigesimâ septimâ Januarii, intervenit maxima controversia de 7. Canone, cùm Legati vellent inseri clausulam quâ asserunt Summum Pontificem habere potestatem regendi Ecclesiam universalem, quod multis non placuit, nisi accederent Theologi, maximè Oratoribus Gallis, qui hac de re cùm Legatis egerunt.

Cardinalis Lotharingius laborat per omnia ut Canon iste conficiatur in bonâ formâ, cum decreto de residentiâ, sed timendum ne quorumdam Italorum culpâ qui perturbant omnia, neque habent rationem temporum, Sessio differatur adhuc, mirum enim videri debet Deus bone! quid dicturi sunt adversarii, quòd tamdiù tractatum quo jure residentia stabilita sit, & Episcopi à Deo, an à Papâ instituti, & tamen Patres hoc visi sunt ignorare, undè dubitandum ne dum hic tandiù de residentiâ quærimus, adversarii sedes nostras occupent.

Hujus mensis initio Pius IV. duos Cardinales creavit admodùm juvenes, unum nepotem Cardinalis Mantuani Legati, alterum filium Ducis Florentiæ, qui jurgium habens cum fratre, paulò post obiit gladio, quem ferunt novem tantùm annorum fuisse.

Eodem die, dissensio inter Italos & Hispanos cum Gallis, tum de decreto de residentiâ, tum de 7. Canone, proptereàque nonnulli petierunt in decreto residentiæ expungi verba (*injunctio divinitùs*) & verba *neque assistunt*, & cum ageretur de institutione Episcoporum, volebant agi de primatu Petri in universam Ecclesiam; undè nata quæstio, an Papa suprà Concilium. Undè Oratores Galli conquesti sunt, apud Legatos, nolentes admitti hanc decisionem contra Constantiense Concilium. Propterea Orator Lansiac curavit die Mercurii sequenti ad se accersiri Doctores Gallos, cum Lusitanis; inter quos nata est dissensio de superioritate Papæ suprà Concilium, alii aliud sentientibus: eodemque die alia controversia suborta est, de locis & sedibus Legatorum Gallorum & Hispanorum, propterea quòd brevi venturus sit Orator Regis Catholici, cui Legati locum assignarunt contrà mentem Oratorum Galliæ, unde Cardinalis Lotharingius certior factus, tentavit dissidium istud pacificari. Sunt qui quærunt occasiones, suspendendi, aut solvendi Concilii, & Tragœdias excitandi inter nationes. Faxit Deus, ut consilia hominum mutet in melius.

Die Dominicâ ultimâ Januarii, habita Congregatio horâ vigesimâ primâ, in quâ Marcus Antonius Bobba, Casalensis, Episcopus Augusten. in Pede-montio, receptus fuit tanquam Orator & Procurator Emanuëlis Philiberti, Ducis Sabaudiæ, qui orationem habuit ad Synodum. Deindè Secretarius Concilii proposuit Patribus formulam Decreti, quæ cum placuisset, ille nomine Concilii respondit: & lectæ fuerunt litteræ Ducis ad Synodum, & mandatum, sive procuratorium in formâ. Sic finita fuit Congregatio absque eo quòd nulla facta fuerit mentio de Sessione die Jovis faciendâ, sed Legati quartâ sub nocte inviserunt Cardinalem Lotharingium in ædibus suis, colloquturi de potestate Pontificis summi & de decreto residentiæ, & quòd videatur illis Sessio differenda.

FEBRUARIUS.

Sequenti verò die, videlicet 1. Februarii, Cardinalis Lotharingius invisit illos, daturus responsum super dilatione faciendâ, & certè valde timendum est, ne quod Antonius Ciurelia, Barensis, Episcopus Buduensis, voluit dicere accidat, ne scilicet in hujusmodi Congregationibus Tridentinum Concilium inclinato capite emittat spiritum.

Die Martis secundâ, habita fuit Capella, in quâ D. Marcus Antonius Columna, Romanus, Archiepiscopus Tarentinus, celebravit post processionem solemnem & benedictionem cereorum, quos benedixit Cardinalis Mantuanus, Legatus, in altari præsentibus aliis Legatis, Cardinalibus, Oratoribus & Prælatis ferè ducentis, indutis pluviali & mitrâ albâ simplici, qui omnes antè processionem adierunt Legatum sedentem in medio altaris, à quo singuli post reverentiam & osculum manûs dicti Legati acceperunt cereos, deindè celebrata fuit processio in circuitu summi Templi, cum pluvialibus, mitris & cereis.

Sed de Sessione ne minima quidem mentio, nisi quòd indicta fuit Congregatio ad crastinum diem, horâ vigesimâ; Undè vereor ne dùm res Sacro-Sanctæ Synodi diutiùs quàm æquum sit protrahimus, atque totâ die stamus otiosi, quia nemo nos conduxit, nos simus Christianis scandalo & hæreticis, hactenùs insciis quid hic agatur & quantæ sint inter Patres de

institutione

institutione Episcoporum, & Prælatorum residentiâ controversiæ, contentiones, dissentiones, fabula. Quod igitur ad Sessionem attinet, nullo pacto prorogandam esse censeo, sed potiùs Patribus proponendum esse decretum de residentiâ à deputatis reformatum, ut dicant quid placet, vel non, & quid sibi videatur. Idem est meum de doctrinâ & Canonibus sacri Ordinis judicium: quæ omnia cùm sint à Patribus à quinque mensibus hùc-usque agitata, longè latèque examinata & discussa, nihil aliud superesse video quàm ut invocato divini spiritus auxilio sententias in hujusmodi causis pronunciemus. Quòd si in præsentiarum res definiri non queat, non ulteriùs quàm ad octavum diem differendam esse Sessionem sentio, nisi fortè placeat primo quoque tempore argumentum Sacramenti Matrimonii, unà cum de reformatione seriâ & necessariâ à Doctoribus Theologiæ discuti & examinari: alioqui quorsùm Sessionem ad mensem, vel duos menses rejicimus? nolim hìc quicquàm ominari, verùm, si inter Calicem supremaque labra, multa contingere possunt, timendum ne dùm sumus plùs satis cunctatores, & animos videmur gerere remissiores, ut apertissimè dicam, ne dùm opus Dei facimus nimis negligenter, ea interim arte Sathanicâ seminemus Zizania diffidiorum quibus quemadmodùm jam aliquandò eodem in Concilio accidisse meminimus, magno nostro omnium qui hic adsumus probro, & majori Reipublicæ Christianæ detrimento, ante constitutum Sessionis diem solvatur Concilium, atque ideò impleatur istud Danielis vaticinium, *Et erit abominatio desolationis &c.*

Die Mercurii 3. Februarii, in Congregatione proposuit Legatus Mantuanus, de prorogandâ Sessione ad diem Jovis post Paschæ octavam, & placuit majori parti Patrum, sed hujusmodi procrastinatio & dilatio summoperè mihi displicuit, quòd allatura sit offendiculum Catholicis & risum adversariis qui probè noverunt discordias nostras, atque ideò subscripsi sententiæ Segobien. qui ad diem præscriptam voluit Sessionem fieri ad modicum tempus, & quòd decretum residentiæ à deputatis reformatum erat, Patribus exponendum. Displicuit id Bracharensi, quem ferè omnes secuti sunt Episcopi Hispani, & ferè omnibus Episcopis Gallis. Faxit Deus, ut Sessio fiat saltem tempore præfixo, atque assignato, atque interim prout promissum fuit per Legatum, tractetur tam de ordine, quàm matrimonio, residentiâ & aliis negotiis quæ ad reformationem spectant, ad Dei gloriam & Ecclesiæ ædificationem, in illâ Sessione definiantur; aliàs futurum est, ut navicula Petri magnam passura sit jacturam, & simus fabula adversariis, & piis offendiculum: sed vereor ne dum Sessiones tam sæpè protrahimus, nulla fiat Sessio, quod Deus avertat.

Die Dominicâ 7. Februarii, Missâ submissâ voce celebratâ in navi Ecclesiæ majoris Sti. Vigilii, habitus est sermo per Carmelitam, præsentibus Legatis & Patribus, deindè orationes factæ sunt pro successu Concilii, & pace, cum antiphonâ quâdam musicali, deindè Litania incœpta & continuata usque ad *Sancta Maria*, tum processio facta in circuitu summi Templi cantando usque ad finem Litaniarum, quousque quisque in locum suum reversus, & cantores antè medium altaris perfecerunt totam Litaniam, quâ finitâ, commissus sui ad dicendas collectas, & stans cum pluviali in cornu Epistolæ cantavi, *Pater noster*, cùm versibus & collectis consuetis.

Eodem die exhibui litteras Capituli Virdunensis illustrissimo Cardinali Hosio, qui omnem promisit operam apud Legatos, ut rescriberent Duci Lotharingiæ super immodicis exactionibus quibus Clerum opprimit. (a)

Die Lunæ octavâ inchoatæ Congregationes ad audiendos Theologos super Sacramento Matrimonii, cœlibatu Sacerdotum, clandestinis Matrimoniis, & gradibus consanguinitatis & affinitatis.

Eodem die manè Congregatio Doctorum prorogata fuit propter contentiones inter Doctores Gallos, & Hispanos, super prælatione, quæ tamen sopitæ sunt.

Eodem etiam die invisi Legatos super gravaminibus illatis capitulo meo Virdunensi jam per multos annos, qui responderunt se daturos responsum super litteris ad eos per dictum capitulum directis, & facturos precibus apud dictum Ducem, ut abstineat à gravaminibus, & exactionibus, supradictis.

Die Jovis undecimâ ejusdem mensis Februarii post congregationem Theologorum matutinam, statim à prandio reliqui Tridentum, & abii Oenipontem ante Cardinalem Lotharingium, ad recipiendum feudum Comitatûs Virdunensis.

Die Veneris recepi feudum à Cæsare Ferdinando in cubiculo suo aperto, præsentibus multis Episcopis, Principibus, Nobilibus, & maximè Rege Romanorum, Cardinale Lotharingio, Episcopis Gallis, Senonensi, Ebroicensi, Aurelianensi, Nolensi, Meldensi, Suessionensi, aliisque multis, habitâ oratione latinâ petitoriâ feudi, & excusatoriâ quòd hactenùs propter gravia impedimenta maximè hæreticorum rebellium non licuit suam adire Majestatem. Responsum est à Vice-Cancellario, quod Sua Majestas excusationes meas pro legitimis habebat, & quod adventus meus illi esset gratus, & benignè me reciperet ad investituram feudi; tum præstiti juramentum, tactis Evangeliis ambabus manibus, more & verbis consuetis coram Cæsare genu-flexus, qui porrexit mihi ensem, dicens: *Accipe potestatem brachii sæcularis*, & osculatus sum ensem: tùm illi gratias egi pro accepto beneficio, cum laude virtutum ejus. Posteà lis intervenit cum Mareschallo imperii, quòd ultrà trecentos florenos auri in auro, peteret mulam nostram contrà solitum, neque tempore Caroli quinti equus ullus fuit à me quæsitus, adeò quòd jura omnia officialium in pecuniâ numeratâ ascenderunt ad plus quàm quadringintos & quinquaginta florenos, auri, in auro, quod nimiùm, & relictis litteris in manibus sigilliferi, eam ob causam, reliqui Oenipontem & redii Tridentum.

Litteræ Christianissimi Regis Caroli exhibitæ fuerunt ab ejus Oratoribus in Congregatione die undecimâ Februarii, tenoris subsequentis.

Epistola Caroli IX. Regis Galliæ ad Patres Tridentinos.

CAROLUS Dei gratiâ Francorum Rex, Sanctissimis & in Deo Reverendissimis Patribus, apud Tridentum celebrandæ Sanctæ Synodi gratiâ

(a) Opprimebat ratione doni gratuiti, quod sibi primariam Lotharingiæ urbem, unâ cum Claudiâ de Franciâ conjuge suâ, solemniter ingredienti, fascesque subeunti Ducatuum, debitum exigebat non modò à subditis, verùm etiam ab exteris, qui dominia, vel fundos intrà Ducatuum metas possidebant, cujuscumque illi forent ordinis sive civilis, sive etiam Ecclesiastici,

congregatis salutem. Non dubitamus Sanctissimi Patres, quin nobis Charissimus nostrique amantissimus consobrinus noster Carolus à Lotharingiâ, vos ejus nuncii participes fecerit, quem nos ad eum nuper scripsimus de fœlici, & divinitus nobis oblata victoria adversùs eos nostrorum hominum, qui falso religionis prætextu, ex ipsâ sacrarum rerum profanatione, & alienissimis, in sacros Ecclesiæ ministros crudelitatis exemplis, nihil se aliud conari declararunt, quam ut Catholicæ nostræ Religionis, & Christianæ pietatis statum omnem everterent, & armorum vi atque injuriâ reliquos omnes populos nostros, in errorem suum inducerent: quorum audaciæ (sicuti omnes norunt) tanto nos animi ardore obstitimus, ac obstamus quotidiè, ut nulla nos aut rerum difficultas, aut periclorum discrimen, ab hoc instituto avertere aut remorari potuerit, quin sceleratis eorum consiliis ac incœptis vel ipsam vitam nostram opponeremus? Cum non ignoremus in hoc toto negotio, præcipuè de Omnipotentis honore, quo nihil nobis potest in hac vitâ esse charius, & Catholicæ ejus Ecclesiæ statu, ac salute decertari, cujus ut primogenitus & majorum meorum hæreditario titulo Christianissimus filius censeor. Itâ equidem defensor protectorque præcipuus toto orbe Christiano agnosci haberique studiosè percupio, & exopto. Cùm igitur certò nobis persuadeamus vos in hoc tàm fœlici, tàmque salutari instituti nostri successu optimo maximo exercituum ac victoriarum Deo gratias esse ex animo acturos, fructumque hujus beneficii ad vos præ cæteris facilè intelligamus perventurum, lubenter vobiscum commune hoc gaudium pariter gaudere constituimus, planèque atque palàm testificari hanc tam insignem, tamque admirabilem victoriam nos uni Christo summo Regum Regi, ac bonorum omnium auctori referre acceptam. Undè eum nos toto studio, totâque mente laudamus, & immortali gratiarum actione prosequimur, Majestatem ejus obsecrantes, ut in perficiendo quod fœliciter ipsius gratiâ inchoatum est negotium, tantâ virtutis suæ præsentiâ adesse atque adsistere dignetur, ut ad laudem ejus, & Ecclesiæ pacem, pro nostro desiderio omnia passim sedata, ac tranquilla, & in antiquum statum splendoremque restituta, propè diem possimus intueri. Cæterùm cùm probè noverimus, Sanctissimi Patres, optima & saluberrima eorum malorum, quæ & nos hodie hic affligunt, & penè omnibus Christiani nominis Provinciis impendere videntur, remedia à Sanctissimis Christianæ Ecclesiæ Pastorum comitiis, publicisque Synodis quondam petita esse, atque habita, cum illi Beatissimi Patres pro injuncti sui muneris officio de universalis Ecclesiæ salute folliciti, tam maturè tamque accuratè, enascentibus erroribus obviam irent, tantâque vigilantiæ assiduitate eis resistere perseverarent, ut nunquàm, nisi extinctis illis, & è medio sublatis, sibi quiescendum esse arbitrarentur. Oramus vos, Patres Sanctissimi, & in Dei, atque unici Filii ejus Jesu Christi nomine obsecramus, ut pro eâ expectatione, quàm de pietate, ac paterno in se animo vestro omnes conceperunt, tam sanctam tamque seriam rerum, quæ tum bellorum injuriâ, tum temporum iniquitate in populo Dei vitiatæ corruptæque sunt, emendationem, ac reformationem instituere, atque inire velitis, ut qui se ex animi levitate temerè ab Ecclesiâ separarunt, ex eâ quam instauratam probè atque perfectè restitutam, ipsis expectandam exhibebitis, Catholicæ Ecclesiæ antiquam faciem, puritate atque integritate in salutis viam facillimè reducantur. Atque ut neque nos quidquid opum ac virium nobis est

divinæ gratiæ munere concessum, ad Christianæ Religionis tuendam dignitatem cupidè impendimus, & nobiscum non pauci præstantes viri, & militiæ nostræ Duces ac Præfecti nobis charissimi, in eâdem istâ causâ sibi non pepercerunt, sed vitam & sanguinem suum in hoc recenti prælio Domino Deo consecraverunt: sic vos pro vestri muneris ratione, eo animi candore, & conscientiæ sinceritate, in hoc ipsum (cujus gratiâ convenistis) negotium incumbatis, ut ex sanctissimo labore vestro, verum sincerumque Dei cultum tanquam præcipuum operæ vestræ fructum, passim renasci, atque instaurari videamus, atque adeò eam in Ecclesiâ morum emendationem ac disciplinam vigere, quæ non modò placandis Regni nostri procellis, sed etiam conciliandæ & in eâdem Religione per omnes Christianæ Ecclesiæ populos, constituendæ paci sufficere possit. Datum in Civitate Carnut. die 18. Januarii 1562. CAROLUS.

Eodem die, suprà dictis litteris addidit Orationem sequentem, Raynaldus Ferrerius, Orator Regis, in generali Congregatione.

QUoniam ex litteris Regis Christianissimi quæ nunc recitatæ sunt, & orationibus non ita pridem habitis tam ab eloquentissimo Principe Cardinali à Lotharingiâ, tùm ab eruditissimo viro antistite Metensi, intellexistis Galliarum vastitatem, & Regis Christianissimi aliquot egregias victorias, nolo esse vobis, Patres Sanctissimi, in illis rursùs recensendis, vel eò maximè molestus: Quod si vobis, calamitates nostras quales sunt exponerem, nemo certè vestrûm est, qui rem non potiùs fictam, quàm factam existimaret. De postremâ autem victoriâ, tametsi magnâ & gloriosâ, quam ut Deus suâ immensâ providentiâ daret, eam de manu victoris hostis eripuit. Quid ego plura dicam, cum adhuc in mediis visceribus vivat & grassetur victus inimicus? utar igitur eo argumento quo soleo, & orationem meam totam convertam ad vos, sapientissimi Patres, unicum miseriarum nostrarum perfugium: si enim per vos naufragii nostri tabulas (si modò ullæ supersunt) non conservamus, omninò perimus. Moyses cùm pugnaret adversùs Amalech habebat magnum delectorum militum numerum, cui præerat fortissimus imperator Josué, verùm nisi montem conscendisset, nisi petra, cui insideret supposita ei esset, nisi virgam in manu intereà dum pugnabatur, habuisset, nisi Moysis utramque manuum, Aaron & Hur, usque ad occasum solis sustentassent, ut eas in sublime attolleret, victurum fuisse Amalech, vel eo solo agnoscimus, quòd simul ac Moyses manuum dimitteret, vincebatur Josué. Non desunt Regi Christianissimo copiæ, & propriæ, & auxiliares, illarumque Imperator prudens, & magnanimus Princeps Guysiæ Dux, nihil non molitur, aut intentatum relinquit Christianissima & prudentissima Regina piissima Regis mater, quod ad reconciliandos, vel propulsandos hostes pertineat, verùm Aaronem & Hur, qui Regi Christianissimo petram subjiciant, qui illius manus in altum tollant (si vos, Patres Sanctissimi, si non estis) neminem prætereà habemus. Moyses omnium modestissimus quotquot in orbe unquàm fuerunt, Dei vir, cui Dominus non in ænigmate, & simulachro, sed ote ad os loquebatur, per quem tot tantaque miracula edita sunt, & ut uno verbo dicam, Moyses typus Christi, non poterat vincere, nisi manus sublimes haberet. Quid est quod de nostris victoriis possit meritò sperari, si Regis Christianissimi manus demissæ

demissæ sunt? Moyses per senectutem & grandiorem ætatem non poterat per se manus attollere, hoc idem non potest Rex noster pupillus, per impuberem & teneram adhuc ætatem. Vestrum est Patres Sanctissimi, qui veri & legitimi estis Aaronis successores, non solùm Regis Christianissimi, vestri primogeniti filii, sed etiam omnium Christianorum Principum manus usque ad occasum solis sustinere: Id autem à vobis fieri facilè potest, si petra illa cui Moses insidens vicit Amalech, sit vestrorum decretorum basis & fundamentum. Ità enim ad solis occasum usque perdurabunt, neque sole meridiano, quasi nebulæ dissoluentur, & nos tum re verâ vicerimus. Sin minùs neque victoria nostra, erit victoria, neque inimici nostri, iidemque vestri reconciliabuntur, immò quasi remediis irritati, magis ac magis vociferabuntur, vos in Samariâ ab hominibus excogitato, non Hierusalem Dei tabernaculo semper permanere, vosque non Aola, sed Oola filiam appellabunt. Sed quid ego adversarios vestros moror? Si eos contemnitis habete saltem rationem Catholicorum & Christianorum hominum, qui hùc usque in fide, & Religione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ permanserunt. Non eadem est hodie ætas, non mens omnibus Christianis hominibus, atque erat antè quinquaginta annos. Laboramus ferè Catholici omnes eodem morbo (si modò morbus rectè appellari potest) quo quidem olim Samaritani, qui mulieri à puteo redeunti, & dicenti Christum venisse, vidisse, audisse, familiariter alloqutum esse, non priùs crediderunt quàm urbem exiissent, rem omnem diligenter inquisivissent, cùmque Christum agnovissent, crediderunt, non quidem, ut dicebant, ampliùs propter mulieris sermonem, sed quòd illi ipsi Christum cognovissent. Scrutatur hodie, scrutatur (mihi credite) Patres sapientissimi, bona pars Christianorum omnium Sacras Scripturas, rejectis aliarum disciplinarum libris, hoc ipsum prospiciens Rex Christianissimus curavit diligenter, ne quid mandatis nostris contineretur, quod ad illam Moysis petram non proximè accederet, quodque à Catholicis omnibus vehementer non expeteretur, & ab adversariis nullo jure repelli, aut repudiari posset. Ea autem Illustrissimis DD. Legatis dedimus, si propè diem (uti polliciti sunt vobis Patres Sanctissimi) examinanda & judicanda proponent, ad vos enim potissimùm mittuntur, vestrumque de illis judicium magno desiderio expectat Rex Christianissimus & tota Gallia. In illis (ut videbitis) nihil præcipuum præ cæteris Christianis petimus; omnia sunt nobis cum Ecclesiâ Catholicâ communia. Quòd si videmur plerisque graviora & magis necessaria prætermisisse, illi si placet, existiment nos consultò à levioribus cœpisse, quo faciliùs graviora possent suo tempore proponi, utque horum leviorum facilior esset executio, à quâ, Patres sapientissimi, nisi vos inceperitis priùsquam hinc abeatis, clamabunt Catholici, ridebunt adversarii, & dicent Patres Tridentinos optimè quidem scire, sed facere nolle, optimas quidem leges statuisse, eas tamen ne digito quidem attigisse, posteris tantùm & successoribus observandas reliquisse, quâ in re etiam atque etiam considerandum vobis est, juris consulti enim putant legem, cujus causa creatio est antiqua, non solùm futuris, sed etiam præsentibus negotiis formam dare. Quoniam autem impietatis propemodum nos insimulant, qui se olfacere dicunt in postulatis nostris nonnulla quæ cum adversariorum libris faciunt, nos quidem illos responsione indignos censemus, vos si aliter judicatis,

Bbbbb

ipsi pro nobis respondete, vim enim patimur. Qui verò in illis modum ac moderationem quandam desiderant, & si aliquid videantur dicere dum nos prudentiæ, cujus in vitâ maximus usus est, admonent, duorum tamen meminerint oportet, primum quod Marcus Cicero scribit adversùs Neoptolemum, aut potiùs adversùs Ennium, apud quem Neoptolemus ita loquebatur, philosophandum esse, sed paucis errat, inquit Tullius, qui temperantiam, mediocritatem, modum denique desiderat in re optimâ, & eo meliore quo major est: alterum quod de iis tepidis moderatoribus, & (ut ita dicam) lepidis & bellis mediatoribus scriptum reliquit Spiritus Sanctus, incipiam, inquit, ille, vos evomere, utinam aut calidi, aut frigidi fuissetis. Valeat hoc genus hominum in prophanis & civilibus rebus, nam in divinis, mediocres esse non dii, non homines, non concessere columnæ: Nemo enim potest duobus Dominis servire. Proponite vobis, Patres sapientissimi, quid profuerit Catholicæ Ecclesiæ, moderata illa Ecclesiasticæ disciplinæ emendatio facta in Concilio Constantiensi, aut paulò severior in sequenti Concilio, cujus ego nomini parcam, ne quorumdam delicatas ac teneras aures offendam: Quid ea quæ in Concilio Ferrariensi, Florentino, Lateranensi ultimo, Tridentino primo, aut qui unum tantùm Concilium fuisse putant, quid profuerunt decreta Tridentina facta post duos de viginti annos? quot intereà omnium hominum ordines, quot provinciæ, quot regna, quot nationes, ab Ecclesiâ Romanâ defecerunt? non est, Patres sapientissimi, hæc Gallorum causa tantùm, valeant Galli cum suis tumultibus, res suas sibi habeant. Vos Itali, vos Hispani Patres appello? periculum ex aliis facite vobis, quod ex usu fiet, cujus magis interest hanc veram & seriam disciplinæ Ecclesiasticæ emendationem fieri, quam Romani Episcopi Pontificis Maximi, summi Christi Vicarii, Petri successoris, in Ecclesiâ Dei supremam potestatem habentis? nunc hic agitur de capite, de fortunis vestris, hoc ego pluribus dicerem, nisi vos vestrâ sponte ad eam rem satis incitatos agnoscerem, intereà verò de vestrâ in Regem Christianissimum piâ voluntate & grato officio, gratias agimus, & oramus Deum opt. max. Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut vos Ecclesiæ nostræ diutiùs salvos & incolumes faciat.

Petitiones, Caroli noni Galliarum Regis Christianissimi nomine, factæ ab illustrissimis Oratoribus in Concilio Tridentino.

Constitutum nobis Oratoribus erat jampridem ex officii nostri ratione, & Christianissimi Regis mandato ad Sanctam Synodum ea referre quæ hoc scripto continentur. Sed cùm Cæs. Majestas per Reverendissimos & Clarissimos Viros Oratores suos, eadem ferè proponenda curasset, nostraque omnis petitio, cùm eorum postulatis mirificè conveniat, sustinuimus aliquantulùm, expectantes dum aliquid à vobis decerneretur. Quid enim multis postulatis minimè inter se pugnantibus, vix etiam diversis molestos esse vobis necesse fuit? Præsertim cùm ea quæ adjicienda fortè videbantur, vel tacitè inessent, vel necessariam ex superioribus consequentiam haberent. Itaque restitimus atque distulimus certo judicio. Nunc autem Principis nostri litteris victi, & quia Cæsareum illud negotium longiùs protrahebatur quàm spes fuerat, differendum ampliùs minimè rati, quantâ potuimus simplicitate & brevitate verborum, quæ nobis ad constituendam

Rempublicam Christianam necessaria videntur & opportuna, scripto complexi sumus. Hoc autem volumus vos existimare, nil nobis à cæterorum Christianorum salute præcipuum esse, nihilque singulare. Carolum verò Regem nostrum petere quidem ut petitionum suarum omnium ratio habeatur, sic tamen à Christianâ disciplinâ edoctum & institutum esse, ut vobis omnia tribuat, rerumque omnium istarum rationem, cognitionem & judicium ad vos omninò sciat pertinere.

1. Cùm Sacerdotes inprimis castos esse oporteat, ex Sacerdotum autem incontinentiâ, in Dei Ecclesiâ magnæ nascantur offensiones, provideat Sancta Synodus, ut non alii in posterùm ordinentur Sacerdotes, quàm qui seniores sunt, & à populo bonum habeant testimonium, ut ex ante-actâ vitâ, quales posteà sint futuri, non levis sit conjectura, & Sacerdotum libidines & flagitia accerrimis Canonum pœnis coerceantur.

2. Cavendum est ne eodem die aut tempore omnes sacri ordines conferantur, cùm oporteat secundùm antiquos, promovendum ad majores Ordines, priùs in minoribus dignè & aliquo tempore versatum.

3. Nullus Presbyter ordinetur cui non continuò secundùm Concilium Calcedonense detur unâ cum ordine beneficium, aut ministerium: Sic enim fiebant ordinationes à priscis illis Patribus qui titulos Presbyterales multo posteà tempore inventos, non agnoverunt.

4. Diaconis & aliis sacris Ordinibus restituatur debita & antiqua functio, ne ampliùs nuda, & in cæremoniis tantùm posita nomina dicantur.

5. Presbyteri, sacrisque initiati, & cujusvis Ecclesiæ ministerio addicti, in eâ vocatione in quâ à Domino vocati sunt permaneant, neque in alio munere & officio, quam quod Dei ministerium deceat, versentur.

6. Nullus eligatur Episcopus qui non ætatis sit legitimæ, iisque moribus & doctrinâ præditus, ut populum docere & ei vitæ exemplar esse possit, & qui satis sit omnibus eis instructus, quæ sufficiant ad Episcopi munus ritè per se obeundum.

7. Is quoque creetur plebanus, qui & probatæ sit vitæ, & qui populum in lege Dei instruere possit, sacrificium rectè celebrare, & sacramenta (ut par est) administrare, & illorum usum & effectum, illos, quibus ea administrat, rectè docere.

8. Ad Abbatiam autem & Prioratum Conventualem, nisi priùs in celebri aliquo gymnasio sacras litteras publicè professus, & magisterium aut alium gradum adeptus sit, non admittatur.

9. Episcopus per se, aut per eos quos ad prædicationis munus assumet, qui tot erunt, quot per Diœcesis magnitudinem videbitur opus esse, in civitate aut in quâcumque parte Diœcesis censebit expedire, omnibus Dominicis & diebus Festis, tempore autem quadragesimæ, jejuniorumque & adventûs Domini, quotidiè verbum Dei annuntiet & quotiescumque id opportunè fieri posse judicarit.

10. Idem quoque faciet plebanus, si non desint apud quos concionetur.

11. Abbas verò & Prior Conventualis interpretabitur libros veteris & novi Testamenti, Xenodochia instituet, & ita monasteriis, antiquæ scholæ & hospitalitates restituentur.

12. Qui hodie sunt Episcopi, Plebani, Abbates, aut alii Ecclesiastici, si suum officium præstare non possint, accipiant Coadjutores, per quos illud præstent, aut omninò beneficia dimittant.

13. De Catechesi, & summâ doctrinæ Catholicæ conscribendâ, deque post illis etiam agendis ea decernantur, quæ Cæsareæ Majestati visum est, ad hoc Sanctum referre Concilium.

14. Unum beneficium uni tantùm conferatur, sublata quod attinet ad pluralitatem compatibilium & incompatibilium, personarumque differentiâ, quæ distinctio, ut est nova, & antiquis decretis incognita, ita Ecclesiæ Catholicæ magnam calamitatem attulit. Dentur autem regularia regularibus, sæcularia sæcularibus.

15. Qui verò nunc duo, plura-ve possident, aut illud tantùm retineant quòd intrà breve tempus elegerint, aut in pœnas antiquorum & veterum Canonum incidant.

16. Ut à sacerdotali ordine, sordes omnes & omnis avaritiæ labes procùl expellantur, nec ullo prætextu pro rebus divinis quicquam exigatur, curet Episcopus aut per unionem beneficiorum, aut decimarum assignationem, & si hoc fieri non poterit commodè, Princeps provideat ut per Parochianorum symbola & collectas, plebanus, & cum eo duo ac plures Clerici habeant undè vitam congruam traducant, & hospitalitatem præbeant.

17. In Missis Parochialibus Evangelium apertè & dilucidè, & pro populi captu copiosè in suggestu exponatur: quo in loco, quæ præeunte plebano à populo fiunt preces, linguâ fiant vernaculâ; peracto autem sacrificio latinè & mysticis precibus, linguâ etiam vernaculâ publicæ ad Deum fiant orationes: eo autem tempore & aliis statutis horis cantari poterunt pia & spiritualia cantica, vel Psalmi Davidici priùs ab Episcopo diligenter examinati, si id è re suæ Ecclesiæ esse censebit Episcopus.

18. Antiquum illud Leonis & Gelasii decretum de Communione sub utrâque specie renovetur.

19. Ac ut omnes, præcipuè imperiti usum & efficaciam Sacramentorum intelligant, præcedat semper linguâ vernaculâ brevis expositio, quæ Sacramenti quod administratur, rationem contineat.

20. Beneficia secundùm veteres Canones non conferantur ampliùs exteris, neque per vicarios, sed per ipsos ordinarios, quorum est in hoc maximè delectu, industria: illis intrà sex menses non conferentibus, aut si indignis contulerint potestas conferendi devolvatur ad proximum superiorem, & gradatim ad Papam, secundùm Concilium Lateranense, & aliter collatio facta à quocumque, nulla sit.

21. Mandata de providendo, Expectativæ, Regressus, fiduciariæ Resignationes & Commendæ revocentur, & omninò arceantur ab Ecclesiâ, veluti decretis contraria.

22. Resignationes in favorem extinguantur omninò à Curiâ Romanâ: Est enim à sacris Canonibus institutùm, ne quisquam sibi sui officii quærat, aut eligat successorem.

Prioratus sæculares, aut (ut dicitur) simplices, quibus contrà institutionem, cura animarum adempta est, & translata in vicarium perpetuum, cui tantùm parva quædam decimarum, aut aliorum proventuum portio assignatur, cum primùm vacaverint, curam animarum recipiant, & in antiquum statum restituantur.

24. Cumque plura sint beneficia in quibus contra beneficiorum omnium institutionem invaluit depravata consuetudo, ut qui ea possident, nullo teneantur concionandi, Sacramenta administrandi, aut alio onere Ecclesiastico,

Episcopus

Episcopus consilio capituli, his beneficiis, curam aliquam spiritualem imponat, aut si utiliùs videatur, ea beneficia vicinioribus Parochialibus Ecclesiis uniat. Beneficium enim sine officio neque esse debet, neque potest.

25. Pensiones super beneficiis non constituantur, & quæ sunt constitutæ tollantur; Quòd reditus Ecclesiastici in alimenta pastorum & pauperum aliosque usus pios transferantur.

26. Restituantur Episcopis intrà omnem Diœcesim, jurisdictiones Ecclesiasticæ, & tollantur omnes exemptiones, exceptis Capitibus ordinum, iisque quæ ipsis subsunt monasteriis, & quæ capitula faciunt generalia & iis monasteriis quibus multis jam retrò sæculis, evidentibus scriptorum monumentis constat, datam esse exemptionem, quæ tamen ne à correctione omninò se eximant, aliquâ ratione provideatur.

27. Cum Episcopus eâ jurisdictione uti non debeat secundùm antiqua decreta, nisi consulto Capitulo, quemadmodùm nec aliæ suæ Diœcesis gravia negotia tractare, danda est diligens opera, ut Canonici Cathedralium Ecclesiarum sint assiduò in Ecclesiâ Cathedrali, bonis moribus & scientiâ præditi, quique saltem vigesimum quintum annum attingant: nam antè illam ætatem cùm non possint per leges humanas, rebus suis prospicere, quomodò Episcopo consulere poterunt?

28. Retineantur antiqui, aut novi constituantur consanguinitatis, affinitatis, vel cognationis gradus, intrà quos non liceat obtentu cujusvis dispensationis, matrimonium contrahere, exceptis solis Regibus aut Principibus, propter bonum publicum.

29. Cum nostris temporibus exorti sint Iconomachi, qui imagines evertendas censent, & maximè perturbationes plurimis in locis ex eo sint excitatæ, provideat Sancta Synodus, ut doceatur populus, quid de cultu imaginum sit sentiendum, curetque, ut si quæ in eis colendis irrepserunt superstitiones, & abusus, tollantur; quod ipsum quoque provideat in indulgentiis, peregrinationibus, reliquiis Sanctorum & iis sodalitatibus quas vocant fraternitates.

30. Quoniam sæpè ob unum enormè delictum affligitur universus populus, quem de proximi peccatis sollicitum, & anxium esse oportet, restituatur Ecclesiæ Catholicæ, non solùm antiqua illa, propter graves & publicas offensas, publica pœnitentia, sed etiam ad Dei iram placandam, jejunia & luctus publici.

31. Cumque excommunicatio sit Ecclesiæ supremus gladius, non est passim pro quovis delicto, aut contumaciâ decernenda, sed pro gravissimo tantùm peccato, cumque in eo, post unam & alteram, & nonnunquam tertiam admonitionem reus perseveret.

32. De beneficiis forenses controversiæ, quæ universum ferè Ecclesiasticum ordinem contaminaverunt, non solùm breviores erunt, sublata petitorii & possessorii in causis beneficialibus nuper inventâ distinctione, sed omninò cessabunt, si sublatis etiam Basiliensis Concilii universitatum nominationibus, præcipiatur Episcopis, ut beneficia, secundùm Gregorii auctoritatem, non ambientibus, sed fugientibus, & de Ecclesiâ bene-meritis conferant: merita autem in universum judicabuntur, si post magisterium, aut alium gradum in scholis adeptum, is cui confertur beneficium auctore Episcopo & probante populo, fuerit publicè concionatus aliquo tempore, cumque

ordinarius ſemel beneficium contulerit, aut patronus præſentaverit, non aliter liceat ſuperiori conferre, quàm ſi priùs præſentatum, aut eum cui collatum eſt beneficium, eo beneficio judices dignum judicaverint.

33. Quod ſi aliquando de conferendi aut præſentandi poteſtate lis oriatur, primùm ab Epiſcopo Diœceſano conſulto Capitulo, œconomus beneficio vacanti præficiatur, qui fructus omnes percipiat, & munera omnia Eccleſiæ ſubeat: deindè litigatores conſentiant in aliquot viros doctos Eccleſiaſticos, & ſi non elegerint, ab Epiſcopo dabuntur, qui ſaltem infrà ſex menſes litem omnem dirimant, à quibus appellare non liceat, aut ſi exiſtimet Synodus appellationi deferendum, mandetur intereà executioni ſententia, neque teneatur œconomus, aut qui ſententiam prior obtinuit, reſtituere fructus pendente lite perceptos, qui tantùm miniſtris, & pauperum alimentis cedere debeant. Ita fiet, ut aut nulla unquam de beneficio lis, aut ſi quæ fuerit brevi tranſigatur.

34. Decernat Sancta Synodus, ut non ſolùm Synodi Epiſcopales quot annis ſemel ad minimùm, ſed etiam tertio quoque anno, Provinciales congregentur, in quibus de his quæ ad ſtatum Eccleſiaſticum pertinent, diligenter tractetur de miniſtrorum delictis maturè cognoſcatur, & in eos qui deliquerunt, ſeverè animadvertatur, ut Concilia generalia, niſi aliquod obſtat impedimentum, decimo quoque anno celebrentur.

Die Jovis vigeſimâ quintâ dicti menſis Februarii, interfui Concioni, & Congregationibus Doctorum, & mihi relatum fuit per unum ex apparitoribus Concilii, me cooptatum in numerum Deputatorum pro abuſibus circà Ordinem, à Patribus ejuſdem Concilii, in abſentiâ meâ, atque ideò denuntiavit, ut comparerem in deputatione, in ædibus Oratoris Regis Poloniæ, cum cæteris deputatis, nempè eodem Oratore, Patriarchâ Veneto Joanne Triviſano, Joanne Bruno de Olchinio Macedone, Regni Serviæ Primate, Archiepiſcopo Antibaren. Nicolao de Pelué, Gallo, Archiepiſcopo Senonenſi, Franciſco Blanco, Hiſpano, Epiſcopo Aurienſi, Joanne Antonio Fachinetto, Bononienſi, Epiſcopo Neocaſtrenſi, Parmenſi, & quodam alio Epiſcopo, ad audiendum quoſdam articulos propoſitos ſuper abuſibus circà Ordinem.

MARTIUS.

DIe Martis ſecundâ Martii, circiter quartam noctis obiit illuſtriſſimus Legatus Mantuanus, non abſque dolore Patrum.

Sequenti die celebratâ Miſsâ pro defunctis, corpus ejus deportatum eſt Mantuam.

Die Sabbathi ſextâ, relatum eſt Ducem Guyſianum à quibuſdam in obſidione Aurelianenſi vulneratum, conſpiratione forſan Admiralis, quem authorem aiunt omnium malorum, quæ hodiè patitur Regnum. Faxit Deus, ut Reipublicæ Chriſtianæ diù incolumè ſervet illud Religionis & fidei propugnaculum Guyſianum, quem nobis proponere debemus tanquàm alterum Joſué, & Judam Machabeum.

Die Martis nonâ renunciatum eſt poſt rumorem ſparſum inter Patres, Reverendiſſimo Cardinali Lotharingio de obitu fratris Guyſiani, undè mœrore confectus, remanſit totâ die in lecto. Eodem mœrore affecti ſunt pii quique. Faxit Deus ut miſereatur Eccleſiæ ſuæ.

Eodem die, noctu incidit in febrim Legatus Seripandus.

Nulla Congregatio habita est ob causas supra-dictas, & luctum obitûs dicti Illustrissimi Ducis Guysiani cujus anima quiescat cum Beatis, & mortem dicti Hieronymi Seripandi Cardinalis Stæ. Susannæ, Neopolitani, Legati Apostolici, Generalis olim Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, usque ad diem Lunæ decimam quartam mensis ejusdem, quo die celebrata est Missa in æde majori per Guillelmum d'Avanson, Gallum, Archiepiscopum Ebredunensem, pro Domino Guysiano defuncto.

Die Lunæ serò, vigesimâ secundâ, Cardinalis Lotharingius accepit litteras ab Aulâ, quibus de morte fratris sui magni Prioris certus factus est, ac de quâdam concordiâ inter Regem & rebelles. Faxit Deus ut omnia benè vertat.

Die Martis vigesimâ tertiâ discessit Tridento Cardinalis Lotharingius, profecturus Venetias animi recreandi gratiâ, unà cum Episcopis Ebroicensi, Aurelianensi, Senonensi, Suessionensi, Senonensi, Meldensi, & Cathalonensi, Doctore Dupin & aliis suis familiaribus.

Interim deputatus sui ad conficienda decreta reformationis abusuum qui irrepserunt in sacrum ordinem, & sollicitatus à Legatis, & Oratore Polono, ut ea producerem in medium, cùm tamen interim nihil videam geri eorum quæ spectant ad negotia Synodi, quæ magis ac magis protrahitur, prætextu, expectationis aliorum Legatorum ab urbe.

APRILIS.

Die Dominicâ in Ramis Palmarum, quartâ Aprilis, celebravit Franciscus Bachodius, Sabaudiensis, Episcopus Gebennensis, nulla habita Oratio propter processionem solemnem, cui adfuerunt Episcopi cum mitris & pluvialibus. Ramos benedixit Legatus Warmiensis, & distribuit singulis sedens antè altare more solito.

Die Jovis octavâ, à Missâ, Corpus Domini fuit delatum in quoddam sepulchrum pulchrè & devotè ornatum cum processione Episcoporum in insulâ & pluviali & cereo albo, dicto Legato Warmiensi deferente Corpus Domini.

Die Veneris nonâ Aprilis celebravit Archiepiscopus Cataputaquensis frater bonæ memoriæ Cardinalis Veralli. Antonius Demochares Doctor Gallus, habuis Orationem de Passione Domini cujus fuit initium *Scio me nihil scire inter vos, nisi Jesum Christum 1æ. Corinth.* 2. dixit Adam formatum eodem die, Evam formatam ex ossibus Adæ; Eodem die Adam & Evam comedisse fructum, & ejectos à Paradiso eodem die, verbum etiam incarnatum eodem die, totum divisit in tres articulos 1us. continebat prædictiones passionis Christi ex lege & Prophetis, citavit promissiones factas Abrahæ, Isaac, Jacob, &c. 2us. continebat fructum passionis Christi, ubi allegavit nuda verba scripturarum usque ad nauseam, 3m. articulum de historiâ Passionis omisit propter prolixitatem & horam importunam. Interim monuit Patres, ut idem sentirent in Domino, mille adessent contentiones, agnoscerent se pastores, ut pascerent non tanquàm Domini, sed forma facti gregis &c.

Deindè finitâ Oratione, Patres bini ad adorandum Crucem discalceati venerunt, factâ triplici genuflectione, cum pausâ ante osculum pedum in Offertorio. Deindè singuli cum cereis ardentibus processionaliter comitati sunt chorum, Legatos, & celebrantem ad portandum Corpus Domini à sepulchro ad altare, magnâ cum solemnitate, deferente Legato Warmiensi

cum Baldachino, quæ cæremonia utinam ita ſolemniter fieret in Eccleſiis Cathedralibus.

Eodem die venit curſor ad Cardinalem Lotharingium, Novum deferens, initæ pacis inter Regem & Huguenotos.

Viſitaverunt Patres multa ſepulchra honorificè adornata, in quibus quieſcebat corpus Domini. Nocte ejuſdem diei, multi Hiſpani induti ciliciis verberabantur ſemel cum canticis in memoriam paſſionis Chriſti.

Die Sabbathi ſummo manè, vigiliâ Paſchæ, decimâ Aprilis, interfui benedictioni novi ignis, factæ per Vicarium Sti. Vigilii, in cemeterio, qui proceſſionaliter deindè rediit ad fontes, & benedixit eos more ſolito: tum ad majus altare chori, ubi benedicto incenſo, benedictus eſt quoque cereus. Paulò poſt, Antonius Puteus Nicienſ. Archiepiſcopus Barenſis, baptizavit in dictis fontibus tres Judæos Cathecumenos, majores viginti quinque annis, qui vocati ſunt Petrus, Antonius & Paulus, præſentibus Oratoribus Cæſareo, Gallo, & Luſitano, Legatis & aliquot Epiſcopis. Quo facto chorum adivimus omnes Epiſcopi, ubi benedictus eſt cereus conſequtâ Letaniâ, tùm Donatus de Laurentiis, de Aſculo, Appulus, Epiſcopus Arianen. poſt lectas prophetias, & collectas cantatas, celebravit cum cæremoniis prolixis.

A meridie, circiter horam vigeſimam primam, poſt Legatos ivimus obviam Rmo. Cardinali Morono, venienti ab urbe, qui magnificè receptus fuit ab aliis Legatis, Oratoribus & Patribus, cum appuliſſet ad SS. Crucem, non procùl à portis civitatis deſcendit ab equo, & adiit dictum templum, ut tranſmutaret veſtimenta, & ſumeret cappam cardinalitiam, cùm quâ aſcendit mulam: tunc multi ex civitate venerunt illi obviam congratulaturi adventûs, cum verò appuliſſet antè portas civitatis, Clerus excepit illum proceſſionaliter, cantantibus ſymphoniacis Concilii, cum baldachino, ſub quo equitans deductus eſt uſque ad SS. Vigilium, ubi cantatum eſt *Te Deum* cum verſu & oratione, deindè Antiphona de SS. Vigilio, cum verſu & collectâ, quam cantavit idem Cardinalis Moronus, & ſolemniter benedixit.

Tùm Diaconus nomine ejuſdem Legati indicavit indulgentias, centum annorum cum tot quadragenis, & abiit domum Legatus pedes, cum magno comitatu. Faxit Deus, ut adventus tanti Cardinalis, Sanctiſſimi Papæ, noſtri Legati, lætiora nobis adferat, & negotia Concilii faciliùs procuret ad Dei laudem.

Die Paſchatis undecimâ, celebravit Illuſtriſſimus Cardinalis Moronus Legatus, & conceſſit quadraginta annos, & totidem quadragenas, de verâ indulgentiâ. Ipſe præ ſe fert magnam gravitatem & prudentiam.

Die Martis, ſecundâ feriâ Paſchatis, idem Cardinalis Moronus exhibuit ſuum mandatum congregationi, cui non interfui, propter eà quod 1â. feriâ, poſt ingreſſum Comitis de Lunâ, Oratoris Regis Catholici, Tridentum cum magno comitatu, diſceſſeram, ut irem obviam Cardinali Lotharingio redeunti à Venetiis, qui venit Tridentum 24. Aprilis, quo die obiit Petrus à Soto, Dominicanus Doctor, dictus pius, Hiſpanus, & ſepultus eſt apud divum Laurentium, ſtatim poſt reditum Cardinalis Lotharingii.

Die Mercurii 25. Congregatio manè facta, in quâ propoſitum fuit per Warmienſem Legatum de prorogandâ Seſſione ad diem Jovis poſt Pentecoſten, quæ erit 3. Junii.

Cardinalis

Cardinalis primus dixit videri non ftatuendum hunc diem, fed differendum effe ufque ad vigefimam Maji, in quo præfentibus Legatis Morono & Navigerio agetur de certo die Seffionis futuræ, & quòd expectetur adventus eorum priufquam aliquid agatur. Major pars Patrum approbavit fententiam illius. Itaque conclufum, ut eo die vigefimo Maji deliberaretur de futurâ Seffione. Ego autem dixi, quod erat optandum imprimis, ut hæ tam longæ, feffionis moræ penitùs tollerentur. Quis enim nefciat quantoperè Catholicos offendant, & nimis juftam & amplam ridendi materiam præbeant, non fine maximo omnium noftrum qui hìc adfumus probro, nec minori totius Reipublicæ Chriftianæ detrimento. Verùm cum multarum & variarum rerum de quibus tamdiù difputatum eft, gravitas non patiatur, ut hæc breviffimo temporis fpatio definiantur, mihi placet fententia Illuftriffimi Cardinalis Lotharingii, eamque liberè amplector, eâ tamen mente & conditione, primo quoque die abfque ulteriori dilatione examinentur ea quæ à deputatione conclufa funt, ad tollendos eos qui in facras Ordinationes irrepferunt abufus, de quibus inter deputatos convenit, aut decreta refidentiæ, & ordinis in fpiritu charitatis concludentur, ne totâ die hic fumus defides & otiofi, alioqui metuendum eft ne dum nimis cunctatores fumus, & negotia Dei & Ecclefiæ videmur remiffiùs peragere, interim arte Sathanæ, feminentur zizania diffidiorum, quibus ut jam accidit, aut folvatur, aut transferatur Concilium, magno noftro malo, & impleatur fcriptura, hæreditas noftra vertitur ad alienos & domus noftra ad extraneos.

Budenfis fuo more prophetavit non futuram Seffionem antè menfem Septembris.

MAJUS.

DIe Lunæ decimâ Maji horâ 21. celebrata fuit tandem Patrum Congregatio, poft otia & intermiffiones hactenùs factas. Obtinuit Cardinalis Lotharingius, paulò antè aliquot dies à Legatis Warmienfi, Symonetâ, & Navigerio, ut exhiberet quafdam litteras Sereniffimæ Mariæ Reginæ Scotiæ, ad Concilium Tridentinum. In quâ quidem Congregatione Cardinalis Lotharingius exhibuit dictas litteras: quibus lectis orationem habuit de laudibus dictæ Reginæ, natalibus, pietate & animo ergà Sedem Apoftolicam, deindè refponfum eft dictæ Reginæ per litteras, juxtà formulam à Legatis præfcriptam, quæ lecta fuit, & paucis immutatis approbata à Patribus; iterùm lecta, deindè foluta fuit Congregatio.

Die verò Martis undecimâ, habita fuit Congregatio ad dicendum fuper Capitibus abufuum qui irrepferunt circà Ordinem, in quâ primus omnium dixit doctiffimè, eloquentiffimè & liberrimè Cardinalis Lotharingius fuper quatuor capita. 1. Super examine Epifcoporum ordinandorum, parum admodum probans ea quæ initio dicuntur, de his quorum notitiam habuerit Romanus Pontifex & quòd hoc faciant Metropolitani tanquàm delegati. Deindè cupiens reftitui electiones, abrogatis Principum nominationibus, ex quibus multa nata funt incommoda, & quod concordata Regni Franciæ non potuerunt fieri futuris perpetuis temporibus, minus potuit probare electiones eorum qui ex gremio hujus Ecclefiæ fieri folent, ut in Germaniâ Germanos Epifcopos taxando quod fua non exerceant of-

ficta, & quòd sua Sanctitas liberè relinquere debet suas provisiones Episcopatuum, ut electiones suum habeant locum, quodque fiant juxtà primitivam & puriorem Ecclesiam, non tamen modo quo antè nominationes fuerunt, in quibus tot symoniæ committebantur, à quibus tamen absolvit Pontifex.

In 2. Capite de consecrationibus, noluit exceptiones illas inseri quibus admittuntur dispensationes, quæ dispensationes sunt dissipationes, & quòd consecrationes non-nisi in Provinciâ fiant, non Romæ, nisi ipsum Romanus Pontifex velit consecrare, quemadmodùm & deberet alia pastoralia obire.

Quoad 3um. Caput, censuit omninò rejiciendos esse tutelares Episcopos, & Patriarchas inutiles, quodque quis non debeat creari Episcopus in Græcorum Ecclesiis, cum etiam Græci ipsi, sint à suis Patriarchis provisi, qui & verè conficiunt, absolvunt & ordinant, licet sint schismatici.

Multa allegavit in 4to. Capite, & hunc ordinem observavit.

Sufficientia nostra ex Deo est.

Ministratio mortis fuit in gloriâ & zelo Dei.

De ministratione Spiritûs & zelo Jesu Christi.

De translatione Sacerdotii & legis.

Nos debere gloriam Dei speculari & transformari.

De Samuele, de Saule, de loco, de armo, & coquis.

An satis dictum sit priùs ut non accidat repetitio.

De notitiâ in Curiâ, testimonio Nuntii, vel Legati Universitatis, & Monachorum Ordinarii vel vicinorum.

Utinam materia exactiùs tractaretur, ne id ipsum tam sæpè reverteretur.

Intelligamus qui abusus esse possint circà Sacramenta Ordinis, maximè circà Episcopatum qui summus & perfectissimus ordo est.

1. De materiâ & formâ, nihil ad abusum.

2. An dignus & debitè examinatus proponatur.

3. An omnia in Ecclesiâ secundùm ordinem fiant.

De 2. qui assumi debeant & quomodò sint examinandi, à Christi primâ institutione agamus. Pauci & selecti, ut tot operarii quot messis postulat.

Perpetua ædificatio & conservatio Ecclesiæ.

Quæ differentia inter Christum & nos.

Examinandi juxtà munus & officium ad quod exequendum assumuntur.

Christum ergò audiamus, hoc facite, ite prædicate baptisantes, accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata &c. In generatione cùm sederit filius hominis sedebitis & vos, & canente Ecclesiâ *vos sæcli justi judices*, quæcumque ligaveritis & vos estis & discite à me quia mitis sum. Estote prudentes & si quis vult venire post me, & si quis diligit me & sufficientia nostra ex Deo est, qui idoneos fecit ministros novi Testamenti non litterâ, sed spiritu. Act 10. adhuc loquente Petro cecidit Spiritus Sanctus.

3. Quòd si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloriâ, ità ut non possint intendere filii Israël in faciem Moysi propter gloriam vultûs ejus quæ evacuatur, quomodò magis ministratio spiritus erit in gloriâ? Translato enim Sacerdotio, necesse est ut & legis translatio fiat.

Nos verò revelatâ facie gloriam Dei speculantes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem, tanquàm à Domini spiritu.

1. Regum 9. assumens itàque Samuel Saulem & puerum ejus, introduxit eos in triclinium & dedit eis locum in capire eorum, qui fuerant invitati: erant enim quasi 30. viri, dixitque Samuel coquo da partem quam dedi tibi: & præcepi ut reponeret seorsùm apud te. Levavit autem coqus armum & posuit antè Saul, dixitque Samuel, ecce quod remansit, pone antè te, & comede, quia de industriâ servatum est tibi, quando populum vocavi.

Nonne duodecim vos elegi, & unus vestrûm diabolus est. Designavit & alios septuaginta duos. Messis quidem multa, operarii autem pauci.

Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Quod vobis dico, omnibus dico.

Exemplum dedi vobis, ut quemadmodùm feci vobis, ita & vos faciatis.

Te occulta non fallunt, tu cognitor es secretorum & scrutator cordium: vitam nostram examinare judicio statuisti, nos ramen omnes divini sensûs & summæ rationis ignari, horum vitam quanrùm possumus existimare debemus.

Sic luceat lux vestra coràm hominibus &c.

Vos estis sal terræ. Lux mundi. Jam non dicam vos servos, sed amicos. Potestis bibere calicem.

Si hæc desiderarenrur, ergò inquirendum est, an tales sint, sed timendum, ne variis vestibus cooperiamur. Idola, O pastor, & idolum, Orig. in Ezech. hom. 219.

Hoc fecerunt Episcopi Actorum 1. Oportet ergò ex iis viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore quo inrravit & exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens à baptismate Joannis usque in diem qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.

Act. 6. Non est æquum nos relinquere verbum Dei & ministrare mensis. Considerate ergò, frarres, viros, ex vobis boni testimonii septem plenos Spiriru Sancto & sapientjâ, quos constituamus super hoc opus; Nos verò orarioni & ministerio verbi instantes erimus.

Act. 13. Erant aurem in Ecclesiâ quæ erat Antiochiæ, Prophetæ & Doctores in quibus Barnabas & Simon qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis &c. ministrantibus autem illis Domino & jejunanribus, dixit illis Spiritus Sanctus segregare mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunanres & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos &c.

Primæ ad Timotheum 3. si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hospiralem, doctorem &c. Oportet aurem illum & testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli. Et hæc tibi scribo fili Timothee sperans me ad te venire citò, si autem tardavero, ut scias quomodò oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesiâ Dei vivi &c.

Secundæ ad Timotheum 2. Tu ergò fili mi confortare in grariâ quæ est in Christo Jesu, & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt, & alios docere &c.

Ad Titum 1. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, & ut potens sit exhortari in doctrinâ sanâ, & eos qui contradicunt arguere.

Ex C. 1. Apost. Episcopus à duobus aut tribus Episcopis ordinetur.

Ex Canone 4. Nicæni Concilii Episcopum oportet ab omnibus Episcopis (si fieri potest) qui sunt in Provinciâ ejus ordinari, si verò hoc difficile fuerit, vel aliquâ urgente necessitate, vel itineris longitudine, certè tres Episcopi debent in unum esse congregati. Ita ut etiam cæterorum qui absentes sunt, consensum litteris teneant, & ita faciant ordinationem. Potestas sanè, vel confirmatio pertinebit per singulas Provincias ad Metropolitanum Episcopum.

Ex Ep. 4. lib. 1. Cyp. propter quod diligenter de traditione & Apostolicâ observatione servandum est, & tenendum quod apud nos quosque & ferè per Provincias universas tenetur, ut ad Ordinationem ritè celebrandam Episcopus deligatur præsente plebe, &

Corde creditur ad justitiam, & ore confessio fit ad salutem.

Clemens in Epistolâ 1. ad Jac.

Ex Epistolâ 2. Anacl. Ordinationes Episcoporum auctoritate Apostolicâ, ab omnibus qui in eâdem fuerint Provinciâ Episcopis sunt celebrandæ, qui simùl convenientes scrutinium diligenter agant &c. Et non minùs quàm à tribus Episcopis, reliquisque omnibus assensum præbentibus, Episcopus ordinetur.

Ex his concludo, de jure divino sunt nominationes Episcoporum, ergò seligendi. Jure divino præscribuntur functiones, ergò his apti quærendi & examinandi, jure divino mores descripti, ergò de his aliqua sit probabilitas necesse est, jure divino teneor seligere, exigere fidei-confessionem, testimonium habere bonum &c. quæ si omittantur pecco mortaliter & facio contrà jus divinum, nec tantùm damnantur qui talia faciunt, sed & qui consentiunt facientibus.

Quid ex his censendum quæ ad gubernationem Ecclesiæ sunt instituta, & observata ab Apostolis. Quæ non ut Sacramenta accipienda sunt & mutari possunt.

Populus Conciliorum auctoritate & Sanctorum Patrum judicio ab electione Episcoporum abstinuit.

Quomodo omnia mutata, & in alium ordinem & modum translata sint.

De electione Canonicorum, & de his quæ dicebat Leo X. ad Cardinalem de Prato.

De provisione pleno jure.

Omninò rejiciendum hoc primum de Episcoporum examine decretum. Cur tamen propositum? Vocemus puellam & quæramus ejus voluntatem, Genesis 24.

Omnia in Ecclesiâ secundùm ordinem fiant, ut Ecclesia tanquam acies ordinata, appareat.

Non est dissensionis Deus, sed pacis, sicut & in omnibus Ecclesiis Sanctorum doceo, & omnia autem honestè & secundùm ordinem fiant in vobis. 1. ad Corinth. 14.

Ecclesia terribilis ut castrorum acies ordinata. Cant. 6.

Deus in domibus ejus cognoscetur, cum suscipiet eum. Psal. 47.

Archiepiscoporum primatum & Patriarcharum institutio, dilata à Spiritu Sancto, quos ut rejicimus, quantam Sedi Apostolicæ injuriam afferamus, his sat scalis edocta plebs, ut de scalâ Jacob. Castra Dei sunt hæc.

De scalâ Jacob. Genes. 28. & 32.

Ad

Ad unitatem servandam hic ordo observandus est ut necessarius.

Ambrosius supra 1. Timo. 3. una est Domus Dei Ecclesia, cui præsidet Damasus.

Pontifex Fratrum & Coepiscoporum negligentiam suppleat.

Lucas 22. Simon ecce, Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

Non juramento, ut dicunt hæretici sed mihi jure divino obstricti estis.

Quid Legati, & quòd de ordine hierarchico non sint.

Quod dictum est aliàs de Papali dignitate, Episcopali, & Presbiterali in Ecclesiâ, non immutandum ullo jure.

Legationis munus à Christo Apostolis, & eorum successoribus commissum.

1. Corinth. 4. Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.

2. Corinth. 5. Omnia autem ex Deo qui nos reconciliavit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis, & pro Christo ergò legatione fungimur tanquàm Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo reconciliamini Deo &c.

Joan. 20. Venit Jesus & stetit in medio, & dixit pax vobis &c. Dixit ergò eis iterùm pax vobis, sicut misit me pater, & ego mitto vos; & Legatus est Christi, & pro Christo, & pro Christi Corpore quod est Ecclesia, quando stans ad altare sacrificat & orat.

Chrisostomus de verbis Esa. medium stare dicit inter Deum & humanam naturam, & lib. de Sac. Dicit Legatum intercedere pro universo orbe, pro hominibus vivis & defunctis. Omitto quam plurima antiquissimorum Patrum testimonia.

Nulla ergò major est in Ecclesiâ dignitas instituta, & nulli majori præscribere aut imperare Summus Pontifex potest.

Sed non possunt hoc suo jure Episcopi præstare, quis hoc dixerit? Episcopi positi sunt à Spiritu Sancto regere Ecclesiam quam acquisivit &c. Qui ex con. sortiti sunt, omnes inspiciant, cuncta speculentur ac de populo & omni clero diligenter curam gerant.

Possunt consecrare & manus imponere comprovinciali suo jure, ergò poterunt multò magis consecrandum interrogare, cùm non citò manus sint imponendæ.

Absurdum est facere aliquem delegatâ potestate, quòd suo jure potest; omne enim ministerium extraordinarium in Ecclesiâ timendum est.

Quoad Decretum secundum de consecratione Episcoporum.

Nolim hìc quicquàm de dispensationibus loqui, non est enim generalium Conciliorum loquendi usitatus modus. Quæ hinc nasci inconvenientia possint & quòd in usum verti consueverit quòd non-nisi ex magnâ causâ fieri debet.

De his qui jam habent dispensationes, intrà sex menses promoveantur, & consecrentur, etiam Cardinales.

De consecratione. Si extrà curiam erit facienda, nunc est stylus curiæ, ut à quocumque fiat.

Quoad Decretum tertium.

Principium non placet de manuum impositione: neque etiam placet; quod Episcopi introduxerint multa mala, nisi de Titularibus intelligatur.

Circa Decretum quartum de Episcopis Titularibus.

Verba pulchrè explicant necessitatem istorum hominum, ridicula sunt quæ in consecratione eorum, provisionibus, & vanis pollicitis fiunt, & de his qui in partibus Græcorum Episcopatus obtinent.

Quòd si Græcia ad unitatem redeat, negandum esse Episcopis duos maritos uni Ecclesiæ.

At necessitas expostulat? non possum mihi persuadere. Tolerabilius esset dare Coadjutorem, si uti comprovincialium operâ, aut viciniorum Episcoporum nolumus.

Ultimo loco nulli posteà commendari debere Episcopatum censet, & sic auferendus ille dicendi modus.

Sic solus dixit in hac Congregatione pro ut constat ex illius suffragio.

Die Jovis decimâ tertiâ, dixit Cardinalis Madrutius in non-nullis probans sententiam Cardinalis Lotharingii.

Inter alios dixit Hidruntinus, cui displicuit totum primum Caput quòd non respiceret abusum, deindè satis esset provisum in superiori proximâ Sessione.

Quòd non sit consentaneum ut præficiendus Ecclesiæ probet qualitates requisitas in Episcopis ordinandis, cùm potiùs tantum onus refugere debeat: non placet etiam, quia dum tot examina requiruntur, inducitur diuturnior carentia pastoris, & præbetur occasio litibus.

Quòd non sit derogandum nominationibus Regum Hispaniarum & Portugalliæ, qui hactenùs bene usi sunt.

Et si servarentur ea quæ describuntur in Concordatis cum Rege Francorum, bene provisum esset.

Neque placuit ut veniant Archiepiscopi expensis Ecclesiæ viduatæ, neque necessariò exigendum ut prædicare sciant, cùm non sit solum munus Episcopi prædicare, sed etiam visitare, bene præesse, aliaque facere, quia hæc faciens, licet non sciat prædicare, non minùs est idoneus, sunt enim qui linguâ prædicant, cùm sint malæ vitæ, in quo visus est tacitè carpere Cardinalem.

Ubi agitur de eligendo ex gremio Ecclesiæ, non placuit ut sit graduatus, modo omnium sit doctior, non est rejiciendus.

Circà Caput secundùm satis provisum sub Paulo 3. ideò nihil immutandum.

Circà Caput quartum, placet Titulares nunquàm nisi ex causâ urgenti, ordinari.

Quod ad Caput sextum, provisum est sub Paulo 3. item quòd etiam ordinationes extrà tempora fieri possint ex causâ.

Circà Caput octavum, dixit privilegia non esse auferenda, nisi propter abusum.

Circà Nonum in quo agitur de ætate Clericorum dixit, jus commune requirere tantùm septem annos, cùm tonsura non sit ordo, & ab infantiâ officiis Clericorum assuescere bonum sit, licet non planè noverit ea.

In fine ubi dicitur in Synodo *moniti*, satisfuerit quòd ab Episcopo fuerint moniti.

Caput decimum, non placuit quia ſemper fuerunt aliqui abſolutè ordinati ut Religioſi.

Circà Caput 11. dixit addendum,niſi aliter Epiſcopo expedire videbitur.

In Capite 13. dixit nimis eſſe rigoroſum, ut ſint parati omni poſcenti rationem reddere.

In Capite 14. non placuit rigoroſum examen circà presbyterum, cum ſatis ſit Miſſas celebrare.

Quod autem dicitur licentiam abſolvendi à ſolo Epiſcopo obtinendam, inconveniens eſt, cum & à Papâ diſpenſari poſſit ſuper hoc.

Ad 15. Caput, dixit pium & ſanctiſſimum eſſe decretum, de ſcholis inſtaurandis, ſed non lege communi ſtatuendum, cùm multæ ſunt Eccleſiæ valdè pauperes, ſit etiam Decretum in eodem Concilio.

Ad 16. Caput, juramentum Magiſtratuum licet bonum ſit, referendum tamen eſſe cenſuit ad reformationem generalem.

Die Veneris 14. Maji, Cardinalis Lotharingius dixit ſuper cæteris Capitibus abuſuum Ordinis, ac primùm quidem poſt captatam benevolentiam quòd unico contextu non dixerit, ſuper omnibus placere ſibi quod à Patriarchâ Aquilegienſi dictum fuerat, videlicet quòd repetantur & reſtituantur priſci à quingentis ultrà annis Canones, quo remedio poſſet Eccleſia reſpirare, atque interim Romanus Pontifex abſtineret à diſpenſationibus ad aliquod tempus, quinquennium, vel biennium, ne ſibi credi velint, ſaltem credant Cardinalibus deputatis à Paulo III. ad reformandos abuſus,qui ajunt, ſic illud verò antè omnia, beatiſſime Pater, putamus ſtatuendum eſſe, ſicut in unâ quâque republicâ, ita & in hac Eccleſiaſticâ gubernatione, hanc præ omnibus legem habendam, ut quantùm fieri poteſt, leges ſerventur, neque putandum nobis licere diſpenſare in legibus &c. nulla namque pernicioſior eſt conſuetudo, neque etiam Ordinarii impedirentur in puniendis ſceleſtis, ut in dicto conſilio Cardinalium deputatorum &c.

Antequàm deſcenderet ad Caput 5. dixit abuſum eſſe, ut Cardinalibus commendentur Epiſcopatûs, hoc enim indignum eſſe,& quod ad ſe attinet malle ſe galero renuntiare, quàm ſponſam ſuam relinquere.

Abuſum eſſe dixit, ut Epiſcopi quidam non conſecrati, præcederent in Synodo conſecratos, & proptereà tales curarent ſe conſecrari intrà proximum diem Pentecoſtes, & interim ſuffragium habere non deberent, quia ignorabatur an eſſent Clerici.

Dum ageret de Capite 5. quale teſtimonium afferendum per ordinandos. Reformationem cupiebat in quatuor minoribus Ordinibus, ne ſint nuda nomina, ſed functiones eorum reſtituantur, hic allegavit unum religioſum presbyterum, Epiſcopum & Cardinalem, Petrum de Soto nuper defunctum, Crupperum Segobienſem, aliàs Martinum Perezium de Ayala, Hiſpanum,& Hoſium, quos audiatis, inquit, non me. Neque omiſit formulam reformationis Auguſtanæ, ſub Carolo V. & certè habenda eſt ratio animadverſionum illius hic & ubique.

Caput 6. placuit præterquàm voluit expungi verbum *exactè*.

In Capite 7. non placuit vocula (quantumvis exemptis) ne inquit canonizemus iſtas benedictas exemptiones, de quibus dicetur ſuo loco.

Voluit expungi clauſulam, *ſi ſaltem triennio ibi non fuerit commoratus.*

Quòd attinet ad conferendum tonsuram, familiari, non Diœcesano, frustrà additum, cum quod jure cautum est, servandum sit.

In Capite nono, de ætate & qualitate &c. non placet, ut non-nisi in 14. anno tonsura conferatur, ideò placeret magis decennium.

In Capite 10. particula Divo Clemente teste, auferatur in sententiâ tam tritâ. Deindè quod dicitur Canonem Concilii Calcedonensis aliquâ ex parte restitui, non videt quomodò in aliquâ sui parte rejiciendus. Itaque omninò totus Canon est restituendus, neque Religiosi absolutè ordinantur, ut constat ex Canone dicto, quem non legisse visi sunt qui allegarunt.

In Capite 11. in Minoribus ordinibus quæ cura adhibenda, tractandum esset de functionibus Minorum ordinum secundùm Sotum & Crupperum, ut diximus, quamvis in plurimis Ecclesiis vix restitui queant, at in Ecclesiis Cathedralibus, & in monasteriis insignioribus saltem restituantur, ubi fieri poterit, ne quis objiciat Ecclesias Cathedrales valdè pauperes. Quod si ita sit, uniantur tres Ecclesiæ, aut qui commodè vivere non possunt, veniant ad Ecclesias Hispanicas, aut Gallicanas.

Caput duodecimum aliter conficiendum esse censuit & voluit Cardinales triginta trium annorum esse ad minus, non autem juniores admitterentur ad Cardinalatum triginta annis.

In Capite 13. & 14. vellet curatos promoveri omninò intrà sex menses, sine dispensatione, aliàs privari suo sacerdotio.

Caput decimum quintum placet, sed vellet id tantùm intelligi de Sacramentorum administratione, & absolutione, non autem celebratione Missæ. Nollet etiam injuriam fieri fratribus mendicantibus, qui tam benè-meriti sunt de fide, & quos Episcopi juvare debeant, sed abusum esse dixit, quòd nonnulli vigore privilegiorum Apostolicorùm exerceant jurisdictionem Episcopalem aut parochialem, unde inconvenientia allegavit in Flandriâ. Itaque nullus imposterùm hujusmodi jurisdictionem exerceat, quocumque nitatur privilegio.

Quoad scholas attinet, censuit eos etiam admittendos qui decem annorum fuerint.

Quòd dicitur de Theologo. Statutum in hac Synodo est, quoad prædicationem attinet, verùm alius deputandus est qui doceat, cui assignetur una præbenda.

Quòd ad censum attinet, quòd provideatur hujusmodi scholis non expectandum esse censuit Concilium provinciale. Sed provideat Episcopus (inquit) cum aliquot Canonicis, & quamvis ibi sint universitates, æquum est tamen hujusmodi scholas institui, ut habeamus bonos ministros, neque voluit, ut ex redditibus monasteriorum aliquid assumatur, prò hujusmodi scholis, sed ipsi monachi suas scholas habeant, non autem adeant hujusmodi collegia cum sæcularibus, etsi egeant, sunt à nobis juvandi.

Caput de juramento magistratuum, censuit omninò rejiciendum.

Die Sabbathi decimâ quintâ Maii, dixit Granatensis subscribens omnibus, & per omnia communiter sententiæ Cardinalis Lotharingii, qui piè doctè & eloquenter dixit.

Die Veneris vigesimâ primâ Maii honorificè receptus est in Congregatione Comes à Lunâ Orator Regis Catholici, qui sequentem hic protestationem

tionem fecit, ſuper præcedentiâ quam ſibi deberi proximam Oratoribus Regis Romanorum aſſeruit.

Proteſtatio Oratoris Regis Catholici ſuper præcedentiâ.

DOm Claudius Fernandés Vegil de Quignones Comes Lunæ &c. Philippi Hiſpaniarum utriuſque Siciliæ, Hieruſalem &c. Regis Catholici, Archiducis Auſtriæ, Ducis Burgundiæ, Brabantiæ, & Mediolani, & Comitis Hapsburgi Flandriæ & Tyrolis & ad hoc ſacrum Oecumenicum, Concilium Tridentinum Orator &c. Etſi mihi ut tali Oratori, his & aliàs, & in hoc conſeſſu locus debeatur, qui primus poſt Imperatoris Romani Oratorum ſedes eſt (quod antè omnia teſtificor ac proteſtor) verùm cùm hic locus, & ea cauſa de quâ agitur, tempuſque etiam ipſum, & Reſpublica, ſit hujuſmodi, ut humanis ullis contentionibus, ſanctiſſimus hic divinarum rerum, & ſalutis publicæ petendæ curſus uon impediri debeat, cùmque ſit maximè conſentaneum, ut qui ad juvandum, ſuſcipiendum, præſtandum hoc communis cauſæ conſilium adſint, ii primùm ipſi diligentiſſimè curent, denique operam, ne quam à ſe afferant contentionis, diſcordiæ, ſeceſſionis, ullis hominibus, vel minimam cauſam. Cum hæc ita ſint quod ad locum ſedemque attinet, accipio quod datur, eoque in præſentiâ, & quo aderit commodum, utar, ità tamen, ut omnes intelligant, velle me, (id quod ſedulò prædico ac proteſtor) ne quod hæc mea moderatio & ſalutarium hujus ſacri œcumenici Conventûs deliberationum, à me habita ratio, præjudicium ullum, ullâ ratione dignitati, Majeſtati, juri Principis mei Philippi Regis Catholici, poſteris-ve ejus afferat, neve attuliſſe videatur, quominùs & hoc & alio quovis tempore, ac loco, quâvis causâ, jus id ſuum integrum ſalvumque ſit: quas ob res jus id, Domini mei Philippi Regis Catholici, poſterorumve ejus nomine, juſtiſſimam veriſſimamque intentionem, omnibus ut Regibus loco & honore omni præferatur, & ad has & alias omnes cauſas, omnia loca, tempora, reſervatam eſſe volo, ac reſervo: ut ſemper ea jura, eamque intentionem, & perſequi & tueri perindè poſſint, ac ſi hoc tempore, & hoc loco debitus mihi, ut tali Oratori locus quem dixi, datus fuerit, iiſque omnibus quæ à quovis hominum objecta huic meæ aſſeverationi & proteſtationi adverſari videri poterunt, minimè obſtantibus, omninoque abnegatis: quam meam proteſtationem hoc libello comprehenſam à vobis, peto, Patres Sanctiſſimi, ut actis hujus Sanctiſſimæ Synodi inſeri adſcribique faciatis, neque ſine ejus integro exemplo hodiernæ actionis hujus, monumenta circumferri, edi-ve cuiquam patiamini, mihique imprimis hujuſce rei exemplum teſtationemque publicis tabulis obſignatam, à Reverendiſſimo Secretario, Scribiſque veſtris jubeatis dari, Patres Reverendiſſimi.

Reſponſum Oratorum Chriſtianiſſimi Regis ad proteſtationem Oratoris Catholici, eodem die in Congregatione.

SI nos hodie in hac Stâ. Synodo alio loco ſederemus, quàm ſemper majores noſtri, & noviſſimè in Concilio Conſtantienſi, & ultimo Lateranenſi, qui primi poſt Imperatoris & antè omnes cæterorum Regum Oratores ſederunt, ſi etiam novus hic locus, in quo nunc extrà ordinem Oratorum ſedere incipit Clariſſimus Catholicæ Majeſtatis Orator, Illuſtris Comes à Lunâ, poſſet nobis, aut aliis Oratoribus eſſe damno; Vos certè, Patres Sanctiſſimi, qui Eccleſiam univerſalem repræſentatis, nobili veſtro officio &

majorum exemplo non omnes ad antiquum ordinem revocaretis: aut saltem denuntiatione Evangelicâ nobiscum ageretis. Cum antè taceatis, neque etiam huic novitati intercedant Clarissimi Cæsareæ Majestatis Oratores, quibus-cum causa nostra non potest non esse communis: Nos qui hodie in ordine Oratorum, & proximi Cæsareæ Majestatis Oratori, pristinam possessionem Regi nostro conservamus, fretique fide, amicitiâ, & affinitate maximi & potentissimi Philippi Regis Catholici in Carolum fratrem, pupillum Regem Christianissimum, postulamus tantùm à vobis, ut hodiernum dictum & factum illustris Comitis à Lunâ ita interpretemini, ne quod indè præjudicium fieri possit antiquissimæ prærogativæ, & perpetuæ possessioni Regis Christianissimi, idque in acta vestra referri jubeatis.

Die Sabbathi vigesimâ secundâ, Cardinalis Lotharingius profectus est Ferrariam, invisurus Cardinalem Ferrariensem. Eodemque die à meridie pronuntiavi votum in Congregatione super abusibus Ordinis in medium propositis.

JUNIUS.

Die Mercurii, secundâ Junii comparuit in Congregatione quidam Consiliarius Regis, nomine Birague, qui post exhibitionem litterarum Regis, & lectionem, Orationem habuit ad Synodum, quâ explicare doctè conatus est causas pacis initæ, inter Regem & adversarios suos, & persuadere justas fuisse, ne majus sequeretur incommodum; deindè seriò monuit, ut quam citissimè negotia Synodi quæ ad fidem & vitam pertinent, expedirentur, cum in minimâ morâ maximum inesset periculum. Hoc efflagitare Regem Gallorum, Reginam matrem, & totam Galliam. Cui responsum est Synodum deliberaturam maturiùs, super rebus propositis, & responsuram Regi.

Die Martis 15. Junii, Legatus Moronus petiit sententiam Patrum super die proximæ Sessionis, præscribendo, & quòd sibi commodum videretur prorogari ad 15. Julii, ut interim nonnulla controversa inter Patres possent componi. Inspiret Deus bonam mentem Synodo ad decidenda ea quæ spectant ad ejus gloriam & Ecclesiæ ædificationem.

Placuit ferè omnibus sententia Legati, & interim Deputati, repurgarunt canones abusuum, sed Senonensis movit quæstionem, ex eo quòd in 1. Cap. diceretur Pontificem providere de pastoribus, Ecclesiis, quasi derogaretur his verbis Gallorum Concordatis, & tunc eo casu confirmatio non ad Papam, sed Metropolitanum spectaret; hìc verò asseri confirmationem omnium Ecclesiarum majorum ad Papam spectare. Sed meo judicio non facit præjudicium si habeatur horum temporum ratio, quibus nemo inficias ierit Papam omnes Episcopos instituere, confirmare, & de pastoribus providere Ecclesiis. Res ad Legatos relegata est, apud quos quisque sententiam dixit præsente Cardinale Lotharingio.

Die vigesimâ octavâ, à vesperis, convocatis Patribus Deputatis, coram Legatis, lecti fuerunt Canones reformati, visum fuit non agi de Titularibus, augendam ætatem subdiaconi usque ad vigesimum tertium annum, saltem cœlibatum annexum, restituendas esse functiones ordinum dixit Cardinalis Lotharingius, maximè in Ecclesiis Cathedralibus, & monasteriis, ubi commodè fieri poterit, ne remaneant nuda nomina, neque hujusmodi gradûs in tantum contemptum veniant apud adversarios, & hujusmodi

ordinati possint sumi ex seminario erigendo, quibus certæ portiones poterunt assignari, amovibiles ad nutum, ex proventibus præbendarum quarumdam ad hujusmodi officium supprimendarum. Idque futurum magnum ornamentum Ecclesiæ, si ipsi ordines distinguerentur in Ecclesiis, & quisque sua munera exerceret.

Die Sanctorum Petri & Pauli 29. inter sacrorum solemnia, finito Evangelio, nata controversia pro incenso dando Oratoribus, Gallo & Hispano, quod Hispanus vellet primò sibi offerri sedenti propè Legatos juxtà sedem Cardinalis Madrutii, paulò inferiùs. Legati, Cardinales Lotharingius & Madrutius discesserunt ad sacristiam, deliberandi causâ, vocatis Senonensi, Granatensi & Aurelianensi. Interim habita fuit oratio de primatu Petri, quâ finitâ, paulò post reversi sunt ad loca sua Legati & celebravit Orator Sabaudus prosequutus est Missam, in quâ nec ampliùs incensum, nec pax more solito data fuit, neque Legatis, neque Oratoribus, neque aliis.

JULIUS.

Die Mercurii 7. Julii discessit à Tridento Orator Gallus, generosus & nobilis Lansacus, vir humanissimus, & omnibus gratissimus.

Die autem sextâ præcedente, Cardinalis Lotharingius, laboravit multùm in Congregatione factâ apud Moronum, vocatis ad eam multis, ex quâlibet natione Patribus, in componendis dissidiis quæ multis mensibus nata erant inter Patres, de Episcoporum institutione divinâ, & residentiâ jure etiam divino sanciendâ, & quæ hactenùs remorabantur progressum Concilii.

Die Jovis in Congregatione generali dixerunt Patres omnes super doctrinâ Canonibusque Ordinis, & super decreto Residentiæ, & quamvis anteà magnæ contentiones subortæ essent de Episcoporum institutione à Christo & residentiâ jure divino sanciendâ (quod utrumque verissimum credo) tamen longè major pars Patrum inhærendo sententiæ Cardinalis Lotharingii, omnia probavit quæ de his proposita erant, adhibitis tamen non-nullis Patrum animadversionibus. Ejus tamen sententiæ non fuerunt Granatensis, Segobiensis, Auriensis & plerique Hispani. Dixerunt displicere sibi sextum Canonem de Ordine, ubi dicitur hierarchiam ordinatione divina institutam, & Caput octavum de assumptis auctoritate Romani Pontificis Episcopis; propterea dicendum esset, Episcopos esse à Christo institutos; deinde in decreto residentiæ, declarandum clarè & dilucide residentiam jure divino statuendam. Nonnulli alii in 6. Capite voluerunt dici institutione divinâ, alii addi peculiari, ut diceretur peculiari & particulari ordinatione, ut Clodiensis Episcopus Jacobus Nadantus, Florentinus, Ordinis Prædicatorum, quem nonnulli sequti sunt. Segobiensis de consensu populi requirendo Egit. Iprensis, ubi agitur de sacrificio Missæ, successisse in locum sacerdotum veteris legis, dixit potiùs dicendum de Crucis sacrificio, & quædam etiam de Episcopis auctoritate Romani Pontificis assumendis, adjecit, cùm non videatur scriptum: verùm cùm Apostoli quorum loco successerunt Episcopi, non à Petro, sed à Christo sint instituti. Alii non-nulla in scriptis annotatione digna promiserunt dare secretario, ne diutiùs in dicendo morarentur. Sic ferè unanimi consensu statutum est, ut omnia de ordine & residentiâ probarentur jucundæ concordiæ & pacis gratiâ, ut &

publicæ utilitati consulatur, tùm maximè & die præscripto tandem habeatur Sessio, quam omnes ferè expectant. Sententiis latis, in solutione Congregationis dixit Legatus Moronus confirmet Deus quod operatus est in nobis.

Ego verò sententiam pronuntiavi. Horum judicio qui piè & Christianè affecti sunt, dubium non est quin doctrina de Sacramento Ordinis & Canones ex eâ deducti, Christianam, Catholicam & Spiritu Sancto dignam complectantur sententiam, adeò ut de his subdubitare aut contentiosiùs disputare tanquàm de problemate, impium sit, & eorum qui nimio contradicendi studio laborant. Quapropter quæ de his, paucis & simplicibus verbis, dixit Illustrissimus Cardinalis Lotharingius tantoperè mihi placent ut ejus in dicendâ sententiâ exemplum omnibus sequendum, atque pedibus in ejus sententiam eundum esse putem. Sed quoniam video animos quorumdam Patrum circà sextum Caput de hierarchiâ adhùc suspensos hærere, ego quoque quid sentiam dicam. Placeret enim mihi ut loco verborum (ordinatione divinâ) diceretur institutione divinâ: maximè cùm ordinatio hoc in sensu non sit latina adeò locutio, atque institutio, tum quòd interpretatio ordinationis in alienos sensus trahi à non-nullis potest, ut indè colligant ex ordinatione Ecclesiasticâ institutam hierarchiam.

In decreto residentiæ nihil reprehensione dignum, nisi quòd nimiam continet indulgentiam, ideò placeat, modò verbum *assistunt* maneat, aut loco ejus dicatur (neque suam impendunt operam) quod autem reticetur verbum *regere* me offendit, cum verbum *pascere* importet verbum regendi, ut Joan. 21. Pasce oves ex quibus verbis omnium Christi ovium regimen Petro traditum creditur.

Die autem Martis, proximè præcedente, in Congregatione particulari apud Moronum, in quâ aderant post eum & Cardinalem Lotharingium, plusquàm sexaginta Patres, actum fuit de Canonibus abusuum, & quia primus Canon visus est multis Italis displicere, ubi agitur de Episcoporum examine, juxtà ea quæ anteà dicta fuerant ab eis, postquàm plerique dixerunt, Cardinalis Lotharingius licet primus dixisset, cum dubitaret ne hujusmodi dissensio protraheret Sessionem proximam, dixit satiùs fore, ut hic Canon de quo tantoperè digladiatur, in aliud tempus rejiciatur: quod Legatis imprimis placuit & ferè omnibus aliis, licet quidam petiissent admonitionem juxtà proœmium Canonis 1. faciendam. Ego verò dixi placere mihi differri hujusmodi Canonem in aliud tempus, juxtà sententiam Cardinalis Lotharingi, neque super aliis sententiam dixi, maximè de Titularibus, ætate ordinandorum, seminario, & functionibus ordinum.

Die Sabbathi decimo, præsentatæ fuerunt in Congregatione litteræ Margaritæ Gubernatricis Flandriæ, nomine Regis Catholici ad Synodum per Comitem de Lunâ, Oratorem Hispanum, & Episcopum Atrebatensem, quibus excusabat se quòd jamdiù non miserit Prælatos, commendans dictis litteris suis Atrebatensem, Iprensem, & Namurcensem cum Theologis, quæ lectæ quidem fuerunt, sed nullum responsum datum. Itaque mox Cardinalis Lotharingius sententiam dixit super abusibus, censens primum Canonem in aliud tempus rejiciendum, item de Titularibus, & ætate, quod nisi 23. anno fiant subdiaconi, aliàs omittatur Canon. De regularibus mendicantibus voluit rationem haberi, seminarium probavit, cum functionibus quæ breviùs poterunt describi. Cætera placuerunt nisi de ætate quam in clericis esse quatuordecim annorum voluit. Bracca-

Braccarensis inchoandum esse dixit ab examine Episcoporum, quod nisi fiat, nescire se undè incipiendum, cùm hic Canon & seminarium, sint præcipuæ columnæ hujus reformationis. Quòd autem quibusdam non placuit Canon 15. de absolutè ordinandis, ut non sit quis adscribendus certæ Ecclesiæ, dixit Canonem optimum esse, functiones hoc loco tractandas censuit, & commodum esse ut functiones juxtà veterem Ecclesiam in memoriam reducantur.

Hidruntinus Canones primum & quartum rejiciendos putavit.

Jadrensi non placuit proœmium primi Capitis ibi in eâ re statuendâ, ideò meliùs dici in Episcopis deligendis &c.

Pragensis cupiebat exordium reformationis sumi à probatione Episcoporum, & allegavit Epistolam Leonis I. 82. ad Anastasium Episcopum, de formâ probandi Episcopos, ut etiam habetur in Capite Metropolitan. 63. dist. ca. de personâ, 65. dist. & in prin. dist. 77.

De seminario non placuit, ut cogantur sumere Corpus Christi pueri cum non sint adigendi, contrarium dixit Senonensis, compelle, inquit, eos intrare.

Lancianensis super seminario cuperet monasteria in quibus studia vigent, eximi.

Milopotamensis suo more risum movit, cum ageret contrà eos qui dixerant contrà auctoritatem Papæ, & Cardinalium, quibus suæ Commendæ deberent manere salvæ & integræ.

Idem fecit Philadelphicus Titularis, Germanus, dum ageret gratias quod Titulares non tollerentur, imò eorum portio augeretur, sed posteà nescio quid de his quæ Romæ sunt venalia egit.

Die Dominicâ undecimâ Julii, inter alios sententiam dixi, Canonem primum nullo pacto rejiciendum, licet propter argumentum examinis multis exosum. Quod posset remorari Sessionem proximam ab omnibus desideratam, differendam in aliud tempus. Formula paucis tradita & pronuntiata à Sagiensi placuit. Titulares abrogandos esse, quod quia obtineri non potest ob multitudinem votorum, Canonem qui eorum restringit potestatem, retinendum esse.

De ordinandorum ætate, ut subdiaconi, non antè 23. annum ordinentur, ob cœlibatum annexum, juxtà Cardinalis Lotharingii sententiam, de pœdagogis, scholastico, seu seminario, existimo melioribus consiliis succursum esse non potuisse afflictis, & penè deploratis rebus Ecclesiæ; quoniam si primo quoque tempore gymnasia ubique statuantur, quæ sint seminaria ordinandorum ministrorum in Ecclesiâ, in quibus pueritia, quæ est seges omnium rerum publicarum, in timore Domini & disciplinis Ecclesiasticis educetur. Juxtà formam C. 23. Tolet. 4. functiones restituendas omninò censeo, ut quisque sua ad quæ ordinatus est ministeria exequatur, ne nuda sint nomina, & in cæremoniis posita maneant. Idem quoque agendum de functionibus dignitatum Ecclesiarum Cathedralium, Decanorum, Archidiaconorum, Primiceriorum, Cantorum, scholasticorum aliorumque similium, de quibus in C. *perlectis* 25. dist. ubi quid ad unumquemque ordinem, etiam minorum spectat, declaratur, & quomodo hujusmodi gradus in curâ & sollicitudine Archidiaconorum, Primiceriorum & Thesaurariorum dividuntur.

Ggggg

Die Lunæ Patres omnes & generales ſententiam dixerunt.

Die Mercurii 14. à meridie in Congregatione generali Moronus Legatus propoſuit Patribus, ut dicerent ſententias ſuper doctrinâ & canonibus de Ordine, de Reſidentiâ, & articulis reformationis abuſuum, ſubdens primum Caput de examine Epiſcoporum dilatum in ſequentem Seſſionem, cùm ageretur de proviſionibus Eccleſiarum. Omnia omnibus placuerunt, præterquàm Granatenſi, Segobienſi, Aurienſi, Gaddicenſi, Segobricenſi, Lucenſi, Vicenſi, Corienſi, aliiſque paucis qui dixerunt Canonem ſextum de hierarchiâ Eccleſiaſticâ, ordinatione divinâ inſtitutâ non placere, niſi dicitur à Chriſto, vel Chriſti inſtitutione. Paucis admodùm Italis diſplicuit decretum de reſidentiâ, ſed de ætate ordinandorum, Patribus non ſic viſum fuit, cum major ætas in illis requiratur, ex Conc. Conſt. quàm in ſacerdotibus; deindè de functionibus paucis actum juxtà formulam propoſitam. Poſtremò propoſuit Seſſionem differendam ad 16. Septembris, in quâ ageretur de Matrimonio & aliis quæ ad fidem ſpectare viderentur, & feriâ reformatione generali. Omnibus ità placuit. Et ſic ſoluta fuit præter opinionem Congregatio cum gratiarum actione.

Die Jovis verò 15. celebrata fuit Seſſio in æde Divi Vigilii, quæ eſt Cathedralis, præſentibus Legatis Morono, Hoſio, Symonetâ, & Navigerio, Cardinalibus Lotharingio & Madrutio, Oratoribus tribus Imperatoris, duobus Regis Gallorum, Comite de Lunâ, Oratore Regis Catholici, Oratoribus Regiis Poloniæ, Luſitaniæ, duobus Venetorum & altero Ducis Sabaudiæ & ducentis & octo præſentibus Epiſcopis, unà cum Generalibus Ordinum, Abbatibus, Doctoribus &c.

Primùm quidem celebravit Miſſam de Spiritu Sancto Epiſcopus Pariſienſis. Finitâ Miſſâ, benedictione acceptâ, cum indulgentiis, Aliphanus, habuit Orationem in quâ in initio gratulatus eſt de die Seſſionis, quòd poſt tantas diſſentiones, Patres tam unanimes ſint. Propoſuit duo vulnera Eccleſiæ, & remedia; duo petiit, ut dogmata dilucidè explicentur verbo Dei & traditione. Secundò ut mores ad priſtinam ætatem revocentur, ſed ut dixit neſcio an ſimus adverſariis meliores, chorus ſymphoniacorum cœpit pſalmum *exaudi*, & interim Legati adierunt faldiſtorium propè altare ad ſuſcipienda veſtimenta Pontificalia. Requiſiti Epiſcopi cœperunt indui pluviali & mitrâ ſimplici, paratâ ſede in medio altaris, ibi ſedit Moronus Legatus, orate dixit Diaconus, flexis genibus oraverunt Patres, erigite, orate, erigite, Collecta. Evangelium, *Dixit Jeſus Simoni Petro;* & alii Legati finito Evangelio, à ſuis ſedibus iverunt ad altare ſedentes, à dextris & ſiniſtris Moroni, *Veni creator*, verſus & collectâ, conſuetis, benedicamus Domino. Tum Caſtellanus qui vices obiit ſecretarii, legit quoddam Breve quo eligitur Moronus Legatus loco Mantuani, & aliud quo Navigerius loco Seripandi, ſub datâ vigeſimâ Martii. Tum Orator Regis Poloniæ exhibuit ſuas litteras Legatis cum omni reverentiâ, quæ traditæ ſunt Magiſtro cæremoniarum, & poſtmodùm lectæ, ex ſuggeſtu unâ cum reſponſo in admiſſione illius, deindè eodem modo lectæ fuerunt litteræ Ducis Sabaudiæ, cum procuratorio ad Synodum, & reſponſo Synodi. Comes deindè de Lunâ exhibuit ſuas litteras Legationis, & litteras Regis Catholici ad Synodum, quibus Pium 4. vocat univerſalis Eccleſiæ, Pontificem Maximum, & reſponſum ad dictum Comitem, antè tamen lectæ fuerunt litteræ Mariæ

Reginæ Scotiæ, ad Synodum, exhibitæ per Cardinalem Lotharingium cum responso. Litteræ autem gubernatricis Flandriæ Margaritæ non fuerunt lectæ, quia antè prolatæ fuerant per Episcopos Flandricos, & exhibitæ per Episcopum Atrebatensem, in Congregatione Patrum.

Ascendit demùm suggestum Parisinus, & legit 1. doctrinam & Canones de Ordine, & auditis Patrum votis, dictum fuit à Legato, deindè à dicto Castellano omnibus placuisse, exceptis sex aut septem, qui petunt aliquam reformationem sexti Canonis, & octavi, & uno solo circà Canonem quartum.

Consequenter legit Decretum de residentiâ cum 17. Capitibus reformationis. Placuerunt omnia omnibus, præterquàm ut dixerunt idem Legatus & Castellanus, tribus super decreto de residentiâ, & 10. aliis qui in diversis Canonibus non-nulla addi vel immutari cupiebant, ideò dixit, Deo agendæ sunt gratiæ quam maximæ.

Tum cœpit Canticum *Te Deum &c.* & sic soluta fuit Sessio, alioqui ab omnibus desiderata cum pace. Antè Canticum tamen indicta fuit Sessio proxima per Parisiensem ad diem decimum sextum Septembris, ubi agetur de Matrimonio, & aliis ad fidem spectantibus, & de reformatione generali. Quod omnes pii & Catholici votis omnibus efflagitant. Faxit Deus, ut his quoque aliquem det finem, & possimus revisere nostra ovilia.

Sessio prædicta cœpit horâ nonâ, & finita fuit horâ 16. aut circiter, & sic per 7. horas duravit, & hac quidem per Dei gratiam liberati sumus ab onere disputationis super abusibus Ordinis in quibus colligendis, & reformandis deputati erant, Orator Polonus Episcopus in cujus ædibus nostræ Congregationes fiebant, Patriarcha Venetus, Antibatensis, Senonensis, Archiepiscopi, Episcopi Ilirienfis, Maceratensis, Auriensis, Neocastrensis, Parmensis, & ego Virdunensis. Sed Ilirienfis vix ter aut quater comparuit.

Canon primus ut diximus de examine Episcoporum in sequentem fuit dilatus Sessionem.

Die Dominicâ 18. Julii celebrata Missa de Spiritu Sancto, ob victoriam quam Rex Catholicus, obtinuit contra infideles, qui in obsidione oppidi Oran in Aphricâ, ab Hispanis comprehensi cœsi sunt circiter tria millia, captis tribus magnis machinis bellicis ab Hispanis. Alphanus Orationem habuit exhortatoriam ad agendas gratias Deo pro hujusmodi victoriâ quæ causa erat conventus Episcoporum, & exorandum Deum ut armis Regis Catholici, faveat, qui tam meretur de Religione & sede Apostolicâ.

Die Sabbathi 24. inchoatæ sunt Congregationes ad dicendas sententias super Canonibus Sacramenti Ordinis, postquàm admissus fuit Orator novus Ducis Florentinæ, Episcopus quidam. Lectis litteris, & procuratorio illius sub plumbo per licentiam à Summo Pontifice. Dixit primus Cardinalis Lotharingius super Canonibus & magnoperè contendit irritanda esse clandestina matrimonia ob tot quæ ex iis sequntur incommoda.

Oratio (a) Oratorum Christianissimi Regis Caroli IX. Ferrerii & Fabri, habita mense Augusto, ortâ controversiâ de præcedentiâ.

CUm videamus, Patres Sanctissimi, vos ex omnibus totius orbis Christianissimi Provinciis, conciliandarum de Religione controversiarum causâ in

(a) Habetur impressa in lib. cui titulus est: *Memoires pour le Concile de Trente* p. 485. Parisiis apud Sebastian. Cramoisy anno 1654.

hunc locum advenisse, idque maximè factum fuisse, diligentiâ, operâ, studio, Francisci & Caroli fratrum, Regum Christianissimorum qui apud Pontifices maximos, Regem Catholicum & cæteros Reges & Principes Christianos hanc Synodum œcumenicam primi promoverunt, non possumus non graviter & molestè ferre nostram legationem in ea tempora & angustias incidisse, ut cogamur aut re infectâ abire, aut antiquam Regis nostri dignitatem minuentibus assentiri. Quæ fuerit Regum Christianissimorum præ cæteris Regibus auctoritas, dignitas & prærogativa, norunt qui juri Pontificio & receptis in Ecclesiâ Rom. historiarum libris operam dederunt, sedisse autem & præcessisse in Conciliis Ecclesiæ generalibus, antiquis & novissimis, Regis Christianissimi Oratores, qui Conciliorum volumina legistis, non potestis ignorare. Qui verò Juris-consulti estis, negare haud licet hujus antiquæ & perpetuæ possessionis æquitatem & veritatem, cùm sint plura conjuncta & necessaria consequentia Capita, vim in uno factam, in omnibus factam videri. Videtis autem, Patres Sanctissimi, & oculis cernitis, quòd hodiè fit adversùs antiquissimam possessionem, contrà omnia jura divina & humana, pupillumque Regem Christianissimum. Regis Catholici Oratores in Conciliis generalibus, post Regis Christianissimi Oratores semper sedebant & insedebant, Ecclesiasticarum Cæremoniarum honores accipiebant; immutata hodiè res est, & Regibus Christianissimis antiquissima prærogativa adempta, non quidem à vobis, Patres Sanctissimi, qui si antiquum dignitatis & libertatis vestræ gradum retineretis, potiùs majorum vestrorum exemplo Regibus & Principibus avita Regna & Imperia, undè essent iniquè expulsi restitueretis, quàm antiquâ possessione quemquam moveri pateremini. Nihil item factum est hac in re à Serenissimo Principe Rege Catholico, cui cum Rege Pupillo quanta sit amicitia, eaque cum affinitate conjunctâ, nemo est qui non intelligat. Quem igitur accusamus? adeò nos, Patres sapientissimi, hujus impietatis pudet, piget, tædet & miseret, ut si fieri ullâ ratione posset, auctoris nomini parceremus; quis enim adeò impius pater à quo si filius panem petierit, non ei panem det, si piscem, piscem, si ovum, ovum? Et tamen inventus est omnium Christianorum Pater, qui pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro ovo scorpium filio primogenito dederit. Veneramus nos Galli esurientes & famelici petentes à Beatissimo Papâ, velut communi Patre, panem, non quidem naturalem, cujus non indiget Gallia, regio feracissima, sed illum divinum Angelorum & supersubstantialem, cujus in toto ferè orbe Christiano tanta fuit caritas, deindè inopia, ut vix unquam post Christum natum major, ille verò non quidem dedit panem quem petebamus, sed scorpium, cujus cauda uno ictu simùl Regem Christianissimum & Ecclesiam Gallicanam feriret. Sic enim existimat Pius IV., qui dum prætexit unitatem & concordiam Ecclesiæ, aperta spargit dissidiorum semina, sperans hoc suo discordiæ pane, maximorum Regum benè compositam pacem facilè posse dejicere, unanimesque Reges fratres in prælia armare, & mutando per vim & scelus ordinem, quo semper & novissimè in Concilio Constantiensi & Lateranensi sederunt Regis Christianissimi Oratores, ipse æquus, scilicet causæ suæ, judex & æstimator, manifestum facere, Papam esse suprà Concilium, ausus est, sed errat toto cœlo, quoniam horum Regum amicitia altiùs radices egit, quàm ut isto levissimo vento evelli posse videatur. Nostra verò de decretis Concilii Constantiensis

& Basiliensis,

& Basiliensis, ea semper erit constans & perpetua sententia, quæ de Conciliis Ecclesiæ universalibus inter omnes Catholicos esse debet. Audierat & didicerat Petrus, aut ex statere in ore piscis invento, aut cùm rogaretur Pharisæus, cujus esset imago, aut, cùm dictum est, quis me constituit judicem, aut ex responso matris filiorum Zebedæi, non esse miscendum psalterium cum cithara. Hic autem Petri successor, & non imitator, ausus est Regibus & Principibus, non solùm novos honores, & prærogativas tribuere & præscribere, sed etiam veteres suo motu & voluntate mutare. Magna quidem fuit jure divino, gentium, & civili habita ratio filii primogeniti, qui non solùm vivo patre inter fratres primum & præcipuum honoris gradum teneret, sed etiam defuncto, hæreditatis paternæ majorem partem cerneret. Hic autem Pius 4. non existimat Regem Christianissimum Ecclesiæ Catholicæ filium primogenitum ulla in re præferendum cæteris Regibus, qui longo post illum tempore, suo præsertim exemplo, & operâ Ecclesiæ Catholicæ nati sunt. Fuit certè Regis Salomonis & quorumdam Judeæ Regum magna impietas, & gravissima scelera: verùm noluit Dominus ob Davidis memoriam, & egregia ejus in Ecclesiam merita, quamdiù Salomon vixit, de regni amplitudine, de dignitate, & auctoritate, quicquam detrahere; Neque duas illas tribus, quibus Reges Judeæ imperabant, omninò perdere. Pius autem quartus nullâ habitâ ratione meritorum in Ecclesiam Romanam, Pipini, Caroli Magni, Divi Ludovici, & aliorum Galliæ Regum, qui ipsam Romani Pontificis sedem, & omnem quem habet Ecclesia Romana reditum, & multò majorem quem nunc possidet, munificè & tam largè donarunt, Primatum in Ecclesiâ Occidentali & Imperium Pontificibus Romanis concesserunt, ipsos urbe profugos, & exules in suam sedem, & dignitatem sæpè restituerunt, carcere detrusos exemerunt, sanguinem totiès pro Sedis Romanæ amplitudine fuderunt, bellum sacrum instaurarunt, confecerunt: quodque intolerabilius est, eo tempore quo Regina Christianissima pupilli Regis mater in periculum adduxit tanti Regni Imperium, ob hanc solam causam ut posset Ecclesiæ Romanæ auctoritatem in Galliâ sartam, tectam conservare, iste inquam Pius 4. crudeliter ingratus, priscam Regibus Galliæ prærogativam, & honorem, quæ semper fuerunt Regibus charissima pignora, suo decreto abstulit. Noluit Deus priùs judicare quàm descendisset & vidisset: prohibent Pontificum & Imperatorum constitutiones, Jure-consultorum responsa, quemquam indictâ causâ condemnare, vel pronuntiare de re quæ in controversiam & judicium deducta non est. Hic autem Pius 4. contemptis omnibus legibus divinis & humanis, non solùm de plano aut per libellum, sed sine ullâ omninò editione, contestatione, vel cognitione Regem condemnat. Maledictus (inquit Dominus) execratus, infœlix, infaustus, aut si quod aliud vocabulum latina lingua habeat, quo Ebraici nominis vim significet, qui movet limitem proximi sui, & dicet omnis populus amen. Magna fuit etiam inter Barbaros homines reverentia longissimæ possessionis, quæ semper vim constituti, jurisque legitimi auctoritatem habuit. Jura denegant omninò actionem adversùs eum qui longo tempore possedit, & actorem jure, vel injuriâ à limine judicii repellunt. Hic autem Pius mutare sedes, & antiquas possessiones, deque illis possessores dejicere nihilùm quidem esse putat. Sæpius Deus per majores & minores Prophetas commendavit, Principibus & judicibus pupillorum & viduarum

Hhhhh

causam, nihilque est in toto jure Civili in quo tanta jusdicendi religio desideretur, quàm in condemnando pupillo. Noluerunt Paulus, Sanctissimæque Ecclesiæ decreta, quemquam excommunicare nisi ob magnam in gravissimo delicto contumaciam; abstinuerunt prisci Patres & Pontifices à quibusve decretis faciendis, intereà dum sedebat, & coacta erat Synodus Oecumenica, penes quam semper fuit summa Ecclesiæ potestas, aut si quid aliquandò constituerunt, id sacro probante Concilio definiebant. Nihil est quod Dominus noster Jesus Christus magis curaverit, quam ut suæ & discipulorum actiones essent omnibus manifestæ, perpetuæ, & cognitæ, hic autem Pius ut uno decreto omnia jura divina & humana confunderet, vobis Patres, in Concilio universali legitimè congregatis, & qui Ecclesiam universalem meritò repræsentatis, ausus est Romæ de Regis pupilli, Oratorum causâ qui ad vos tantùm, & non ad illum mittuntur, possessione, prærogativâ, inconsultè pronunciare, pupillumque Regem non solùm non auditum, sed nec vocatum quidem condemnare. Atque ut nulla in hoc decreto iniquitas desiderari posse videretur, & nos Oratores imparatos executio offenderet, non solùm cavit diligenter, ne quis nostrûm de eâ re quidquam resciret, sed etiam vos, Illustrissimi Legati, si contrà faceretis, id est si id faceretis quod sine nefario scelere non facere non poteratis, excommunicavit. Videte, rogamus, Patres Sanctissimi, qui Theologiæ, juri Civili, & Pontificio operam dedistis, num verissimè hoc dici possit, ita quidem vis est, num hæc sunt Petri, Lini, Damasi, Gregorii, aliorumque summorum Pontificum facta & gesta? Num Pium IV. pro summo Pontifice & Petri successore habere debeat Gallia, qui ut antiquam dignitatem & majestatem Pupilli Regis minueret, omnia divina, & humana jura pervertit? num nobis, & si ingratissimo animo justa, tamen & necessaria causa hinc discedendum sit, ubi nullum legibus locum, nullum antiquorum Conciliorum vestigium libertatis Pius IV. reliquit? quid enim vobis judicandum proponitur, aut à vobis judicatum publicatur, quod non prius Romà missum, & Pio IV. placuerit? quàm putatis aliam esse causam toties dilati & procrastinati judicii petitionum nostrarum, quam quod ille ex Epistolâ Adriani VI. Pont. Max. optimè noverat, curatis quantumvis morbis corpus sanum esse non posse, nisi etiam caput diligenter curetur? huic tamen capiti quæ quantaque immineant, in aliud tempus dicendum reservamus. Hic est igitur Pius IV. ad quem solum hominem præsens hæc nostra denuntiatio & protestatio pertinet. Sedem Apostolicam, summum Pontificem, Sanctam Romanam Ecclesiam, pro cujus dignitate augendâ majores nostri sanguinem fuderunt, & hodie adhuc in Galliâ acriter pugnatur, veneramur, suscipimus & maximis ad cœlum laudibus efferimus: Pii autem IV. imperium detrectamus, quæcumque sint ejus judicia, & sententias rejicimus, respuimus & contemnimus; illum pro Vicario Christi, pro capite, pro Petri legitimo successore aspernamur & rejicimus; & quanquam, Patres Sanctissimi, vestra omnis religio, vita, eruditio magnæ semper fuit & erit apud nos auctoritatis, cùm tamen nihil à vobis, sed omnia magis Romæ, quàm Tridenti agantur, & hæc quæ publicantur magis Pii IV. placita, quàm Concilii Tridentini decreta jure existimantur, denunciamus, & testamur, quæcumque in hoc Conventu, hoc est Pii IV. motu decreta sunt & publicata, decernentur & publicabuntur, ea neque Regem Christianissimum probaturum, neque Eccle-

siam Gallicanam pro decretis œcumenicæ Synodi habituram. Intereà quotquot estis Galliæ Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Oratores, Theologi, vos omnes hinc abire Rex Christianissimus jubet, redituros ut primum Deus opt. max. Ecclesiæ Catholicæ generalibus Conciliis antiquam formam & libertatem restituerit, Rex autem Christianissimus debitum dignitatis & majestatis suæ locum receperit. (a)

Die septimâ Septembris cœperunt Congregationes ad dicendas sententias super canonibus de matrimonio, & reformatione, circà hujusmodi matrimonium reformatis, à suprà dictis Deputatis.

Eodem die receptus fuit Orator Ordinis militum Hierosolymitanorum, & exhibuit litteras ad Synodum & procuratorium generalis Militiæ, quæ omnia lecta fuerunt; deindè habuit Orationem prolixam, & responsum lectum fuit coram eo, & sic fuit admissus cum protestatione ut nullum fieret præjudicium Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, & sedit post Oratores Clericos.

Die octavâ Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis F. Francisquinus, Italus, concionatus est apud Divum Franciscum, præsentibus Cardinalibus Lotharingio & Madrutio, & Episcopis multis, qui copiosè suo more, eloquenter & cum magnâ verborum copiâ, de laudibus Virginis dixit, de natalibus maximè, Regali ex progenie & cum apostrophe ad nobiles hodiernos, qui vix honoris & virtutis umbram retinent. Non carebat gesticulationibus capitis, manuum & totius corporis, quæ tamen mihi non improbantur, cùm ex animo loqui videretur, & ea sit apud Italos recepta consuetudo.

A meridie ejusdem diei, cùm non fuisset Capella in Congregatione, sententiam paucissimis dixi super præfatione, canonibus, de Sacramento matrimonii, & reformatione, & de decreto super clandestinis matrimoniis.

Die 17. ejusdem mensis, dixi sententiam, ut sequitur.

Etsi (Patres Sanctissimi) decreta de reparandâ disciplinâ Ecclesiasticâ sint quidem præclara, non sunt tamen hujusmodi ut priscos illos mores in integrum restituant, quod ut fiat omninò necesse esse mihi persuadeo, ut jamdiù desiderata velut postliminio inter Christianos redeat concordia. Sedulò certè res agitur ab Illustrissimis Legatis, & laudandus eorum animus,

(a) Hanc orationem à Ferrerio Caroli IX. Regis Galliæ Legato, recitatam, vel potiùs paratam fuisse narrat Pallavicinus l. 21. hist. Conc. Trid. c. 10. non mense Augusto, sed initio Julii. Vehemens illa quidem est oratio, vehementior tamen fuit Cardinalis Lotharingi allocutio ad Legatos Pontificios quibus assidebat, affirmans, inquit Pallavic. ibid. c. 8. Disertum esse Regis mandatum provocandi coram Synodo & contestandi adversùs Pium tunc Pontificem, quem ipsi haud legitimum existimabant, aientes illum per simoniam electum fuisse & penes Galliæ Reginam esse litteras Pii manu conscriptas, id comprobantes .... ubi etiam legitimus fuisset Pontifex, ab eo provocaturos, tamquam à Pontifice tyrannico qui deponi merebatur, ex notoriâ injustitiâ quam exercebat, dum antiquâ possessione spoliabat Regem pupillum & innocentem, ne auditâ quidem illius causâ, adeòque se dejunctum iri ab obedientiâ Pii. Hæc Cardinalis Lotharingus ad terriculamentum dixit Legatis, sed nunquam de violatione libertatis suffraginrum, conquestus est cum Ferrerio, nec omnia Romæ, magis, quàm Tridenti placita & decreta agi asseruit, imò nec asserere potuit testis & conscius ipse summæ in opinando libertatis.

ſed quid tot tantisque opus eſt decretis, ſufficeret, ſi unus aut alter Canon adderetur, maximè cum Concilio & Pontifici Maximo unus ſit ſcopus, Chriſti gloria, unumque decus & ſplendor Eccleſiæ, nempè ut antiqui Canones quantùm fieri poteſt in uſum revocentur, inviolabiliter ab omnibus obſerventur, ut ne latum quidem unguem ab eis diſcedere liceat, niſi vel ſumma neceſſitas, vel evidentiſſima urgeat alicujus Eccleſiæ utilitas. Nam quamdiù (ut dum ageretur de electione Epiſcoporum jam dixi) Canones à priſcis & Sanctiſſimis Patribus pro fœlici ordinis Eccleſiaſtici regimine conditi, obſervati fuerunt, floruit in Eccleſiâ Dei, honeſtas, diſciplina, religio, pietas & pax: Neque ulla ratio inveniri poteſt firmior & validior opis ferendæ labenti Reipublicæ Chriſtianæ, quam ſi veteris diſciplinæ, ſacra jaciatur ancora: Quod quidem ut fiat cupiunt Catholici quique, dicam tamen quid de articulis hujuſmodi propoſitis ſentiam. Non erit etiam ab hoc noſtro inſtituto alienum, ſi poſteà-quàm ea attulerimus ad quæ ſunt cogendi Epiſcopi, Sacerdotes, aliique Eccleſiarum miniſtri, ut priſcis in uſum revocatis moribus, ſuum accurate munus exerceant, ſimùl etiam ea proferamus quibus aliundè non parùm impeditur quominùs hujus Sanctæ Synodi ſalubria ſtatuta liberè obſervare poſſimus, ut de his quoque eadem Sancta Synodus ſeriò provideat juxtà formam Can. 36. quem ſecundum locum obtinere, unà cum aliis Sanctiſſimis Patribus obnixè peto atque poſtulo.

Antè omnia corrigenda ſunt quæ malè aguntur in Dei Eccleſiâ, tam in Capite, quàm in Membris, maximè ab Eccleſiaſticis perſonis, quæ ſunt aliorum lumen & lucernæ ſuper candelabrum poſitæ, cum viciato fonte, non pôſſint nitidi manare rivuli, & male affecto capite non benè ſit membris, ut quam Deo & Eccleſiæ debeo fidem liberem reformationem Capitis fieri imprimis debere exiſtimo, Cardinalium, Epiſcoporum ex quibus ſalus aut exitium gregis Dominici pendet. In Canone I.

De proviſionibus Eccleſiarum Cathedralium & Epiſcoporum præficiendorum, ac Cardinalium qualitatibus.

HÆc materia dum diſcuteretur ſemper viſum fuit reſtituendas eſſe canonicas electiones, à quâ quidem ſententiâ recedere non poſſum.

In præficiendis fiat examen ſerium & rigidum à Metropolitano Provinciæ, edant ſpecimen ingenii, faciant profeſſionem fidei juxtà C. *Epiſc.* & Capitulum vacantis Eccleſiæ, ſi quid habeat adversùs promovendum, excipiat.

Quoad verba Capitis ſupradicti (nihil in iis pro præſenti temporum ratione innovando) potiùs mihi placeret dicendum (nihil in illis antiquis canonibus derogando, vel canonicis electionibus) quas Sancta Synodus in integrum votis omnibus reſtitui optaret. Reformanda Eccleſia in capite & in membris, ut cœptum in Conc. Conſtant. & Baſil. licet non ubique approbato, quod bonorum omnium votis maximè expetitur.

Item inhærendo veſtigiis Cardinalis Lotharingii, mallem omitti (quodcumque jus) ne tacitè videatur Synodus Principum nominationes approbare, ex quibus omnis fundi Eccleſiaſtici calamitas manavit.

Diſplicet verbum (providere) habitâ ratione præſentis temporis, quo omnis Eccleſiarum majorum proviſio ad Sanctiſſimum ſpectare cernitur, ſalvo

salvo semper electionum jure & Metropolitanorum, ad quos ex Conc. Nic. Episcoporum spectat confirmatio.

(Digniorem) placet dici, cum, ut dixit Gra. vix scienter prætermitti possit dignior absque peccato. Hoc idem sentire videtur Hieron. in Num. nulla consanguinitatis ratio, nulla propinquitatis contemplatio facere debet hoc ut populi gubernatio, alii quam meliori tradatur.

Semper placuit examen fieri in Episcoporum institutione, cùm etiam & illud in inferioribus exigamus, ut dictum est à Cardinali Lotharingio. Eò maximè quò hìc ratio examinandi si non poterit institui, quomodò in Concilio Provinciali, juxtà Hidruntinum. Quod si impetrari non queat, saltem hìc dicatur, examinatores Episcoporum in provinciis deputandos. Forma examinis hìc præscribenda, quomodò examinandi, habetur C. *Episcopus* 23. dist. Ca. *omnes psallantes* 38. dist.

Clausula (etiam Cardinalium) deleatur, nisi fortè seorsùm Canon de Cardinalibus edatur, juxtà sententiam Cardinalis Lotharingii, Jadien. & Bracharen. quod ordinis Cardinalitii magnitudo postulat, ut de eorum qualitatibus & munere agatur, ex quibus eligitur pastor universalis Ecclesiarum totius mundi.

CANON II.

De Conciliis Provincialibus & Episcopalibus.

PRisca illa & tamdiù expectata Ecclesiæ disciplina mox restauretur, si inprimis optimos & selectissimos haberemus Episcopos, quales C. 1. exigit: deindè Episcopalia & provincialia Concilia celebrarentur. Quare decretum istud mihi magnoperè probatur: cuperem tamen explicari qui votum habeant decisivum, propterea quòd vidi magnam hac de re controversiam in Concilio Trevirensi, dum præsens essem anno 1548.

Displicet clausula, (vel contra statuta suorum ordinum) & alia (nec Capitulis generalibus subdantur) ne hac ratione Capitula Cathedralium quæ tot annis generalia quæ vocant Capitula celebrant, eximantur.

Loco, *placet Sanctæ Synodo* vellem uti verbis efficacioribus juxtà Cardinalem Madrutium, vel saltem diceretur *præcipit.*

Nec placet clausula (in reliquis omnibus prædictorum exemptio, & privilegia salva permanent.)

Quamvis autem antiquis constitutionibus, ut in Con. Nic. C. 3. Antioch. C. 20. Calced. C. 29. frequentiùs celebrari jubeantur provincialia, hoc tamen decretum placet juxtà Basil. & Lateran. novissimum, triennio quolibet tantùm saltem celebrandum. In quo Comprovinciales soli sint judices; Capitula & Abbates, vocantur quidem, sed ad tractandum & consulendum, non autem ad judicandum.

CANON III.

De visitatione Episcoporum, Archiepiscoporum, Archidiaconorum, & eorum officio &c.

QUod autem dictum est, si Metropolitanus reperiat Episcopum notoriè hæreticum, fornicatorem, dilapidatorem, aut ignorantem, mallem hunc accusari in Synodo in quâ cum certo Episcoporum numero priùs ju-

dicetur. Hoc valdè probatur quod si Metropolitanus visitans reperiat aliquem Episcopum notoriè hæreticum, aut scandalosum, præviâ denunriatione Evangelicâ, informatione desuper factâ, ad Sanctum transmittat juxtà sententiam Cardinalis Lotharingii.

Nomen (*victualia*) non placet.

Est autem Episcopo tota sua diligentissimè obeunda diœcesis, & ut hoc fiat, vicariâ non est utendum operâ, nam cùm sit juris divini pascere gregem sibi commissum, procul est expellenda illa non-nullorum opinio, qui existimant satis pascere, qui pascit per alium, & optarem juxtà sententiam Varmiensis ut sine sumptu plebes suas Episcopi visitarent, exemplo Apostoli. Sum expertus Dei gratiâ, quantùm prosit hujusmodi visitatio, quæ animas tantùm quærit, non victum, aut lanam, aut quicquid aliud præter salutem. Dum anno uno, ferè octoginta millia hominum confirmavi, exceptis parvulis, quanquàm visitatio mea ad hunc scopum non esset instituta, sed tantùm ut agnoscerem vultum pecoris mei.

C. IV.

De officio Episcopi, & Curati in prædicatione verbi & instituendis pueris.

PLacet præter clausulam (*nullus autem sæcularis, sivè regularis, etiam in Ecclesiis suorum ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat*) cùm satis sit provisum sub Paulo III.

Nec placet, ut Parochi per se, vel alios, quotidiè vel saltem tribus diebus hebdomadæ, Adventûs, Quadragesimæ, & jejuniorum cogantur prædicare; hoc enim rigidum videretur, cùm Parochi sit officium sacrorum administratio in quâ frequentiùs occupatur. Placet adnotatio Cardinalis Lotharingii, ut spectacula impudica & nundinæ in diebus Dominicis prohibeantur, etiam Tabernæ tempore Concionis.

C. V.

De causis criminalibus Episcoporum.

CAnones antiqui statuunt ut causæ Episcoporum discutiantur & decidantur in Conciliis Provincialibus, adhibitis saltem sex Episcopis, si numerus antiquorum Conciliorum non retineatur.

Quòd si à majori parte obtineri non poterit, non displicebit decretum, modò causæ, non-nisi Episcopi admittantur. Commissio manu propriâ describatur, & procedatur juxtà formam C. Lat. in C. qual. & qu. & ejus Conc. sub Jul. 3. Sess. 3. C. 6. 7. & 8. qui si fieri datur, legantur.

Quoties Episcopus accusatur, in provinciali Synodo, priùs audiatur ex antiquis Canonibus. Jul. 1. in Epistolâ contrà Orient. pro Athanasio C. 17.

Nullus Episcopus extrà suam provinciam ad judicium evocetur, ut ab omnibus Comprovincialibus audiatur, qui supremam proferant sententiam. Propterea Metropolitanus est judex ordinarius suæ Provinciæ.

Ultimò probare non possum ut per aliquam inquisitionem agatur contrà Episcopos, ut fit in non-nullis Provinciis.

C. VI.

De Exemptione & Correctione Canonicâ.

ARgumentum placet, verùm maturiùs hìc providendum arbitror, ne major excitetur tragœdia, utar verbis Cardinalis, nulla sanè gravior pestis in Ecclesiâ Dei esse potest, quàm si eximantur Canonici ab Episcopis. Possem abundè testari quanta ex his incommoda nascantur, quæ prudens taceo; habitâ tamen ratione temporum, an expediat hujusmodi exemptiones absolutè & simpliciter tollere, dubito; nisi quòd non possum non probare sententiam Hidruntini, qui exemptiones ex fundatione tolli nollet partibus inauditis, ne majores excitentur controversiæ: cuperem tamen, ut exempti tales ex fundatione, exhiberent titulum suæ fundationis, intrà annum, alioquin nullius ampliùs essent momenti, & quòd in his ad unguem servaretur Constitutio Lateranensis Concilii sub Innocentio III. cui initium est *Irrefragabili.* Quòd si majori parti visum fuerit penitùs è medio tollendas esse, habeatur tamen ratio animadversionis Cardinalis Lotharingii, ut jus commune servetur, neque alteri, sine alterius consilio agere liceat quicquam, imò ut mensa fit communis, ut sint corpus unum, & anima una. Ut adhibeatur remedium super hujusmodi exemptionibus movet auctoritas Smi. illius Poli Cardinalis, qui cum aliis Deputatis, inter abusus decrevisset hujusmodi exemptiones, ut videre est in quodam libello. Olim Episcopi & Clericorum, unum fuit velut corpus, cujus caput erat Episcopus, dicti autem sunt Clerici, Canonici quòd canonicè viverent, quamvis verbum Canonici non reperiatur præterquam in Conc. Laod. C. 14. & Concilii Magun. tempore Caroli Magni, quo tempore adhuc in communi vivebant; posteà verò cum communio pareret discordiam, visum est bona Ecclesiarum inter Episcopos & Clericos dividi. Hinc factum est, ut nihil posteà habuerit Episcopus commune cum Canonicis, adeò etiam ut distincta esset eorum jurisdictio, & eò usque res processit, ut in plurimis locis Episcopus in eos nullam haberet jurisdictionem, essentque omninò exempti, ita ut eos visitare non liceret, quod à Concilio abrogandum est. Et certè ut ingenuè fatear, semper exosas habui istas exemptiones, ob multa scandala & incommoda ex illis provenientia; si quidem illis ordo universalis destruitur & confunditur status, honor, gradus, & potestas superiorum parvi aut nihili penditur, tolluntur obedientia & reverentia quas exempti suis exhibere debent Ordinariis. Quid plura eas censeo juri divino ex diametro contrarias & oppositas, *honora patrem* & an quæso filius audiendus esset qui vellet se eximere ab obedientiâ patris. Deindè quam reverentiam & obedientiam impendent laici Episcopis, si Canonici in eos sint irreverentes. Quod expertus sum dum in Ecclesiâ prohiberem deambulationes inter sacra solemnia & multis in aliis casibus. Correctiones excessuum, hujusmodi exemptionibus etiam impediuntur & fit universali Ecclesiæ summum præjudicium, cùm nonnisi à Papâ judicandi sint exempti, qui valdè remotus ab eis existit. Tollitur jus Ordinariorum qui propriè vocantur Diœcesani. Foventur per hujusmodi exemptiones, rixæ, contentiones, scandala aliaque inaudita mala, cum per impunitatis audaciam reddantur iniquiores quidam, & suis abutantur privilegiis, idque nemo melius scit, quàm qui continuò residet.

Tollantur igitur omnes exemptiones purè & simpliciter, ità ut omnes & singuli Clerici sæculares, etiam Canonici, aut cujusvis dignitatis personæ omninò in civilibus & criminalibus subdantur Episcopis, etiam Officiales Apostolici & Capellani, modo tamen actu sua officia non exerceant: Et de cætero non concedantur ampliùs exemptiones.

De exemptionibus memini tempore Julii III, transmissos esse à Carolo V. ad Cardinalem Crescentium quosdam articulos reformationis, in quibus inserta erant quædam impedimenta, quæ Ordinariis in gubernatione suarum ovium inferebantur, quorum unus erat supràdictum remedium. Nempè ut tollerentur exemptiones purè & simpliciter; an verò sic expediat his temporibus ex abrupto & absolutè eas tollere, adhuc sum anceps, cùm sciam multa Capitula exempta omni virtutum luce clarescere.

C. VII.

De absolutione in casibus Sedi Apostolicæ reservatis.

DEleti cuperem verba novissimè adjecta (*provenientibus ex delicto occulto*) cum modica esset potestas Episcopis concessa in occultis absolvendis, ut dixit Granatensis. Et verba illa (*ubi nulla est, vel fuerit probatio.*

C. VIII.

QUid agendum in administratione factorum placet & hoc quidem in Diœcesi nostrâ observari cœpit.

C. IX.

De publicâ Pœnitentiâ.

CUperem ut in criminalibus publicis, pœnitentiæ publicæ usus in Ecclesiâ revocaretur, & præbenda una in qualibet Cathedrali esset imposterum Pœnitentiatio addicta (juxtà sententiam Cardinalis Lotharingii) qui esset Doctor in Theologiâ. Cuperem etiam ut duæ præbendæ saltem assignarentur duobus Theologis, quorum unus sacras litteras interpretaretur, alter singulis Dominicis diebus concionaretur, maximè in Cathedralibus insignibus, in quibus sunt plusquàm quadraginta Canonici, ut in Virdunensi, quæ est potiùs referta curialibus, quàm doctis & piis.

C. X.

De visitatione beneficiorum & exemptorum & nulliùs Diœcesis.

PLacet, verùm exceptio illa (*ordinum regularium*) non placet, nisi ita exprefsè dicatur (*nisi illorum ordinum sint in quibus viget disciplina regularis, & quot annis celebrantur Concilia generalia, & quod nihilominùs Episcopi tanquam Apostolicæ Sedis delegati possint visitare monasteria illorum Ordinum quorum Generales longiùs absunt, neque quot annis visitant.*

C. XI.

In materiâ correctionis aut visitationis non sit locus provocationi aut inhibitioni.

CLausula (*subditorum suorum*) non placet, mallemque dici gregis Dominici.

C. XII.

C. XII.

De privilegiis quorundam officialium Romanæ Curiæ.

SI habendà sit ratio militum Hierosolymitanorum juxtà Oratoris petitionem, non displicebit, ut personarum eorum, & monasteriorum in quibus in communi vivunt, privilegia serventur tantùm, nullo verò pacto faciendum, ut parrochiæ Commendis illis unitæ eximantur. Juxtà Bracharen. hoc Decretum videtur Synodò indignum, dùm videtur prothonotarios aliosque officiales Curiæ Romanæ canonizare, ut dixit, Senonensis.

C. XIII.

De dignitatibus Ecclesiarum & Canonicis.

DEleri cuperem verba (*ut saltem sex, & clausulam per octo*) non enim debent esse melioris conditionis quàm Episcopi, quibus tantùm duo menses conceduntur.

Item valdè rigidum mihi videtur, ut dimidia pars Canonicorum sint Doctores aut Licentiati. Et post verba (*ut meritò senatus dici queat*) vellem insereretur *aut alibi, loco commodiori.* Clausula quòd Canonici in elevatione Corporis Christi genua flectant, non obstante quâvis contrariâ consuetudine, quæ potiùs corruptela censenda est. Ubi de Canonicis agitur, fiat mentio duorum Canonicorum, qui in Episcopi servitio sint, ut in absentiâ, fructus præbendarum percipiant. Juxtà C. *ad audien. de præben, & dignit.*

C. XIV.

DE unione & divisione Episcopatuum, ubi dicitur (*in quibus viget disciplina regularis, vel quæ Capitulis*) vellem dici copulativè.

§ *Imposterùm* non placet, ut lex in futurum protrahatur, ut quam aliis ferimus legem, ipsi pariamur. Et ut dixit Cardinalis Lotharingius, provideatur pauperibus Episcopis. Placeret mihi juxtà Granaten. decretum de pensionibus seorsùm edi in quo ageretur quomodò, & quibus ex causis pensiones creari debeant.

Item loco verborum (*adhibito Regis consensu*) vellem dici, juxtà Senonensem, vocatis his quorum interest.

Non admodùm placet magnos Episcopatus dividi, nisi subsit causa, quam Sanctissimi judicio censeo relinquendam.

C. XV.

Nulla conventio aut conditio interveniat in beneficiorum collatione aut possessione.

PLacet, sed hic subticere nequeo, quod Græculus ipse cùm in Episcopos Gallos tam acerbè ageret, quàm perperam monasteria illis ex dispositione Apostolicâ commendata negans, eaque passim ruinam minari asserens, ipse trabem in oculo nostro conspexerit. Si fortè in commutandis Episcopatibus nulla intervenit pactio, conventio, aut promissio ipse viderit, priusquàm fratres suos tam præcipitanter judicet. Quem cùm charitate admonitum velim, aliquandò rectum facturum se, si priùs ex evangelio didicerit, ex oculo suo trabem tollere, quam festucam in Clerico repre-

hendere. Neque arbitror te Rme. Græcule, quâ es prudentiâ, quod hîc dico, iniquo posse animo ferre, cùm dicat Sapiens, *argue sapientem & diliget te*. Id autem quæso ex meâ charitate factum existima, quâ senilem tuam ætatem complector.

C. XVI.

De unionibus beneficiorum simplicium cum præbendis.

PLacet, nisi quod vellem expungi clausulam, (*non tamen regularia*) & similes clausulas, quæ passim ferè in hujusmodi capitibus inseruntur, cum de his nobis aliquandò auxiliante Deo sit dicendum; & de abusibus exemptionum hujusmodi Ordinum Regularium.

C. XVII.

De Oeconomo instituendo sede vacante.

Placet, sed deleantur (*aut exempta.*)

C. XVIII.

De tollendâ pluralitate beneficiorum.

LIberiùs loqui possum qui neque Commendas, neque Parochiales, neque pensiones Dei gratiâ habeo, etsi constitutiones Concilii Lateran. sub Inn. III. in C. *de multa:* Lugd. sub Gregorio X., Lateranen. sub Leone X. & hoc idem Concilio abundè videamus de refrænandâ sacerdotiorum pluralitate, tamen remedia adhuc non profuerunt ob crebras dispensationes, quæ cum ex causâ tantùm concedendæ erant, passim & ubique hactenùs ferè non sunt denegatæ; nullum puto decretum adeò necessarium atque hoc ipsum decimum octavum sit, cujus, ut dixit Granatensis, præcipuus scopus est, ut decretum illud de residentiâ à Spiritu Sancto suggestum exactiùs observetur. Undè non possum tàm pium & antiquis Canonibus consonum non amplecti & venerantes suscipere decretum, quo sacerdotiorum multitudo tollitur, magis autem placeret si ad parrochiales Ecclesias tantùm non restringeretur, sed nullâ habitâ Curatorum & Simplicium ratione, caveretur ne quis duorum personam gereret, cum nullum detur beneficium, nisi propter officium, quod & in sæcularibus magistratibus servari cernere est; neque detur licentia, ut intrà annum resignent, sed duo tantùm, aut tres menses concedantur.

Quod autem annotavit idem Illustrissimus Cardinalis circà § *illi verò* usque ad verba *tutâ conscientiâ*, non placet, cùm repugnare videatur cum residentiâ. Itaque audiendi sunt qui tenent monasteriorum minorem esse habendam rationem, quàm beneficiorum quæ adjunctam habent curam animarum: quasi verò non sint etiam rationis participes antè dicti Monachi, quorum exitium de manu Commendatariorum Deus requisiturus est, si eorum culpâ acciderit. Maturè itaque de re tantâ censeo deliberandum, quæ tanti est momenti, ut ex eâ vel reformatam, vel planè deformatam habituri simus Ecclesiæ disciplinam.

Beneficia Curata quibus cura animarum annexa est, Simplicia quibus ista cura non est annexa, sed aliquod aliud officium, omne autem beneficium tàm Curatum, quàm Simplex requirit residentiam nisi causa ratio-

nabilis excuset, sicut Canones permittunt servitoribus Papæ, & Episcopis occupatis officio beneficii, prædicando, studendo, & similibus. Ut habet Clingius.

Dispensatio beneficiorum duo exigit, justam necessitatem, quæ duplex est, nempè Ecclesiæ, propter defectum personarum, & personæ propter tenuitatem, & paupertatem beneficiorum non sufficientium ad congruam sustentationem personæ, in quâ attenditur ejus statûs & meritorum prærogativa, 2us. propter piam utilitatem, quæ est commune bonum Ecclesiæ, alias dispensatio nulla excusat pluralitatem beneficiorum à culpâ mortali.

C. XIX.

De ratione providendi Parochialibus & examinatoribus deputandis.

SUmmoperè probatur, cùm præcipua capita reformationis, sint habere bonos Episcopos & Parochos. Vellem etiam, delerentur verba (*per edictum publicum vocentur*) & aliquid adderetur juxtà annotata dicti Cardinalis Lotharingii, qui citavit Gregorium ad Januarium.

C. XX.

CAnon 20. placet, nisi quòd vellem expressam fieri mentionem de creationibus in Canonicum, quas quotidiè Curiales impetrant in partibus obedientiæ, maximè verò Metis, Tulli, & Virduni, quas mallem concedi Theologis quorum opera longè magis est necessaria, quibus quotidiè est negotium cum vicinis parùm Catholicis, atque utinam Sanctitas sua probè nosset morbum Ecclesiarum nostrarum in extremis laborantium; certè huic morbo pharmacum adhiberet pro suâ pietate necessarium. Cùm in Concilio non sit tacenda veritas, experientia rerum magistra me à 15. annis docuit quibus assiduè in Ecclesiâ resideo. Scio quid agatur in Ecclesiis Metensi, & Tullensi, & quantoperè sint noxiæ illæ gratiæ, quæ ansam præbent malis captandæ aliorum mortis. Prætereà Mandata de providendo, Gratiæ Expectativæ, Reservationes etiam mentales, unâ cum dispensationibus quas Bernardus non dubitavit vocare dissipationes, Coadjutoriis, nempè ex quibus aliquis fit hæres viventis, Commendis perpetuis, quibus oves lupis commissas esse dicas, Permutationibus beneficiorum, Renunciationibus in favorem, Reservationibus fructuum, Regressibus & Accessibus, quibus introducta est in beneficiis quædam perpetua successio, gravissima Reipublicæ vulnera imposuere. Atque utinam Pontifici persuaderi posset, ut non à veteribus discederet Canonibus, nisi summa urgeret necessitas, vel evidentissima alicujus Ecclesiæ utilitas. Super est unum quod postulo post Patriarchas Hierosolimitanum & Aquilegiensem, ut secundum locum obtineat in Capitibus reformationis Canon ille ab omnibus desideratus, de tollendis impedimentis Principum, de quibus justissimam habeo conquerendi ansam. Inseratur etiam in hac eâdem reformatione decretum de juramento Magistratuum præstando; de quo Patres in præcedenti Sessione sententias dixerunt. Hæc omnia calculo Synodi submissa sunt.

C. XXI.

CAnonem 21. imprimis amplector & suscipio, cum nihil sanctius statui possit maximè in Ecclesiis transalpinis, quàm ut lites in partibus de-

finiantur, neque ullâ appellatione, aut inhibitione factâ (quæ apud nos sunt frequentissimæ) ad curiam evocari queant. Causas tamen majores juxtà Senonen. ad Sedem Apostolicàm deferendas censeo. Et hæc & aliâ quæcumque, eo quo à me dicta sunt, animi candore, Patres suscipite.

Die Mercurii 23. Ferrerius, Orator Gallus, proposuit Synodo ne hìc ageretur de excommunicandis Principibus, & ne quid statueretur contrà antiquas sacras leges Gallorum, quas antè 400. annos, antè librum Decretalium Reges ediderant, juxtà quas antistites vixerant, cum Rex Francorum, Rex & Regni Ecclesiarum ferè omnium sit patronus & fundator, qui de proventibus etiam Ecclesiasticis disponere potest, maximè urgente necessitate. Non esse Principes excommunicandos, cùm sint nutritii & alumni Ecclesiarum. De causis Episcoporum, & de decreto contrà Principes, super immunitatibus non vult quicquam fieri in præjudicium. De Annatis tollendis, aliisque negotiis Apostolicis egit, appellationes ab abusu non esse tollendas; possessoria tractanda juxtà privilegia Gallicana; nonnullos Episcopos abiisse dixit præter mentem Regis, & Concilium Legatorum, sed reversuros, aliaque multa proposuit parùm grata Patribus.

Die 4. Octobris, idem Ferrerius monuit, me præsente, Episcopos Gallos, ne quid dicant in Canonem 21. de causis in præsenti tractandis, in 19. de Præventionibus, quia tacitè has probare videtur, dum dicitur non obstantibus præventionibus, quia qui de uno negat, de alio affirmare videtur; in causis de pensionibus, quas minime probare debeant; & in Can. 5. de causis Episcoporum quæ soli cognitioni Pontificis reservandæ non sunt, ex privilegiis Gallorum, in quorum privilegium nihil decidi permittant, aut non compareant in Sessione.

DECEMBER.

Die 1. Decembris allatum est ab urbe nuntium obitûs Smi. Pii IV. ad Cardinalem Lotharingium. Manè rumor ubique sparsus fuit Tridenti. Faxit Deus, ut suæ aliquandò Ecclesiæ misereatur in tanto rerum omnium discrimine. Judicia Dei abyssus multa, ego verò nihil boni (utinam falsus sim vates) ominari queo.

Die Jovis 2. Decembris, horâ XXI. celebrata fuit Congregatio generalis, in quâ 1°. Legatus Moronus jussit legi canones de Purgatorio, Imaginibus, Reliquiis, & veneratione Sanctorum, confectos & approbatos à nonnullis doctissimis Patribus & Theologis, quos tamen vix nobis integrum erat legere, quia paulò antè traditi erant nobis in scriptis à Secretario Concilii, qui tamen ferè omnibus placuerunt.

Tandem lecta fuerunt 20. decreta reformationis generalis reformata juxtà sententias Patrum à Deputatis, nec non alia decreta de Regularibus, aliud de Exemptionibus, & aliud de Commendis, in quibus major pars Patrum sequuta est Cardinalem Lotharingium, demptis nonnullis, qui noluerunt respondere propterea quòd nec dum ea viderant. Aliis displicuit decretum de Commendis, aliis aliud de Exemptionibus, alii probaverunt omnes annotationes dicti Cardinalis. Ego verò dixi decretum de Commendis, tanquam indignum tanto concessu, prorsùs rejiciendum, & innovandum potiùs, quod aliàs desuper statutum fuit in Concilio Lateranensi, in cæteris subscripsi Lotharingio. Sic omnia placuerunt majori parti. Deindè Legatus proposuit

proposuit propter urgentissimas & gravissimas causas, celebrandam die sequenti Sessionem, quod relinquit prudentiæ Patrum, quanquam Oratores etiam instarent. Tandem Oratores sigillatim alloquuti sunt eos desuper, & exquisierunt vota omnium, de celebrandâ die crastinâ, Sessione, & imponendo fine huic Concilio, quòd ferè omnibus placuit, demptis 14. ad summum, & ibi remansimus per sex horas continuas; & sic indicta fuit Sessio ad sequentem diem, quæ est 3. Decembris. Rogavit Patres Cardinalis Moronus, ut orarent Deum pro salute Summi Pontificis, & ut dignaretur cuique nostrûm infundere Spiritum suum.

Die Veneris 3. Decembris, relatum est Patribus Romanum Pontificem convaluisse ex gravi morbo in quem inciderat, quod magnam attulit omnibus Patribus lætitiam. Tum celebrata fuit Sessio in quâ Sulmonensis celebravit, Famagustanus adhuc juvenis orationem habuit; tum verò idem Sulmonensis celebrans, ex suggestu, (orationibus in talibus haberi solitis, peractis, & acceptâ à Synodo benedictione) cantato etiam hymno, *Veni creator*, cum versu & Collectâ) primùm legit decreta de Purgatorio, Imaginibus, Sanctorum Invocatione, & Reliquiis, quæ omnibus placuerunt, demptis duobus Episcopis, Montis-Marani, & Gaddicensi, qui dixerunt se non esse informatos. Deindè decreta de Regularibus, cum decreto de Commendis, & multa alia decreta de reformatione generali, quæ etiam ferè omnibus placuerunt, demptis 40. quibus decretum de Commendis non placuit, fueruntque moti diversis rationibus, & aliis 40. qui petierunt Regulares extrà Claustra delinquentes, puniendos esse ab Ordinariis locorum. Erant autem vota Patrum qui aderant in dictâ Sessione ducenta duo. Tum idem Sulmonensis schedulam legit, quâ continebatur die alterâ continuandam esse Sessionem, in quâ deliberaretur de cæteris rebus, quæ ad fœlicem exitum hujus Concilii spectare videbuntur. Itaque spes est, quòd tunc omnia decreta ab initio hujus Concilii huc usque publicata repetentur & perlegentur, ut sciatur an omnibus Patribus placeant, eo quo solet interrogari modo, videlicet, Illustrissimi atque Reverendissimi Domini primique Patres, placent-ne hæc omnia vobis? ut tandem Patres subscribant, & expectetur Summi Pontificis confirmatio eorum quæ hactenùs tractata sunt.

Cantatum est tunc *Te Deum*, postquam permansimus in Sessione in æde Divi Vigilii à XV. matutinâ usque ad XXII. ejusdem Diei.

Die verò Sabbathi 4. ejusdem mensis, celebrata fuit manè Congregatio Patrum, præsentibus Oratoribus in quâ lecta fuerunt nonnulla Decreta de Indulgentiis, & de aliis quæ omnibus ferè grata fuerunt; tùm continuò adierunt Sanctum Vigilium, ubi celebrata fuit altera & postrema Sessio, in quâ celebravit Catanienfis. Deinde post Orationem à Domino Morono lectam, ex suggestu, primum legit Decretum de Indulgentiis, alterum de Delectu ciborum, jejuniis & Festis, aliud quod incipit *Sacro Sancta Synodus*, & aliud quod incipit *tanta fuit* &c. Et cùm interrogaret more solito an omnibus placerent, omnia placuerunt, demptis viginti Patribus qui cupiebant quædam verba addi in Decreto de Indulgentiis. Tum idem Cataniensis cepit legere Decreta de fide publicatâ sub Paulo III. & Julio III. & initium decretorum de moribus. Quibus perlectis, petiit an hæc omnia Patribus placerent, placuerunt. Deinde legit aliud Decretum quo petiit à Patribus an placeret finem huic Synodo imponi & confirmationem eorum

quæ hactenùs acta sunt per Legatos à Smo. peti, quod omnibus placuit, præterquàm tribus qui noluerunt aliam confirmationem. Postremò prohibitum fuit omnibus Patribus sub pœnâ excommunicationis, ne quis hinc recederet nisi priùs subscripsisset propriâ manu. Et sic Legatus dixit: *Ite in pace.*

Tùm rebus ità magno cum omnium assensu fœliciter Dei gratiâ gestis & confectis, Illustrissimus Cardinalis Lotharingius acclamavit ex sede suâ stans, voce magnâ.

Beatissimo Pio IV. Papæ, & Domino nostro, Sanctæ & universalis Ecclesiæ Pontifici multi anni, & æterna memoria.

Responsum Patrum.

Domine Deus, summum Patrem diutissimè Ecclesiæ tuæ conserva multos annos.

Deindè idem Cardinalis acclamavit:

Beatissimorum Summorum Pontificum Pauli III. & Julii III. quorum auctoritate hoc sacrum generale Concilium inchoatum est, pax à Domino, & æterna gloria, atque fœlicitas in luce Sanctorum.

Respon.

Memoria in benedictione sit.

Deindè

Caroli V. Imperatoris, & serenissimorum Regum, qui hoc idem Concilium promoverunt & protexerunt, memoria in benedictione sit.

Respon.

Amen, Amen.

Acclamatio.

Serenissimo Imperatori Ferdinando semper Augusto, orthodoxo, & pacifico, & omnibus Regibus, Republicis & Principibus nostris multi anni.

Respon.

Pium & Christianum Imperatorem Domine conserva, Imperator cœlestis terrenos Reges rectæ fidei conservatores custodi.

Acclamatio.

Apostolicæ Romanæ Sedis Legatis, & in hac Synodo præsidentibus, cum multis annis, magnæ gratiæ.

Respon.

Magnæ gratiæ, Dominus retribuat.

Acclam.

Reverendissimis Cardinalibus & illustribus Oratoribus.

Respon.

Magnas gratias & multos annos.

Acclàm.

Smis. Episcopis vita, & fœlix ad Ecclesias suas reditus.

Respon.

Præconibus veritatis perpetua memoria, othodoxo Senatui multos annos.

Acclam.

Sacro-sancta œcumenica Synodus ejus fidem confiteamur, ejus decreta semper servemus.

Respon.

Semper confiteamur, semper servemus.

Deindè

Omnes ita credimus, omnes idipsum sentientes, omnes consentientes & amplectentes subscribimus, hæc est fides Beati Petri & Apostolorum, hæc est fides Patrum, hæc est fides orthodoxorum.

Respon.

Ita credimus, ita sentimus, ita subscribimus. His decretis inhærentes, digni reddamur misericordiis, & gratiâ primi & magni supremi Sacerdotis J. C. Dei, intercedente simùl inviolatâ Dominâ nostrâ Deiparâ & omnibus Sanctis.

Respon.

Fiat, fiat, Amen, Amen.

Anathema omnibus hæreticis.

Respon.

Anathema, Anathema.

Quibus dictis, magno cum applausu chorus symphoniacorum inchoavit *Te Deum*, quo finito circà 22. aut 23. à meridie recessimus omnes in pace.

Eodem die missus fui serò à Cardinali Lotharingio ad Legatum Moronum, rogaturus eum, ut cùm omnia ad Dei laudem præclarè acta essent, die Dominicâ sequenti juberentur omnes Patres, Oratores & Doctores adesse in æde divi Vigilii ad audiendam Missam, in quâ omnes communicarent per manum dicti Moroni, & singuli super altare post communionem subscriberent; quod sanè esset honorificum & tanto consessu dignum. At respondit Moronus, gratissimum sibi forè, nisi jam multi subscripsissent, aut alii essent parùm ad communionem parati, alii parandis sarcinulis jam occupati. Sic finis Concilio Tridentino fuit die 4. Decembris impositus. Faxit Deus, ut dirigat gressus nostros, ad ovilia nostra regenda & gubernanda in fide Catholicâ, pietate & optimis moribus, utque simus illis exempla bonorum operum.

ELUCIDATIONES
NONNULLORUM LOCORUM
SACRI CONCILII TRIDENTINI,

A Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, dicti Concilij Interpretibus, nonnullis Prælatis, & aliis concessæ,

COLLECTORE

NICOLAO PSALMÆO,

Episcópo Virdunensi.

1.

ORdinarius potest examinare, seu approbare de vitâ & moribus eos, etiam de scientiâ, qui Sacram Scripturam interpretaturi sunt, in Conventibus Regularium, & multò magis eos qui tali munere fungi volent in Claustris Monachorum.

Circà Cap. 6. Sess. 5. de reformatione.

2.

Episcopus in alterius Diœcesi de licentiâ loci Ordinarii, non potest ordinare personas quæ non sunt subjectæ illi Ordinario, nisi habeant dimissorias generales à suis Ordinariis, nec potest de licentiâ ipsius Ordinarii ministrare Sacramenta Chrismatis.

Cap. 6. Sess. 6., & Cap. 2. Sess. 24.

3.

Vicarii perpetui non possunt constitui absque erectione tituli vicariæ.

Cap. 5. Sess. 7. vide 226.

4.

Episcopus ob multitudinem populi potest compellere Rectorem ad sibi adjungendos alios sacerdotes pro Missis & aliis divinis officiis celebrandis, & Sacramentis ministrandis, cum moderamine, multitudinis, & temporis Missarum.

Cap. 4. Sess. 23. Cap. 13. ejusdem Sess.

5.

Episcopus non potest Dignitatibus, Personatibus, & Officiis statuere certam officii & servitii formam præter solitam pro lucrandâ tertiâ parte præbendæ, in distributionibus conversâ.

Cap.

Cap. 3. *Seff.* 24.
6.
Ordinarius non poteft mulctis & pœnis, etiam in cafu notabilis abfentiæ, negligentiæ, aut contumaciæ, cogere ire ad audiendam Miffam & facram concionem in cœtum Parochiali, nec pueros ad difcendum doctrinam Chriftianam, etiamfi hoc fieri voluerit in oppidis, villis, & aliis locis extrà civitatem.

Cap. 4. *Seff.* 24. *vide* 498.
7.
Electio femel facta ab Epifcopo exempto à Metropolitano, ad cujus fynodum conveniat, ligat fucceffores, fimiliter ligat fucceffores electio facta à Prælatis nullius Diœcefis, pro vifitatione.

Cap. 2. *Seff.* 24.
8.
Obtinentes præbendas in Cathedrali, quatenùs eorum ætas patiatur, ftatim cogendi funt fufcipere & exercere illos Ordines qui annexi funt illis præbendis.

Seff. 24. *Cap.* 12.
9.
Obtinentes dignitates, feu Canonicatus in Cathedrali, non poffunt cogi ab Epifcopo, ut fibi affiftant, feu inferviant, fi quandò in Ecclefiâ prædictâ, privatim Miffas celebrabit, prædictos nihilominùs cogere poteft fibi affiftere & infervire quandò exercet Pontificalia, & extrà Cathedralem, in civitate tamen folùm, non autem Diœcefi, & ad prædicta poteft cogere eos, qui folent quandò ea exercet in ipsâ Cathedrali Ecclefiâ ei infervire, & affiftere.

Cap. 9. *Seff.* 24.
10.
Vacantiæ omnes unius, aut plurium menfium, quibus abfentes diftributiones quotidianas percipere folebant, fublatæ funt, nifi abfint in caufis à jure permiffis, prætereà quòd fi dictæ vacationes conceffæ effent in fundatione quæ etiam intelliguntur fublatæ, fi Canonicatuum fructus fint omnes diftributiones quotidianæ.

cap. 22. *Seff.* 24. *cap.* 3. *Seff.* 21. *cap.* 13. *Seff.* 22. *vide* 448.
11.
Dies fefti quos Clerus fæcularis, & populus more & inftituto alicujus Ecclefiæ obfervant Regulares, fi ex illorum ritu tales dies feftos obfervant, ad id tamen non funt cogendi, licet ex obfervatione dictorum dierum ritus prædictorum in fuis officiis obfervandus, intactus remaneat.

Cap. 12. *Seff.* 25.
12.
Vicarius generalis, & ad id facultatem habens ab Epifcopo, poteft fine præviâ cogitatione facti ab ipfomet Epifcopo, excommunicationes ad finem revelationis pro rebus deperditis decernere, dum tamen ipfe Vicarius caufæ cognitionem adhibeat.

13.
Moniales Sti. Spiritûs in Saxiâ gubernandæ funt ab Epifcopis.

Mmmmm

Cap. 3. *Seff.* 25.

14.

Episcopus potest post contractum matrimonium, antè illius consummationem, si ita expedire judicaverit secundùm ejus prudentiam & judicium, ex aliquâ causâ arbitrio suo remittere denunciationes, etiam si non sit suspicio quâ matrimonium malitiosè impediatur.

Vide Cap. 4. 96.

15.

Episcopus potest ob vicinitatem temporis quo prohibitæ sunt nuptiæ, remittere aliquas denunciationes, secundùm ejus prudentiam, non potest tamen jubere, ut fiant diebus ferialibus.

Cap. 10. *Seff.* 24.

16.

In electione Abbatissarum de quâ in decreto Concilii Tridentini Seff. 25. C. 6. de Regul. Episcopus potest unà cum vicario suo, vel secretario, vel alio ab illo assumpto vota singularum monialium ore-tenùs expressè audire.

17.

Duo Canonici electi ab Episcopo ad constituendam educationem puerorum in seminariis, non possunt per eum mutari, nisi ex justâ & legitimâ causâ.

18.

Episcopus debet concilium Canonicorum prædictorum adhibere in constituendis rebus universalibus seminarii, loco & similibus & esse in singulis rebus ut puta in electione puerorum singulorum introducendorum, electione magistrorum, librorum legendorum, & similibus.

19.

Episcopus quatuor deputatos seminarii debet adhibere in constituendis rebus universalibus in concilium pro totâ temporali administratione præfati seminarii, exemptâ exactione quæ ad ipsum solum Episcopum spectat.

Seff. 23. *Cap.* 18.

20.

Quatuor deputati seminariorum sunt perpetui, nec possunt amoveri nisi justâ & legitimâ de causâ.

21.

Episcopus tenetur adhibere in concilium præfatos deputatos, neque tamen tenetur sequi concilium eorum.

22.

Excommunicatio lata à judice Ecclesiastico, antequàm legitimè constet de impedimentis, vel perturbationibus propter quas non potest devenire propriâ auctoritate ad executionem realem, vel personalem, est valida, & qui tali excommunicatione ligatus existit, indiget absolutione: debent tamen Ordinarii adhibere omnem diligentiam, ut in proferendâ excommunicatione observentur decreta Concilii Tridentini Seff. 24. Cap. 8. de Reform.

23.

Ordinarius potest habenti parochialem Ecclesiam, alteram parochialem eidem conferre, sed per adeptionem pacificæ possessionis, vacabit prima.

24.

Episcopus potest habenti Canonicatum, aut beneficium simplex quod ad victum ejus sufficiat, parochialem Ecclesiam conferre, & adeptâ possessione pacificâ parochialis, vacabit Canonicatus.

25.

Habens simplex beneficium ad ejus victum, si adipiscatur pacificam possessionem parochialis Ecclesiæ sibi legitimè collatæ, vacat beneficium simplex.

Cap. 17. Sess. 24.

26.

Per Caput 4. Sess. 24. nihil aliud imponitur Episcopis quàm ut curent, ut tempore Quadragesimæ, & Adventûs, suo arbitrio quotidiè, vel tribus diebus prædicetur.

27.

Sponsus qui sponsam stupravit, antequàm matrimonium inter eos per verba de præsenti juxtà formam Concilii Tridentini contraheretur, non potest puniri ab Episcopo pœnâ contrà stupratorem à sacris Canonibus inflictâ, & maximè si ipsa sponsa antè matrimonii celebrationem id petierit, sed ambo sunt arbitrio Ordinarii graviter puniendi per statutum Cap. 1. Sess. 24. de Reforma. Matrim. qui præfati ordinarii curare debent, ut factis sponsalibus, quàm primùm contrahant matrimonium, per verba de præsenti coràm Parocho, eatenùs ne sponsi hoc periculum subeant.

28.

Vigore Bullæ, fœl. re. Pii Papæ IV. de professione fidei faciendâ, Regulares concionatores non tenentur facere professionem fidei antequàm munus prædicationis assumant, potest tamen Ordinarius tempore quo concionandi licentiam ex decreto Concilii Trident. Sess. 24. Cap. 4. dabit Regularibus, exigere ab eis regularem professionem fidei, si ità ipsi expedire videbitur.

29.

Moniales quæ à Capitulo sui monasterii electæ sunt in officiales, ut bona illius administrent, possunt in hujusmodi officio perseverare quamdiù superioribus monasterii visum fuerit.

30.

Canonicus qui abest à servitio suæ Ecclesiæ ultrà tres menses, licet sit, & maneat in Civitate, seu loco in quibus ipsa Ecclesia consistit, potest mulctari, pro ut à Concilio statuitur. *Vide* 296. *c.* 13. *Sess.* 14.

31.

Ordinarius potest præcipere Regularibus in suâ Diœcesi commorantibus, ut eant ad processiones publicas, ut puta in die Corporis Christi, in Litaniis & Jubileis faciendis, in quibus ipsi sua habeant monasteria, dummodò processiones sint ejus generis, quòd Bulla Sanctissimi Domini mendicantes non comprehendat; & dummodò regulares non sint ex illis conventibus, Collegiis nuncupatis qui in eâdem Bullâ excipiuntur.

32.

Regulares qui non accedunt ad processiones ab Ordinario indictas, possunt ab eo puniri per censuras, & pœnas arbitrarias, & alia juris remedia.

33.

Residens in Parochiâ quæ non longè à Collegiatâ in quâ Canonicatum obtinet, diebus ferialibus ad præfatam Collegiatam accedere, & in illâ divinis inservire potest, dummodò omnibus diebus de horis suæ debitis Parochiæ inserviat, ut nihil prorsùs derelinquat ex debito officio ipsius Parochialis.

34.
Obtinens Canonicatum cui unita sit Parochialis Ecclesia, ad vitam obtinentis, tenetur in Parochiali residere, si unio facta sit ad vitam obtinentis tantùm.

35.
Pœna Canonicis præscripta eis qui intrà annum sacerdotium non susceperunt, non habet locum in rectore qui intrà annum à die adeptæ pacificæ possessionis, vel infrà tempus comparuit, & se promoveri petiit, offerens quantùm in eo erat se paratum ad suscipiendum sacerdotium, sed Ordinarius noluit eum propter literaturam, vel aliam causam promovere.

36.
Verisimilitudo illa, quòd distributiones quotidianæ negligantur, & ob id tertia pars fructuum præbendæ in distributiones quotidianas sit convertenda, ut in Cap. 3. Sess. 21. considerari debet, habitâ ratione omnium Canonicorum, tàm residentium, quàm non residentium.

37.
Episcopus potest prohibere Parochis sub pœnâ pecuniariâ arbitrariâ, quæ tamen dimidiam decimam non excedat, ne ultrà biduum à suâ Ecclesiâ abesse possint, non tamen id potest prohibere, sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, & quo-ad Canonicorum absentiam pertinet, tempus & pœna observari potest, pro ut præscribitur à Concilio Sess. 24. C. 12. vers. *prætereà obtinentibus.*

38.
Canonici & Beneficiati debent dare notam & copiam authenticam omnium bonorum ad dictos Canonicatus & beneficia pertinentium, Capitulo, ut eas reponere, & conservare possit in Archivio.

39.
Episcopus non potest cogere ut Canonici efficiantur omnes Sacerdotes, sed sufficit si media pars Canonicorum Presbyteri sint, inter quos præcipuè debet esse prior, cæteri verò Diaconi, Subdiaconi ut decrevit Concilium Sess. 24. Cap. 2.

40.
Licentia ut quis abesse possit causâ studiorum à servitio suæ Ecclesiæ, vel sui Canonicatûs non suffragatur ultrà quinquennium impetrata à die quo cœpit studere.

41.
In Cap. 9. Sess. 24. incipiens *quod si aliquis* ubi dicitur an Ecclesiæ singulares, quæ in nullius Diœcesi esse dicuntur, visitentur ab Episcopo cujus Ecclesia Cathedralis, est proximior, si id constet, legendum est *constet & non possit.*

42.
Visitator vigore prædicti Cap. 9. Sess. 24. est eligendus à Prælato illius loci qui visitandus est, non autem ab alio.

43.
Filius illegitimus presbyteri, dimidius beneficiatus in unâ Ecclesiâ, in qua pater ejus olim beneficium habuit, non potest ascendere ad integram portionem. Cap. 5. Sess. 25.

44.
Hæretici moderni Calvinistæ verè baptizant, nec ab eis baptizati ampliùs sunt baptizandi. Cap. 4. de baptismo, Sess. 7.

45. De-

45.

Decretum Concilii Seff. 25. Cap. 1. de reformatione matrimonii, annulat tantummodò contractus Matrimonii per verba de præsenti clandestinè facti, sponsalia autem per verba de futuro relinquit in terminis juris communis præterquàm quòd per copulam præfatam, sponsalia non transibunt in matrimonium.

46.

Qui contraxerunt in tertio, vel quarto gradu, etiam post confirmationem Concilii, antequàm tamen confirmatio illis innotesceret, petierunt simpliciter dispensari, in civitatibus & aliis locis, ubi propter paucitatem civium, vel quoniam eorum pars inter se cognatione conjuncta est, ut difficilè matrimonium contrahere possint, erit hæc justa causa, cum iis dispensandi in quarto, & quandóque etiam in tertio.

47.

Qui verò contraxerant sponsalia antè confirmationem Concilii, cùm essent in gradu prohibito, & nunc volunt contrahere matrimonium, non poterunt absque causâ dispensari, causa autem idonea videtur, si conversatio cum sponso, aut sponsalium publicatio præcesserit, aut quid simile, præter alias causas.

48.

Cum his verò qui contraxerunt in secundo, antè confirmationem Concilii, sub spe obtinendæ dispensationis, & præsertim illi qui venerant ad Curiam & jam cœperant peragere pœnitentiam salutarem eis impositam, videretur cum illis esse dispensandum, etiam si nulla sit signata supplicatio.

49.

Non dentur dispensationes matrimoniales sub prætextu ignorantiæ decretorum Concilii, si hæc ignorantia fuerit post Calendas Maji 1564. tamen in supplicationibus non exprimantur Calendæ Maji, sed tantùm colligantur ex narrativâ facti.

50.

Quod etiam post Calendas Maji cum his qui ignorantes contraxerunt post confirmationem Concilii, in tertio vel qnarto & allegatur quod non fuerit publicatum in Parochiâ suâ decretum super reformatione Matrimonii, dispensari potest.

51.

Placuit quoad tertium tantùm pro illis qui ignorantes gradum non clandestinè contraxerunt post confirmationem Concilii, dùm tamen eorum ignorantia probabilis fuerit, item pro his qui contraxerunt ignoranter etiam in tertio & quarto, si postmodùm factis proclamationibus juxtà formam Concilii Tridentini, habetur notitia impedimenti.

52.

Pro his qui etiam in tertio, vel quarto, propter angustiam loci, aut quod non inveniatur paris conditionis; similiter quando vir vult ducere in uxorem, sibi attingentem pauperem, constituendo illi dotem, aut etiam pro sedandis litibus, & discordiis componendis, contrahere volunt, visæ fuerunt legitimæ causæ istæ ad dispensandum, dummodò gratis prorsùs, & in tertio maturiùs procedatur.

53.

Item idem servandum est in casibus suprà dictis, matrimoniis per verba

Nnnnn

de futuro publicatis & præcedentibus, aut subsecutis osculis, aut per fidei, aut munerum dationem quæ in nonnullis Provinciis habent vim matrimonii contracti per verba de præsenti. Placuit dùm hujusmodi sponsalia contracta sint antè confirmationem Concilii, & fuerint publicata intervenientibus aliquibus ex supràdictis actibus, etsi de tertio gradu agatur, possit accipi Componenda.

54.

De petitione eorum qui contractis sponsalibus post publicatam tàm confirmationem Concilii, quàm denunciandi necessitatem in matrimonio, non servatâ denuntiatione in postulatione expresserunt, ut ipsi dicunt errore agentium antè Concilii confirmationem esse facta sponsalia, non conceditur dispensatio.

55.

Electio officialium qui administraturi sunt bona Monasteriorum spectat ad superiores Monasterii, & ideò licet Episcopus sit ejus superior, ipsi officiales eligere possunt.

56.

Officiales electi pro administratione bonorum monasterii à superioribus ejusdem, possunt pro ut ipsis magis expedire videbitur, redditus ipsorum monasteriorum in loco convenienti, etiam in loco extrà monasteria conservare ab eisdem administrari, pro tempore necessaria ipsis monialibus.

57.

Decretum Seff. 25. non obstat quin filius presbyteri in cujus favorem fuit imposita pensio antè Concilium Tridentinum, & si per partem quam tunc temporis pater ejus resignavit, possit præstitam pensionem exigere.

58.

Matrimonium, si antequam fiant denunciationes publicæ consummatum sit, seu factis denunciationibus, consummatum, itidem antequàm coràm Parocho, & testibus celebretur, est verum matrimonium si posteà contractum sit coràm Parocho, & testibus, & nullum aliud impedimentum adsit, & ubi talis est abusus quòd matrimonio consummato, factæ sint publicæ denunciationes, seu post & antequàm matrimonium contractum sit per verba de præsenti coràm Parocho & testibus, est omninò tollendus, & qui commiserunt, & imposterum committent, debent puniri pœnâ stupri.

59.

Episcopus in ordinatione faciendâ, qui Canonici presbyteri, qui Diaconi, & Subdiaconi esse debeant vigore C. 12. Seff. 24. tenetur solùmmodò adhibere Capituli consilium, non enim consensum, quia potest eis invitis, quod eis magis expedire judicaverit, perficere.

60.

Episcopus debet cum consilio Capituli designare quibus Canonicatibus, quisque sacer ordo annexus esse debeat, non quibus Canonicis, quoniam Concilium Seff. 24. C. 12. mandat sacros ipsos ordines annecti Canonicatibus ipsis, non autem personis eos obtinentibus.

61.

Episcopus potest pro visitatione suæ Diœcesis uti operâ Parochi, qui tamen ob eam causam, ultrà quadrimestre singulis annis abesse non potest à suâ Parochiâ, & interim debet poni in eâ vicarius idoneus, congruâ portione fructuum dictæ Parochiæ, arbitrio ipsius Episcopi assignata.

62.

In vacatione Parochialis Ecclesiæ, cujus collatio ad inferiorem pertinet, examen & electio personæ idoneæ & edictorum appositio spectat ad ordinarium. Cap. 18. Sess. 24.

63.

Clausula Bullæ Breviarii Romani, illis tamen exceptis qui ab ipsâ primævâ institutione à Sede Apostolicâ, approbatâ, vel consuetudine quæ ab ipsâ institutione 200. annos antecedit, illis certis Breviariis usum fuisse constiterit, refertur non solùm ad monasteria, sed etiam ad Ecclesias Cathedrales, & Collegiatas, sicque vigore ejus, salva sunt omnia Breviaria illa quæ præcise suprà 200. annos in usu sunt.

Cap. 4. Sess. 24. Decretum Concilii Tridentini de reform. Matrim. ibi impedimentum quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium posteà factum ad eos tantùm qui in primo & secundo gradu conjunguntur, restringitur, in ulterioribus verò gradibus, statuit hujusmodi affinitatem, matrimonium contractum non dirimere, habet etiam locum & comprehendit sponsalia per verba de futuro.

64.

Decretum Concilii Tridentini irritans matrimonium, seu matrimonia clandestinè contracta absque licentiâ proprii Parochi incipit habere robur post 30. dies à die publicationis ipsius Decreti in Parochiâ factæ, quæ tamen publicatio sic facta post Calendas Maji 1564. juxtà Bullam Smi. Domini nostri Pii Papæ IV. sicque tempus duplex concurrere debet; alterum post dictas Calendas Maji 1564; alterum post dictos dies 38. adeò ut si antè dictas Calendas Maji, facta fuisset publicatio, decretum non obligasset. Matrimonia contracta antè publicationem prædictam Decreti de reform. Matrim. in Parochiâ contrahentium factam, ideò non sunt irritanda, neque irrita declaranda.

65.

Si hæc verba &c. *quod fierent matrimonia præsentibus Parocho, & testibus alioquin quòd essent irrita, fuerint publicata in Parochiâ*, sufficit & æquipollet publicationi totius Decreti, quantùm ad irritationem matrimonii pertinet.

66.

Quandò contrahitur matrimonium inter duos de diversis Parochiis, debent fieri denuntiationes in ambabus.

67.

Matrimonium contractum coram Sacerdote, qui non habuit licentiam ab Ordinario, neque à proprio contrahentis parocho, non debet per Ordinarium irritari, sed tantùm declarari irritum esse, quia cùm Concilium Tridentinum illud irritum fecerit, non est aliàs irritandum, sed opus est solâ declaratione, quòd irritum sit.

68.

Quandò contrahitur matrimonium inter duos alienigenas, & à pauco tempore in Parochiâ habitantes, qui tamen sunt cogniti quòd non sunt de comprehensis inter vagabundos, proprius eorum Parochus esse intelligitur, in cujus Parochiâ contrahentes habitant tempore quo matrimonium contrahitur. Sess. 24. de Reforma. Matrimonii.

69

Clerici recusantes parere decretis Concilii Trident. non sunt Romæ coram Illustrissimis Dominis Cardinalibus Congregationis Concilii Tridentini citandi, sed ipse Episcopus sive ejus Vicarius in hosce contumaces animadvertere debet, illis censuris & pœnis quæ tàm de jure communi, quàm decretis Concilii Tridentini impositæ sunt.

70.

Collationes & provisiones Parochialium Ecclesiarum factæ post publicationem Concilii Trident. ab Ordinariis absque examine per concursum nullæ sunt, sed prædictæ Parochiales eo modo collatæ vacant, earumque collatio ad Sedem Apostolicam spectat, ut expresse cautum est Bullâ Pii V.

71.

Habens Parochialem Ecclesiam, ac aliam dignitatem etiam cùm Curâ animarum an teneatur ex decreto Concilii Trident. Sess. 24. C. 18. infrà sex menses alter-utram dimittere, nam quidam aiunt non teneri jure, *Cap. statutum de Elect.* quodque de jure communi ut ex aliis decretis Concilii, erit hoc casu providendum, Sanctitas sua censuit teneri, quia eadem ratio videtur subesse quandò Cura animarum à principio juncta fuit dignitati.

72.

Qui matrimonium sine Parocho clandestinè contraxerunt atque consummaverunt, possunt si nullum allud impedimentum adest, sine dispensatione de novo in facie Ecclesiæ matrimonium contrahere, qui tamen contrahentes, & testes, & Notarius, qui interfuerunt, dùm sic clandestinè contractum fuit, graviter sunt puniendi pœnâ arbitrariâ.

73.

Qui matrimonium extrà Provinciam Parochi proprii & testium clandestinè contraxerunt & consummaverunt, ipsius arbitrio Ordinarii sivè ejus Vicarii, graviter sunt puniendi, deindè si nullum aliud impedimentum adsit, & ipsi in matrimonium consentiant, permittendum est ipsis, ut denuò illud contrahant, servatis tamen servandis, ex decreto Concilii Tridentini Sess. 24. de reform. Matrimonii C 1.

74.

Plebania non potest uniri præpositurae C. 5. Sess. 21. & C. 13. Sess. 24.

75.

Ubi distributiones quotidianæ, sunt adeò tenues ut præbeant occasionem, & materiam eas negligendi, non potest Ordinarius aliquam partem fructuum præbendarum, aut dignitatum illis amplius attribuere Cap. 3. Sess. 21.

76.

Cardinalis in Diœcesi alienâ non habet auctoritatem consecrandi Ecclesias prophanatas, nisi de indulto Papæ.

77.

Parochiales Ecclesiæ sunt incompatibiles cum beneficiis, in quibus assignatæ sunt distributiones quotidianæ, quas à divinis absentes amittunt, & illi qui obtinent duo aut tria beneficia cum legitimâ dispensatione antè Concilium Trid. obtentâ, & requirentia personalem residentiam, tenentur residere in quo est major necessitas, nec tamen possunt alterutro privari, amittunt quidem distributiones quotidianas ejus beneficii, cujus ministerio non inserviunt.

78. Ratio

78.

Ratio sumptuum fabricæ Ecclesiæ est reddenda Episcopis Ordinariis, nisi aliter in institutione ejus fabricæ statutum sit. Vide 47.

79.

Canonici debent in propriâ Ecclesiâ residere & personaliter deservire eorum muneri, non obstantibus quibuscumque. Illi tamen qui aliud beneficium ex legitimâ dispensatione obtinent, quod majorem, vel æqualem causam residendi habeat, licet non intersint muneri quod exigit Canonicatus, non possunt eo privari, nec aliquâ aliâ pœnâ affici, nisi privatione distributionum quotidianarum, nec Concil. Trident. super pluralitate beneficiorum providit, nisi ad futurum, præterquàm in parochialibus quas nec etiam per dispensationem antè Concilium Trid. obtentas, non-nisi unitas obtinere potest.

80.

Dignitates quibus à principio conjuncta fuit cura animarum, sunt incompatibiles, si verò ex post-facto conjuncta fuit, possunt ex legitima dispensatione antè Concilium Trid. obtentâ, retinere. Vide 477. C. 4. Seff. 7.

81.

Uniones perpetuæ per obreptionem obtentæ à 40. annis à publicatione Concilii Trid. computando, debebunt ab Ordinariis irritæ declarari.

82.

In privatis domibus non debet permitti, ut Missæ celebrentur, nisi propter necessitatem, & tunc fieri debet in oratorio, aut altari ad divinum cultum tantùm dedicato, vide 508. Seff. 22. de obser.

83.

Cap. 18. Seff. 25. Concilii Trid. ubi dicit quod vacantiæ omnes de Ecclesiis parochialibus, etiam per resignationem examine per commissarium facto, ab Ordinario debent conferri ei quem judicaverit esse aptiorem. Non habet locum in resignationibus factis in manibus Papæ in favorem &c.

84.

Caput 15. Seff. 25. Concilii Trid. vigore cujus filii illegitimi arcentur à beneficiis quæ in Ecclesiâ sunt, in quâ fuit beneficiatus eorum pater, non habet locum nisi in filiis qui mortuo patre beneficia in eâdem Ecclesiâ impetrare volunt, & in illis qui unà cum patre in præsenti reperiuntur obtinere in eâdem Ecclesiâ.

85.

Licentia de celebrando Missam in aliquo Oratorio, seu Ecclesiâ de novo ædificatâ, non debet dari nisi cum clausulâ, salvo jure & sine præjudicio parochialis Ecclesiæ.

86.

Concilium Trid. non prohibet quin puellæ in monasteriis monialium educationis gratiâ recipi possint, nisi fortasse ratio aliqua, vel institutum Religionis alicujus monasterii aliter prohiberet. Vide 94. & 472.

87.

Episcopus debet providere his quæ faciunt ad clausuram monialium, & aliis earum necessitatibus.

88.

Illi qui in eâdem civitate, parochiam & Canonicatum in Cathedrali, vel Collegiatâ obtinent, utrumque retinere possunt, modò resideant in Pa-

rochiali, nullibique ejus officio necessario desint, qui iidem si possint debitis horis, Canonicatui inservire possunt percipere omnes fructus & commoda, quæ illi muneri attributa sunt valeant. Si verò inservire nequeunt, distributiones solùm eorum dierum quibus non intersunt amittunt, neque alio damno affici possunt.

89.

Licentia de celebrando Missam in Ecclesiâ, seu Oratorio, nuper ædificato, sine præjudicio Parochialis Ecclesiæ, concessa, præjudicium intelligit quæ ad Sacramentorum administrationem, & alia quæ ipsi Parochiæ de jure debita attinent, in reliquis verò non.

90.

Canonicatus in Romanâ civitate est dignior Canonicatu Cathedralis alterius civitatis.

91.

Non promotus ad sacros ordines intrà annum prout in C. 2. Seff. 24. Concilii Trid. cavetur, non debet privari à Canonicatu, si ejus provisionem habuit à Papâ, & impedimentum non promotionis provenit solùm propter defectum ætatis.

92.

Obtinens Canonicatum & habens Parochialem quocumque in loco sit, in Parochiali residere tenetur. Neque ob hoc privandus est Canonicatu, sed solùm ejus quotidianas distributiones perdit, & si quid propterea absentes justâ de causâ non percipiunt.

93.

In his quæ pertinent ad residentiam, servanda sunt quæ habentur in C. 14. & seq. de Reform. Seff. 24. Concilii Trid. & in reliquis, si non possunt servari decreta Concilii prædicti, id agendum est quod commodiùs fieri potest & meliùs. Et qui non habet propriam domum in loco ubi residere tenetur, aliquam conducere debet, & ubi populus non potest victum subministrare presbytero ejus curato, Ordinarius ea observare debet quæ habentur in Cap. 13. Seff. 24. Concilii Trid. & in casu quo jura disponunt, non debet pro juris declaratione recurri ad Papam.

94.

Puellæ sæculares non prohibentur quin in monasterjis monialium educari possint, servanda tamen sunt instituta cujuslibet monasterii, nec nisi de consensu ejus superiorum admittendæ sunt.

95.

Monialis non potest exire Claustra Monasterii nisi de consensu ejus Superioris Regularis & Episcopi Diœcesani, Cap. 5. Seff. 25.

96.

Regulares tam fœminæ, quàm masculi non possunt tenere propria, sed omnia tenentur dare Superioribus suis, à quibus primò subveniendum est necessitatibus eorum, vel earum quibus munera destinata fuerunt. Nulla est danda licentia introeundi septa Monasterii Monialium, nisi in casibus necessitatis, quorum aliqui explicati fuerunt in edicto vicarii urbis Romæ.

97.

Plura beneficia non possunt obtineri licet sint simplicia, sine dispensatione Papæ.

98.

Ordinatius non habet jus visitandi Capita Ordinum, licet annexam habeant Curam animarum, nec membra proxima capiti.

99.

Habens Canonicatum in Ecclesiâ, in quâ pater ejus similiter Canonicatum obtinuit, non potest in eâdem, de Canonicatu ad dignitatem ascendere.

100.

Metropolitani providere debent ut provinciales eorum Episcopi juxtà decreta Concilii Tridentini resideant in eorum Ecclesiis. Vide 493.

101.

Virgines quibus facienda est professio, si clausura monialium facta sit, examinandæ sunt ab Ordinario extrà monasterium ad cancellos, vel crates ipsarum monialium, & clausurâ factâ, Ordinarius abstinere debet ab ingressu monasterii. Vide 498. 17. Seff. 25.

102

Si Parochialis non est unita Canonicatui ab initio, sed ex post-factò, non comprehenditur in decreto Concilii Trident. loquente de Parochialibus. Vide 477. 499.

103.

Episcopus modò in Episcopatu resideat; solutus est à residentiâ dignitatis, quam sine ullâ animarum curâ obtinet, etiam extrà Diœcesim in aliquâ Cathedrali, eamque retinere & ejus fructus percipere potest, exceptis portionibus, aut distributionibus quotidianis; & aliis, si quæ sunt fortè quas absentes justâ aliâ de causâ percipiunt.

104

Cap. 13. Seff. 24. Concilii Trid. non habet locum in iis qui perpetuò in strictiori clausurâ vivunt, quorum sunt Canonici Regulares Stæ. Crucis Colimbrien. Dicto autem Capite decernitur omnes tam Clericos Regulares & Monachos ad publicas processiones vocatos debere accedere.

105.

Viduæ nobiles quibus permittitur iterùm ingredi monasterium, eis conditionibus uti debent, ut nullas secum ducant ancillas, & ut omninò progrediantur, ut nolint ampliùs exindè exire, & dùm apud moniales sunt, his clausuræ finibus & legibus teneantur quibus ipsæ moniales.

106

Translatio monasterii monialium cum ei immineat scandalum, est facienda ad aliud monasterium ejusdem Ordinis, nec redditus monasterii translati, sunt applicandi seminario, sed sunt uniendi monasterio in quo translatum fuit, licet aliundè non possit provideri dicto seminario.

107.

Monialium translatio de uno monasterio ad aliud ejusdem ordinis, est facienda propter supervenientiam aëris pestilentis.

108.

Mulier conjugata si sit in monasterio monialium, & si constiterit quòd, si ex eo exeat versabitur in periculo mortis, debet relinqui in monasterio, etiam sine ancillis, & ullo famulatu extraneo, teneturque clausuram, & alia, prout ipsæ moniales servare.

109.

Obtinens Canonicatum & monasterium, seu commendam liberam à curâ animarum, in Canonicatu debet residere.

110.

Abbatissa licet per quinquennium non permanserit in religione, dum tamen excedat 30. annos, & id fiat ad requisitionem suarum monialium de licentiâ 2æ. Dignitatis Ecclesiæ Cathedralis, & earum superioris regularis, dummodò laudabiliter superiori anno in officio se gesserit, debet confirmari per biennium in officio. Quòd si ad confirmationem dictæ Abbatissæ deesset consensus superiorum regularium propter eorum absentiam, servatis iis quæ in præcedenti Capitulo rescripta fuerunt, procedendum est ad dictam confirmationem.

111.

Episcopus residens in Cathedrali sede, liber est à residentiâ monasterii monachorum regularium quod obtinet cum dispensatione Papæ, licet illi annexæ sint aliquæ curatæ Ecclesiæ post erectionem monasterii, & præsertim si in tali monasterio non sit fons baptismatis, nec aliqua animarum cura, & curatæ gubernari soleant per vicarios.

112.

Hospitalia in quibus sunt Ecclesiæ, ubi assiduè divina officia celebrantur, & bona eorum, vel earum sunt implicita, debent ab Ordinariis visitari, Cap. 8. Sess. 22.

113.

Mulier quæ venit in suspicionem mariti de adulterio, & ob id timet, ne ab eo aliqua vis inferatur, debet ei permitti, ut possit ingredi monasterium monialium, si modò constitutiones monasterii non repugnent, & accedat consensus monialium, & Abbatissæ, & ministri provincialis, & ingrediatur sine ancillis, & servet clausuram & reliqua prout ipsæ moniales, & causâ cessante ingressûs, debet indè exire, & si semel exierit, nunquàm posteà in id monasterium ingredi possit.

114.

Relicta pauperibus, deindè conversa ad educationem, & Christianam institutionem miserabilium personarum cujusdam Collegii, quæ posteà sublata, tandem ad hospitale aliquod ex conditione, seu lege pervenerunt, ut alicui darentur qui ad pristinum pietatis usum & officia ea conferret, ex Decreto Concilii Trid. bona illa seminario attribuere debet, & jam ei applicata censentur: Cap. 18. Sess. 23.

115.

Residens in Prioratu qui habet curam animarum, potest retinere Canonicatum & beneficium simplex, sed beneficio simplici per alium inservire debet.

116.

Habens tres Canonicatus dignitate pares in Ecclesiâ, cui altera earum in quâ habet Canonicatum est unita, alterius tertii non perdit nisi distributiones quotidianas, & alia si quæ sint, quæ absentes justâ de causâ non percipiunt.

117.

Episcopi, tanquàm sedis Apostolicæ delegati, sunt in possessione visitandi omnes suæ Diœcesis Collegiatas, eis tamen salvo jure suo in petitorio.

118.

Habens dignitatem in Collegiatâ quæ unita sit Cathedrali, quæ Collegiata sit destructa, potest si talis non reperitur in Cathedrali, alibi si habet

bet beneficium in eo residere, & dignitatis suæ fructus percipere, exceptis distributionibus his si quæ sunt, quæ absentes justâ de causâ non percipiunt.

119

Episcopi Provinciales non tenentur accedere Metropolim, nisi ut intersint Synodo Provinciali, non obstante aliquâ in contrarium consuetudine. Vide 510. Cap. 1. Seff. 24.

120.

Monachi non possunt ædificare monasterium in Parochiâ in quâ jus habent, sine cognitione & licentiâ Papæ.

121.

Presbytero habenti inimicitias cum Domino loci, ubi situm est ejus beneficium, Episcopus debet, si non potest eos reconciliare, eidem dare aliud beneficium, extrà jurisdictionem illius Domini; vel permittere eidem presbytero ut abesse possit à beneficio, constituto tamen vicario idoneo, cum assignatione æquæ portionis fructuum beneficii, qui ei deserviat, donec causa inimicitiarum inter eos reconcilietur. C. 1. Seff. 25. §. eadem omninò.

122.

Obtinens beneficium quod sit simplex, & sine curâ animarum, & extrà Ecclesiam Collegiatam, nec personalem residentiam ob aliam causam requirens, non tenetur in eo residere, sed ad inserviendum illi per aliquem alium qui approbatus sit per Ordinarium.

123.

In privatione fructuum & emolumentorum Canonicatuum & præbendarum observanda sunt quæ habentur in Cap. 14. Seff. 24. Concil. Trid.

124.

Episcopus potest ob legitimam causam dare licentiam Canonicis, ut ab eorum Canonicatibus per 4. menses abesse possint.

125.

Quandò non stat per aliquem quominùs in suo beneficio resideat, ob non residentiam nullum detrimentum sentire debet.

126.

Hospitalia quæ data non sunt in titulum, commendam seu administrationem, non tenentur contribuere seminario. C. 18. Seff. 25.

127

Ordinarius debet vel dare beneficium Ecclesiasticum Archidiacono de consuetudine jurisdictionem exercenti, vel permittere ei exercere jurisdictionem Archidiaconatûs, quemadmodùm erat solitus, cui tamen Archidiacono cum promissum fuerit de aliquo beneficio, vel Archidiaconatûs ipsius, Archidiaconi cessione vel morte vacarit, Archidiaconatus imperpetuum posteà sublatus esse intelligatur. Intereà verò dùm ipse Archidiaconus jurisdictionem exercet, si ipse, vel ejus ministri quicquam injustè, vel perperàm egerunt, Ordinarius in eos animadvertere debet.

128.

Monachis solitis exire de monasterio, debet eis residentiam & clausuram præscribere Episcopus.

129.

Neophitæ possunt manere in monasteriis monialium, si earum superioris consensus accesserit, ipsæque solæ permaneant in monasterio, neque inde exeant, nisi in monasterium ampliùs posteà non reditura, reliquisque

in rebus omnibus, præsertim in his quæ ad clausuram pertinent, leges servent monialibus præscriptas.

130.

Episcopus non habet jus visitandi sacellum, vel altare, quod curâ careat animarum & membrum sit Religionis Sti. Antonii Viennen. & qui pacificè per biennium beneficium aliquod possedit, non tenetur ostendere titulum.

131.

Inclusa per vim in monasterium debet indè educi, & si quid damni ob eam causam passa sit, curari interim debet, ut indemnitati ejus provideatur impensis eorum qui talem vim intulerunt, qui debent etiam severè castigari.

132.

Episcopus debet vacante Parrochiali Ecclesiâ, servare formam examinis per concursum, licet velit eam conferre ejus vicario.

133.

Monialibus non licet possidere propria, etsi quid eis legatum, relictum, donatum, datumve fuerit, vel etiam earum labore, vel industriâ partim, tradi debet Abbatissæ quæ ex eo primùm monialis ipsius. cujus causâ id quæsitum est, necessitati providere debet, reliquum conferri debet ad usum monasterii. Debent tolerari in monasteriis monialium puellæ quæ delectæ sunt ex hospitalibus & aliis piis locis, donec offeratur facultas eas nubendi, quæ licet inserviant monasteriis monialium, non possunt tamen privatim cuique moniali inservire, quæ puellæ cum adducentur in publicum omnes personaliter debent incedere, nec se comites illis adjungere moniales, & perfectâ processione, debent reverti ad monasterium, & quamdiù ibi sunt, servare tenentur clausuram & reliquam vivendi rationem prout ipsæ moniales, & nullas secum habere ancillas, nec singulæ possunt indè egredi, nisi posteà nunquàm in idem monasterium reversuræ.

134.

Puellæ quæ educationis causâ in monasteriis sunt, debent ibi manere, sine ancillis, nec indè nisi reversuræ, possunt egredi, & obligatæ sunt ad clausuram & ad cætera quemadmodùm ipsæ Moniales. Idem statutum est in puellis quæ propter tenues facultates, vel propter inopiam domi suæ, tutò ali nequeunt, & eodem etiam victu à propinquis suppeditato sunt in monasteriis collocandæ.

135.

Viduæ quæ viris mortuis honestatis causâ se contulerunt in monasteria, modò bonæ sint æstimationis & famæ, legibusque monialium supradictarum pareant, debent tolerari, de cætero nullæ hujusmodi viduæ debent recipi, nisi moniales fieri voluerint Sess. 25. de Monialibus.

136.

Puellæ verò quæ propinquis & facultatibus destitutæ sunt & propterea sine dote nec collocari in monasterio, nec exire monasterio possunt, nisi misericordiæ causâ admissæ sint, in monasteriis debent tolerari, dummodò obediant suprà dictis legibus; in futurum verò nullæ tales conditiones admittantur.

CHRO-

CHRONICA
BEATI EMONIS
ET
MENCONIS
ABBATUM WERUMENSIUM
SIVE
FLORIDI-HORTI
ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS
IN FRISIÂ
AB ANNO MCCIV. AD ANNUM MCCLXXVI.

QUIBUS ACCESSIT
CONTINUATOR WERUMENSIS
ANONIMUS
AD ANNUM MCCXCIV. HISTORIAM SUI
TEMPORIS TUM ECCLESIASTICAM
TUM CIVILEM DIDUCENS.



STIVAGII,
Litteris JOANNIS MARTINI HELLER, Typographi.
M DCC XXV.

CHRONICA
BEATI EMONIS
ET
MENCONIS
ABBATUM WERUMENSIUM
EORUMQUE CONTINUATORIS,
NOTIS ILLUSTRATA.



FUIT vir quidam moribus integerrimis (*a*) piè vivere volentium dignus recordatione. 1204. Vir iste secundùm carnis considerationem nobilitate, & aliâ quoque dote corporis admodùm beatus extitit, staturâ quidem brevis, facie formosus, corpore validus, velocitate & valetudine viguit. In rebus domesticis fuit providus, in moribus circumspectus & cautus. Ab adolescentiâ suâ puritatem innocentiæ & deinceps diligebat, subjectus parentibus; à quibus quasi unicus plurimùm amabatur, quorum providentiâ postquam geminæ ejus sorores nupsissent, actitatum est, ut cujusdam nobilis filia ei desponsaretur, quæ postmodùm est eidem copulata. Defuncto itaque patre, matre superstite, & Damæ commorante adhæsit uxori, quam, sicut nuptiæ postulant, maritali diligebat affectu. Ipsa tamen fortassis occulto Dei judicio infœcunda permansit. Cumque aliquot annis onus matrimonii strenuè perferret, tactus intrinsecùs molestiâ, quia prole, quæ præmium solet expectari nuptiarum, caruit, accensus est igne divini, ut creditur, caloris, & cœpit meditari remotioris vitæ conversationem, & certiorem fratrum & filiorum fœcunditatem. Aggressus igitur nuptam suam verbis dulcibus hujusmodi inspirationis, uti ipsa assensum præberet; sed minimè consensit, & restitit ei more carnalium, una quidem caro facta, sed non eadem inspiratio erat in eâ. Quid ergò faceret ille tantùm accensus? non acquievit carni & sanguini. Cœpit vigilare, genua flectere, crebras orationes fundere, sed occultè in medio domûs suæ,

Qqqqq

(*a*) Emo, cognatus Emonis Chronographi, fundator novi Claustri posteà Werum dicti, in agro Omelandiæ haud procùl à Groningâ consistentis.

1204. Fugiebat thorum nuptæ, ut vel hoc modo ad commutationem ipsam provocaret. Cumque fatigatus esset in duro domûs suæ pavimento, breves & dulces carpebat somnos, & manè servus, vel ancilla impingebant in illum ignari. Adfuit sacrum Quadragesimæ tempus, quo se præparat ad militiam universitas fidelium, & ipse aliquid cætetis altiùs meditabatur, quatenùs licitis ex consilio spiritûs, quo affectus erat, quippiam supererogaret. Postulavit igitur partem panni linei & crudi, & fecit membris aptari, & strictissimè assui, & sic quasi loricâ indutus vestes superinduit communes, & contrà carnem & sanguinem vigiliis & orationibus, jejunio panis & aquæ, bis tantùm in hebdomadâ refectionem capiens, fortiter dimicavit. Sed & hanc consuetudinem aliquot sequentes Quadragesimas observare consuevit, exceptis aliis observantiis feriarum, quas sibi jugiter imponebat, juxtà Apostolum dicentem: *castigo corpus meum & in servitutem redigo.*

Cœpit igitur dicere sororibus suis & nuptæ, quod facturus esset claustrum de patrimonio suo, & multorum filiorum & filiarum hæres futurus, quod subsannare consueverunt illæ, quia sperabant & in bona succedere, illaque non quod spirituale, sed quod carnale cogitabat. In illâ autem tempestate transmissa est à Summo Pontifice (*Innocentio III.*) crucis prædicatio, ut jam secundò incitarentur fideles ad succursum Terræ Sanctæ. At ille sicut cervus fontem sitiens, gratias egit Altissimo in corde suo, qui talem sibi devotam ostendit occasionem, & id ipsum nuptæ suæ innotuit, quod jam dudum voluit ire post Christum, & tunc instabat hora abnegandi sese & tollendi crucem. Porrò illa videns insuperabile propositum habito consilio, recollectisque bonis suis & donatione antè nuptias, cum dolore se ab illo dissociavit, & in domum patris regressa, deinceps sub custodiâ matris & fratrum suorum, more turturis, vitam castam ducebat, & fine bono quievit.

Denique zelo sanctæ conversationis & promotionis ejusdem in loco avito totus ardebat & transtulit se ad Claricampenses, (*a*) ut locus & religio promotionem caperet & incrementum. Sed illi aliud meditantes, quatenùs venditis prædiis ad eos rediret, amarius insidiis sororum ipsius & ab earum proquinquis arctabantur, & idcircò ab eo recesserunt. Monachi quoque in viciniâ positi, metuentes à Cisterciensibus opprimi propter locorum vicinitatem, ipsum alliciebant; & vocatis clàm sororibus semel & iterùm convenerunt cum eis, ut tandem datis ducentis marcis ingrederetur ad eos, illi verò residuis bonis liberè potirentur. Sed non cessit divinæ dispensationi tale cupiditatis commentum carnale, & ideò ille sedit solitarius, quia levarat se super se, donec sua spontè, se & suâ obtulit Domino Reyndoni Abbati, qui tunc extitit Abbas præfatorum in viciniâ monachorum, eâ conditione, ut asserere solebat, ut in loco suo transponeret conventum, & ipse cum illis ibidem faceret residentiam perpetuam. Cui gratanter concurrentes omnes promiserunt, & de communi consensu oratorium construxerunt, quo constructo adfuit piæ recordationis Dominus

(*a*) Clarus Campus primaria Ordinis Cisterciensis Abbatia in Diœcesi Leovardiensi & Dantumanâ Præfecturâ consistens, anno 1165. fundata. Primus cœnobii Abbas extitit Evso, ex Riddershusano monasterio, Bruunsvicensi civitati contiguo, assumptus. Plures Abbatias genuit Clarus-Campus, & primùm inter Frisiæ Abbates locum tenebant Abbates Clari-Campi.

Otto (*a*) Monasteriensis Episcopus, & instantiâ Abbatis conventus, venit ad locum, & præparavit se ad dedicandum oratorium in loco constructum. Cui astantes & resistentes fratres Emonis jam dicti fundatoris dedicationi reclamaverunt. At ille nihilominùs dedicavit, dicens quod causâ Christi triumphare deberet, & oratorium cum aliis rebus possideret. Dedicatum est oratorium primum anno Domini MCCIV. 1204

Circà idem tempus cœpit cœnobium Sancti Joannis Evangelistæ in Merna (*b*) & cœnobium Sororum in parochiâ Skeldensi quodam Henrico Canonico Cappenburgensi, Præposito in Merna. Verùm claustrum in gratiam Sanctæ Mariæ convaluit, cooperante matronâ Conversâ, longæva, amita fratris Herdrici, postmodùm Præpositi ibidem. Surrexit etiam cœnobium in portâ S. Mariæ (*c*) per quendam bonæ memoriæ, qui hunc præfecit familiæ in Benethe, olim Abbatem in *Doceum*. Igitur post hæc omnia præfatus Abbas (*d*) se illuc transtulit, sed subitò post unius noctis moram rediit nunquàm illuc rediturus. Ille igitur propter promissam conditionem liber esse voluit, & prædium suum promovere; sed de consilio transposita est illic familia XII. Sororum cum Priore. Qui cum lautius se procurare voluisset, orta est animorum scissura inter fundatorem & Priorem, & recessit Prior. Proindè iteratò institutus est alius Prior cum paucioribus, qui cum non attenderet, nec acquiesceret animo fundatoris, sed licitè ad velle suum rebus uteretur, offensus est fundator, & jam tertiò separatus, solus remansit. Duo quidem notabilia simplicibus in eò apparuerunt. Quidam ultrà modum literaturam amplectabatur, sed vena ingenii, ut apparuit, arida fuit, & non est subsecuta fœcunditas. Sed tamen antè novissima admodùm legere edoctus, ordinem Diaconatûs suscepit. Alterum erat, quod præfectis in loco competenter obtemperare non poterat. Plurimas tamen & varias sustinuit angustias & labores in initio caloris, pii præpositi quærens fideles cooperatores & non inveniens per annos circiter octo. Et tunc non erat invitatus quispiam nisi sæcularis sacerdos, qui Divina celebraret retentis paucis in habitu regulari.

(*a*) Comes de Benthem, Comitis Capenbergæ propinqus, & post Hermannum, Episcopus Monasteriensis electus, cum anteà Bremensis Ecclesiæ præpositus esset. In spiritualibus verò cum subessent Omlandi, ad Ottonem pertinebat oratorium Emonis dedicare.

(*b*) *Joannis Evangelista in Merna*. Merna, quam alii *Merme*, comitatus olim, nunc Hunsingiæ portio est apud Frisios ex suo portu celeberrima, in quem Usingis & Lavica se exonerant. Eo loci fundatum est monasterium duplex Ordinis Præm Virorum alterum sub invocatione Sti. Nicolai, sub annum 1163. à Tacone B. Friderici Abbatis Horti-Mariæ discipulo. Alterum Virginum ab Henrico Capenbergæ Canonico in honorem Sancti Joannis Evangelistæ, anno 1204. institutum, & utrumque in Diœcesi Groningensi

(*c*) *Porta S. Maria*, patrio nomine *Cusemar* apud Fredewoldios, Diœcesis Groninganæ, præpositura Virginum nobilium Ordinis Præm. anno 1205 ab Abbate Dockingæ fundata. Eodem quoque anno & in eadem Diœcesi surrexit altera Virginum nobilium præpositura in parochiâ Skeldensi, sub nomine Stæ. Mariæ in *Schilwoldia*, autore Henrico præposito Mernensi, dotem augente matronâ conversâ, amitta Henrici præpositi.

(*d*) De Reyndo.

1204. In tempore illo fuit clericus adolescens præfati fundatoris amitæ filius & nomine æquivocus (a) qui à primis pueritiæ suæ annis liberalibus fuit studiis imbutus. Is cùm fuisset in limine adolescentiæ suæ, & ipse parvulus, parvulos imbuebat apud quosdam B. Benedicti religiosos, mediante abysso judiciorum Dei cœpit gustare, sed tenuissimè, quia suavis est Dominus, & displicuit ei mundus præ dulcedine religionis, ad quam quo pacto pertingere posset, nondùm cogitabat. Vallaverat eum verecundia, quæ radicem traxit ex simplicitate, & pudicitiâ, & stupore quodam animi sui, qui jugiter ab annis pueritiæ premebat linguam suam à turpiloquio, & animum à motu concupiscentiæ, & cogitationum trahentium ad opus inhonestum, ne quasi passer instabilis rueret. Qui cùm mare versùs Angliam anno ætatis suæ quasi XX. transisset communis causâ studii litterarum, quod fuit Oxoniæ, æstuabat uberius liberalibus artibus se implicare, in quarum foribus stans à fratre suo carnali secum commorante revocatus, & ut zelo innocentiæ protegendæ, disciplinæ juris intenderet persuasus. Deindè in patriam remeans fervorem juventutis verecundiâ erudiente temperavit, quæ sic per Dei gratiam ipsum ad ordinem clericalis militiæ præparavit. Tandem de media abysso secularis vitæ nesciens eligitur & invitatur ad titulum cujusdam Ecclesiæ. Quamobrem ad sacros ordines properavit, & à Venerabili Mindensi Pontifice Domino Thidmaro (b) primitias quinque ordinum suscepit simul, & deinceps per legitima interstitia, ad ordinem sacerdotii est provectus. Functus ergò sacerdotio plebem pro viribus custodivit sine delectu personarum omnibus omnia factus, & sic de manu Archidiaconi de more Monasteriensis Ecclesiæ, recepit curam animarum. Porrò jugiter eum, qui est Deus virtutum, cujus est totum, quod est optimum, precibus & desidetiis perquisivit, ut quæ bona essent nutrirentur, & nutrita custodirentur. Vulneraverat cor ejus amor & timor, & adhæsit anima ejus post eos usque-ad fores justificationis. Sed nondùm adhùc caminum doloris & laboris ingredi conabatur, in quo, sicut postmodùm experiebatur, examinantur, qui per portam justificationis introducuntur. Parturiebat animus ejus fœtum vitæ remotioris, sed non peperit propter sæculares, quibus adhuc serviebat, satis ignarus futuræ novitatis post conflictus vetustatis. Interim diligebatur ab omnibus in simplicitate suâ, sed ipse altius meditabatur, eo quod Apostolus proloquitur: si adhuc hominibus placerem Christi servus non essem. Inter prospera præsentis vitæ, & dulcia dulcedine patriæ cœlestis afficiebatur tanquàm in aure cordis diceretur ei; transi in locum tabernaculi admirabilis, ubi est verè sonus epulationis, in voce exultationis, & confessionis. Nunquàm fruitione temporalium incertorum animæ refriguit suspiratio, sed adhuc morabatur, quasi in Jerico, sicut ille qui staturâ pusillus erat, qui vix potest subsistere, fragilitate carnis infirmus, aut compede consuetudinis ligatus, cui displicent mala, nec resistit; quia caro concupiscit adversùs spiritum. Peccat tamen magis sub Deo, quàm contrà Deum, semper de veritate cogitans, & de misericordiâ confidens. Meditatur de veniâ, quia terretur à culpâ, ratione repugnans, sed sensualitate succumbens. Intus voce dicitur: concupivit anima mea justitias tuas, quia nondùm

(a) Emo Chronographus pastor Husingis.
(b) Vigesimus septimus fuit Mindensis Episcopus, miraculis, teste Crantzio, in vitâ clarus, uno suprà viginti annos sedit in Episcopatu.

nondùm perficere desiderat. Quemadmodùm quidam dolent, quòd dolere non possunt, sed dolent, ut doleant, ut dolor inefficax inferat dolorem efficacem. Postpositis itaque sæcularibus litteris, mel & lac Evangelicæ lectionis esuriit, & potum de psalmorum nectare quæsivit. Vacabat officio sibi injuncto, cum officio scribendi & legendi, redarguens se ferulâ pii desiderii, quo detrimenta ante-actæ ætatis redimebat, quia spiritus adjuvat infirmitatem nostram. Mater enim sua carnalis onus rerum familiarium administrabat, fœmina provida, & Deum timens, sollicitè satagens, & orans, ut fide & opere proficeret coram Deo & hominibus, quia scriptum est; *cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis, via immaculata.* 1204.

Quodam igitur tempore dùm solemnia Dedicationis ex more peraguntur, aderat quidam sibi valdè familiaris, qui specialis fuerat cultor decoris Dei in construendis Ecclesiis & ornandis, & in hoc studio ab adolescentiâ & deinceps flagrabat; qui etiam post horam prandii in sobrietate consumptam, cùm simul per viam cum hospite deambularet, cœperunt se-se mutuò invitare ad melioris vitæ conversationem, & vilescebat mundus utrique cum delectationibus suis. Ille quidem, uti postmodùm deprehensum est, calore novi operis, iste simplicitate novæ vitæ trahebatur. O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei! qui regna transfert & constituit. Placuit igitur illis, ut locum illum visitaturi convenirent, & accesserunt & invenerunt illum solum, qui se & locum, quasi elapsus de manibus multorum, solitarium conservabat, & gavisus est in conventu eorum, & accensa sunt corda eorum, ità ut concordarent ad invicem super altari ad locum illum promovendum rebus, & religione.

Intereà præfatus sacerdos trifariam religionem corde tenùs ponderavit, & unam illarum propter vicinitatem decrevit vitare, alteram quoque, licet eam diligeret, non elegit. Præmonstratensem ergò Ordinem acceptavit fiduciâ incorporationis animo conceptâ. Egit ergò medio tempore mediante viro illustri piæ opinionis Popekone in (*a*) Tiamersverna plebano, ut omnis scintilla discordiæ orta aliquandò inter monachos vicinos & fundatorem loci extingueretur, constitutis ab Episcopo Monasteriensi delegatis, qui anno gratiæ MCC VIII. citatis partibus, cum Abbas Reyndo nollet comparere, compositionem super rebus, sumptu & expensis in loco novello, vallatam attestatione virorum proborum confirmarunt VI. Kalendas Martii. Testes compositionis priùs celebratæ fuerunt Olbrandus de Incawerth, (*b*) Evo de Romesweve, (*c*) Eggardus de Nothensum. (*d*) 1208.

Indè ubi tempus visum fuit opportunum memorato Sacerdoti, cœpit parochianis suis propositum propalare, & dispositis rebus suis valedixit omnibus, profectus cum amico memorato & cum fundatore loci jam

Rrrrr

(*a*) Thiamerswerve & contractius Tiamsweer, haud procùl Appingadamo, vicus in Fivelingiis ad rivum Dammensem in Diœcesi Groninganâ.

(*b*) Hodiè Juckwert, vicus in Fivelingiis Appingadamo penè contiguus.

(*c*) Vicus propè Feldwirth, cœnobium Ordinis S. Benedicti anno 1183. fundatum ab Hatebrando. Emo factus Abbas Werumensis, locum de Romerswert in cœnobium Sanctimonialium commutavit, nomine *Campi-Rosarum*, quod modò novum Claustrum appellatur *Nye-Closter* anno 1261. consummatum.

(*d*) *Nothensum* vicus Werumo proximus, cujus vestigia non supersunt.

1208. semel dicti. Pervenerunt igitur ad Hortum B. Virginis (*a*) trans Lavicam, & expositâ intentione eorum coràm venerabili Abbate loci Domino Syardo, dictus Abbas revoluto libro Institutionum, voto ipsorum Deo fortassis disponente satisfacere minimè consensit. Quamobrem turbati sunt & tertius rediit ad propria. Sacerdos ergò memoratus, & loci novelli fundator habenas propositi minimè laxarunt, & se ad invicem considerabant, quoniam ille adhuc cucullam gestabat, quam conditionaliter & electus, ut dixit, accepit in Ordine, quem professus erat, antè tempus regularis institutionis, & ideò ne dispar habitus concordem utriusque voluntatem impediret, suâ sponte nigrâ veste depositâ candidam cappam sibi aptavit & induit, & profecti sunt per Groningam in ebdomadâ Pœnosâ post Dominicam Palmarum, & in Sabbato sancto Monasterium venerunt. Ibi remorati per diem resurrectionis. Die sequenti acceptis litteris bonæ memoriæ Ludgeri Canonici, quoniam in civitate tunc non erat Episcopus, ex ejus consilio accesserunt ad *Abbatem Varlarensem*, (*b*) qui vocatis senioribus & astantibus in Capitulo vestem dedit benedictam, & remittens ad titulum Novi Claustri curam loci fideliter commendavit, asserens se non posse more Paternitatis, tam
1209. remotum locum visitare. Sicque reversi sunt anno gratiæ MCCIX. conversionis eorum primo. Postquàm verò ad sua regressi sunt, simùl cogitare cœperunt, quomodò possent se munire adversùs invidorum malevolentias. Cumque nihil efficaciùs esse, inter se deliberando putavissent, quam ad Episcopi autoritatem confugere, ambo Monasteriensem Episcopum accesserunt, eique Emo de Husdinge explicavit qualiter votis infectis cucullam S. Benedicti induissent, posteà verò habitu dimisso, habitum & regulam de Præmonstrato vovissent in monasterio Horti B. Virginis, undè ad suam primam habitationem reversi, ad professionis suæ normam vixerant; & quia invidentium malevolentiæ erant expositi, rogabant suppliciter, ut eos in suscepto opere confirmaret, & in suâ susciperet protectione locum in quo perseverare resolverant. Humilium orationem exaudivit Episcopus, & personas ac locum eorum in suam tutelam suscepit & sequenti scripto roboravit.

Otto, omnipotentis Dei gratiâ Monasteriensis Ecclesiæ Episcopus, tàm præsentibus quàm futuris hoc scriptum inspecturis salutem in vero salutari. Accessit ad nos Magister Emo quondam in Husdinge Plebanus, & suâ nobis insinuatione monstravit quod laicus quidam Emo de Romersvert religiosè vivere cupiens in possessione suâ capellulam fundavit, ac habitum religionis, & B. Benedicti in Fildverth ab Abbate recepit nullâ factâ professione, & posteà reversus in possessione suâ liberè est versatus. Postmodùm verò idem magister Emo in eodem loco conversus secundùm regulam B. Augustini & Ordinem Præmonstratensem ibidem vivere & Deo servire cœpit, cui & fundator illius loci Emo tanquàm majori cessit, & in eâdem regulâ quasi majori & liberiori similiter versari consensit. Nos autem factum utrorumque commendantes eidem magistro Emoni in eodem loco secundùm ordinem

(*a*) Hortus B. Virginis monasterium Præm. Ordinis in Diœcesi Leovardiensi & præfectura Ferverdiana à Friderico illius loci pastore fundatum anno 1163. & primo Abbate.

(*b*) Varlaria præpositura Ordinis Præmonstrat. quam Otto, Comes Capenbergensis erexit in Diœcesi Monasteriensi haud procùl Coesfeldiâ anno 1123. Præposituram gerebat anno 1208. Jordanus. V. suprà p. 56.

prædictum Deo serviendi, fratres insuper & sorores colligendi præsente fundatore consentiente plenam concessimus auctoritatem. Et ne res gesta posteris in dubium venire queat, scripto & sigillo nostro confirmavimus. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCCIX. pridie Kalendas Aprilis, feriâ paschalis ebdomadæ, indictione XII. epacta XII. concurrente III. 1209.

Post reditum verò eorum fundator loci memoratus cœpit ventilari spiritu contradictionis versus in arcum pravum, sivè ut loci regimen, cui ipse adhùc idoneus non erat, rector sibi in futurum servaret, sivè quia simulabatur à quodam falso fratre Waldrico sacerdote, qui subintraverat valdè astutè, qui utique conabatur per eum in loco dominari, sed postmodùm exigente malitiâ suâ non sine adminiculo virorum proborum more basilisci eliminatus est. Alter verò convocatis pluribus, qui loci & religionis ibidem incrementum optabant, monitis & minis eò-usque perductus est, quòd tandem volens fixis in terram genibus sub attestatione stolæ obedientiam promitteret. Nam propter inconstantiam suam sacerdos memoratus, eundem & locum deserere meditabatur.

Ecce persecutio duplex & utraque domestica, quam consequenter lenire dignatus est Altissimus. Irascitur enim & miseretur, conturbat terram, & sanat contritiones ejus. Sanè accesserunt ad eum duo adolescentes Deo inspirante, qui seminarium dici possent messis in Christo posteà colligendæ. In ipso initio caloris cordis fluctuabat anima sua pro desiderio futuræ, quam desiderabat, societatis. Trahebatur nempè amore contubernii clericorum ex occulto, ut creditur, instinctu spiritûs. *Nam quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus pro nobis orat gemitibus inenarrabilibus, qui autem scrutatur corda scit quid desiderat spiritus.* Ipse desiderio piæ conversationis vigilias & jejunia attemptabat, & orationi vacabat. Lectioni quoque & meditationi psalmorum præcipuè intentus erat, & inquirebat in eis non verba tantùm scientiæ, sed compunctionis. Nocte quâdam cum devotioni hujuscemodi propositi vacaret ferventer, & sopori se dedisset, audivit sibi dici per nocturnam revelationem, *postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem terminos terræ*, & evigilans exhilaratus est, & eventum hujus oraculi spe lætus expectabat. Die itaque sequenti juvenis quidam acer, moribus & actibus, ut fama fuit, dissolutus, cum quâdam nepte suâ, ut sæculo renunciaret, accessit, qui in conventu, ut erat flagrans spiritu quodam vehementis indignationis, votum fecit, & obedientiam, & stabilitatem spopondit, sed quia spiritu pietatis accensus non erat, perseverare non potuit, qui autem perseveraverit usque in finem, salvus erit. Verùm antè dicessum suum laboribus & opibus suis conventu jam congregato fideliter providebat, & ideò antè obitum suum corde ut speratur contrito, ut saltem defunctus reduci mereretur, postulavit, & meruit. Anima ejus requiescat in pace. Puella verò de ipsius detrimento dolebat, & dolore erudita, moribus & bonâ conversatione proficiebat. Reliquam partem oraculi credebat partim impletam, & partim orabat semper impleri ut-pote sicut Ysachar inter terminos portionem cupiebat, ita ipse in rememoratione finis vitæ suæ & mundi hujus ad æternæ patriæ pertingeret hæreditatem, ille autem qui fecit omnes terminos terræ, qui inquam per dona Sancti Spiritûs concessit omnibus suis de terrenis triumphare, ipse eodem Spiritu doceret terrena despicere, & amare cœlestia. Portò impletum quo-

1209. dammodo opinabile est in dispositione domorum, quæ constitutæ sunt ad subsidium conventûs, Deo disponente in terminis terræ per plagas cœli. Quarum prima versùs austrum quantò est beatior cultu divino & contubernio fratrum, tantò majori labore & sudore diei & æstus fundata est.

1211. Anno Conversionis suæ tertio, anno verò gratiæ MCCXI. primo collata est Ecclesia in *Werum*, Novo claustro, paucis adhuc ibi fratribus collectis, vigiliâ Joannis Baptistæ à majori & saniori parte Canonicorum, pastore ejusdem Ecclesiæ in religionem B. Benedicti cedente. Ernestus autem quidam præpotens importunitate paucorum, qui residui non consenserunt partem sibi vindicavit., pro cujus instantiâ Otto Monasteriensis Episcopus donationem jam dictam Canonicorum impedivit per sententiam latam contrà Canonicos, à quâ appellatum est per præpositum Novi claustri die sextâ post sententiam IX. Calendas Octobris in Villâ Reydensi. Quarto igitur idus Novembris collectis expensis iter Romam arripuit adhærente sibi Henrico illo antiquo sodali, qui in initio religionis defecit. Sed tunc posthabitâ omni curâ rei familiaris propriæ, comitem se indivisum ultrò exhibuit.

Transeuntes autem per Covordiam & villas reliquas Rhenum tandem apud Diezburch (*Duizbourg*) traducti sunt. Deindè per Trajectum, per Tungriam, per Hesdinum, per Villarium, per Bonam-spem, (*a*) per Altummontem, per Claros-fontes, per Cuissiacum, per Thenolium, per Laudunum, Præmonstratum venerunt, ubi summâ charitate retenti, per piæ recordationis Abbatem Gervasium, per dies aliquot requieverunt. Præpositus igitur negotium Domino Gervasio planè intimavit, qui corroborans ipsum, litteras ad Summum Pontificem pro ipso sub tali dedit tenore.

Reverendissimo Patri, & piissimo Domino, Dei providentiâ Sacro-Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici (*Innoc. III.*) humillimus ejus servus Gervasius, fratrum Præmonstratensium minister humilis, cum omni instantiâ devotam obedientiæ voluntatem. Lator præsentium Canonicus *Novi-Claustri*, quòd est Ordinis nostri, de Frisiâ oriundus, in quâ rari inveniuntur Præmonstratenses, vel alterius Ordinis professores, ad me nuper accessit, credens quod humilitatis meæ preces apud Sanctitatem vestram

(*a*) *Bonam-spem* &c. Quinque recenset Abbatias Ordinis Præmonstrat. quarum prima est Bona-spes, celebris in Hannoniæ agro Abbatia, quæ suam Rainardo à Cruce equiti debet originem, confirmationem Burchardo Cameracensi Episcopo, anno 1127

Clarus-fons, de quo suprà pag. 111.

Cuissiacum, gallicè *Cuissy*, monasterium Campaniæ Gallicæ & Diœcesis Laudunensis, titulo quartæ paternitatis in ordine gaudens, habens si non fundatorem, saltem primum ordinatorem B. Lucam, ex Decano Laudunensi, solitarium in secessu Cuissiaci, deindè B. Norberti alumnum, anno 1124. S. Patris magisterio mancipatum.

Thenolium, gallicè *Thenaille*, alterum Diœcesis ejusdem cœnobium in Terasciâ, à Bartholomæo Laudunensi præsule fundatum anno 1130. & subducto ex S. Martini Laudunensis Abbatiâ, canonicorum examine primitùs ordini attitulatum.

S. Martinus Laudunensis ab origine suâ Canonicis regularibus addictus, quos utpote indomitos reformare non potuit S. Norbertus. Postmodùm Bartholomæo Episcopo agente, iis expulsis, Præmonstratenses substituuntur anno 1124. quibus Abbatem secundâ ordinis paternitate decoratum præfecit Gualterum, Norbertus.

ſtram pro eo debeant gratiam invenire. Licet igitur ſupplicare nequaquàm ſufficiam pro meipſo, ſciens tamen quòd ſicut ſapientibus & inſipientibus, ita divitibus ſitis & pauperibus debitores, veſtræ humiliter ſupplico pietati, quatenùs ipſum in recitationibus ſuis, in quantùm permittit honeſtas, veſtra dignanter exaudiat Celſitudo. Allegant autem pro ipſo & perſonæ petentis ſimplicitas, & religionis in patriâ memoratâ raritas, quæ ſi in partibus diffuſiùs propagaretur, videretur opus eſſe caritatis, & ſapere caritatem. Valeat in Domino Sanctitas veſtra, quam Dominus Eccleſiæ ſuæ conſervet incolumem. 1211.

His acceptis litteris & valedicto viam incognitam eſt ingreſſus. Via autem hæc eſt, quâ ivit perveniens Romam, habens civitates & caſtella ſignata, vice quaſi commonitorii in perpetuum laboris ipſius; *Seſſun*, (Sueſſiones) Caſtellum-Theoderici, Sechana, *Mer ſur-Seine*, *Trees-ſur-Seine*, *Bar-ſur-Seine*, Lugdunum ſuper Rodanum. Deinùm Vallem Morianam ingreſſus eſt uſque *Tbrinte*, qui eſt terminus vallis. Poſt vallem ſequuntur civitates Longobardiæ, Suſia, deindè poſt aliâs Pompeia ſuper Padum, Placentia ſuper Padum, deindè Pons-tremulus, Luke, Caſtellum quod dicitur Sanctus Quiricus, Radecoph, Viterbium, Sutrium, Caſtellum Beati Petri. Kalend. igitur Februar. XIV. die Mariæ & Marthæ Romam venit, præſidente Innocentio Papâ, tertio anno Pontificatûs ejus. Manſit autem per dies quinquaginta, in quibus devotionem Domini Papæ in Miſſarum celebratione, in verbi Dei prædicatione per ſtationes conſideravit, licet iiſdem diebus pro cauſâ plurimùm laboraverit ſub auditore Domini Papæ, Subdiacono Domino Andreâ, Notario maximo. Per dies illos quadrageſimales Divina officia in principalibus eccleſiis, videlicet Beati Johannis Baptiſtæ & Sancti Salvatoris, audire conſuevit. 1212.

Quinto igitur idus Martii Romam reliquit, & Papiam venit, ibique in vigiliâ Paſchæ apud monachos Vallis-umbroſæ manſit extrà muros. Deindè relictâ Papiâ Bononiam profectus eſt: litteras enim ſuas Romæ mercatoribus Bononiam tendentibus commiſerat, & pignus tradiderat pecuniâ ab eis acceptâ. Cuſtodes namque in præſidiis, quos poſuerat Otto IV. Imp. jam excommunicatus à Domino Papâ, ſpoliaverunt clericos, litteras de Curiâ deferentes. Cumque Bononiam veniſſet, VI. dies, videlicet Papiâ relictâ, expectavit ibidem mercatores præfatos. Poſt multos ergò dies tandem quidam ex eis venerunt, & gaviſus ut reddant quantocius litteras poſtulavit. Illi deindè poſt longas inducias confeſſi ſe perdidiſſe litteras apud quoddam præſidium. Plenus ergò anxietate propter labores & tædia correptus eſt febri per aliquot dies. Cumque labor habitus in Curiâ totus eſſet caſſus, niſi etiam revertcretur, confiſus Dei miſericordiâ plus quàm in viribus propriis, pecuniâ jam exhauſtâ, placuit domum redire & querelas ad pedes B. Petri deponere. Sed ille ſodalis ejus magis animam illius quam propriam ſalvare cupiens ſeſe ultrò exhibuit, ſed ne cum eo rediret periculum febrium prohibuit, ſicque ſolus Deo duce redux, & à Cancellario corâm Papâ introductus, & auditis litteris adverſitatis ipſius, juſſit Papa reſcribi litteras & reddi, & cooperante Deo licet fatigatus optato fine potitus eſt. Multùm interim pro ſalute ſodalis ſui ſollicitus Bononiam reverſus eſt, & eum ſalvum invenit. Ipſe interim ſcribebat, & Miſſarum ſolemniis vacabat, & orationibus apud capellam beatæ Teclæ

1212. virginis, socius Domini Egidii piæ memoriæ ejusdem capellæ rectoris. Frequenter etiam intravit & exivit inter monachos Beati Stephani, ubi requiescunt pretiosi martyres Christianus, Vitalis & Agricolaus. Postremò vale facto omnibus familiaribus, iter arripuit cum comite suo, & per aliam viam reversus est, videlicet Mediolanum & Cumas, & sic Alpibus transmissis venit Basileam super Rhenum & Argentinam, ubi navi conductâ, Spirâ, Vormatiâ, Maguntiâ, & quamplurimis castris relictis, Coloniam venit. Post hæc pedester itinere reversus est Deo disponente & cooperante circà octavas Apostolorum.

Anno autem Conversionis suæ IV. facta est amicabilis compositio cum filio Ernesti, præstitis sibi expensis pro redimendâ pace super collato jure à patronis majoris & sanioris partis, quod licet dictus filius Ernesti voluisset usurpare post iniquam sententiam interpositâ appellatione nunquam fratres perdiderunt, & ideò secundùm Augustinum projectâ pecuniâ pacem sibi comparavit.

1213. Anno autem sequenti quantùm pro ordine, personis, & rebus laboraverit, faciliùs mente, quàm litterâ potest ponderari. Pro ordine inquam, quia perpendit quòd diversæ essent consuetudines in Ecclesiis unius & ejusdem ordinis contra institutionem primævam; talem varietatem nolens, cœpit mendicare libros & transcribere. Aderat pro hac mutabilitatis medicinâ carus amicus, & hujuscemodi sollicitudinis medicus scolasticus, frater Fretherícus, qui junctus fuit ei corde in primo introitu in *Hortum*, cum ab aliis, ut suprà dictum est, pateretur repulsam. Ipse ore & manu verbis & stilo instillabat auribus ejus, ut libros ordinis suis laboribus de ipso gremio matris Ecclesiæ transferret, & novam plantam novo potu rigaret, & exclusâ varietate, cæpit textum librorum musicorum conscribere, quem apud fontem facilè posset corrigere, & notis quasi scaturigine primâ aspergere. Quæ ipsemet opera simplicitatis mirari se sæpe asseruit hac ratione, quia quasi oblitus fuit virtutum Dei disponentis & operantis, & ponderabat imperfectionem sui suprà se aliquid præsumentis. Igitur profectus est assumpto secum fratre Thidardo in multâ simplicitate, & invenerunt gratiam coram optimæ recordationis Domino Gervasio Abbate, & in tempore competenti votis suis satisfecerunt & redierunt. Denique reportavit litteras confirmatorias laboris sui in monasterium, quod de novo *Floridus-Hortus* nomen accepit, in *Werum* in hæc verba.

1214. Gervasius Dei patientiâ Præmonstratensis dictus Abbas, Venerabilibus in Christo Fratribus Ordinis Præmonstratensis Abbatibus universis has litteras inspecturis salutem & sinceram in Domino caritatem. Non facile debet convelli, quod cum labore conficitur, nec à filiis immutandum, cui Patrum autoritas suffragatur, quin potiùs in suâ debet semper integritate persistere, quod constat esse & multâ diligentiâ comparatum, & providâ Patrum sanctione statutum, sed & propriâ insuper honestate subnixum. Sanè dilectus in Christo Emo *Floridi-Horti* provisor nuper veniens Præmonstratum multo fategit studio, multâ curavit instantiâ, ut in Ecclesiâ suâ, quæ adhùc nova est, libri Ecclesiastici haberentur secundùm usum omninò & ordinem, quo ipsa Ecclesia Præmonstratensis utitur, in cantu. Ordinarium quoque ad exemplum nostri, & institutiones conscripsit, & quas in scriptis non invenit expressas. Quoniam ergò omne totum pulchrius elucescit, si

partes à se ipsis non discrepent, & membra eò rectiùs disponuntur, quò 1214.
suo capiti cohærentia conformantur, nos ipsum Emonem, qui ad hoc sollicitiùs laboravit, ut Ecclesia sua suo toti, hoc est, ordini conveniret, & suo capiti, videlicet Ecclesiæ nostræ, per identitatem consuetudinum cohæreret, attentiùs in Domino commendamus, præcipientes districtiùs in virtute Spiritûs Sancti, & sub pœnâ excommunicationis, quatenùs usus legendi pariter & cantandi, quem ad uniformitatem ordinis conservandam secum tulit à nobis in Ecclesia Floridi-Horti perpetuò modis omnibus habeatur, nec Priori, Abbati, nec alicui nostri Ordinis professori, aliquatenùs liceat omnium eorum, quæ notavit, aut scripsit, Jota unum, vel unum apicem immutare, sciturus qui hoc fecerit se ex eâ horâ sententiam excommunicationis incurisse, quâ aliquid prædictorum omnium immutare præsumpserit, nisi mutationem illam in Præmonstratensi Ecclesiâ factam esse noverit & receptam. Datum Præmonstrati VI. Id. Junii anno CIↃCCXIV.

Postmodùm pro consummatione cœpti illius congratulatus est fratribus, qui eodem afficiebantur desiderio, subscribens in hunc modum: Credo fratres observantiam instititutionum Præmonstratensis Ecclesiæ verè Apostolicæ, esse quasi civitatem super montem sitam, cujus cives Apostolos & eorum successores, patres nostros Dominus commendans dixit: *Qui vos recipit, me recipit.* E contrà de perversis dixit: *Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones meorum &c. tolerabilius erit terræ Sodomorum &c.* Sed hoc quidem Apostolis. Nunc autem per successores eorum, in limine vobis quoque professis Ordinem Præmonstratensem audite, & recipere, & servare sub prædictâ spe vel pœnâ prædicuntur. Denique ex inspiratione, ut spero, Spiritûs Sancti institutiones sactas hujus sanctæ civitatis complexus, præcipuè Deo disponente pro viribus, uniformitatem eorum, quæ ad cultum Dei pertinent, deesse dolui. Quæ quidem suo loco, in capitulo *Missale*, textus commendat. Porrò aliquandiù circumferebar vento variæ consuetudinis, donec dante Deo attraxi spiritum pietatis, & primò ad immolandum hostias jubilationis Deo uniformiter, usum cantûs de gremio Præmonstratensis Ecclesiæ, non sine labore, sed cum solatio fratris Thitardi transtuli. Sanè hunc laborem satis dulcem persuasit mihi caritas fratrum, quos non minùs quàm me dilexi, quos eadem Spiritûs Sancti inspiratio id ipsum mecum petere & expectare fortiter petdocuit. Persuasit etiam obedientiæ donum, genitrix virtutum. Monuit concordiæ uniformitas. Sed credo, fratres non deerunt, qui dicent curiosum esse pro his quasi minimis acquirendis laborare, sicut Dominus arguit Scribas & Pharisæos, qui decimabant mentam & anethum, & reliquerunt, quæ graviora sunt legis. Sed subjunctum est, *hæc oportuit fieri, & illa non omittere.* Planè Deo disponente pro viribus domum sibi more converso fieri desidero. Romam nempè, ut legitur, postquàm civitas erat munita muris, volebant eam munire legibus. Religiosus verò priùs spiritualibus ditare se studeat, quàm temporalibus. Puto adhuc esse, qui quasi dedignando dicent me uti posse consuetudine vicinarum ecclesiarum. Sed legant mecum & intelligant: *nolite cantare, nisi quod constat esse cantandum.* Quid explicatiùs his verbis, vel simpliciùs? his jam dimissis, filii dulcissimi, quorum palatum sanum est, vobis, inquam, laborem meum pro uniformitate Ordinis durum satis, sed dulcem, commendo, vos, inquam, cognoscite quanta sit hilaritas conscientiæ

1214. etiam in hac vitâ sine hæreticâ contradictione uniformiter Deo psallere, secundùm instituta Ecclesiæ Præmonstratensis, quæ mater omnium Ecclesiarum suæ professionis. Porrò pro imperfecto meo, quod à vobis facilè deprehenditur, super audaciâ tanti cœpti veniam peto. Sed ignorare nolo vos duo esse imperfectionis materiam, videlicet animum ad ulteriora pronum, qui nihil credit actum, dum quod superest agendum, & usum pristinum, qui etiam virtutem cognitam cogit negligere. Modum tamen in notandis libris servavit exceptâ clune cornutâ pro quâ ipsi utuntur flexâ rotundâ, & torculum frequenter habent, & podatum præpunctatum, & puncto percantato fortiori voce, quasi cum quadam subdistinctione resumunt podatum. Hæc ideò de notis vel figuris dixerim, quia certus usus earum dulcem modum cantandi reddit, qui haberi non potest de exemplaribus confusè & superbè notantium. Semitonium quoque clune circumflexâ cantant. Postremò, fratres dulcissimi, gratias ago Deo in exultatione, quâ me non meis meritis, sed vestris orationibus cumulavit, quòd opus sanctum, opus dignum benedictione à multis desideratum pro uniformitate Ordinis per me & fratrem in Christo transferri cum pace concessit.

Anno eodem, anno inquam gratiæ CIↃ CC XIV. magister Oliverus, Scholasticus Coloniensis, verbi crucis legatus ingressus est in Frisiam, ad cujus exhortationem multitudo hominum utriusque sexûs cruce signata est per singulas Frisiæ maritimas, & trunci in Ecclesiis erecti causâ pecuniæ ad subsidium Terræ Sanctæ. Anno namque Domini CIↃ C LXXXVII. Apostolico Urbano VI. imperante in Alemaniâ Fretherico, Constantinopoli Ysacio, in Franciâ Philippo, in Angliâ Heinrico, in Siciliâ Willelmo, in Hungariâ Belâ, capta est Jherusalem à Saladino Ægypti & Syriæ Rege. Hanc urbem Latini XCVI. annis tenuerant, ex quo ipsam cum Antiochiâ Christianorum recepit victoria, cum eam Gentiles priùs per annos XL. possedissent. Commendationem verò Innocentii Papæ, qui pro liberatione Terræ Sanctæ prædicationes direxit, sic posuit Magister Oliverus dicens: Innocentius qui successit Cœlestino favorem suum impendit Ottoni & eum Romæ coronavit Imperatorem. Qui nimis ingratus benefactori suo patrimonium S. Petri statim post acceptam coronam invasit, nec pepercit puero Frederico, sed Apuliam hostiliter ingressus Deum & homines contrà se provocavit. Ideòque Summus Pontifex multis præmissis admonitionibus eum excommunicavit. Deindè ejus Barones ab ejus fidelitate absolvit, & sic imperio perdito mortuus est in Saxoniâ cum signo maximæ contritionis.

Innocentius Papa ingenio, facundiâ, memoriâ præcellens fuit, in jure & lege Domini eruditus valdè, magnanimus plurimùm, qui contumaciam Regum & aliorum Principum compressit, Regem Francorum Philippum uxorem suam, sororem Regis Daciæ, quam abjecerat, per interdictum Franciæ recipere coegit, Joannem Regem Angliæ, qui admittere recusavit ad sedem Cantuariensem Cardinalem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Dominum Stephanum, vitâ & scientiâ fulgentem per sententiam excommunicationis & interdictum Angliæ in tantùm humiliavit, ut ipse & successores sui à Sede Apostolicâ Regnum Angliæ recipiant.

Temporibus ejusdem Pontificis populus Aquilonaris, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam fidei Catholicæ. Nam gens Livonum, Hestonum, Prussorum, variis erroribus delusa, ignorans Dei Filium, & incarnati verbi

verbi mysterium, numina Gentilium colebat, Dryades, Amadryades, Or- 1214
cades, Napeas, Hinnides, Satyros & Faunos. Separabat enim sibi Lucos, quos nulla securis præsumpsit violare, fontes & arbores, montes & colles, rupes & valles venerabantur, quasi aliquid virtutis & auspicii reperiri posset in eis. Nunc autem sanam doctrinam secuta & adepta, ac in pastorem animarum suarum conversa Jesum Christum, Pontificibus suis obediens, ecclesias ædificat ac frequentat, legibus Christianis pro magnâ parte subjecta.

Prætereà Constantinopolitana civitas schismatica, in diebus suis expugnata, in Latinorum transivit dominium & potestatem. Insuper Tolosanum Comitem, receptatorem hæreticorum & defensorem humiliavit, & Albienses hæreticos per largas remissiones Catholicis indultas ad nichilum deduxit, quos primo loco per prædicatores humiles ac litteratos ad ortodoxam fidem reducere studuit, deindè quasi contrà Ethnicos & publicanos peregrinos armatos transmisit.

Ammiramolineus Rex Carthaginensis, in tantam surrexit elationem, ut missis litteris blasphemiâ plenis, generaliter omnes Christi cultores ad conflictum invitaret. Undè propter indulgentias à Domino Innocentio Papâ factas, de duobus regnis Franciæ & Angliæ, multitudo maxima congregara apud Toletum, sed qui vitiis pleni erant, non fuerunt digni diem conflictûs expectare, nec placere Domino videbatur, ut dispositâ cœlitûs Christianis victoriâ, multitudini bellatorum ascriberetur, & licet Rex Castellæ liberalissimus, & miles secundùm vires ætatis suæ strenuus, largâ manu stipendia distribueret, reversi sunt tamen ad propria, remanentibus paucis. Dux Austriæ (*a*) propter viarum intervalla maxima tardè venit, nec assequi diem belli valebat. Rex autem Castellæ, & Arragoniæ, & Navarræ in fide Trinitatis, & cum signis unitatis transeuntes portum, & obviantes principi perfidiæ, qui licet eminentiorem locum occupasset, & numero equitum, ac peditum, Christianos multipliciter vinceret, virtute tamen divinâ superatus, in bello fugatus evasit, cæsis militibus multis Saracenorum, & amissis civitatibus ac castellis plurimis. Factum est anno Domini CIↃ CC XII. XVI. die Julii.

Post hanc gloriosam victoriam idem Apostolicus Orientali Ecclesiæ compassus prædicatores Crucis per regna misit Occidentis, cor apponens ad liberationem Terræ Sanctæ, orationes generales instituit, Concilium indixit, quod celebravit in Lateranensi basilicâ anno CIↃ CC XIII. mense Novembri, (*b*) & interfuerunt CCCC & XIII. Episcopi, Abbatum & aliorum Prælatorum Ecclesiæ turba, conventusque numerari facilè non poterat, ubi principaliter ordinatum est de his, quæ ad subsidium Terræ Sanctæ pertinebant. Terminus etiam generalis expeditionis præfixus erat, infrà quem idem Summus Pontifex obdormivit in Domino.

(*a*) Leopoldus.

(*b*) Indictum re ipsâ fuit hoc anno Concilium ab Innoc. III. anno 1213. Extant apud Reynaldum litteræ indictionis, sed non eodem anno fuit celebratum, nec celebrari debuit, cum post duos annos & dimidium coire Patres tantùm debuerint, computandos à die citationis, uti patet ex terminis litteræ encyclicæ in hunc finem datæ Laterani 13. Kal. Maji anno Pontificatûs 16.

1215. Anno quoque VII. Conversionis suæ, Concilium Romæ celebratur III. idus Novembr. Sic namque scripsit Dominus Papa: taliter vos præparetis, quòd à præsenti Incarnationis CIↃCCXIII. anno usque-ad duos annos & dimidium, præfixit vobis pro termino idib. Novembr. &c. Quæ Synodus congregata est in Basilicâ Lateranensi, quæ Constantinopolitana dicitur, CCCCXIII. Episcoporum, tàm Latinorum, quàm Græcorum, & Abbatum DCCC. & aliorum Ecclesiæ Prælatorum, Præpositorum, Decanorum, anno Pontificatûs Domini Innocentii XVIII.

Completis igitur piis laboribus ut suprà dictum est, fratribus collocatis in Florido-Horto, & sororibus in *Campo*, inquam, *Rosarum*, multiplicata est familia, Dei gratiâ, hæreditate admodùm festinatâ. Fundator autem persecutionem movebat, singulariter volens in communi conversatione jejunare, & singulariter prandere, & occasione litteraturæ modò versùs Austrum, modò versùs Occasum, modò versùs Orientem pergebat, assumpto sibi jumento, & rebus quas quoquo modo conquirere valebat. Dicebat aliquandò ad quosdam, quòd in conscientiâ communiter torqueretur pro mutatione habitûs, & apud tales, qui vermem conscientiæ non medicabantur, & ideò nec licentiâ, nec consilio accepto Romam adiit, & reversus ultra à conquestione cessavit. Porrò cum esset apud Hildesheim causa studii litteralis, ubi discebat in habitu regulari, cœpit ægrotare usque ad mortem. Et venit quidam religiosus causâ visitationis & consolationis, & interrogavit eum de professione & moribus ejus; & comperto quòd quadam singularitate ductus, illuc transierat, injunxit ei sub spe salutis, ut posteà innotuit, quatenùs ad locum suæ conversionis, & ad stabilitatem, & ad obedientiam rediret, & convaluit, & rediit, & resedit in melius commutatus, & mansit aliquo tempore, gratiâ Dei visitante, in loco stabilis & quietus. Et appropinquante termino, qui præteriri non potest, quia inperscrutabiles sunt dies hominis, ne innotesceret ei finis suus, ille inquam finis, qui est sine fine, dissolutionem sui corporis persensit, & dixit, quod pedes & nervi obsequium subvectionis ei denegarent, & procedente tempore præ habundantiâ humorum, ut putabat, vertigine & totius corporis, quasi mole, premebatur, & tali pressus stupore, fecit sibi fieri sanguinis diminutionem, & exindè in lecto decubuit. Cùmque decubuisset, & certa sui custodia non fuisset, citò vocavit Conversum, qui in eâdem domo dormire consuevit. Ac ille occurrens vidit eum agonizare, & continuò vocavit sacerdotem, qui assistens post verba consolationis & exhortationis, cœpit psallere, & officium more canonico agonizanti exhibere. Quo peracto reclinavit caput, & paululùm obdormivit, & evigilans dixit, quòd per visionem vidisset omnes charas in Christo sorores exeuntes de Oratorio, & gratanter occurrentes, & astantibus commendavit, ut oratio fieret pro eo ab eis, & dormivit in pace. Nocte igitur dormitionis suæ, ut dicebatur, cuidam sanctimoniali B. Benedicti per revelationem ostentum est vidisse virum albis vestibus & usque in cœlum penetrare. Et manè comperto obitu illius, gratulata est anima ejus, cum cæteris charis & amicis ejus. Obiit autem anno gratiæ MCCXV. octavo idus Octobris.

Mors Emonis fundatoris Floridi-Horti.

Denique post mortem præfati fundatoris domûs Dei, & Beatæ Virginis in Campo prænominato, sicut antè mortem ejusdem, dictus Præpositus

Floridi-Horti sollicitudinem utriusque familiæ fratrum & sororum gerebat, 1215.
qui sæpè ut dicebat de difficultate sollicitudinis obstupuit, quam misericorditer Deus mitigabat, diversis modis, quos inspirabat, quibus invigilabat correctioni suorum, necessariis quoque rebus ad sustentationem competentem, donis quoque Spiritûs Sancti, quibus personas fratrum & sororum accendit, ut patientiæ, humilitati, caritati, & obedientiæ invigilarent, ex quibus in uno corpore collegii fratrum diversam spargebat utilitatem, sicut dicit Apostolus: Unicuique datur manifestatio spiritûs ad utilitatem; per timorem, per pietatem, quæ est cultus Dei, scilicet Deum cognoscere, cognitum diligere, dilectum adorare: per scientiam quoque, per quam fratribus suis clericis, & laicis concessit res terrenas & negotia sæculi ritè dispensare, & se suosque fratres contrà adversitatem & pusillanimitatem munire, ut rectè & securè viverent in *medio nationis pravæ*, & cæteris bonis, de quibus scriptum est: in bonis justorum exaltabitur civitas. In rebus autem gerendis & administrandis se simplicem æstimavit & insufficientem. Et cùm plerumque in stuporem traheretur propter temporis malitiam & fratrum conquestionem sub pondere suspirantium injunctæ sollicitudinis, & illi innitendum humanæ solertiæ audacter dicerent, ille meditabatur de Deo confidendum, & de eo præsumendum, & ab eo solo petendum, ut vias hominis dirigat. Sicut ille, qui oppressus à Gigantibus, & contradictoribus, à proditoribus, ab iniquitate, & dolore, usurâ, & dolo, pro se & omnibus clamavit, *Jacta cogitatum in Domino.* Quod etiam expertum se dicebat multis casibus minùs subtiliter examinatis, de quorum eventu timebat turbari, sed de eisdem in melius mutatis meruit lætificari. Undè illud Apostoli: *Scimus quòd diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

Anno Conversionis ejus non soluta est compositio, quæ inita fuit cum filio Ernesti decimo sexto Kalendas Martii, cujus pater decimo quarto Kalendas Novembris collectâ multitudine bellatorum venit Loppersum (*a*) ejicere Eghardum de domo dotali Ecclesiæ, asserentem se jus habere in Ecclesiâ fratris sui Alberti jam defuncti. Cujus dimidia pars ab Episcopo concessa fuit filio suo, sed tum stimulante invidiâ quorumdam, in illâ seditione quidam igne apposito, domum, pro quâ litigabant accendit, de cujus incendio exusta est Ecclesia S. Petri vicina, pro cujus restauratione compulsus est à Parochiâ exponere mille marcas, & pro ipsis solvendis hypotecariâ satisfecit cautione. Ernestus verò Idib. Decembris nocte B. Luciæ martyris mortuus est, & nutu Dei reddita est pax fratribus, quemadmodùm Beatissima Martyr & Virgo astantibus Christianis promiserat. Et uni ex fratribus eâdem nocte Venerabilis Virginis per somnium revelatum est, quòd fumo domus Ecclesiæ repleretur, & cista in quâ erant indumenta sacra adhuc communia, conventui & præfato Ernesti filio, de loco sursùm tolleretur. Qui manè intellexit jam dictum Ernestum moriturum. Quod & factum est.

Eodem quoque anno facta est donatio Ecclesiæ in Werum ab universitate patronorum decimo quinto Kalendas Aprilis præsente Menkone Decano in Loppersum, & aliis plurimis, constitutis jam fratribus sub Ordine Præmonstratensi. Ipse verò conscriptis exemplaribus Ecclesiasticorum

(*a*) Loppershum Fiwelingorum vicus, præpositurâ & arce *Tenbam* insignis, in Diœcesi Groninganâ.

1215. librorum cum fratre præcordialissimo memorato de *Horto-Beatæ-Virginis* (*a*) primò ad Capitulum proficiscitur, & triduo Capitulo terminato, remansit usque in diem omnium Sanctorum. In quo Capitulo se & locum novellum imbutum suavi sapore Præmonstratensium consuetudinum in usu vivendi & religione Deo serviendi optulit, petens paternitatem, & percipiens, & litteras reportans in hunc modum: Ego Gervasius, Dei patientiâ dictus Abbas Præmonstratensis omnibus in perpetuum. Notum esse volumus tam præsentibus, quàm futuris, quod cùm Ecclesia *Floridi-Horti* in Frisiâ per Dei gratiam dilatari cœpisset, ita quod surgens de paupere fundamento jam haberet incrementum, quoniam vir religiosus Emo ejusdem loci Præpositus, qui fuit unus de duobus primis inhabitatoribus & fundatoribus dicti loci, idem Præpositus tandem veniens ad generale Capitulum Præmonstrati se obtulit, & locum suum Ecclesiæ & Ordini Præmonstratensi, quem elegit, & professus fuerat à primis Ecclesiæ sibi commissæ fundamentis, ipsamque Præmonstratensem Ecclesiam immediatè matrem elegit, ut Ecclesia *Floridi-Horti* tanquam specialis filia Præmonstrati per Præmonstratensem Abbatem tanquam per Patrem regatur, secundùm quod Ordinis exigunt instituta: nos autem devotionem ipsius & suorum in Domino commendantes, sicut erat meritò commendanda, recipimus eum in filium, & Ecclesiam suam in filiam spiritualem. Ne igitur futuris temporibus super hoc possit aliquis scrupulus suboriri, præsentes litteras in testimonium rei gestæ conceptas sigilli nostri appensione duximus
1217. roborandas. Actum anno gratiæ CIↃ CC XVII.

Forma Capitulorum general. Formam Capituli, quod per triduum celebratum, in scriptum redegit hoc modo: primo die postquam ingressi sunt Capitulum Abbates Præmonstratensis Ordinis, procurantur litteræ variæ, & pro causis quibuscumque tam per Patres Ordinis, quàm per Nuncios potentum, & pro excusatione absentium & conceditur fraternitas supervenientibus per librum solito more, item pro absolutione defunctorum, quibus olim vel per certum Nuncium, vel pro se petentibus per litteras data fuit fraternitas. Quorum litteræ recitantur. Quibus lectis subjungit Abbas, *Anima ejus & animæ omnium fratrum defunctorum* &c. pro fraternitate quoque dandâ multi tam viri, quàm fœminæ religiosæ, pauperes & divites, introducuntur.

Die secundâ antè ortum lucis pulsatur unum de maximis signis, & statim omnes surgunt Abbates & Capellani, dicentes apud se Primam, & pulsatis omnibus signis, omnes Chorum ingrediuntur, & mox Abbas ille, cui pridie injunctum fuerit, imponit solemniter, *Dum sanctificatus* &c. cum sequentiâ, *Veni Sancte Spiritus*. Missâ itaque percantatâ, vel usque *Agnus Dei*, pulsatur nola, quæ suspensa pendet ante ostium Capituli, vel caminatæ Abbatum, ter interciso sono. Finita Missâ omnes intrant Capitulum, & omnibus decenter stantibus imponit Abbas Præmonstratensis, *Alleluja*, *Veni Sancte Spiritus*. Quo percantato dicit, *Benedicite*, & mox Abbas aliquis humilians se antè dictum Præmonstratensem acceptâ benedictione facit sermonem. Posteà

(*a*) *Hortus B. Virginis* Abbatia Ordinis Præmonst. in Diœcesi quondam Ultrajectanâ nunc Leovardiensi, fundatur an 1163. à Friderico illius loci pastore, beatorum fastis ascripto, cujus corpus ob sævientem in sacra quæque hæresim, ad cœnobium Bonæ-Spei in Hannoniâ solemni ritu & pompâ delatum est 6. Decembris 1616.

Posteà sicut priùs fraternitas à supervenientibus postulatur & conceditur, 1217.
& Abbates pro familiaribus postulant. His ita peractis Prior Capituli, Abbas aliquis, publicè pronuntiat, ut exeant Capellani, & continuò surgunt Circatores secundùm ordinem cum scedulis, duo, in quibus continetur, quomodò se habeat domus illa, quam visitarunt in spiritualibus & temporalibus. Quibus recitatis porrigunt cartulas Priori Capituli, & coràm Domino Præmonstratensi se prosternunt, dicentes, si quid minùs fecimus, quàm debuimus, veniam petimus, & Abbas subjungit, *Indulgentiam* &c. Post hæc omnia dicit D. Præmonstratensis his, qui difinitores dicuntur, ut facto prandio conveniant, & super singulis, quæ recitata sunt, tractent & disponant.

Die tertiâ, ut prædictum est, ante ortum lucis pulsatur Prima, & ingressis omnibus chorum, imponitur solemniter, *In medio Ecclesiæ*. Abbates interim, qui volunt, Missas celebrant. Missâ verò percantatâ, pulsatur nola capituli, ut dictum est, & omnibus in templo constitutis, imponit Dominus Præmonstratensis, *Veni Creator*. Postea dicit *Benedicite*, & rursùm fit exhortatio. Diffinitores autem, si adhuc habent indiscussa, iterum conveniunt seorsum, & alii quo-libet exeunt. Fit tamen interim exhortatio in Capitulo Claustri, cui multi intersunt. Reversis verò diffinitoribus in Capitulum pulsatur nola, & conveniunt singuli Abbates, & surgens Prior Capituli dicit, exeant Capellani, & nuncii Abbatum remaneant, & ex tunc de tabulâ pronuntiat, quæcumque diffinita sunt, & scripta, videlicet de Abbatibus deponendis, quibus dicitur Abbates illi præ insufficientiâ suâ cedant. Et statim surgunt, & reddunt sigilla, & dat eis prostratis indulgentiam, quibus ritè de Abbatibus peractis surgunt, & Capitulum Claustri intrant & si quæ sunt de culpis subditorum ordinata pronunciantur in audientiâ omnium. Postremò Dominus Præmonstratensis more præfationum in parasceve, orat pro omnibus gradibus Ecclesiæ. Tandem accensis candelis & allatis stolis, & baculo pastorali, excommunicantur proprietarii, & alii secundùm ordinem, & dicit: omnis proprietarius &c. auctoritate Domini nostri Jesu Christi &c. subjungens *fiat, fiat*, & projicit ad terram candelam, quam tenuit & alii Abbates similiter. Posteà subjungit *Confiteor*, *Misereatur*, *Indulgentiam*. Sequitur benedictio, *sit nomen Domini benedictum* &c. *adjutorium* &c. *benedicat* &c.

Eodem anno applicuit exercitus Christianorum *Acon* contra Saracenos. Anno gratiæ CIƆCCXVII. hoc in loco libuit interponere pro favore peregrinorum topographiam & eventus quos pertulerunt viriliter pro Christo peregrini navigantes per mare versùs Terram Sanctam, quos quidam familiaris suus in viâ peregrinationis suæ conscripsit, & ei transmisit in hunc modum. Anno Dominicæ Incarnationis CIƆCCXVII. Pontificatûs Honorii Papæ secundo, ultimo die mensis Maij, natales fines & arva dulcia linquentes primitias peregrinationis nostræ libavimus ei, qui peregrè proficiscens, suis bona sua, quandoque cum usuris repetenda distribuit. Per ostium itaque Lauricæ fluminis in altum emissi, ventis usi pro voto secundis, die tertio Angliam vidimus, quam præ oculis, & à dextris habentes, insulam, quæ dicitur *Wich* vidimus, quæ mari excedente divisa ab Angliâ, per se facit insulam, sed debitam Angliæ servat obedientiam. Sequenti autem die Sabbathi *Deutenmutha* pervenimus, ubi portus inter duos montes altos sinuoso nos collegit amplexu, ubi Hollandiæ Comitem (*Florentium*) & Co-

1217. mitem de *Vetba* (Veda) cum multis viris nobilibus, & XII. navibus advectos invenimus, ubi consilio prudentiore promulgatis legibus in exercitu servandis, omnibus quoque ad salutem animarum, & pacem pertinentibus ritè dispositis, Comes de *Vetba* Prædux totius classis est electus, posteriore custodiâ Comiti Hollandiæ deputatâ, quem Ducem & Dominum jam totus sibi delegerat exercitus. Die igitur Dominico aliquantùm aëre perturbato propter dies inter-lunares semper navigantibus suspectos, Comes de *Vetba*, ventis suadentibus se mari commisit cum multis navibus, quibus vento opposito, nebulis & imbre disjectis unà in scopulos incidit Britanniæ, quæ salvis hominibus cum multâ rerum jacturâ deperiit. Nos igitur cum Comite Hollandiæ Britanniam dimittentes, quartâ feriâ portum S. Mathæi attigimus, secundò perlectis constitutionibus totus eisdem legibus servandis se astrinxit exercitus. Sequenti verò die Dominico mutatis custodiis Comiti Hollandiæ præducatus, & Marscallo Coloniensi postducatus committitur. Portum S. Mathei linquentes Aquiloni vela laxavimus, qui Ulix-bonam tendentibus, & omnibus suis collateralibus est utilis. Ventis itaque prosperis sed nimis lenibus usi sextâ feriâ proximè Phare pervenimus, quòd est oppidum Galiciæ, dives admodùm, portum habens flexuolum, turre sublimi præsignatum, à Julio Cæsare constructâ. Sequenti die versùs Compostellam iter arreptum, per diem & noctem continue laborantes vix confecimus. Unde post oblata Deo & beato Apostolo sacrificia reversi per IX. dies ventis oppositis Phare sumus detenti. Hortatu igitur Comitis Hollandiæ, qui ab incolis didicerat, quod ab illo portu ventis Ulixbonam ferentibus exire non possemus, versùs Britanniam ad unius milliaris æstimationem reversi, portum optimum, inter duos montes, ut dictum, aëreos situm, intravimus, à quo in festo Apostolorum progressi ventis instabilibus, per tres dies & noctes jactati fluctibus quarto die Portugaliam pervenimus. Hic portus faucibus arctis & objectis scopulis est præclusus, ubi quædam de navibus nostris non sine magno periculo, cæteræ verò extrà portum in conspectu scopulorum anchoris missis in angustiâ spiritûs noctem exegerunt. Manè autem facto, ventis suadentibus, iterùm iter attemptantes, sed voto fraudati, portum *Silere* intravimus, ubi in grangiâ portui proximâ ad Abbatem de *Alcubar*, Ordinis Cisterciensis, intravimus. A quo de situ terræ & portuum difficultate, multa audivimus, qui etiam inter cætera nobis retulit, qualiter Magister Regis de Maroch ad fidem nostram conversus, palàm coràm Rege prædicavit, regnum ipsius finem habiturum in proximo. Quo ad jussum Regis interfecto, filius ipsius in lege doctissimus, fidem Christianam publicè professus, contrà legem Regis prudentissimè disputavit, & de fine Regni ipsius ex dictis Prophetarum, probabilem collegit sententiam, qui secundâ die mille lanceis confossus interiit. Cujus Rex corpus cum immundo loco projici juberet, Deo volente, nullâ poterat arte moveri. Quo miraculo Rex confusus, Christiani roborati in tantùm, ut ab illo die publicè Missas celebrarent, & Ecclesias construerent in civitate *Maroch*. His igitur & plurimis ab eo auditis portum *Silere* tertiâ feriâ post festum Alexandri martyris linquentes, sextâ feriâ proximâ Ulixbonam pervenimus. De cujus situ quædam propter utilitatem, quædam propter delectationem annectimus. Est igitur Ulixbona civitas Hispaniæ, terminus Gentium & Ecclesiæ, situ veteri sita in monte ab

Ulixe & Achille condita, quod probant antiqua ædificia, *Turres veteres*, appellata, & pagus vicinus *Achele* vocatus ab Achille. Caput autem civitatis ipsius circulum implens, muro & turribus altis verticem civitatis pulchrè coronat, ubi est domus Episcopalis & sedes. Corpus verò civitatis per devexum montis, usque ad aquam fluminis descendens ad Austrum muro cingitur & turribus, ubi miro schemate constructam in honore Beatæ Virginis ostendit Ecclesiam, in quâ corpus Beati Vincentii martyris in sarcosago-requiescit argenteo. Ad Orientem verò extrà civitatem, quoddam est venerabile cœnobium, ubi palma de sepulchro martyris Christi Propteri, Ulvinga pulchrè consurgens in aëre demonstratur, qui mutato nomine Heinricus, Princeps militiæ Christianæ, antè LXX. annos ibidem cum suo armigero vitam finivit in Christo, qui nunc divinâ revelatione canonizatus, gloriâ temporali lætatur & æternâ. Tagus autem flumen ad Austrum descendens largo sinu innumeris navibus stationem præbet tutissimam. Notandum verò, quòd naves portum intrare volentes sinistri littoris latere decurrunt, usque dum in faucibus ipsius fluminis receptæ, oppositi littoris montem ascendant, donec scopulum transeant quinquaginta cubitorum, in sinistro latere sub aquis latentem. Collectis igitur in hoc portu multis navibus, adunato totius exercitûs consilio, & populo civitatis, Episcopus loci illius sermonem faciens ad populum, persuadere nitebatur, ut in Hispaniâ remaneret, & inimicos Ecclesiæ Dei in urbe *Alcor* dictâ expugnaret, utile hoc fore & honestum multis rationibus asseverans, suum, & suorum, & Regum terræ promittens auxilia, lucra promittens, & moram sine lucris etiam utilem probans, tum propter rerum copiam ibidem venalem, tum propter moram Regum & Principum, qui eo anno non transirent, cætera, quæ rationi videbantur consentanea, annectens. Sed his omnibus magna pars exercitûs, sed præcipuè Frisones reclamabant, multa in contrarium allegantes, illud præcipuè, quod Dominus Innocentius negaverat cuidam licere peregrinos in Hispaniâ detinere, vindictam Ecclesiæ docens inchoandam à Capite. Diviso igitur exercitu quintâ feriâ post Beati Jacobi festum simul à portu exivimus, mediâ parte navium versùs Terram Sanctam tendente, & cæteris ad expugnandam urbem *Alcor* properantibus. Nos autem urbe à sinistris relictâ *Caput Sancti Vincentii*, & *Caput* de *Sacis*, & *Alvor* quoque & *Silvis*, urbes captas quondam à nostris, *Almadra* quoque & *Albufere* castra fortia pertranseuntes ad lævam antè portam civitatis, quæ quondam Sancta Maria, nunc *Hairin* dicitur, ventis fallentibus anchoras projecimus de navibus XXV. ibique noctem agentes manè socios nocte dispulsos à nobis, venientes læti suscepimus, simulque cum ipsis vela levantes, dum procedere temptaremus, subito voto, & vento fraudati, rursùs uncos harenæ mandare cogebamur. Nec mora minoribus ad terram navigiis advecti de obsidendâ civitate consilia ventilavimus. Diversis itaque diversa sentientibus, divino spiritu, nescio an suo impetu inflammati, circa vesperam Frisones signa levantes in Cœlum, & Beatam Virginem in subsidium cum cantico invocantes, hostes dispositos in campis, & urbem, audacter insiliunt, statimque hostibus in fugam conversis, dum portis appropiant, Saracenum per murum descendentem conspiciunt. Quo statim interfecto quidam Friso sagittam injecit, & eodem fune transcendens murum, vexillum in turri sublime deposuit, portisque apertis so- 1217.

1217. cios recepit. Qui totâ nocte spoliis intendentes, manè succendentes civitatem, multam navibus prædam invexerunt. Licet autem nox illa nubibus atris texisset Cœlum, multi tamen imaginem Beatæ Virginis se vidisse testabantur, in aëre, tanquam suæ vindictæ congratulantis. Erat autem hæc civitas fortissima, cujus duæ partes aquâ cingebantur, totâ muro turrito vallatâ, spisso in tantùm, ut in ejus vertice duo possent equites concurrere. Hæc vastatio onmem in tantum terruit viciniam, ut nullus in suis præsidiis speraret salutem.

His itaque peractis in die S. Petri ad vincula procedentes, civitates & oppida terrarum illarum, *Odiamam, Harmund, Kæsalam*, saltus quoque & *Arenam S. Eulaliæ* cum Hispali magnâ transeuntes ad lævam sequenti die *Rodete* pervenimus. Jactis anchoris terram properè conscendimus, conversis in fugam civibus, nostri castrum invadunt, spoliis vastant & ignibus, totâque illâ nocte in oppido permanserunt. Mane facto plurimis ad naves cum prædâ reversis, quibusdam spe lucri per vineas incautè dispersis, Saraceni multitudine magnâ per noctem collectâ nostros invaserunt. Paucis itaque cæsis utrinque, missis de navibus auxiliis, totâ die pauci de nostris cum multis Sarracenis commiserunt, ita ut pauci de nostris, Mauri plurimi, arcubus morerentur & balistis. Sole verò ad occasum vergente Sarraceni fortiùs conglobati, diù ventilatis consiliis, clangore horrido intonantes velut parati omnia fortunæ committere, cum impetu nostros insiliunt, sed statim in fugam conversi turpia post tergum vulnera susceperunt. Nostri ergò tunc demùm navibus se suscipientes, balistariis ultimam mandavere custodiam, qui repulso Barbarorum impetu, post omnes navibus invecti, primam & ultimam meruerunt victoriam. Tunc verò victores mutuis se laudibus efferentes, dum se humiliant in laudibus, in gloriâ plus crevit timidissimis quibusque audaciâ loquendi. Manè facto feriâ sextâ stationem solventes, contra insulam *Cadix* proras direximus, portuque recepti in magnanimitate spiritûs, qui semper nascitur ex prosperis, terram conscendimus, civitatem ejusdem nominis turribus multis munitam obsedimus. Civibus in insulam ulteriorem elapsis, civitas desolata, inimicos suos, suæ solitudinis accepit solatium. Cujus ædificia materiâ, & arte fulgentia, vineas & pomeria &c. nobis vendicantes in labores aliorum intravimus, hortosque & vineas, ficus & oleas, & omne genus arboris promiscuè succidimus, Mahumeriamque ipsorum tantis impensis, tanto constructam ingenio, ut referenti nemo crederet, ad referendum nemo sufficeret, solo æquavimus, cujus ligna coloribus, & floribus excisis, necessariis usibus deputavimus, & usque-ad dies aliquot ibidem permanentes, tandem saturati spoliis, reliquias civitatis per ignem judicavimus, velisque levatis, usque-ad fauces stricti maris, quod *Ostrica* dicitur eodem vento & velo volavimus, ubi Evro se opponente, super anchoris noctem exegimus. Manè verò ventis furentibus ad insulam prædictam redire compulsi, damna & pericula & multas pertulimus angustias. Quatuor namque diebus continuè ascendendo ad cœlum, & descendendo usque-ad abissos, fluctibus iratis jactati sub insulâ, ventorum vim sequi, & mari procelloso nos committere, quod plurimùm timebamus, judicavimus tutissimum, illud Senecæ ad Lucillium recolentes; in tempestate navigantibus nil æque timendum, quàm terram.

Anchoris

Anchoris itaque primâ Sabbathi manè levatis, sed pluribus in fundo relictis, LXXXVI. naves statione solutâ, ubi erat spiritus ventorum & procellarum impetus, illuc ferebamur, fidei & propositi scindentes unitatem, necessitatis exigente articulo. Nos verò in portum *Hispalis magnæ*, quæ nunc *Sibilia* dicitur, non sine periculo magno intravimus. Dominus autem qui deducit ad inferos, & reducit, humiliat & sublimat, eodem die mutatis pro voto ventis, cæteras naves, & socios nostros in viam voluntatis eorum reduxit. Nos verò à portu exire non valentes duas ibi noctes exegimus. Tertio tandem die vela levantes, eodem die circà solis Occasum horridas fauces intravimus, ubi Europa & Africa montibus erectis in cœlum facilè conspiciuntur à dextris & sinistris, ibi *Mutemuda* civitas Africæ & *Ceteripb* oppidum Hispaniæ, ex parte montium Occidentali sibi contrà ponuntur ex directo, ubi Commeatui brevissimus est transitus. Ad Orientem verò *Cepta* civitas conspicitur in Africâ, cui ex directo *Malagam* opponit Hispania. Igitur in alis Zephiri velut carcere emissi, die Beatæ Virginis itinere assumpto, non navigare, sed volare videbamur, ità ut qui sæpe descenderant in navibus, & operationes fecerant in aquis, numquam se tam immanibus procellis jactatos jurarent. Ventis itaque ingentibus à conspectu Hispaniæ, quæ præ oculis semper habenda est, Balbellonam (*Barcellonam*) euntibus longè delati *Evice* insulam quarto die venimus, & nos deviasse cognoscentes, proris ad terram conversis, tertio die *Tortosam* civitatem accessimus, ubi Errora (*Iberus*) fluvius limes gentium, & terminus fidelium dulcibus aquis influens amaritudinem temperat, & reddit potabilem. Ibi tandem Saracenis à tergò relictis libertatem consecuti, & aquas potabiles nacti veteris veritate probatâ proverbii, quod libertatem existimat, & Peium Ponto aquæ potabilis, laudavimus inventorem. Defecerat enim nobis aqua, & multi de nostris, sitis, & febrium, & dysenteriæ calore ferventes, aquas maris amaras haurientes, sitim extinguendo incitabant. Alii limum in lagenis inventam, alii quoscumque fructus, manibus exprimebant necessitatis suæ judicantes auxilium, alii fœces vini vel cervisiæ sugebant. Nonnulli quoque gemino famis & sitis malo confecti, in amaritudinem animæ suæ panes amarissimos, aquâ maris confectos comedebant. Duobus igitur diebus in convivio dulcium aquarum deductis, ventis prospetis navigantes, Arragoniam à sinistris, & castra plurima linquentes, vigiliâ Sancti Bartholomæi Balbellonam venimus ubi secundis ventis gavisi, lassis corporibus, suadentibus ventis tamen provecti, octo miliaribus emensis portam Sancti Feliciani martyris in territorio Catalogniæ contigimus, collectisque sociis, qui ibi stationem fecerant, *Marsiliam* properavimus, sed duris Boreæ flatibus à terrâ repulsos portus *Sancti Mandriani* martyris nos suo collegit in gremio, unâ dietâ distans à *Marsiliâ*, qui inter montes altissimos complicitus *Toloniam* civitatem habet à dextris. Capella verò Sancti martyris in latere sinistro vili scemate constructa, sed multâ sanctitate famosa monstratur. Indè verò XV. die provecti, relictis à lævâ *Gandâ*, & *Gerâ*, & *Antibure* civitatibus, portum, qui *Oliva* dicitur, in festo Lamberti martyris intravimus, qui monte interjecto ad Occidentem *Vaceam* habet Castrum in monte sublimi constructum. Undè per dies octo progressi relictis ad sinistram civitatibus famosis *Januâ* & *Pisâ* & Castris innumeris, ad dextram verò insulis *Sar-* 1217.

1217. *diniâ*, *Corsicâ*, *Capricorno Gorgonio*, & *Ellâ*, & aliis quàm plurimis ad oppidum in territorio Pisano, quod *Plumbinum* dicitur, pervenimus. Undè post octo dies *Messinam* tendentes ventis contrariis agentibus portum Civitatis veteris, quæ quondam *Centum-Collis* dicebatur, in festo beati Dionisii martyris non sine magno intravimus periculo. Undè propter angustum spatium & navium multitudinem, quæ portu stricto collidebantur, egressi cum navibus XVIII. stationem fecimus in portu *Cornetano*. Est autem *Cornetum* à cornis dictum Castrum Domini Papæ, in patrimonio Sancti Petri fundatum, tribus miliaribus distans à mari, & duas dietas à *Româ*. Igitur à civibus Cornetanis honestè suscepti, de fide & securitate litteris ipsorum muniti, cuncta quæ ad hiemis solatium pertinebant, disponere curavimus, quos Dominus Papa benignè suscepit, de virtute Frisonum & audaciâ, & in destructione civitatum Hispaniæ non parùm gavisus, qui nostris aures suæ Sanctitatis inclinavit in tantum, ut Veronicam (*a*) Domini, nobis infrà paucos dies bis videndam monstraret. Prætereà litteris suis transmissis *Cornetanis*, *Biterbiensibus*, *Tuscanis*, *Veteralis*, & cæteris vicinis civitatibus & castris nos cum multâ commendavit diligentiâ, sub anathematis interminatione præcipiens, ut in commerciis, & contractibus & cæteris necessariis nos fideliter tractarent. Quod ab omnibus inviolabiliter est observatum. Igitur hyeme peractâ in primâ veris adolescentiâ, Vigiliâ S. Benedicti, naves in altum à portu deduximus acceptâ à Cornetanis, ut & à Potestate, à Senatu & universâ communitate licentiâ, qui bonum principium meliori fine concludentes honestè susceptos honestiùs dimiserunt cum multis millibus utriusque sexûs, cum apparatu insigni & gloriâ, cum baneriis & vexillis CLXVIII. usque ad mare deduxerunt, ubi collecto cætu, dispositis in gyro populis, Potestas Cornetanus qui prudens & legum doctissimus, Frisonum fidem & audaciam multâ commendavit facundiâ, satisfactionem offerens spontaneam, si qua facta fuisset in nos injuria. Signatos quoque Corneti, Biterbii, Tuscanii, Senæ, Veteralliæ, Montisalti, Montisflasconii, & cæteros, qui in navibus nostris in Terram Sanctam properabant, fidei nostræ commendavit, & in omnibus nobis præcepit esse subjectos. Omnibus igitur in hoc consentientibus, ipse Senator vexillum insigne, in signum potestatis & dominii, propriâ manu porrexit, omnibus Latinis fide adstrictis, ut in omnibus negotiis pacis & belli nobis tanquam patribus obedirent. Nosque respondendi tempore accepto, qualescumque gratiarum actiones ipsis retulimus de beneficiis acceptis, & pietate ergà nos usque in finem servatâ, cum æquanimiter nemoris sui incisionem, suis vetitam civibus, in nobis tolerassent, & piè nos in suis hospitiis & fideliter in commerciis tractassent, nec-non humanè infirmos nostros visitassent, quicquid vel usus communis, vel peritia Physicorum in remedium morborum adinvenerat, secum afferentes & prout cuique opus erat impertientes, quod denique tantâ pietate infirmos nostros ut filios suos deplorassent, sepulchra eorum ut Sanctorum venerantes & cætera. Pro quibus omnibus nostri laboris participium & Deum ipsum retributorem constituentes, non sine lacrymis abrepti, & divisi in die Annunciationis Dominicæ vela levavimus,

(*a*) Hinc collige quantùm aberrent à vero qui Veronicam Sanctarum ascribunt catalogo, & iconem veram, sive imaginem Christi, in Beatam transformant, ut somniavit P. Sebastianus à S. Paulo.

& per diem & noctem prosperè navigantes ventis contrariis in portum Veteris-Civitatis sumus revecti. A quo eodem die feriâ tertiâ, recedentes velis Aquilone tumentibus, *Ostia Tiberina*, *Tagetam*, *Baias*, *Neapolim* Principatus Apuliam, Calabriam, Siciliam, quò tendebamus, relinquentes ad lævam, sexto tandem die, feriâ secundâ, pluribus defatigati periculis ex imperitiâ ductoris in insulam, quæ dicitur *Lampeosa* (*d*) duce Christo devenimus, ubi Cursarios Janvenses in galeâ unâ fœliciter invenimus. Qui deprædatâ Barbariâ & captis Sarracenis, tempestate coacti illic in portu recepti, socios à se divisos expectabant: à quibus de errore nostro & imminentibus periculis sufficienter instituti, quartâ feriâ *Siciliam* CCC. miliaribus à tergo relictam proras direximus. Emensis igitur CXX. miliaribus *Maltham* insulam devenimus, quâ à dextris relictâ, feriâ III. *Sarrogasam*, quæ Siracusa dicitur, fœliciter contigimus CLX. miliaribus à Malthâ distantem. Est autem Siracusa sedes Episcopalis ad Orientem Siciliæ inter Mezaram & Cataneam, ubi diem Palmarum solemniter celebravimus, Canonicis ejusdem Ecclesiæ morem Latinorum per omnia sequentibus. Quartâ feriâ proximâ inde recedentes, per dies & noctes ventis usi prosperis, sed nimiùm validis in die sancto Paschæ sub *Cretâ* insulâ ad Occidentem anchoras projecimus, & ibidem totâ nocte jactati fluctibus & procellis præter spem, Dei misericordiâ servati, manè insulam, quæ *Sikilon* dicitur, accessimus cum tribus tantùm navibus, quarum duæ in portu tenacibus anchoris remanserunt. Nos verò fallente anchorâ ventis oppositis à portu repulsi circà vesperas sub Cretâ recepti ad Aquilonem totâ nocte ventis usi secundis, die secundo ad vesperam *Çandiam* civitatem pervenimus, ubi à custodibus insulæ diligenter edocti, quæ sydera, quam cœli plagam sequi deberemus, tendentes versùs *Acon*, post solis occasum portum linquentes, ventis & mari plus quàm pro voto blandientibus die VII. sequenti, die post Marci Evangelistæ portum Aconensem gaudentes intravimus, gratiarum actiones, non quas debuimus, sed quas potuimus, referentes Deo, qui nobis omnis humanæ societatis solatio destitutis tanto affuit suæ pietatis præsidio, ut post multos labores requie corporis indultâ docere videretur expressè, quòd sit beatarum post mundi pericula, futura requies animarum, & tunc demùm quæ passi fuimus periculorum meminisse juvabit. Amen. Et hæc ad gentis Frisonum gloriam retulisse sufficiet. Nunc ad intermissa revertamur. 1217.

Sanè corporis sui complexionem eatenùs temperatam esse novit, (*Emo*) quòd nec aspectu, nec tactu subito, quibus appetit & appetitur concupiscentia fœminarum, castitas, erudiente stupore verecundiæ per Dei gratiam unquam violaretur. Quamobrem immittebat, & imprimebat suggerendo hostis antiquus illecebrosas cogitationes per absconditam tentationem, quæ est carnis concupiscentia, quæ teste Apostolo concupiscit adversùs Spiritum & è converso. Cumque tribularetur aliquotiens oraculo Apostolicæ sententiæ armatus est. Nam cum immineret, linguâ palpitante, in verba hujusmodi solebat erumpere: *Infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Gratiâ Dei per Jesum Christum spiritus quodam robore convalescebat, juxtà quod quidam sapiens dixit: *Vincit in certamine, qui Spi-*

(*d*) Fortè Lampetiam in Calabriâ.

1217. *ritu ductus gratiam attendit.* Et tunc expertus est utiles esse tentationes. Sicut caro sine fide, sic anima sine temptatione corrumpitur. Et vilescebat ei mundus, sicut ille, qui afflictus dicebat; Ego dixi in pavore meo, quo scilicet erudiebatur, omnis homo mendax & infirmus. Duo inter utilia, utiliora & efficaciora, ægritudine urgente probavit antidota, quod, quandoque cùm non sentiret, Ieronymo dicente, oratione fugarentur pestes animæ, & jejunio pestes corporis. Nam cum corpori auctoritate spiritûs indiceret abstinentiam panis & aquæ, prævaluit spiritus, & in corpore, qui obstupefactus languore naturæ suæ, fomes refriguit. Legerat aliquandò, quod à temptatione maligni nulla persona excipitur, nullus locus excluditur, ubique dolus, quia temptatio est vita hominis super terram, & multiplices sunt hostes, Dæmon cum vitiis, homo cum bestiis, mundus cum elementis, caro cum sensibus, specialiter tamen tres hostes nos affligunt, dæmon, mundus, caro. Ex his tribus duo conjurant tertio, ad subversionem nostram. Denique temptationem carnis & illecebras mundi expertus erat aliquando acrius sibi inferri post memorabile festum Laurentii Levitæ, & Martini Episcoi. Acrius inquam præ aliis vicissitudinibus maligni, rotam complexionis forsitan Deo permittente, ex suâ versutiâ ad subvertendum, inflammabant.

Quodam igitur tempore cum à Capitulo Generali reversus fuisset, adeò duobus hostibus illis vexatus est, quòd nisi restitisset, ille ternarius amoris & timoris, & pudoris, tanquam piscis ruptâ sagenâ, forsitan evasisset. Interim confitebatur, orabat, & per intervalla, propter reverentiam corpus & sanguinem Dominicum participabat, nec tamen adhuc requievit spiritus ejus, donec salubrius meminit & plenius illorum trium, quæ mensæ divitis; id est, veritatis apparent. Sunt autem ista, utilis sagina, bona terræ, medulla tritici, quæ sunt Eucharistia, lectio, oratio. Hæc enim tria apparent contra tria, quæ nos infestant, videlicet carnem, mundum, dæmonem. Eucharistia contra carnis incentiva. Sic enim carnis vitia edomanda sunt, ut ad usum Eucharistiæ semper dignus minister sit. Convertit ergò se ad libros scientiæ, ut agnitos excluderet laqueos concupiscentiæ; redarguit namque ab exordio conversionis Vitas Patrum, & libros Cassiani tanquam Ethicam incipientium, non lectitasse. Apprehendit igitur volumen B. Augustini de sermone Domini in monte, & legebat, & intus garriebat, & elevabat spiritum à terrenis. Querebat differentias peccatorum & invenit; Quòd qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, & hoc fine & animo attendit, ut concupiscat, quòd jam non est titillare, sed plenè libidini consentire. Quòd si anima titillata fuerit, culpa est, non tamen crimen. Visus præcedit propriè motum, qui est ad delectationem corporalem, & interior est concupiscentia quæ dicitur & est mater adulterii, in quo ptimis parentibus malè aperti oculi leguntur. Cùm verò transit in affectum cordis, ubi non deest voluntas, sed occasio, passio dicitur, mors videlicet in domo. Et est passio, quædam animi forma, vel deliberatio ex consensu, undè dicitur iracundus, vel amator, aliàs passio est subitus animi motus, sine deliberatione boni, vel mali operis, vel subitus animi affectus iræ, vel amoris. Sicut autem bona voluntas, cum deest copia agendi, remuneratur, sic deliberatio cum molimine vitiorum damnatur. Tribus modis peccatum confirmatur, suggestione, delectatione, consensu. Suggestio fit per memoriam, vel per corporis sensus, cum quid videmus, vel tangimus. Quod si quid delectaverit, illicita delectatio refrænanda

nanda est. Sed huic non consentimus, si damnantis rationis jure cohibemus. 1217.
Si consentimus, plenum peccatum erit Deo notum in corde nostro, & si facto innotescat hominibus, & tamen à serpente fit suggestio, & quædam suasio in appetitu carnali, tanquam in Evâ delectatio, in ratione tanquam in viro consensus. Delectatio antè consuetudinem vel nulla est, vel tam tenuis, ut propè nulla sit, cui consentire magnum peccatum est, cum est illicita. Tribus gradibus pervenitur ad peccatum, ideò tres sunt differentiæ peccati, in corde, in facto, in consuetudine. Primos motus qui non abjicit, in delectationem incidit, deindè in opus, deindè in consuetudinem. Secundùm magistrum Stephanum post primos motus sequitur conceptio, deindè delectatio, post, consensus in actum, deindè opus, post, consuetudo, deindè obstinatio, quæ dividitur in præsumptionem & desperationem. Secundùm Innocentium Papam, anima distemperatur cogitatione, infirmatur delectatione, moritur consensu, effertur operatione, sepelitur consuetudine. Si adhuc temptationis ardor non defecit, ardenti studio libros moralium arripiat, in quibus egregius Doctor non minùs humiliter quàm salubriter, quæ sit vicaria successio, vel successiva alternatio hujus temptationis & divinæ contemplationis in eodem homine ostendit. Hic est temptatio, hic est pugna, hic est militia, hic est conflictus vitiorum & virtutum. In hujus conflictûs consideratione ardebat, ardenter legebat, & elevabat spiritum à fœcibus carnis & curis hujus mundi. Verè lectio illa novitium instruit, titubantem erigit, hominem sibi ipsi ostendit. In hoc conflictu homo se totum Deo committere debet. Nam teste Job; si subverterit omnia, vel in unum coartaverit, quis contradicet Domino? cum vel virtutes, quas habuit subtrahit, vel has omninò non ordinans vitiorum concuti temptatione permittit. Deus unam eandemque mentem, & in contemplando illuminat, & importunitatem temptationis obscurat. Secreta sapientiæ supernæ sunt opera, cum Deus quos creavit, deserit, cum eos illuminat, & cum carnis temptationibus coercitos pulsat. Tamen cum fatigant ista, nec superantur, nequaquam propter pollutionem trucidantur. Temptatur justus, ut erudiatur, solidetur, bona sibi non attribuat, ne torpeat, à fortitudine non deficiat, sed sit in jugi custodiâ sui profectus. Nam sæpè mentis nostræ cogitationes ardore libidinis immundi spiritûs succedunt, & quasi igne nos concremant, dum castos motus animi luxuriæ temptatione perturbant. Virtutes autem nostræ, temptationis tempore etsi ab incolumitate sui statûs deficiunt, per intentionis tamen perseverantiam integrè in mentis radice subsistunt. Item Job: *Bestiæ terræ vobis pacificæ fient.* Bestiæ, scilicet motus carnis contrà nos insurgentes. Sed cum cor sub divinâ lege deprimitur, & carnis incentiva detumescunt, etsi temptando submurmurant, non tamen ad efficacem operam quasi ad morsus exsurgunt. Qui has bestias terræ plenè edomat, certè ille ad tertium cœlum raptus dicat: *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Sed aliud est has bestias in campo operis sævire, aliud intrà cordis foveam frementes tenere. Ideò illicitâ cogitatione affligimur, qui in quibusdam terrenæ actionis, vel conversationis actibus libenter occupamur. Necessè est, ut immundas cogitationes, timoris fletus diluat, & quidquid mens de inexperto certamine, vel de conversationis pristinâ memoriâ patitur, laceretur. Sæpè immunda animo vertimus, quotiens à precibus vacamus, & in oratione earum rerum

1217. imagines patimur. Quid in mulris moror? his arque his similibus, animus ejus redundabat, qui Spiritûs Sancti apothecâ efficiebatur, & reficiebatur dulcedine mirabili, & sic virtute sacræ lectionis & compunctionis nebula temptationis evanuit, & animus ejus ad lucem propositi pristini renovatus requievit, juxtà illud: ***Et misertus es nobis***, item: ***commovisti terram & conturbasti eam.*** item: ***ostendisti populo tuo dura.*** Perpendit quoque Sanctos sine donis Spiritûs Sancti nihil agere potuisse meritoriè, quia omne optimum ex dono est. Quapropter optabat unicè inesse fidem, & caritatem, cæterasque virtutes, ut in Beato Martino, & inter alias fugam opportunitatis, sicut alius etiam dixit: ***Si vis salvus esse, fuge homines.*** Intellexit quoque quod virtutes naturali voluntate ad effectum deduci non potuerunt, nisi gratiâ Dei suam voluntatem perficiendi facultatem administraret, reprimendo fragilitatem, per quam incipientes & proficientes semper relabuntur, undè & hic trepidabat. Quoniam juxtà cujusque fragilitatem, sive ex sensualitate per gulam & luxuriam, sive ex ratione per superbiam, maligni spiritus mala multa proponunt. Undè si damnetur avaritia ex tunc lucrum cum fraude proponunt. Luxuria quoque, testante Beato Gregorio, etsi à carne abscissa est, à corde tamen funditùs abscissa non est. Hinc & Ieronymus ad Eustochiam virginem: si post nuditatem, jejuniâ, famem, carceres, flagella, supplicia, in semet-ipsum reversus Apostolus exclamat: ***Infœlix ego homo quis me liberabit?*** quis se putet securum esse debere? si quidem offert Deus gratiam bonis & malis, & quibusdam perdendis non solùm offert, sed & confert, ut Saul. Et hoc propter præsentem justitiam, cui deserviebant; sed secundùm præscientiam Dei erant de medio malorum. Porrò præscientia non mutat naturam hominis, qui liber creatus est. Sed Deus ita præscit aliquid futurum, ut & nihilominùs præsciat ipsum hominem æquè potentem ad dimittendum, si vellet, sicut ad faciendum, quod necessariò est futurum. Sicut quidem si Deus prævidit hominem peccaturum, & non possit esse quin peccet, tamen non vidit ex necessitate peccaturum, sed ex voluntate. Quia providentia Dei etsi falli non possit, neminem tamen cogit, & non de præscientiâ Deus judicat, sed de justitiâ. Salvandis verò absque omni merito præcedente, quasi velint nolint, aliquandò infertur gratia, ut Paulo. Timeant ergò omnes servi Dei, quoniam nichil deest timentibus Deum. Ipse enim prævenit nolentem, ut bonum velit per gratiam. Sequitur volentem, ut bonum possit per Dominum. Adjuvat liberum arbitrium, ut spontè bonum sequatur. Avertit captivitatem, ne sequi abnuat, firmat fragilitatem, ne sequens relabatur, & dat meritum, quod sequens non deficiat, & dabit præmium æternum, videlicet gaudium sempiternum, quoniam gratiam & gloriam dabit Deus. Nam & Spiritus Sanctus ad fideles suos venit per gratiam illuminantem. Virtutes acquirendo anxiatus est spiritus, quoniam in primo ingressu vitæ regularis majorem habuit orandi devotionem, verùm aliquantò minor in operatione religio propter inexpertas adhuc vitæ illius observantias, multiplicatis verò fratribus imminuta apparuit affectûs devotio, propter quòd valdè trepidabat, quoniam hæc duo onera sunt, oratio & misericordia, undè illud: ***Benedictus Dominus qui non amovit orationem meam, nec misericordiam suam à me.*** Sanè ex compassione sollicitus fuit circa fratres, qua aliquando interruptâ oratione perurgebat ipsum. Quopropter postulabat sibi reddi læ-

titiam orationis, & principaliter spiritum ad firmandam perseverentiam pristinæ devotionis. Legerat namque quòd oratio est de bonis impetrandis ex pietate & perseverantiâ pro se & omnibus Catholicis. Undè cum sollicitudo fratrum in orando perseverentiam turbaret, deprehendit sui ipsius infirmitatem. Itaque necessariò inventa est pro malis removendis deprecatio. Delinquit nempè homo vel fragilitate infirmus, vel consuetudine compeditus, & in his improvidus putrescit, donec Deus per inspiratam deprecationem dignam sibi fragilitatis & negligentiæ inspiret detestationem. 1217.

Effectum orationis, & jejunii expertus est hoc modo. Quædam puella in annis adhuc puerilibus, oblata est monasterio, quæ ut postmodùm innotuit ab infantiâ insidias immundi spiritûs, cum magnâ importunitate, & in formâ cujusquam animalis teterrimi coloris se ingerentis ferebat. Cùmque in claustro fuisset quasi subtractione deceptus spiritus, illic non comparuit. Porrò pater puellæ cum die quâdam inquireret, si bene se haberet filia, respondit, bene, & eò melius, quia monstrum tale me illic non invenit. At ille dicta dissimulavit, & valedicens recessit. Verùm post dies aliquot, ô res horrenda! affuit manè, & vesperè, & in crepusculo, & terram solidam per magna & parva fragmenta in scolas spargebat. Sed interim quidam strepitus fiebat, quasi super ligneo interstitio, priusquam caderent super pavimentum. Et hæc illusio multis diebus fiebat. Intereà quibusdam maturioribus sororibus, manè & vesperè permissum est id ipsum experiri, & apparuerunt ad parietem, quasi duæ scintillæ ignei ruboris, moventes se sursùm & deorsùm, antequam fragmenta spargerentur. Ex hac tandem illusione doluit conventus, & assumpto sacerdote, & præmissâ Litaniâ exorcisavit aquam, & invocato nomine Jesu Christi, & excitatâ fide cordis necessariâ contra tumultus phantasticorum, orationes complens aspersit, & recessit, & sic per dies aliquot evanuit, & rursus rediit. Sed jam tum multiplicatis orationibus, & jejuniis mirè devotæ congregationis, nocte quâdam cuidam virgini per nocturnam visionem compulsus est fateri, quod fas non erat ei illic ultrà commorari.

Effectum quoque confessionis hoc modo expertus est. Cuidam puellæ in monasterio oblatæ, cùm esset in annis pueritiæ, O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei! permissus est spiritus immundus illudere. Si quidem certis noctibus videlicet quatuor antè novilunium, & VI. per inter-lunares noctes post dictas matutinas quasi de lecto alterius veniebat, & se quasi palpabilem ingerebat: Nam curiositas illius ætatis, hanc dedit audaciam, ut apprehenso monstro, quidam vice inquireret, quo nomine vocaretur, & respondit intelligibiliter, quòd non usuali, sed alio nomine vocaretur. Sed cum adhuc accederet, & illa horeret, invita sopore phantastico premebatur. Cumque evigilaret, monstrum ad stratum alterius quasi repedabat. Quæ cum postmodùm illusione decepta desipere inciperet, ad confitendum festinavit. Quam consolari studuit, & revocare ad virtutem fidei Jesu Christi, & compatiens ejus instituto, voluit ut istis præfatis diebus illa & aliquot puellæ singulis diebus confiterentur & communicarent, injunctis aliquot psalmis & vigiliis, verùm licet pro eâ fideliter precarentur, tamen illarum deprecationes, contra consuetudinem illius mali, non sunt exauditæ. Crebrò ergò confitebatur, sed turbulento animo, tanquam illi compateretur, vel non crederet, recedebat. Denique cum quâdam vice affectasset, quatenùs

1217. ipse sciret condolens horrori suo, confitendi causâ accessit ad fenestram. Qui cum exhortaretur eam firmiter credere, invasit eam subitò horripilatio, & irruit vehementia horroris cum tremore totius corporis, & excidit quasi à mente per modicum, sicut lumen à cereo, flante vento, linguâ interim palpitante verba cantici usque in finem; *quoniam tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus Jhesu Christe* &c. & recedebant ab invicem. Cumque adhuc illâ die quidam anxiè confiteretur, & auxilium peteret, respondit: funde coram Deo orationem tuam, & pete ab eo, ut dignam tibi infundat deprecationem. Quibus ex verbis toto corde commota, sicut rei exitus declaravit, dignè Deum pro peccatis suis deinceps peroravit. Nam quâdam nocte per revelationem nocturnam audivit ter percantari antiphonam Evangelici oraculi, *usque modò non petistis quicquam in nomine meo, petite & accipite.* Sicque per Dei gratiam ab illusione liberata est.

Recogitabat aliquandò annos pueritiæ & adolescentiæ suæ, & gratias agebat altissimo, qui usu temperantiæ, cujus adhuc scientiam nondùm habuit, vitam suam præteritam exercitaverat. Qui sæcularis inter sæculares, nec tamen gulæ deditus erat, nec ebrietati vacabat, & castigabat eum ignarum, temperantia, cum esset in aliquantulâ rerum abundantiâ, ne corrumperetur importunè serviendo gulositati, & ebrietati juxtà appetitum concupiscentiæ. Postmodùm cum sæculo renuntiasset, & virtutem abstinentiæ deprehendisset constare in æquanimitate tolerandi inopiam, & in non corrumpendo per abundantiam, miratus est se evasisse, & congratulatus est illi, à quo concessum esset per innocentiam communia vitia declinare, & per intellectum ad regularis vitæ institutionem forè perductum. Meditatus est aliquotiens corde, pensans misericordiam ejus, qui est pater luminum, quòd adeò simplicitate sui salubriter delectari concessit eidem, ut nec honoris, nec dignitatis ventilaretur ambitione. Postmodùm cum diligeretur & honoraretur à plerisque bonis, cavebat sibi fieri inflationem aurium honore & nomine falsæ simplicitatis, & quotiens ad consilium, vel colloquium vocabatur, semper solitudinem in corde quærebat. Denique cum sæculo renunciasset, non ad loci dignitatem præmemorati, sed ad sollicitudinem se præparabat. *Nam neque qui rigat, neque qui plantat est alicujus momenti, sed qui incrementum dat Deus.* Et quia discipulus hominis non fuit, ne magister fieret erroris, per magisterium erudiebatur timoris, de quo scriptum est: *qui timetis Deum, sperate in illum, & illuminabuntur corda vestra.* Censura nostra quoque divini amoris obedientiam docet & reverentiam. Cum autem caritas, quæ manet immobilis, sit radix justorum, & flos ejus spes cœlestium, metuebat justus in animo vitium cupiditatis temporalium, quæ est radix malorum, verùm cum flos illius radicis est delectatio temporalium, illuminatus est ex opposito, & sperabat, & præsumebat de Christo cupiditatem cum flore suo partim aruisse, ex eo quòd temporalia nunquam ad delectationem, sed ad usum duntaxat fratrum propter Dei cultum diligebat. Porrò cupiditas solet deviare in avaritiam, quæ amatores suos præcipuè ad duo exercet, ut de quæsitis rebus opera misericordiæ minimè fiant, & sive benè, sive malè, semper in augendis rebus firmetur. Sicut scriptum est, venatio leonis, onager, & pauperes, pascua divitum. Recurrebat ad suam conscientiam, & invenit in eâ pro modulo suo largitatem ab eo utique, à quo

à quo est omne datum optimum, repositam, ut si posset omnipotenti 1217.
daret, & super omnem vocem querulantium turbabantur viscera ejus. Non enim comedit aliquando, si vidit, vel audivit pauperem, quin compateretur ei, & subveniret, & super omnibus afflictis pia gestabat viscera. Sæpè etiam cum collocasset se in stratu suo, tempore algoris, antè oculos mentis, penuriam pauperum, & defectus senum & debilium compatiendo constituit. Sanè secundùm evangelicam sententiam multi hodiè ad monasteria currunt, & omnes habere cupiunt, quod delectat, pauci brevissimam viam ad delicias, videlicet contemptum earum inveniunt. Et utique quidam sunt in Ecclesiâ Prælati, sua quærentes non quæ JESU CHRISTI, Deum non propter Deum quærentes, sed temporalia quærentes, & propter hæc Deo servientes. Quisquis talis est mercenarius, & cum Simone mago mercatore, est ejiciendus. Etiam Apostolus quæstum & avaritiam, quæ est idolorum servitus, in eo exhorruit, sed ne ob augurium nimis fallax obstupesceret, sententiam Sanctorum in hac perplexitate investigavit, & advertit ad principalem intentionem semper fore recurrendum, qui affectus operi nomen imponit, & Reverendus Pater Augustinus astruit idipsum dicens exemplo Johannis; *videtis, non quid faciat homo considerandum, sed quo animo & voluntate faciat.* Item beatus Ieronymus: *de sensibus Deus judicat & voluntate.* Et Poëta: *ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.* Igitur ut per ostium intret, qui ad Deum converti desiderat, introduci debet principaliter propter Deum, & secundò propter temporalia, quia hoc sine temporalium subsidio nequit fieri. Sic scribit Beatus Gregorius cuidam Episcopo, ut pauperrima regularia monasteria requireret, quæ secundùm Deum vivere sciunt, & eisdem sacerdotes lapsos tradat cum rebus eorum. Sic etiam Apostoli pretia pro prædiis à Conversis acceperunt ad fovendos egenos. Sicut Dominus habebat loculos & à fidelibus oblata conservans. Verùm quoniam Deus videt veraciter, utrum intentio illius fuerit pronior ad cultum Dei, quàm ad cupiditatem, hoc solùm superesse æstimabat, ut timeat ne alios lucretur, & seipsum perdat.

Anno quoque conversionis suæ XI. quo fundata est grangia secùs Emetha (*a*) ut extrinsecis etiam temptationibus excitaret fidem retributionis 1220.
æternæ, & illuminaret corda ad cognoscendum, quòd non sit Christianæ virtutis in temporalibus exultare, fratres pusillanimes pro tenuitate temporalium & amissione eorum placuit in camino probationis examinare. Per exercitium temptationum enim probatur fides. Vigente ergò æstate ignis corripuit quandam officinam, & subitò multa consumpsit, quæ erant fratrum usibus reposita. Porrò quàm certum sit, quòd irascitur & miseretur Deus, hic apparuit experimento, quòd dormitorio fratrum, quod propter vicinitatem flagrantis incendii humanis viribus defensari non potuit, pepercit. Hoc in autumno die beati Magni. Sed mitigavit iram, non prorsùs amovit. Mediâ namque hyeme sequente, cum putarent se pœnas sufficienter exsol-

Zzzzz

(*a*) *Emetha* villa in Fiwelingiis, ab Emeso fluvio, qui portum præbet, nomen obtinens, insigni pridem foro famosa, sed suum splendorem fata everterunt, flumine tantam limi copiam in portum ingerente, ut totus fuerit obstructus. Sicque in tenuem vicum abiit Emetha, nomenque immutavit in *Westernda.*

1220. visse, & ultrà se in probatione deficere, venit diluvium, & operuit subitò totam terram, & mansionem virginum & sororum suarum, & submersit oves, & boves, & universa pecora earum, & ventilata sunt per direptionem procellarum necessaria, quæ usibus earum præparata. Quid facerent illæ agniculæ numquam expertæ talem cladem? Cœperunt quærere tutam stationem, & se connexis manibus tenere gregatim, confiteri ad invicem, & psallere, & ad exitum præparare. Sed in illo articulo periculi non aderat Præpositus. Cumque domus illa, in quam conscenderant, cujus columnæ in terram minimè defixæ erant, jam ictibus procellarum dissiparetur, divisæ sunt ab invicem, & pars conscendit oratorium, pars altera domum australem, & statim domus post fugam earum stare ultrà non valuit. Porrò ex collisione trabium fractæ domus, rumpebantur partes alterius, & tunc præparabant se, & animas suas Deo commendabant, connexæ manus & mentes, & aquæ inundaverunt in altum, & ecce confortatæ sunt subitò, & stabant simul, & domus valde debilis pondere earum, immobilis reddebatur & firmior. Sanè Deus pepercit oratorio misericorditer, quòd propter sui eminentiam facilè potuit expugnari à ventis, propter semetipsum, & serenissimam Virginem matrem suam, & ancillas suas. Et fugit mare. Et cœperunt sese nominatim inquirere & clamare, & tandem, convenerunt, & gratias egerunt Deo omnium redemptori. Hanc vastationem nequam spiritus quodam præludio multis antè hebdomadibus prænunciarunt, & constat nimirum, sicut testatur egregius Doctor Augustinus, quòd aliquandò nequam spiritus, quæ ipsi facturi sunt, prædicunt. Accipiunt namque potestatem, aërem morbosum reddere. Aliquandò non quæ facturi sunt ipsi, sed quæ signis naturalibus futura pernoscunt, prædicunt. Nam cum memoratæ sorores in domo Australi, quam præfatus sum, in quâ erat refectorium, quodam vespere ad bibendum consedissent, subitò paries tribus ictibus vehementer percussus alto strepitu insonuit, & sic secundò & tertiò, dein multis locis, & multotiens. Et confirmatæ sunt ancillæ in Christo, & tandem fide cordis animatæ contrà phantasiam surrexerunt, & more solito potum cum gratiarum actione terminarunt. Porrò fratres per ignem, & aquam examinati valdè facti sunt pusillanimes, & si quispiam quantumlibet verè testificaretur eis, quòd possent in tantâ perturbatione perseverare, nulla-tenùs crederent, nec affirmarent. Sed fidelis est Deus, qui *non patitur quenquam temptari suprà id quod potest*. Occasionem tamen hinc ostendit suis consilii, & auxilii ad habendum necessaria in durâ afflictione, ad innovandas domos novas & veteres, ad emendum granum, ad construendas grangias, pro subsidio fratrum & sororum Christi. *Et apud Dominum misericordia & copiosa apud eum redemptio.*

Magnanimus igitur erat in colligendis fratribus, sicut qui paratus erat omni si posset petenti tribuere, sed de iisdem in melius mutatis meruit lætificari, & in grangiis instituendis, & domibus construendis. Veruntamen sibi suspectus erat, ne quòd foris rectè agebatur, intus profuturum cenodoxiæ, mercede vacuaretur, & intrinsecùs quâdam molestiâ premebatur propter malitiam temporis, cujus similis non erat comperta ab annis pristinis, quia universa usibus humanis necessaria in summo erant pretio, & pretium eorum quasi nullius pretii reputabatur. Denique in simplicitate suâ sententiam fratrum expectabat, & semper extorsit ab eis honesta & ne-

cessaria. Proindè cum staret ad laudandum Deum inter psallentes sono multitudinis mulcebatur, & erupit aqua de oculis, & lingua palpitavit verba intercisis suspiriis, & exultavit spiritûs ejus in Domino, dicens Deo: *Pasce agnos tuos, non meos, ut quid voluisti me dici pastorem? timentibus te nihil deest.* 1220.

Famosum Diluvium in Frisiâ.

Anno gratiæ CIϽCCXIX. noctu Beatæ Julianæ Martyris anno III. Honorii Papæ tertii, mense Januario, die mensis XVI. lunâ ipsius diei XVII. die Paschæ, VII. idus April. Dominicali litterâ F. die inquam Januarii XVI. Cum aliquot diebus præcedentibus spirasset Africus, sed non immoderatè, die præfato plus solito invaluit à manè usque-ad vesperam, sed præcipuè, ut visum est, ab horâ nonâ diei invaluit, qui ut asserunt nascitur è refluxionibus Oceani vergentibus ex Occidente & Oriente, & concursum facientibus in latere Australi. Frigidus autem & siccus erat secundùm tempus, quod per diem naturalem quadrifariè secundùm Philosophos dividitur. A mediâ parte noctis usque ad mediam diei, calidum & humidum. A mediâ diei usque ad mediam ejusdem, calidum & siccum. A tertiâ diei usque ad tertiam noctis, frigidum & siccum. A tertiâ noctis usque ad tertiam ejusdem, frigidum & humidum. Verùm per intervalla grandinem cum magnâ acerbitate projecit, quia calor solis in alto erat, qui guttas attraxit, sed frigore constrictæ in grandinem sunt versæ. Et his jaculis ille cruentus Africus armatus, miseros tam mari quàm in terrâ afflixit crudeliter. Cumque homines pro defendendis domiciliis suis plurimùm usque ad solis occasum & ultrà laborassent, & furorem Oceani minimè formidassent, jam horâ dormitionis securitatem qualemcumque promittente, illicò Choro cruentissimo, crudelis cessit Africus collaterali zephyri à Septentrione. Et quia mare funditùs motum fuit per Africum, Choro ruente effluxit, & effusum est multis voluminibus, & citatiùs more bullientis aquæ, & obtinuit præcipuè maritimas Frisiæ, & more repentinæ mortis invaluit, & attraxit pauperum domicilia, divitum domos indomitè aggrediens, sicut quidam dixit: *Mors æquè tuguria & turres Principum ac divitum pulsat.* Cumque aliquid resisteret, eò ampliùs furor arma nocendi exacuit more humani ingenii assiliendo recurrens, relabendo fugiens, donec crebris assultibus ipsas domorum columnas effodiendo & frangendo evulsit. Dum igitur horâ dormitionis securitatem, ut dictum est, promisisset, & subitò violentia maris ampliùs invaluisset, & quasi per spatium unius horæ noctis ascendisset, cœperunt miseri mortales fugere, & scandere domorum solaria, & prætereà trabium robora calcare, & fenestras pro tecto facientes tutissimum sibi refugium putaverunt non in tectis, sed super tecta commorari. Multi siquidem volentes, sed non valentes tempestati resistere, & res perituras defendere, perierunt, quos violentia currentis aquæ in terrâ subsistere non permisit. O dolor & gemitus videre homines tanquam natatilia maris inter fluctus jactari, videre miseros aliquot sudibus compressis & substratis sibi, vel fœno & stramentis, quo trahebat vis maris, sine navi navigare. In quo diluvio millia virorum, mulierum, & parvulorum perierunt, & Ecclesiæ destructæ sunt.

Sanè diluvium diei Mercurii in tertiâ parte feriæ ascribimus, quia dies à vesperâ in vesperam computamus, ut sic Hebræi à manè in vesperam incipientes, secundùm quos dies præcedit, & nox sequitur, nam mysticè à luce in tenebras definit, mirùm in modum, cum secundùm Philosophos de

1220. xxiv. horis feriæ tertiæ præcedentis feriam quartam, luna teneret horas secundam, ix. xviii. xxiii. secundùm quas, ut asserunt, mare movetur subitò, nec hora diei ix. nec hora noctis xvi. sed quasi confusus, quasi in medio horarum suarum irruit cataclysmus, & legis suæ oblitus est Neptunus, ut eò atrociùs Deo permittente, contrà incautos insaniret. Manè facto cœpit sævire Africus, & miseros mortales submersos cum cæteris animalibus, quasi gremio terræ immeritos eventilare, cui accedente vesperâ, restitit Aquilo à Septentrione. De singulis horis singulis planetis in uno die deputatis sic dicunt. In die Lunæ prima hora de xxiv. horis, quæ sunt in die naturali, deputata est lunæ, sex sequentes aliis planetis. Item viii. est lunæ, vi. sequentes aliarum planetarum. Item xv. est lunæ, vi. sequentes aliarum planetarum. Item xxii. Lunæ, xxiii. Saturni, xxiv. Jovis, xxv. Martis, & illa est prima hora sequentis diei. Undè illa dies dicitur Martis. Ordo verò planetarum hic est, Sol, Venus, Mercurius, Luna, Saturnus, Jupiter, Mars, de hujusmodi dixit Poëta:

Felix qui potuit rerum cognoscere causas,
Undè tremor terris, quasi si maria alta tumescant
Obicibus ruptis, rursusque in seipsa revolvant.

Augustinus de his: non est curandum Christiano, si ignorat de illis rebus, quas Philosophi se invenisse existimant, quia nec ipsi omnia repererunt. Quædam humanâ conjecturâ investigantes, quædam historicâ sapientiâ scrutantes, plura opinantes potiùs quàm scientes; satis est Christiano rerum creatarum sive cœlestium, sive terrestrium.... nec non bonitatem credere creatoris, qui ventis imperat & mari, & misericordiæ non obliviscitur, parcendo & servando incolas terræ, quandò in quarto septenario lunaris temporis illam violentiam permittit ebullire. Primo namque die nascentis lunæ primi septenarii, Oceanus copiosior esse videtur, quia aër in aquosam substantiam transit, lunâ nihil caloris habente, & proficiente lunâ, proficit calor, & minuitur mare, humore nimirum aëris desiccato per calorem accensionis usque ad vii. diem. Post eundem diem paulatim ebullit & crescit Oceanus, & tantùm videtur facere calor, quantùm videbatur facere humor. Secundùm opinionem Philosophorum diluvium fit ex elevatione & depressione stellarum, ut si omnes planetæ simul eleventur plus solito à terrâ remotæ, minus de humore consumunt, undè humor excrescens per terras se diffundit, & fit diluvium. Si vérò omnes simul deprimantur, ex vicinitate terras adurunt. Et propter hanc inæqualitatem contingit terrena, modò diluvio, modò incendii adustione finiri.

Signa ergò causam esse futurorum crediderunt Gentiles, quia, ut dicit Beatus Augustinus, superiorem cæteris omnibus causam esse voluntatem Dei, videre non potuerunt. Voluntas namque Dei prima & suprema est causa omnium spirationum & motionum, quæ & propter raritatem mira videntur. Hæc est sola, undè ortum est, quidquid est. Sed & sidera vel stellæ sunt in signa tempestatis vel serenitatis, sicut de ortu Jubilei dicit Magister in historiâ Ecclesiasticâ, qui ab hoc instituit annum quinquagesimum, quia Abraham peritus erat in astris, & noverat, quòd intemperies aeris, quæ fit ex elevatis vel depressis planetis, semper usque ad L. annos ad temperiem redeat, & quod vidit fieri in astris, voluit fieri in terris. Contingit autem diluvium propter scelera hominum, quia scriptum est, quòd

sub

ſub Noë filii Cham abutebantur uxoribus fratrum ſuorum, nimiis forni- 1220.
cationibus, iratuſque Dominus peccatis hominum dixit; *pœnitet me feciſſe hominem, delebo hominem, quem feci, diſperdam eum cum terrâ, videlicet omni fertilitate terræ:* terra enim vigorem ſuum in fertilitate perdidit per diluvium.

Hæc & his ſimilia in ſcriptum redegit ſibi ſoli, ad contemplandum jugiter magnalia, & mirabilia, & terribilia Dei, quæ fecit, ſed & tibi, ô lector, ut admoneantur ſinguli ſuper petram & in alto cum ſapiente domos ſibi ſtabilire, ut firma faciant domorum ſuarum laquearia. Et ſi quando Dominus Sabaoth cœperit maritimas Friſiæ quaſi per ſervum ſuum flagellare, & permiſerit ventos ruentes validos, certos nuncios interitûs, Africum & Evrum, ſursùm cor habeant, & peccata ſua antè ſe ſtatuant, & ex tunc tutiora, & altiora loca aſcendant, neglectis rebus perituris, quæ juſto Dei judicio neceſsè eſt amittere, ſed cùm dolore, quo tanquam in fornace vaſa figuli torquentur mortales. Ecce talem ſtragem attulit furens Oceanus, vicem faciens Totilæ & Theoderici; qui perſecuti ſunt Eccleſiam Dei, peccatis hominum exigentibus. Sed adhuc iratus erat Altiſſimus, & reſiduum maris, fames flagellavit & peſtilentia, juxtà comminationes Prophetarum, qui ſemper populum rebellem ac peccatorem vel ne pereant à facie gladii, famis, & peſtilentiæ, terruerunt. Undè Davidi dictum eſt à Nathan:

Ecce trium rerum tibi Rex datur optio: Septem
Annis vexabit teque tuosque fames.
Aut tribus inſtantes patieris menſibus hoſtes,
Aut tres vexabit peſtis ubique dies.

Erant quidam blaſphemi; qui in labore hominum non fuerint in cacuminibus villarum conſtituti, & ſylvarum accolæ, in quorum terminis quaſi unius horæ incurſus, quia non erat niſi unica maris æſtuatio, licet multùm aucta incrementis, quibus tot millia ſtravit, ut civili prælio, rabies Oceani, & mitigata receſſit, & ideò illi habundantes, panem pauperibus & annonam indigentibus negaverunt, ſicut olim Idumæi, aquam Iſraelitis. Et iſti res alienas ex inundatione rapientes ut proprias cum gaudio amplexati ſunt, & creatis juſtitiariis pro reſtitutione earum, malitioſe abſconderunt.

In illâ maris inundatione accidit, cum hinc indè aggeres diſſipaſſet, & quaſi irrecuperabiliter deſtruxiſſet ſecùs *Emeſam* circà terminos fratrum, & multi depauperati deceſſiſſent de finibus illis, quotum erat reparare, quod mare crebrò aſcendit priſtinos terminos repoſcens, & facta eſt querela ab incolis ſex villarum, quorum patres immunes erant operis illius, ut fratres *Floridi-Horti* ex parte ſororum ſuarum, & alii pauci ad reparationem compellerentur. Et circumvenerunt Conſules illius anni, & contrà reſponſum eſt, omnes ad onus teneri, quia quorum erat reparare urgente neceſſitate, receſſerant, & ideò agros fratrum & aliorum quorundam non debere immoderatè onerari, vel etiam magis, quàm ſingulos ſex villarum, quod eſſet fraternæ compaſſionis, & publicæ utilitatis. Undè factum eſt, ut cum viderent per fratres impediri, graviter minati ſint, & communitatem eundi & ducendi per vias etiam publicas auferre conati ſunt. Cum ergò tanto periculo fratres ſe expoſuiſſent, factum eſt mirabiliter, quòd majores de ſeptem villis mari conterminis, ſtatuerunt convenire, & convenientibus eis continuè elegerunt juratos, qui pro utilitate & neceſſitate inſtantis periculi

1220. justam dictarent sententiam; nam jam consules anni dissimulabant tale negotium diffinire, & partibus citatis talem dederunt sententiam: quòd omnes agri æquo onere propter necessitatem in reparatione aggerum respondere deberent. Qui volentes efficacem forè sententiam, quoniam pars altera nondum consensit, collecti in unum spoliaverunt rebelles. Qui sequentes spolium vulneraverunt unum letaliter, peccatum cumulantes damno. Et sic fratres per gratiam Dei cum triumphantibus triumpharunt.

Pro violentiâ verò Frisiæ oppressione per subitam maris diruptionem, multas secùm causas pertractabat, quod licet multis religiosorum conventibus sit insignis, qui pro affectu, pro eâ indesinenter supplicant, quia tamen numerosâ hominum multitudine, est elata, & libertate, quæ res est inæstimabilis, & pauperum & divitum ditissima, animalium quoque copiâ, pascuis, & fructuum fertilitate opulenta, & jucunda, forsitan in oculis Altissimi pro tot & tantis bonis rea arguitur ingratitudinis, & convincitur judicio diluvii, famis, & pestilentiæ, ne innoxia sibi videatur, sed ut reatum suum agnoscat, & abominationes suas, & præcipuè illorum, qui deberent esse sal terræ, saporem sapientiæ, & lucem scientiæ, in salsuginem convertunt & tenebras. Undè posita est terra in salsuginem à malitiâ inhabitantium in eâ. Ibi ordinantur presbiteri sine certo titulo contrà illud *dist.* 70. Ferri candentis purgatio non aboletur contrà illud II. *qu.* 5, *abolenda.* Ecclesiæ constructæ hinc indè in Episcoporum potestate non sunt. Clerus Ecclesias ingreditur & non ædificatur. Dotem Ecclesiæ auctoritate propriâ disponunt, vel vendunt laici. Nummi pro chrismate extorquentur, contrà illud in *Extravagantibus primis de Simoniâ.* Ecclesiæ jure hæreditario à filiis Sacerdotum possidentur contrà illud VIII. *qu.* 3. Presbiteri & cæteri altaris ministri ex oblatis convivantur, & tabernas intrant, contrà illud *dist.* 44. Conjugati sacros ordines capiunt, & beneficia Ecclesiastica, & conjuges conjunguntur contrà Decretales *ff. de cleric. conjug.* nec res, quas acquirunt, post ordines, Ecclesiis, sed liberis suis relinquunt contrà illud *de pecul. cler.* Peccata igitur Sacerdotum & altaris ministrorum maxima sunt propter dignitatem officii, ut dicit Dominus Innocentius Papa, & propter perversitatem exempli, & scitur quod multa sunt venialia laicis, quæ mortalia sunt presbyteris. Eis enim datum est nosse mysterium regni Dei, & claves regni cœlorum, & panem & vinum consecrare in corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi. Sed heu in diebus nostris sine examinatione & indignè manducant illud, non enim vivificationem, sed judicium manducant, nec advertunt, quæ advertenda sunt in ipso, & ideò sine reverentiâ quasi ad alium cibum accedunt. Ideò multi sunt infirmi, incognitis videlicet febribus, & imbecilles, in longas, & incurabiles infirmitates incidentes, & dormiunt in morte, quia ex his contingunt mortalitas, fames, diluvium. Sunt etiam qui consideratione velut mundi, ad corpus & sanguinem Domini accedunt, manentes tamen in criminali, vel impœnitentes in veniali, vel manentes in voluntate peccandi. Ideò rei efficiuntur corporis & sanguinis Christi, nec ipsas negligentias, quas in tractando, sumendo, servando admittunt, emendare maturant, non attendentes & peccatum & periculum totius Ecclesiæ esse quod delinquunt.

Laici etiam oblationes, primitias, decimas ad cumulum mutuæ damnationis non persolvunt, quæ danda sunt ministris Dei, non servis Dæmo-

niorum. Olim in populo Judæorum fiebant decimæ frugum Levitis. De 1220.
his Levitæ summo Sacerdoti decimabant, de quo panis propositionis. Item x. partes decimabant decimarum, ex quibus in anno Jherosolymis se procurabant. Item ad opus peregrinorum decimabant de illis, sed nihil retinebant. Decimas solvere est de jure divino, undè & antè legem, & in lege solvebantur. Quod Adæ in extasi ostensum est, ut ostendatur initium & finem boni esse à Deo. Item decimam damus & novem retinemus, quia omnis imperfectio à nobis est, ut ostendamus nos ex illis esse, ex quibus decimus ordo Angelorum replendus est. Primitias tamen recompensat Ecclesia, per processiones & oblationes cotidianas, & jejunia quatuor temporum. Sacerdotes mortaliter peccant, quòd non prædicant minutas etiam decimas esse persolvendas. Sed omnes laici tenentur in generali decimas persolvere, undè Beatus Augustinus: *si tu decimam non dederis, tu ad decimam revocaberis.* Ideò penuriam patimur. Decimæ sunt, teste Augustino, tributa egentium animarum, & pro eis Deus dat salutem corporis & animæ. Sed & verum est, quòd Deus nulla peccata impunita dimittit, nec homo pœnitens, non punitur. In medio nationis pravæ impediuntur electi, qui si effectum censualem capiunt, inflammantur contrà illos laici, & fiunt quasi jumentum irrationabiles, terrena quoque immoderatè ambientes. Sed utinam sint apud te Deus, quando est à te solo gratia, quam negligunt plurimi.

Hic seipsum accusabat, & timebat periclitari ex participatione rerum etiam licitè acquisitarum, quas afferunt sæculo abrenunciantes, quandò monasterium ingrediuntur, & examinabat utrobique intentionem sui suscipientis, & alterius offerentis, ne forte vitio Simoniæ corrumperetur. Simon olim sua optulit, spiritualia emere volens, & de emptis gloriam & lucrum habere. Verùm sua dare licuit, emere thesaurum & margaritas, quod est virtutes, Deus jubet, sed non secundùm intentionem Simonis, qui in iniquitate volens remanere, quæ justis debentur, appetiit possidere, undè Deum justum probavit. Pecuniam quoque Spiritui Sancto coæquavit, & Deum cupidum comprobasse arguitur. Porrò quia in pravitate voluit perseverare, & pecuniam Spiritui Sancto parificare, respondit Apostolus, *pecunia tua tecum sit in perditione*, innuens, quod primitùs unusquisque seipsum & deinceps res suas debeat Deo offerre. Quod verò religiosi faciunt, qui projectis veteribus pilis & cornibus currunt ad fontem aquæ salientis in vitam æternam, non ambientes celsitudinem, sed carcerem, deferentes secùm debitum bonorum suorum subsidium, gratis accipientes spiritualia, chori introitum, fratrum communionem, orationum participationem, ut ministrent pro suo ordine in psalmodiâ & hymnis, & divinorum celebratione. Carceres enim Ecclesiæ, sunt monasteria, vincula pœnalia, & excommunicatio. Nam si etiam quispiam spem habens & promissionem, ut Abbas fieret, ut dicitur 16. *qu.* 5. *per laicos*, ambitiosâ mente & cum munere ingrederetur, pro hujusmodi delicto, in monasterium detrudendus esset, ut habetur 1. *qu.* 1. *reperiuntur*, sed cum non exprimatur in quod detrudi debeat, in illud quod visum, detrudi potest, & erit ibi, ut in ergastulo, ablatis ei, quæ sunt honoris, & quæ sunt oneris, remanentibus.

Disputabat adhuc de peccato illius Magi, volentis spiritualia emere & vendere, & vendendo gloriam & lucrum optinere. Qui dum pro spiri-

1220. tuali gloriam voluit usurpare, Deo, cui debetur gloria, se voluit parificare, quia auctoris sui gloriam negare convincitur, quisquis sibi tribuit, quod operatur, & dum propter spiritualia, pecuniam intendit accipere, creatoris cultum, creaturæ attribuit, in eo idololatriam incurrens, & Deo cultum auferens, sacrilegii crimen non effugit. Porrò ipse testimonio conscientiæ suæ, fixum habuit, nichil prorsus horum unquam intendisse. Unde & sperabat & præsumebat de illo inspectore desiderii, reatum non habere. Non enim venditur in claustro quicquam à Prælato propter sua, vel privata lucra, quod condemnat Canon. Undè magister Simon Tornacensis arguit illum duntaxat Simoniam committere, qui lucrum proprium captat. Et sic ut dicitur XII. *qu.* I. *futuram.* Beatus Hilarius autem parentibus omnia dereliquit, aut vendita erogavit, ipse tamen factus Episcopus Ardatii (*Pictavii*) quæ illa Ecclesia tunc habuit, non solùm possedit, sed & acceptis nervosis fidelium hæreditatibus ampliavit. Licuit ergò religiosis & res & rerum stipendia cum illis, qui ad monasterium veniunt, recipere sufficientia ad corporis procurationem. Similiter habetur XVI. *qu.* I. *de lapsis Sacerdotibus*, qui si parentes habeant, res eorum legitimè parentibus tradantur, ita tamen ut eorum stipendio, qui in præsentiâ dati fuerint sufficienter procurentur. Sed propter temporalia non licet allicere simplices, qui illecti fuerint, & comam deposuerint, in eo, quod cœperunt perseverent, & res eorum hæredibus reddantur, propter occasionem mali & præsumptionem. Pro ingressu monasterii quia spiritualis est, non licet aliquid exigere, compositio tamen consecutivè & temporaliter expetitur. Solita erat dati pecunia pro ordinatione Pontificis; id est, quandò ordinabatur, sed nihil est extorquendum. Qui verò promisit, solvere tenetur. Quare Ananias optulerat, quicquid habuit? postquam idem retinuit, & fefellit, quia habuit, mulctatus morte. Ergò si licuit non solventem morte punire, licet promissum solvendum exigere. Magister *in verbo abbreviato*: contigit, quòd aliquis accedens ad claustrum dicat: *offero me & mea huic Ecclesiæ, vel Monasterio ad serviendum perpetuò.* Si sine distinctione recipitur; sanus erit ejus ingressus, si non plura quàm oblata ab eo, exigantur. Si distinguitur inter illum & sua, ut scilicet ille sit causa, quare sua recipiantur, sanus erit ingressus & licitus. Si autem distinguatur inter illum & suâ, ut suâ scilicet sint causâ, quare recipiatur, vitiosus erit ingressus. Si autem monasterium eguerit, ita quòd offerentem se illi sine pecuniâ recipere non possit, vel sustentationem spiritualem & fraternitatem concedat, rem corporalem, vel in exceptionem paupertatis suæ, & in sustentationem vitæ illius potest exigere, ut recipiat temporales redditus, quibus sustentetur dum vivit. Quòd si perpetuos exegerit, jam manifesta cupiditas vitiosum facit ingressum. Ex his autem liquet non debere construi monasterium, sine certo numero agrorum, pecorum, & personarum. Cum enim alioquin augmentum susceperit non-nisi difficilè laqueos cupiditatis & Simoniæ vitare poterit.

Item peccatum est, si in recipiendo canonicum, vel monachum pecunia intervenit, nisi, ut dicit Magister, fortè fuerit oblata. Similiter sub conditione & permixtu contractûs, si quis se & sua reddit Domino. Potest tamen non esse pecunia. Quid enim si dicat Prælatus: benè recipimus te, si vis, sed hìc non habes, quod comedas, nisi tecum ducas, quia nec nos

nos habemus, quia nec nostra nobis sufficere possunt. Argumentum simile 1220.
de Simoniâ *Tua nos*.

Consuetudo etiam in multis est Ecclesiis ubi numerus taxatus est monachorum vel canonicorum, si superveniat aliquis qui aliquam portionem sufficientem ad præbendam instituendam offerat, admittitur, & approbatur institutio talis, quæ contigit de facto in Ecclesiâ Parisiensi, consentiente toto capitulo, recepto cantore. Item Magister Bartoldus: si paupertas monasterii sit in tantùm, ut aucto numero personarum necesse sit augere patrimonium, ibi statum loci, introitum petentibus significare non improbamus. Quidam plus dicunt, etiam taxationes & rei pretium imponere licere, in hoc casu habentes, quæ tueantur suam opinionem, cœnobitarum consuetudines.

Undè si constiterit monasterio omnia bona, quæ habet, acquisita per simoniacum ingressum omnium ibi commorantium, credimus esse distinguendum, quòd locus aut est carceris, aut voluptatis. Si carceris, non oportet tamen monachos exire, quia arctiorem non invenirent locum vel carcerem. Undè ipsi non emerunt honorem, ut dictum est, sed onus, & ideò doleant, quia extraordinariè introierunt. Bona verò illorum sive mobilia, sive immobilia, in manus alicujus personæ, Ecclesiæ resignata, per eandem possunt eidem Ecclesiæ, sicut & aliis conferri. Si verò claustrum voluptatis, sicut regalium monachorum, videlicet Urbana claustra, tunc quia non onus, sed honor emptus est, omnes statim abscedant. Si verò mixta sint omnia & confusa, tum, sicut dicitur, in Ecclesiâ assumant ventilabrum, & mundent aream claustri & conscientiæ, ut dona fornicatoris & raptoris rejiciant, & grana scilicet pura & munda sibi assumant. Sed si non poterunt, quia nesciunt, quæ sint de granis, quæ de paleis, faciant, quod possint æstimare, & nihil, quantùm in se est, omittant de contingentibus. Si autem omninò in hoc est aliquis solus, & resistere non potest, sequatur conscientiam.

Sanè adhuc meditabatur, si tanta perplexitas in participatione rerum licitè acquisitarum, quantò plus vinculi in oblatione & communicatione rerum illicitè acquisitarum, cum quibus plerique accedunt, qui titulo usuræ divitias accumulaverunt, sicut prædiximus, quia acquisitio illicita dinoscitur in acquirendo & retinendo, ut potè furtis, usuris, & simoniacè acquisitis. De quibus, ut quidam dicit, eleemosina vana est, imò nulla est. Porrò ex dictis Sanctorum intelligebat, quia bona talium, qui in iniquitate pristinâ præcipuè volunt permanere, non congruit religiosis recipere, non quòd pecunia sit in perditione, sed quòd mala eorum videntur ex tali deceptione sequi, & illi ex his magis confirmantur in iniquitate, & infirmis fratribus scandalum ex hoc generatur, de quibus Beatus Augustinus: nummi tui convertuntur in bonum, & tu remanes malus. Rectè quidem offertur, sed non rectè dividitur. Sic etiam Beatus Augustinus XIV. *qu.* 5. videtur reprobare eleemosinas omnium avaritiam sectantium, dicens: *fideli totus mundus divitiarum est, infideli autem nec obolus*. Nonne omnes, qui videntur sibi gaudere de acquisitis, eisque uti nesciunt, alienum possidere convincuntur. Omne igitur quod malè possidetur, alienum est. Malè autem possidet, qui malè utitur. Ex quo videtur, quòd eleemosinam non posse hinc fieri dictum sit, tantùm in odium usurariorum, vel avarorum. Usurarius quippe non est dominus fœnoris pecuniæ de æquitate, peccat in

1220. Deum & in proximum contrà illud : *in sudore vultûs tui vesceris pane tuo.* Primùm ex usurâ, ut dicitur XIV. *qu.* 5. eleemosina fieri non potest, sed refundere debet eam ei, à quo accepit, ut dicitur ibidem. Si non sit, dabit hæredibus. Si non sint hæredes, dabit pauperibus. Et transfertur dominium in pauperes, auctoritate juris; non facto refundentis *tit. de usur. cum tu.* Et si cœnobitæ aliqui pauperes essent, possent possidere titulo ex donatione, quia jus eis donavit. De quibus Beatus Augustinus : *nec prodest dispergere pauperibus, & pauperem fieri, cum anima misera superbior efficitur divitias contemnendo, quàm fuerat possidendo.*

Movebatur quoque ex eo, quòd pecuniam Ecclesiæ dederat cuidam adversario, qui violenter voluit ipsam supplantare Ecclesiam, quam veraciter à majori & saniori parte patronorum collatam sibi tenuit, & à diœcesano confirmata fuit, & ritè possessa; & legit; quòd causarum decisiones etiam in re dubiâ & pro lite incertâ fiunt plerunque in spiritualibus aliquo dato, vel retento, vel promisso, & advertebat disquisitionem hanc utilem esse propter scrupulosos fratres, & propter æmulos eidem oblatrantes. Fit igitur litis decisio, vel transactio, aliquo dato; aliàs in personis *ut c. generalis*, ubi dicitur, quisquis serviles personas putaverit non esse restituendas, nisi de voluntate Dominorum, testimonio subscriptionis absolutas, vel legitimâ transactione concessas, periculum non se ambigat proprii honoris subiturum. Item fit in rebus Ecclesiasticis, ut habetur XII. *qu.* II. *quod si necessitas optulit* &c. ut aliquid rerum Ecclesiæ distrahatur, apud duos Episcopos causa probetur, & sic quæ facta fuerit venditio, vel transactio corroboretur. Item in criminibus maximè injuriarum XXIII. *qu* IV. *si illic*, ubi hæc acta sunt, supplicatione susceptâ constiterit eum, qui malè tractatus est, ignovisse, semel in ablatione remissâ punitio recidivo dolore non debet iterari. Item pro vexatione XXIV. *qu. ult. Tributum.* Item *ext. tit. de Simon. Matthæus*, ubi non præcipit Papa dimittere administrationem, qui quid dederat pro suâ vexatione. Item pro impenso beneficio XII. *qu.* 2. *quicunque.* quicunque Episcopi suffragio cujuslibet aliquid Ecclesiasticæ utilitatis providerint, & pro eo quodcunque commodum in remunerationem promiserint, promissi solutionem eos exsolvere oportebit. Ecce in tot casibus solet celebrari transactio. Sed in re spirituali transactio fieri cum temporali non debet, sed dicam quòd in re spirituali intrinsecâ & extrinsecâ fieri possit transactio. Si enim veraciter quisquam probaverit, vel sciat se justè possidere Ecclesiam, licitè daret rem aliquam extrinsecam. Quippe unicuique licet jus suum redimere, sicut dicitur I. *qu* 3. *quæsitum*, quod si credat tantùm se justè possidere, potest partem redituum auctoritate superioris concedere, quia si rem extrinsecam daret, posset esse emptio. Igitur dantur munera pro re spirituali adipiscendâ, & malè I. *qu.* I. *per tot.* pro recuperandâ quoque, illicitè; ut I. *qu.* I. *nullus.* pro eâ retinendâ licitè ut I. *qu.* 3. *quæsitum.* porrò si justè possides, & non potest adversarius cogi per censuram Ecclesiasticam, detrahendum est severitati; ut habetur *d.* XXXIV. *fraternitatis.* Is autem potest, qui commodè potest. Tunc demùm dare pecuniam non est vitiosum. Sed secundùm Augustinum licet projicere pecuniam, & emere tibi pacem.

1221. Anno conversionis ejus XII. bissexto intrante, lunâ XXVI. II. septenario lunationis, octavâ Innocentium, Dominicali litterâ E. facta est horrenda

maris diruptio, & multis metuenda in horrore crepusculi. Sed quamvis in 1221. multâ profunditate æstuavit, non æquo molimine delevit homines ut anteà, quia terminos maris nondùm occupare ausi sunt, ut olim. Anno eodem D. Theodoricus Episcopus tertius intravit partes Frisiæ. Qui cum multis veniens, multis eguit, & dixit ad se pertinere quæstum Sinodalem negotiorum illius anni, cujus ipse tenetur facere visitationem, & sic pertransivit etiam Emesgoviam (*Embde*) qui bello concertaverant diuturno, & suasum est illi, ut pro bono pacis se interponeret, & non audierunt eum. Tellus mater vix pro compensatione laboris & seminis, ordeum germinavit, & constabat, quod ira Dei nondùm fuit aversa, & non restabat nisi orare, ne declines in irâ à servis tuis Domine petentibus nobis æterna & temporalia: Scimus Domine iratum te esse; quia tollis temporalia; sicut cum faciem tuam avertis à quærentibus æterna.

Anno conversionis ipsius xiii. in iv. septenario lunationis; cum hyems 1222. secundùm naturam piscium versùs finem suum magis humida; aquis videlicet pluviis, & minùs frigida fore debuisset, spes tamen fefellit. Nam die præfatâ cum aliquot diebus præcedentibus dirupit aggeres Neptunus; & totam terram replevit amaritudine; loca tamen status superiora deseruit, sed in inferioribus expatians ruptis obstaculis versùs sylvas moram fecit odiosam. Siccitas magna secuta est, collecta est messis ordei, quod debile fuit tam culmo, quàm aristâ, & tenuè. xiv. Kalendarum Octobris, lunâ xxix. effudit se Oceanus, & totam terram optinuit, & quæ sicca fuit paulò antè repleta est amaritudine. Eodem tempore Magister Joannes Xantensis, verbi Crucis prædicator, cum disposuisset stationes per loca, prohibitus est invidiâ Oceani.

Anno quoque Conversionis ipsius xiv. & in medio Januarii, magna rabies fuit ventorum, & circà aniversarium diluvii pristini sub titulo Beatæ 1223. Julianæ, undè rursus formidabant subversionem. Quid ergò utiliùs orent? nisi verba Prophetæ; *quo-usque irasceris super orationem servi tui? qui non inimicis, sed & factis servis tuis irasceris.* Orarent utique & dicerent, cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis amaritudinis. Transeat ira à servis tuis Domine, ne in æternùm damnemur. Scis enim quamdiu utilis erit castigatio, & tamdiu pascemur & potabimur hujus vitæ doloribus ad sufficientem eruditionem. Dicant ergò universi supplicando, quia in nos, ô Deus! à te nobis illatæ, non transierunt iræ afflictionis tuæ; sed adhuc terrores tui conturbant. Quia quod accidit accidere posse non imprudenter timetur. Promittit autem & facit Deus misericorditer tribulationem, nec alimentum subtrahit, sed desiderium movet, & misericordia suavis est patienti, sicut panis esurienti. Siccitas arefecit pascua. Herba ordei & avenæ brevis fuit & rara, sed silvæ abundabant siligine. Veruntamen si tellus irriguum superius suo tempore aliquot hebdomadibus habuisset; famem, frugum ubertate depulisset; decursis jam annis tribus, & mensibus sex. Hic est annus vii. ab incursu Orientalium Frisonum in Fevelgoniam in die Beati Laurentii contrà Rhodbernum, & generum suum & cæteros parentes, quorum domus incineratæ sunt & Consulum terræ ex parte. Contremuit tota terra propter Juratos quos Universitas Frisonum de more vetustissimo

1223. creaverat apud (*a*) Upstallesbome. Item hic ipse annus est, in quo vinculum societatis Fivelgoniæ & Hunesgoniæ (*b*) secundo nonarum Augusti penè scissum est, occasione injuriæ cuidam illatæ, instigante Eppone Rembada de Monemawalda (*c*) cujus domus incendio vastata est, & multi de parte Fivelgoniæ cæsi occubuerunt. Pluviæ verò in capite Kalendarum Septembris, & deinceps læserunt messem hordei, avenæ, fœni. Luna autem XIV. proximâ die post festum undecim millium Virginum facta est Eclipsis lunæ. In Augusto verò stella multis incognita flammivoma ab Aquilone apparuit multis noctibus, quam propter ignitos radios, quos sursùm spargebat, Cometam fuisse existimabant, quæ, ut dicitur, Regni mutationem, aut pestilentiam, sive bellum, vel æstus ventosque portendit. Undè quidam Poëtarum dixit:

Præpes sanguineo delabitur igne Cometes,
Prodigiale Rubens, non illum navita tuto
Non impunè vident populi, sed crine minaci
Nuntiat aut ratibus ventos, aut urbibus hostes.

Pluribus autem diebus quàm VII. visus est, sed nondum per LXXX. dicunt quidam, quod non sit stella, sed ignis, juxta voluntatem Creatoris ad aliquid designandum. De eo dicunt, quòd anno destructionis Jherusalem multotiens visus sit ad modum gladii bis acuti. Est autem attestante Davide Dominus in cœlo, qui revelat mysteria, mutat tempora, transfert Regna, ut universi cognoscant, quod dominatur Excelsus in regno humano, & cui voluerit dabit illud. De eclipsi dicunt, quod cum sol est in inferiori hemisphærio, luna in superiori, terra in medio, tumor terræ interpositus non patitur radios solis ascendere ad lunam, sed non-nisi in XV. lunâ, quia tunc est soli opposita, non tamen in omni XV. sed quandò contingit, in eâ contingit. Eodem anno, Summo Pontifici D. Honorio Papæ occurrit illustris Imperator Fridericus apud urbem Campaniæ de Latere, & illic cum Episcopis & proceribus Imperii de negotio Terræ Sanctæ tractâverunt, & in festo S. Martini Veronæ Concilium celebrare statuerunt.

Torquebat plerumque inquietum (*Emonem*) curiositas vanitatis inter prospera & adversa. Circà quæ dupliciter movebatur & appetitu & metu. Nam nec appetitum cohibebat, ut Deum gratis diligeret, nec clavus fortitudinis confixit metum, ut occultâ fide cum Prophetâ psalleret: *quoniam fortitudo mea* non in terrenis, *& refugium meum es tu*, in quo solo est securitas. Duo utique hi affectus quasi pedes curiosæ mentis. Alter fugiendo quid timet, alter eligendo quid appetit. De quorum ascensu & descensu terribiliter dicitur: ascendunt, Doctores videlicet Ecclesiæ, cum pro temporali habundantiâ, aut prosperitate religionis eriguntur contra Deum, & descendunt usque ad abyssos, gravitate peccatorum; & anima eorum in malis ascendendo & descendendo tabescit. Contra prospera autem & adversa interpellat Ecclesia caput suum, martyrum mota fortitudine dicens: ex eorum mutatione tribue nobis prospera mundi despicere, & nullâ ejus adversitate moveri. Hoc oraculo serò à somno concupiscentiæ excitatur & convaluit.

(*a*) Locus propè Auricam est in Frisiâ Orientali. Arboribus consitus, ad quas Frisii judicabant, & conventus habebant publicos. Undè & leges Opstalbomicæ, quas edidit olim Siccama.

(*b*) Husinge vicus Omelandiæ in proximis Husingiæ finibus.

(*c*) Vicus Fiuvilengiorum.

convaluit. Expertus est vires, vel potentiam animi detestabili sopore curiositatis enervari, sensum quoque imaginandi præsentia, præterita, & futura, intellectum quoque, quæ vis est cernendi & capiendi invisibilia, ipsam rationem, quæ vis est discernendi species & genera imaginum. Denique ipsam mentem concupiscentia aggreditur, ut fallat ambitione honoris ad gloriam, potentiæ ad superbiam, ad habendum & retinendum plus justò temporalia, etsi non in habitu & qualitate suæ mentis difficulter mobili, inflexione tamen favoris, vel detractionis, quibus quatitur mens, in despectu videlicet claustralium cæterorum, consummationem in omnibus, non tantùm virtutum exercitiis, sed rebus æquare contendit, oblita Doctoris egregii dicentis: Ille non est arundo vento agitata, quem à statûs sui rectitudine nulla varietas rerum flectit. Nam ut dicit Beatus Augustinus: in temporalium provisione Regnum Dei cogitetur, in militiâ Regni Dei temporalia non cogitentur. Hinc est quod orationis suavitatem, quicquid ex caritate non nascitur, multâ sollicitudine & occupationibus rerum, & negotiorum facit vilescere... Hæc advertit detrimenta & damna cancerosæ cupiditatis, & alia innumera. Sancti verò scientiâ pollebant, per quam res terrenas & negotia sæculi ritè disponebant, qui teste Beato Gregorio omnia simpliciter aspexerunt, & in his quæ viderunt rapacitatis studio non trahebantur. Intelligentiam quoque divinorum habuerunt, quæ oculum mentis illuminabat ad contemplationem æternorum, & sapientiam specialis jucunditatis de utroque provenientem, præsertim de arcanis Dei pleni erant. 1223.

Sanè testimonio conscientiæ gaudebat, & de Dei gratiâ præsumebat, quia stimulum timoris, & amoris Dei in corde suo postmodum sentiebat, sicut dicitur; ***Lætetur cor meum & timeat nomen tuum Domine***; Et recolebat jugiter detrimenta inexorabilis fragilitatis humanæ, & caliginem invincibilis ignorantiæ. Natura enim hominis & ad bonum se habet, & ad malum ex libero arbitrio, & arbitrium quidem, videlicet habilitas rationabilis voluntatis, ad aliquid esse potens dicitur, & ad aliquid infirmum, quia liberum est, & ad bonum & ad malum, & mala voluntas ex homine est, & à Diabolo, & ad aliquid infirmum, quia opus habet gratiâ ad eligendum bonum, & bona voluntas à Deo est. Siquidem bonis & malis Deus offert gratiam. Sed per hanc, nisi perseverat, nemo bonum operatur. In bonis perseverant, ubi jam incipiunt bonum & velle & operari. Et hoc in illis ex justitiâ Dei perseverat, non quòd ipsi boni vellent ipsi gratiæ adhærere, quia nec vellent nisi gratia perseveret. Sed quia Deus videt quosdam tales, qui si gratia adjuvans perseveret, ipsi gratiæ vellent adhærere, quod velle nunquam in actu posset haberi, nisi gratiâ perseverante. Ibi itaque conjuncta sunt misericordia, quæ obtulit, & justitia, quæ perseverare facit. Justum quippe est, ut gratia Dei non subtrahatur, quæ erat ei, si perseveraret consensus. Malis verò subtrahitur gratia ex justitiâ, quia videt Deus eos tales esse, quibus etiamsi gratiam conservaret, illi tamen arbitrii libertate nollent consentire, & oporteret gratiam, quæ neminem compellit, in illis ad bonum velle compellentem esse. Itaque simùl sunt subtractio gratiæ, & hoc malum velle & operari. Sicut in bonis simùl sunt gratia perseverans, & bonum velle & operari. Præscientia ergò Dei manet, quia gratia aspirans tales facit, quales providit. Gratia ergò secundùm justitiam, justitia autem ejus in filios filiorum, & justitia ejus sicut montes Dei. Et hi sunt justi, qui per justitiam

Ccccc c

1223. fiunt montes Dei. Sed ne quærat quis, cur quidam eligantur, quidam reprobentur, præveniens Propheta dicit: *judicia tua, abyssus multa*, videlicet inscrutabilis profunditas, & quam homo non attingit. Undè dicit Beatus Augustinus: cur Deus quosdam trahat, quosdam non, *noli investigare, si non vis errare.* Ecce descensus quasi ad inferos titubantis conscientiæ, sed, ô Deus! & si descendero ad infernum, ades. Adjuvit quoque dictum Apostoli quasi quoddam canticum ascendendi usque ad spem. Spe enim salvi facti sumus, & beatus est, qui habet eum in spe, qui est omne bonum. ait enim: *Gloriemur in tribulationibus nostris, scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem. Spes autem non confundit, quia charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Unde illud: *si sumpsero pennas meas diluculò*, videlicet geminam charitatem, quasi volaturus ad extrema mundi, etiam illuc ad extrema mundi *manus tua*, id est, virtus, *deducet me.* Charitas verò pro signo est Spiritûs Sancti, qui in mente est, illa, dico, quæ est *de corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ.* Siquidem ipsius animus movebatur frequenter cogitare severitatem, requirere emendationem vitæ, remedia animæ, diversos quoque articulos temperantiæ in rebus & personis, ut quasi diversis mansionibus more Hæbreorum ad terram pertingeret promissionis. Et voluntas, quæ bonorum esse dicitur, nam mali cupiditatem habent, urgebat operari principaliter propter honorem Dei, utilitatem proximi, in quibus teste sapiente quodam, constat cor purum. Porrò conscientia bona dinoscitur esse in pœnitentiâ & patientiâ. Denique patientia, omnium scilicet injuriarum remedium, quæ est in charitate, fructuosam facit pœnitentiam, quandò usus ejusdem pœnitentiæ vertitur in consuetudinem. Consuetudo quasi innovat naturam, ut possit ille dicere: *vivo, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Jam verò ad veterem naturam, quia similia de similibus dicuntur, pertinent illecebræ sensualitatis, secundùm quinque sensus, per quos oblectamenta hujus mundi influunt ad replendum appetitum carnalitatis & concupiscentiæ. At si comedit religiosus, dirigat motum ad hunc finem, ne deficiat in Dei servitio. Si esurit, esuries ejus ad hoc dirigatur, ut caro afflicta redigatur in servitutem. Patientia itaque per pœnitentiam ad serviendum Deo reddit hominem velut insensibilem, quòd fit spiritu consilii, qui intercidit flammam ignis, id est, somitem peccatorum, ut peccatum quod est in carne, jam non appareat peccatum.

1224. Anno conversionis ejus XV. VII. Kal. Feb. postquam Africus, & cum Zephiro Eurus imbres largos sparsissent, quos interim flatibus suis sursùm in aërem trahentes, & in nubes condensantes, de eisdem nubibus deorsùm projecerunt per nubes collisas, quæ ex aquis per ventos elevatæ & conglobatæ, de quibus venti iidem inclusi, ut asseritur, volentes erumpere magno murmure tonuerunt, & fulgura excussa micuerunt. Veruntamen ille solus sapiens & potens, cujus altum potentia, profundum sapientia, longum & latum veritas & charitas, novit plenè causam tanti terroris super terram, mare, & omnia quæ in eis sunt. Rumor fuit, terræ motum fuisse apud Brixiam civitatem Longobardiæ. De terræ motu dicunt, quòd venti concavis locis inclusi, qui de spiramine aquarum concipiuntur, qui & spiritus procellarum vocantur, dum erumpere gestiunt, terram tremere faciunt. Hinc fit terræ hiatus in locis fragilibus continuis aquis, quæ fa-

tilè rumpuntur. Hic autem in terrâ tremor, quòd in nube tonitru. Hic 1224.
hiatus, quòd in cælo fulmen.

II. Kal. Maji frustrà taurus prodiit, quòd agricolæ parùm opinati sunt. Quippe gelicidium & pruina terram concludens, insuper pluvia immoderata sinum terræ siccari non permiserunt, nec superficiem, & sic non minùs dulcis quàm salsa aqua fecit nocumentum. Ecce secundùm interpretationem Joseph super somnio Pharaonis, qui vidit boves obesas secùs fluvium, à macris totidem devorati; superfluitas aquarum adducit famem & multimodam miseriam, & adhuc manus Domini non est remissa, qui tamen populum sibi peculiarem, non-nisi post longam afflictionem, in quâ contradixere ducibus sibi à Deo præordinatis, suspirantes & dicentes, fætere fecistis nos coràm Pharaone, liberavit & liberare distulit. Qui secundùm Prophetam adjutor est in opportunitatibus, in tribulatione, sed quandò opportunum & salubre est, & quandò gratior est liberatio. Sperabunt igitur in te, qui noverunt nomen tuum, quod est, *Ego sum qui sum*. Ex his tuâ ope æquanimiter ferentes mutabilia, orabunt ultrà pro pace populi & Ecclesiæ, & pro peccatis suis orantes, parce Domine, parce populo tuo & Ecclesiæ tuæ. Utique etiamsi in continenti, quod peterent, acciperent, semper tamen rogandus est Deus, ne quandò perdat, & non debet esse fastidium petendi, ut largitas donatoris non habeat defectum. Accessit memorabile festum Assumptionis Beatæ Virginis, in quo post peracta Missarum solemnia, inundantiâ pluviarum, fossæ & depressa terrarum quasi lacus adimplentur, & campi in stagna aquarum conversi sunt. Et videres lacteas adhuc, cum jam regio alba deberet esse ad messem. Ecce elementa contrà peccatores pugnant. Cœli cometam miserunt, aër immoderatam inundantiam. Terra sterilitate, mare subversionis horrore triumphavit. At tu Christiane, qui afflictionibus erudiendus es, dicas: justus es Domine in disponendo, & justus es in operando. Miserationes tuæ super omnia opera tua, & ita super opera diaboli. Petiit fœni copia ex parte maximâ, & messis præcipuè vernalis latè per multas provincias. Arbores olim fructuosæ poma negabant, & vindemia diù dilata est. Ad hæc extendit manum suam Altissimus, ut eò feriret fortiùs in retribuendo.

Anno conversionis ejus XVI. bissexto intrante V. Id. Matt. vigiliâ Beati 1225.
Gregorii rusticus tellurem scindere, & fabam serere, debitis se armavit instrumentis. Negotiorum enim diversa sunt genera. Medicina bona est, quorum ordini convenit. Mercatura si tenuis est, sordida est. Agriculturâ nil melius, nil uberius, nil homine libero dignius. Circiter festum S. Gertrudis erexit se libisticum & lilium. Rediit temperies vernalis, & color campis præmortuus in ortu Arietis, decimo quinto Kalend. Aprilis croceos flores erexit, & salices foliis cœpit vestire. Idus verò Maij Magister Oliverius Groningam ingressus est cum magno favore totius populi feriâ IV. Deindè feriâ sextâ Bedum (*a*) stationem habuit. Proximâ verò Dominicâ Winchium, (*b*) ubi multos divites signavit. Pertransiit autem Fivelgoniam in tribus statio-

(*a*) Vulgò *Beem*, vel *Bedchem* vicus in Hunsingiis, Ecclesiâ collegiatâ olim insignis & martyrio S. S. Radfridi & Wilfridi inclytus.

(*b*) Aliàs Winsumum, & patrio idiomate *Winzhem*, ubi Dominicanorum extitit cœnobium anno 1276. ædificatum.

1225. nibus Lopperſum (*a*) Berumum, Fermeſum (*b*), unâ in Menterne (*c*), & duabus in terrâ Rheydenſi (*d*) poſtquas Sabbatho ſacro Pentecoſtes, & die ſacro in Florido-Horto pauſavit. Secundâ verò feriâ ingreſſus eſt Emeſgoniam, & ſtationem habuit Huttum. Dein Huſum in multâ ſpe reconcilandi gentem illam, ſed tunc non profecit. Quapropter reverſus eſt Hunſegoniam, & habitâ ibidem ſtatione declaravit IV. Judices cruce ſignatorum, & rediit Coloniam obviam D. Conrado Cardinali Portuenſi tunc Legato totius Teutoniæ; qui poſtmodum concilium propoſuit cum Epiſcopis celebrandum, ſed propter occurſum Friderici Imperatoris dilatum eſt. Judicibus igitur Magiſter Oliverius tale dedit mandatum. Ad Concilium Domini Portuenſis Epiſcopi Sedis Apoſtolicæ Legati pro negotio Crucis principaliter nos oportuit accedere. Ideòque quia fidelitatem veſtram & induſtriam experimento didicimus, negotium Crucis, quod nobis à Summo Pontifice commiſſum eſt, vobis tàm in Groningâ, quàm per totam Friſiam Monaſterienſis Diœceſis, committimus in abſentiâ noſtrâ, ſive in terrâ pacandâ, & armis deponendis, ſive in cauſis ſignatorum. Formam quoque expreſſit Sacerdotibus ad parochianos ſuos, ut in exhortando nulli darent crucem, qui non corporaliter, nec rebus Terram-Sanctam poſſet juvare. In quâlibet Eccleſiâ poni juſſit truncum, ut in priore prædicatione, & proceſſionem fieri in quolibet menſe, & ſinguli ſacerdotes darent indulgentias decem dierum iis, qui ſecundùm facultates offerrent, & de his quinque in carinam (*e*) computarent, & quinque in annalem pœnitentiam de indulgentiâ verò quadraginta dierum quatuordecim computarent ad carinam, reliquos in annuam pœnitentiam. Reconciliandi Eccleſiæ, ab uno tantùm ſubdelegatorum introduci deberent, ſi tamen perſonaliter crucem acceptarent. Nam nulli robuſti ſignari debebant ad redimendum. In abſentiâ verò ſuâ talibus litteris ſalutavit Prælatos Friſiæ.

Honorabilibus viris in Chriſto, dilectiſſimis Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Conſulibus & populo Friſiæ, Oliverius ſervus emptitius crucis, Colonienſis Scholaſticus, verbi crucis miniſter, vitam bonam & exitum felicem. Laudans Dominum laudabo, gaudens in Domino gaudebo, nuncians nunciabo profectum crucis. Nam poſtquàm à vobis receſſi, Lantgravius Turingiæ (*f*) Regis Hungariæ gener, miles, juvenis & in armis ſtrenuus, dives & potens, crucem tranſmarinam accepit, & cum eo decem Comites, milites autem plurimi, & popularium turba, quæ dinumerari non poteſt. Notum præterea vobis eſſe cupio, quod Dani cum provinciâ Bremenſi & Colonienſi navalem exercitum præparant. Undè vos moneo quatenùs perſeverantes & conſtantes eſſe velitis in apparatu navium ſecundùm formam

(*a*) Berumum, vulgò *Berum*, vicus in orâ Amaſi fluminis, arce quondam munitus.

(*b*) Fermeſum, aliàs *Farmſum*, vicus in Fivelingis ad littus Amiſiæ arci Ripporedæ vicinus.

(*c*) Manterna, illic monaſterium Ordinis Ciſter. fundatum eſt ab Eppone anno 1258. & eſt Adoardiæ filiale.

(*d*) Terra Reydenſis, vernaculè *Reyderlandt*, regio vaſtiſſima inter Lavicam & Amaſum, innumerabilibus vicis, & cœnobiis 23. opulentiſſimis famoſa, quæ furens Oceanus abſtulit.

(*e*) Id eſt quadrageſimam partem, vel anni, vel cujuslibet rei. Hic autem pro jejunio quadrageſimali accipitur.

(*f*) Ludovicus ſponſus Stæ. Elizabeth.

formam temporis, quam vobis præscripsi, cum apud vos essem. Illud 1225.
etiam scitote, quòd Dominus Imperator de Saracenis Siciliæ triumphavit.

Reversus est tandem x. idus Julii, & stationem habuit Groningæ: Deindè proximâ Dominicâ Frodawaldæ (*a*) in loco harenoso. Deinde Sutherbusum, (*b*) deindè Doccum, (*c*) & recepit illum gens illa honorificè; & commissæ sunt illi dissensiones terræ illius terminandæ, quæ diù convaluerant inter duo castella, Tithardi videlicet, & Vigeri, cui favit totus populus propter seditionem & rebellionem præfati Tithardi. Transiit deindè ultrà Bordenam. Deindè reversus est, & formam compositionis inter præsentes enuntiavit. Et acceptâ licentiâ & valedicto, iter eundi Groningæ arripuit, volens redire in Emesgoniam ad sopiendam discordiam gentis illius, quæ jam crebrò per nuntios invitaverat ipsum, volens regi consilio ipsius. Cumque in itinere esset eundi Groningæ cum religiosis viris & secularibus honestis, & propter treugam crucis sine armis pergentibus, supervenit præfatus Tithardus, & simulans se pacis colloquium habiturum cum Magistro, paulò ipsum à consortio societatis traxit, & corripiens equum irruit in nobilem & honestum virum Elterum in Den-Oert, Capitaneum in Middelstein, (*d*) & caput ejus gladio percussit anno CIↃ CC XXVI. sexto Kalendas Augusti, concurrentibus in idem scelus, & ferientibus impiissimis sociis suis brachia & crura illius militis & cruce signati, post frequentes indulgentias peccaminum suorum, qui odivit, ut creditur, Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedet. Anima ejus requiescat in pace.

Anno Domini CIↃ CC XXV. Herdricus Præpositus de Skelwalda (*e*), dum plenâ authoritate Episcopi fungeretur, & nimis insolesceret; tum quia Acephalus erat, tum quia divitiæ ei affluebant, in quibus speravit, & præcipuè de brachio Episcopi, quia dixit se planè non curare, quid universi religiosi sentirent, dummodò in gratiâ Episcopi consisteret: Motus est ergò Præpositus & Conventus *Floridi-Horti* contrà eum Zelo Phinees, qui coeunti cum Madianitide non pepercit. Sed & iste Madianitidem amavit, quia judicia Dei non custodivit. Madian namque *declinans judicium* interpretatur. Ille namque excommunicavit & solvit pro pecuniâ, Ecclesias clausit & aperuit clave cupiditatis, præter ebrietates & commessationes suas. Eodem anno dictus Præpositus, cum tribus Abbatibus Frisiæ, duobus noviter institutis, ivit Præmonstratum, ubi factâ mentione prædicti Herdrici breviter, Dominus Conradus Præmonstratensis Abbas dedit litteras Capituli Abbatibus de Horto S. Mariæ, de Doccum, & de Valle B. Virginis, ut eundem sub pœnâ ascriptâ in Frisiâ habere respectum compellerent, quarum tenor hic erat: Conradus Præmonstratensis Abbas & Abbatum ejus-

(*a*) Fredovalda Olmandiæ Regiuncula plures sub se vicos continens.

(*b*) Octopagicæ præfecturæ vicus *Suiderbuisen* dictus in Episcopatu Leovardiensi.

(*c*) Doccum, sive Docconis villa, patrio idiomate *Dokcn*, ibi celebris in honorem S. Bonifacii Ecclesia, successu temporis in Abbatiam Præmonstratensium immutata, extitit, nunc diruta.

(*d*) Husingiorum oppidum, collegio Canonicorum insigne, in Episcopatu Groningensi

(*e*) *Schildwolde* vicus in sylvis australibus Fivilengiæ, olim præpositurâ Ordinis Præmon. insignitus, anno 1204. fundatâ in Diœcesi Groninganâ.

1225. dem Ordinis Capitulum generale de Horto S. Mariæ, de Doccum, & de Valle B. Virginis Abbatibus, salutem in Domino. Intelleximus relatione Abbatis de Hamburnâ, qui auctoritate generalis Capituli curationis officio in Frisiâ functus erat, duas esse in Frisiâ præpositutas, quas tenent frater Herdricus, & frater N. quibus Abbas præfatus auctoritate Ordinis præceperat, ut infrà certum tempus, videlicet quadraginta dierum, secundùm debitum Ordinis Præmonstratensis, quem professi sunt, ejusdem paternitatem sibi procurarent. Quod quia facere contempserunt, pœnâ excommunicationis jure punire possemus eosdem, nisi fœcunditatem ficulneæ sterilis per patientiam expectatemus. Quia igitur libertas, secundùm Apostolum, multis velamen malitiæ foté dignoscitur, vobis in virtute sanctæ obedientiæ strictè præcipimus, ut præfatos præpositos auctoritate Capituli Præmonstratensis ad præsentiam vestram citetis, & sub pœnâ suspensionis & interdicti præcipiatis iisdem, ut antè Nativitatem Domini, secundùm debitum ordinis, alicujus Abbatis in Frisiâ paternitatem sibi eligant. Quod si facere contempserint, extunc suspensos & excommunicatos, sicut Acephalos, auctoritate ordinis & nostrâ denuncietis &c. Præmissis citationibus postremò anno Domini CIↃ CC XXV. in conversione S. Pauli pro contumaciâ excommunicatur. Sed ille extraordinariè Romam appellavit. Cujus excommunicationis denunciatio transmissa est Episcopo, qui consuluit, ut mitteret Præmonstratum, quod & fecit, & obtinuit revocatorias ad Clarholtensem, & Varlerensem, ut ipsi accedentes de statu suo cognoscerent, & cessare à procuratione Episcopi, & respectum habere etiam in Westphaliâ persuaderent. Quod si non faceret, Præmonstrati citarent: tales etiam litteras misit ei Abbas Præmonstratensis. Conradus Dei patientiâ dictus Abbas Præmonstratensis, dilecto in Christo filio Herdrico Præposito in Skelwaldâ salutem, & sinceram in Domino charitatem. Cùm didicerimus te regularem vitam elegisse, & gerere habitum in nostro Ordine assuetum, propositum tuum plurimùm in Domino commendamus, monentes te ob salutem tuam, & ob Ordinis honestatem, ut eligas aliquem religiosum locum de nostro Ordine infrà Diœcesim Monasteriensem, ad quem habeas respectum ratione paternitatis, & de quo recipias & visitationes & consuetudines Ordinis approbatas. Credimus enim quòd hoc ipsum & tuæ honestati expediat pariter & saluti, nec in aliquo erit Juri Episcopi Monasteriensis, aut sui Capituli, quod honnrare volumus, derogatum. Cùm præsumamus, quòd augmentare potiùs velit, quàm minuere Ordinem nostrum, Episcopus memoratus. Super eo autem quod dixisti in litteris tuis ad nos missis, quòd secundùm mandatum circatorum accessisti ad Venerabilem Fratrem nostrum Præpositum Cappenbergensem obedientiam facturus eidem, non es redarguendus, imò meritò commendandus, cum benè placeat nobis, ut recipiaris ab ipso, si gratiam inveneris apud ipsum. Super eo verò quod postulasti in calce litterarum tuarum, ut duabus, vel tribus sine suspicione personis præciperemus, quòd de omnibus circumstantiis causæ & loci inquirerent veritatem, scias quòd in hoc exaudivimus preces tuas, prout videre poteris in nostrâ commissione ad Varlerum & Clarholtum emanata. Hoc siquidem scire te volumus, quòd si dilexeris Ordinem, Ordo te diliget & honorabit etiam in quantùm poterit cum suâ honestate.

Herdricus itaque cognito quòd litteræ contra ipsum essent allatæ, plenus prosanitate, & irâ, in superbiam exarsit, credens præfatum conventum

conculcare, quemadmodùm Julianus Basilium, & extinguere, ut Arioch sapientes Babilonis. Continxit multa contra præfatum Præpositum & conventum, & faciens A. Notarium Episcopi scribere singula deputavit. Petiit & A. de Loppessum Decanus, ut super illis peremptorie in Purificat. S. Mariæ eundem Præpositum citarent Monasterium, qui ad cumulum depressionis more adulantium, qui semper dicunt euge, euge, in cætu laicorum, executionem citationis fecerunt circiter festum S. Luciæ. Igitur Præpositus multis ex causis Romam appellavit, & tunc Monasterium missus est Frater P. Procurator, qui appellationem illam solemniter innovavit. Cùm ergò pendente appellatione nihil innovari debeat, ille præcursor Antichristi sedens in insidiis, sub cujus linguâ labor & dolor, quia innocentior fuit lingua illius labote, quem ingessit, Sabbatho proximo Dominicæ Quinquagesimæ de facto congregavit clerum, & per litteras Episcopi mandavit præfatum Præpositum & conventum excommunicatos denunciari, ita ut nullus in terrâ vel eis quicquam venderet, vel ab eis compararet, contra decreta Romanorum Pontificum. Quod ne fieret Frater Paulus Procurator conventûs secundò appellavit Coloniam, nuncio jam Romam destinato. Interim supplicatum est Ecclesiæ Præmonstratensi per litteras præfati conventûs & Magistri Oliveri in hunc modum. 1225.

Reverendo in Christo & Venerabili Domino Conrado Dei providentiâ Præmonstratensi Abbati, Emo Dei gratiâ dictus Abbas Floridi-Horti, salutem, & tàm devotam quàm debitam, & cum orationum sinceritate obedientiam. Notum sit paternitati vestræ, quòd claustrum, quod Floridi-Horti dicitur, in quo Deo auctore in regimine deservio, Domino Gervasio antecessori vestro suisque successoribus obtuli immediatè Sanctæ Præmonstratensi Ecclesiæ, circà fratrum meorum & domûs curam, ejus cupiens vigere sollicitudinem. Affectu itaque meo pensato locum istum in filiam suscepit, & affectum suum spopondit circa eundem indesinenter vigere, & ne rem hanc apud posteros in oblivionem venire contingeret, suis voluit litteris confirmare, quarum hic formam duxi breviter inserendam: Ego Gervasius, Dei patientiâ Præmonstratensis Abbas omnibus in perpetuum. Notum esse volumus tàm præsentibus, quàm futuris, quòd cùm Ecclesia Floridi-Horti in Frisiâ, per Dei gratiam dilatari cœpisset, ita quòd surgens de paupere fundamento jam haberet conventum, quem vir religiosus Emo ejusdem loci Præpositus gubernabat, qui fuit unus de duobus primis inhabitatoribus & fundatoribus dicti loci, idem Præpositus tandem veniens ad generale Capitulum Præmonstratense optulit locum suum Ecclesiæ & Ordini Præmonstratensi, quem elegerat, & præfectus fuerat à primis comissæ sibi Ecclesiæ fundamentis, ipsamque Præmonstratensem Ecclesiam immediatè matrem elegit, ut Ecclesia Floridi-Horti tanquam specialis filia Præmonstrati, per Præmonstratensem Abbatem tanquàm per Patrem regatur, secundùm quod exigunt ordinis instituta. Nos autem devotionem ipsius & suorum in Domino commendantes, sicut erant meritò commendandi, recepimus eum in filium, & Ecclesiam suam in filiam specialem. Ne igitur futuris temporibus super his possit aliquis scrupulus suboriri, præsentes litteras in testimonium rei gestæ conceptas sigilli nostri appositione duximus roborandas. Actum anno gratiæ CIƆCCXVII. Harum litterarum intuitu supplico, ut filiæ vestræ solitam impendere dignemini pietatem, & contrà pravorum violentias consilio &

1225. ſcripto veſtra prompta ſit defenſio. Verùm quia tribulatio proxima eſt, ad vos ſuſpiro ſperans, quòd injuriæ meæ vobis expoſitæ veſtram movere debeant pietatem. Quidam igitur Herdricus dictus præpoſitus de Skelwada inordinatè tumens tactus officialis & exactor Epiſcopi Monaſterienſis, (*Theodorici*) occaſione continuæ procurationis, Decanus nimis procurationem, quam foris prætendit, per inſolentias plurimas confundit, ut ei cui venando pecuniam accumulavit, poſſit placere. Qui inter cætera, quæ ingerit ſcandala, cùm ſe auctoritate veſtrâ & Capituli Generalis ad eligendam paternitatem ſenſiſſet urgeri, me tanquàm hujus coactionis cooperatorem, ab Epiſcopo Monaſterienſi in vindictam malitioſè criminari & gravari perſuaſit. Cùmque ſuper injuriâ Epiſcopi legitime Sedem Apoſtolicam appellaſſem, dictus præpoſitus, ſive ex mandato Epiſcopi, ſive non, contra privilegia Ordinis & juris, me & fratres meos excommunicatos denunciari fecit, humanitatis beneficium & vitæ neceſſaria ab aliis percipienda prohibendo, quæ etiam ſicut optime novit veſtra diſcretio, in articulo neceſſitatis juſtè excommunicatis, propter excommunicationem non ſunt amputanda. Hanc igitur inauditam coràm vobis depono querelam ſupplicans, ut de Horto S. Mariæ & in Doccum Abbatibus viris religioſis detis in mandatis, quòd ſi iſta invenerint plenè corrigant, & ipſum ad reſarcienda damna fratribus per eum data, per pœnam ſuſpenſionis & excommunicationis compellant, & nihilominùs ſententiam excommunicationis, quam contra ordinis privilegia tulit, nullam eſſe publicè denuntient. Præterea ſupplico, quatenus ſuper ordinis diſciplinâ, adeò veſtra invigilet diſcretio, ut ſupra-dicto Præpoſito Herdrico correcto, tantùm vobis apud omnes in Friſiâ accedat honoris incrementum, quantùm diſſolutio ipſius ordinis ingeſſit opprobrium. Quò verò efficacius id promoveatur, fratrem unum latorem præſentium, canonicum ad vos deſtinavi, rogans obnixe, ut ipſum tanquam filium recipiatis, & in his quæ ad domûs noſtræ protectionem, & ſæpe dicti Præpoſiti correctionem ſpectant, ſecundùm ſcientiam à vobis datam benignè expediatis. Prætereà obnixe flagito, ut auctoritate veſtrâ & ordinis, imperioſè pro reverentiâ Summi Pontificis Domino Epiſcopo Monaſterienſi ſcribere velitis, ut me & fratres meos, inculpatæ famæ per Dei gratiam apud omnes optimos viciniæ noſtræ, ſine vexatione temerariæ excommunicationis Deo ſervire permittat, quoniam per Dei gratiam in tantâ libertate in Friſiâ conſtituti ſumus, quòd nec pullo gallinæ violenter per ſuos, nos poterit ſpoliare.

Item per litteras Magiſtri Oliverii: Venerabilibus Viris, Dominis, Conrado Præmonſtratenſi Abbati, cæteriſque Abbatibus, ac toti Præmonſtratenſi Capitulo Oliverius, ſervus Crucis emptitius, Colonienſis Cancellarius, paratum ſemper cum devotis orationibus obſequium: Cum ex mandato Sedis Apoſtolicæ Friſiam, ſedis Colonienſis Provinciam, peragrarem, duos in eâ viros Præmonſtratenſis habitûs inveni. Alteri eorum, videlicet Emoni Abbati Floridi-Horti, à clero & populo plenum teſtimonium modeſtiæ ac laudabilis vitæ perhibetur. Reliquus Herdricus de Skelwalda Præpoſitus, non ſolùm apud populares, verùm etiam à bonis & gravibus ſufficienter infamatur. Officialis enim gerens officium, excommunicat & abſolvit, Eccleſias claudit & aperit pro pretio, & quod abominabilius eſt, baptiſmum parvulorum impedire nititur, quibuſdam Eccleſiis chriſma negando pro unius, vel paucorum delicto, ut ita pecuniâ chriſma redimatur. Hæc

Hæc autem vobis ſignifico, quia gentem Friſonum diligo, quia fide ſtabilis & in armis ſtrenua, iterum ſe præparat ad Terræ Sanctæ ſubſidium, tàm in bellatorum numeroſâ multitudine, quàm navium utili ac neceſſario, & inſtanti expeditioni provido, apparatu. Sanè quoniam Ordinem veſtrum veneror & amo, Excellentiæ veſtræ religioſiùs ſcribendo, quantùm audire placet, caritativè conſulo, quarenùs ſi prænominati fratris vulnus ſit medicabile, ſicut habitu ſuo teſtatur, protinus ad emendationem ejus vitæ & ſcandali reſecationem, carceri incorporetur. Alioquin ſi immedicabile vulnus, enſe ſpiritualis gladii præcidatur, ne pars ſyncera trahatur in ſcandalum, & per gentem devotam & ad obſequium Salvatoris mundi promptam, latius dilatarum, gravius animarum periculum inducat. 1225.

Accepto itaque inſtrumento de Capitulo Colonienſi in hunc modum; G. Dei gratiâ Major in Coloniâ Decanus, & Archidiaconus, totumque Capitulum majoris Eccleſiæ, Viris Venerabilibus S. de Horto S. Mariæ T. in Doccum (*a*) Abbatibus Præmonſtratenſis Ordinis, & Magiſtro I. in Novâ Eccleſiâ Plebano Trajectenſis Diœceſis, Salutem in Domino. Querelam Magiſtri E. Præpoſiti in Florido-Horto Præmonſtratenſis Ordinis Monaſterienſis Diœceſis recepimus continentem, quòd cum ipſum Epiſcopus Monaſterienſis Theodoricus ſuper quibuſdam cauſis, contrà privilegia Ordinis Præmonſtratenſis, & formam juris, gravare niteretur, idem Præpoſitus ſuper omni injuriâ ipſius, per ſe & procuratorem ſuum Paulum Canonicum Præmonſtratenſis Ordinis, Sedem Apoſtolicam appellavit, ac poſtmodùm cùm ſe & fratres ſuos à jam dicto Epiſcopo per excommunicationem, & negandam in omnibus neceſſariis vitæ communionem, nimis injuſtè gravandum perſenſiſſet, per Procuratorem ſuum P. ne id fieret, noſtram legitimè audientiam tanquàm à ſuſpecto appellavit. Mandamus igitur vobis, quatenùs partibus convocatis de appellatione ad nos interpoſitâ cognoſcatis, & ſi cauſam, ex quâ gravatum ſe putat, ſecundùm ea quæ dicta ſunt, legitimam interveneritis, excommunicationem in Præpoſitum & Conventum ipſius latam nullam publicè renuncietis. Teſtes autem qui nominati fuerint &c. Eodem inſtrumento tractus eſt in cauſam univerſus Clerus, qui non debuit obedire iniquæ denuntiationi per Eccleſias ampliùs quàm quinquaginta, & citatus eſt fratrum numerus poſt Dominicam *Miſericordia Domini* locis deputatis trans Lavicam, Vemenge, & Doccum. Cumque comparuiſſent, & præfatus Præpoſitus Floridi-Horti, ex ſententiâ judicum, appellationem præceſſiſſe excommunicationem probaſſet, illi Coloniam appellarunt. Miſſum eſt ergò Coloniam in occurſum illorum, & intellecto proceſſu cauſæ, Decanus remiſit cauſam in eundem ſtatum, in quo fuit tempore primæ appellationis in hunc modum: G. Dei gratiâ major in Coloniâ Decanus & Archidiaconus, totumque Capitulum Eccleſiæ Beati Petri Viris Venerabilibus G. Præpoſito in Fermeshum, & G. Priori in Feldwirth (*b*) Salutem in Domino. Conſtitutis in præſentiâ A. Domini Epiſcopi Monaſterienſis &

(*a*) Thomas primus Abbas Documi Diœceſis Leovardienſis oppidi. Hæc autem Abbatia S. Bonifacio Apoſtolo Friſonum nuncupata ad diſciplinam S. Norberti tranſiit anno 1204.

(*b*) Cœnobium Ordinis Sti. Benedicti Dammonæ vicinum in Diœceſi Groninganâ, vernaculè *Oldeklooſter*, ab Hathebrando fundatum pro utroque ſexu an. 1183.

1225. L. Præpositi Floridi-Horti, & V. Plebanorum de Fivelgoniâ procuratoribus, de consensu ipsorum ita ordinatum est, & terminatum, quòd commissio ad S. de Horto S. Mariæ, & T. de Doccum Abbates, & L. Plebanum Trajectensis Diœcesis impetrata super excommunicatione à Domino Monasteriensi Episcopo in eundem Præpositum E. & Conventum Floridi-Horti factâ, à nobis penitùs est cassata, & quicquid auctoritate ejusdem commissionis fuit factum, sive in citando, sive in absolvendo, sive ad interesse condemnando, cassatum est, & pronuntiatum est non tenere. Procuratores quoque prædicti appellationi tàm ad Capitulum, quàm ad Dominum Archidiaconum ipsum factæ renunciaverunt. Reliquimus etiam negotium in eo statu, in quo fuit tempore appellationis, quam Magister E. & præpositus dicit se ad Sedem Apostolicam interposuisse, de quâ cognoscere non est nostræ auctoritatis, salvo jure utriusque partis. De eo ergò, quod apud nos de consensu Procuratorum factum est sollemniter, maneat occultum. Mandamus vobis quatenùs convocato Clero Fivelgoniæ, ea quæ suprà dicta sunt, & in conventu laicorum publicè denuncietis, nullum ex his partibus præjudicium generando.

Interim rediit Nuncius Româ, & tria paria litterarum reportavit contrà Episcopum, duo super causâ, tertium super iniquis exactionibus & injuriis ipsius. Fecerat enim Ecclesiam nostram spoliari chrismate. Honorius Episcopus Servus servorum Dei Venerabili Fratri Monasteriensi Episcopo Salutem & Apostolicam Benedictionem. Dilecti filii, Præpositus & Conventus Floridi-Horti suâ nobis conquestione monstrarunt, quòd tu in eos sine causâ rationabili, nullâ competenti monitione præmissâ, contrà statuta concilii generalis, auctoritate propriâ excommunicationis sententiam promulgasti. Ideò Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quòd si ita est, infra octo dies post datam præsentium, sententiam ipsam sine qualibet difficultate relaxes. Alioquin dilectis filiis de Horto S. Mariæ & de Doccum Prioribus, & Magistro I. Scolastico de Novâ-Ecclesiâ Trajectensis Diœcesis, nostris dedimus litteris in mandatis, ut ipsi ex tunc sufficienti ab eis juxtà formam Ecclesiæ cautione receptâ super his, pro quibus est hujusmodi sententia promulgata, relaxent eandem, & injuncto eis, quod de jure fuerit injungendum, audiant si quid fuerit quæstionis, & appellatione remotâ debito fine decidant, & faciant, quod decreverit auctoritas nostra, firmiter observari. Datum Laterani.

Honorius Episcopus Servus servorum Dei dilectis filiis de Horto Sanctæ Mariæ, & de Doccum Prioribus, & Magistro I. de Novâ-Ecclesiâ Plebano, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Dilecti filii Præpositus & Conventus Floridi-Horti suâ nobis insinuatione monstrarunt, quòd Venerabilis Frater noster Monasteriensis Episcopus in eos sine causâ rationabili, nullâ competenti monitione præmissâ auctoritate propriâ excommunicationis sententiam promulgavit contra statuta Concilii Generalis. Undè ipsi nostris dedimus litteris in mandatis, ut si est ita, infra octo dies post susceptionem ipsarum, sententiam sine quâlibet difficultate relaxet. Quocircà discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si dictus Episcopus mandatum nostrum neglexerit, vos ex tunc, sufficienti ab eis juxta formam Ecclesiæ cautione receptâ, super his, pro quibus est hujusmodi sententia promulgata, relaxetis eandem, & injuncto eis, quod de jure fuerit injungendum,

audiatis si quid fuerit quæstionis, & appellatione remotâ, fine debito terminetis, facientes quod decreveritis authoritate nostrâ firmiter observari. Datum Laterani VI. idus April. 1225.

Honorius Episcopus Servus servorum Dei, dilectis filiis de Horto Sanctæ Mariæ, & de Doccum Abbatibus Præmonstratensis Ordinis, Salutem in Domino & Apostolicam Benedictionem. Ex parte Præpositi & Conventûs Monasterii. Floridi-Horti Præmonstratensis Ordinis nobis oblata querela, quòd Venerabilis Frater noster Monasteriensis Episcopus ipsos indebitis exactionibus aggravat & molestat, aliàs eis plurimùm injuriosus existens. Ideòque Discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs partibus convocatis audiatis causam, & appellatione remotâ fine debito terminetis, facientes, quod decreveritis, auctoritate nostrâ firmiter observari. Testes verò qui nominati &c.

Citatus itaque est Episcopus denuò, & assignata loca trans Lavicam prætaxata, & die cedente propositum est fecisse excommunicationem appellatione pendente, & Ecclesiam Conventûs chrismate spoliasse. Judices ergò cognitâ spoliatione chrismatis, habitâ interlocutoriâ per sententiam adjudicarunt Ecclesiæ illi restitutionem chrismatis sub certo articulo diei, videlicet B. Virginis. Cùmque Procurator Episcopi id minimè curaret, Præpositus propter contumaciam petivit, ut Episcopus excommunicaretur, quod & factum est. Interim cùm Herdricus omnia mala ista procuraret cum A. Notario Episcopi, Deo ordinante accidit, quòd Dominus C. Episcopus Portuensis Cardinalis Coloniam veniret. Ad ipsum præfatus Præpositus misit cum litteris Abbatem, ut moneret Episcopum absolvere Herdricum à procuratione negotiorum suorum, & si Episcopus non faceret, daret in mandatis Abbatibus de Horto S. Mariæ, & de Doccum, ut prædictum Herdricum compellerent cessare, quod factum est in hunc modum.

Conradus (*a*) Dei gratiâ Portuensis & Sanctæ Rufinæ Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus, Venerabili in Christo eâdem gratiâ Monasteriensi Episcopo Salutem in Christo Jesu, Significarunt nobis de Horto S. Mariæ, de Doccum, & alii plures Abbates Præmonstratensis Ordinis, quòd Herdricus Præpositus de Skelwaldâ contra constituta sui Ordinis vagatur per mundum, & negotiis secularibus se immiscet, & alias plurimas inhonestates committens in salutis suæ præjudicium & gravamen, & scandalum plurimorum, quocircà vobis mandamus auctoritate Legationis, quâ fungimur, quatenus dictum Herdricum, in suo errore nullatenùs foveatis, sed ipsum moneatis, & efficaciter inducatis, & si necesse fuerit compellatis, ut relictis seculi vanitatibus redeat ad observantias regulares. Alioquin sciatis nos dedisse in mandatis Abbatibus de Horto S. Mariæ, & de Doccum, de Valle Beatæ Virginis Præmonstratensis Ordinis, ut dictum Herdricum ad id censurâ Ecclesiasticâ compellant justitiâ mediante. Miramur enim quòd talem officialem habetis. Datum Tulpeti XII. Kal. Julii.

C. Miseratione Divinâ Portuensis & Sanctæ Sabinæ Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus, dilectis in Christo de Horto S. Mariæ, de Doccum, de Valle Beatæ Mariæ, Abbatibus Præmonstratensis Ordinis, Trajectensis Diœcesis, Salutem in Christo Jesu. Vestras & aliorum multorum Abbatum vestri

(*a*) Vide quæ diximus de hoc Conrado p. 115.

1225. Ordinis Præmonstratensis recepimus continentes, quòd Herdricum dictum Præpositum in Skeldwaldâ sæpe à vobis monitum, à vexatione sæculari & aliis actibus inhonestis compesci censurâ Ecclesiasticâ faceremus, monendo primitùs Venerabilem Fratrem nostrum Episcopum Monasteriensem, ut ipsum familiaritate suâ penitùs amoveret, Nos verò supradictum Episcopum monuimus diligenter, Mandantes eidem, ut ipsum ad hoc, si fuerit necesse, compellat. Quocircà discretioni vestræ, legationis quâ fungimur, auctoritate mandamus, quatenùs si præfatus Herdricus monitionem dicti Episcopi noluerit exaudire, vel Episcopus super his negligens fuerit memoratus, ipsum Herdricum ad observantias sui Ordinis monitione diligenti præmissâ per censuram Ecclesiasticam auctoritate nostrâ firmiter compellatis. Datum Bunnæ XI. Kal. Julii.

Cumque dictus Herdricus Abbatibus parere contemneret, excommunicatus est. Mirâ Dei providentiâ cùm A. & B. Procuratores Episcopi post Nativitatem B. Virginis in Frisiæ partes venissent, & fervérent adhuc furore diuturno, & peragratis villis (a) Beselo, Hugemthe, Lidinge, venissent Usquert, ibidem à Fratre S. viro constante & defendente Ordinem, Procuratore Abbatum, denunciatur Episcopus excommunicatus, & illi, si procurarent negotia, excommunicati, & credidit populus & recessit ab eis die primo, die altero D. Herdricus impedivit populum, mobilitate suâ volens & nolens, vel magis timens Episcopum aliquantulùm gravari, tùm quia gravis ipsi erat Episcopus, & non processerunt, quia datæ sunt litteræ universis pro defensione ipsorum, si Episcopus, vel nuncii sui antè absolutionem suam gravaret. Veniunt itaque Loppersum, & die primâ D. Herdricus de Usquert; & obtulit conventui compositionem, ut omnis controversia inter Episcopum & ipsum quiesceret, & ad Herdricum pax esset, & cautionem daret Præpositus, ne Abbates contrà eum scriberent. Ad quod respondit Præpositus, nihil se velle spondere pro Abbatibus, quia hoc non esset in suâ potestate. Quo audito A. & B. cœperunt præsidere quasi contemnentes reconciliationem. Recessit ergò Frater S. Procurator Abbatum interritus, & Frater P. & alii Fratres volentes excommunicationem denunciare, sed G. de Fermesum Decanus, P. & A. in Loppersum Præpositi, & quamplurimi cum ipsis gravissimum fecerunt strepitum currendo, clamando, & conviciando, putantes eos tali insultu à proposito coercere. Factus est concursus & clamor, ut possent dicere Fratres, contrà tales insidias, inermes: *circumdederunt me canes multi, concilium malorum obsedit me.* Sed dicti Fratres indefessi testiterunt. Affuit eis, Deo sic ordinante, Vir nobilis Stitho inflammatus caritate correctionis Ecclesiæ, non rogatus: amor enim Christi otiosus esse non potest, & quasi tuba vehemens voce & manu illos furentes dimovit, & ita usque ad crepusculum vis vi repulsa est, cum multâ tamen læsione.

Die sequenti congregatus est Populus quasi vir unus. Aderant ibi consules terræ & jurati de Upstallesbome, & auditâ denunciatione excommunicationis Episcopi à delegatis Summi Pontificis, & Herdrici à Cardinale, decreverunt sententiam admittere, & nisi Decani duobus millibus marcarum

(a) Meliùs in MSS. vic. *Besiloa*, vernaculè *Baffel*, *Husdinge* & *Lidenger* villæ totidem Adoardinæ præfecturæ sicut & *Usquert*, qui est vicus amplissimus haud procùl à maris littore.

marcarum terram immunem forè, si assisterent Nunciis Episcopi, caverent, 1225.
non debere eis impendi obedientiam. Quod quia visum est illis intolerabile, dixerunt se nolle hoc facere, & ideò Nuncii Episcopi soli & contempti vacuæ mensæ accedebant, videntes vacuos honores & vacuas crumenas se habere, & sic compulsi sunt, Dei misericordiâ disponente, formam compositionis Præposito & Conventui beneplacitam, per amicos & familiares præcipuos ipsius Conventûs offerre & conscribere in hunc modum:

In Nomine Domini Amen. Ego Theodoricus, Dei gratiâ Monasteriensis Episcopus, Omnibus, ad quos præsens scriptum pervenerit, Salutem in Domino. Notum esse volumus universis, quòd discordia, quæ inter Nos ex parte unâ, & Præpositum E. Floridi-Horti & suum Conventum ex alterâ parte vertebatur, sopita est in hunc modum: Præpositus E. obedientiam quam aliquis alius Abbas, vel Præpositus Præmonstratensis Ordinis; salvo jure Privilegiorum & Ordinis, suo Episcopo facit, vel fecit, Domino suo Episcopo Monasteriensi faciet & exhibebit, & omnes causæ, sive crimina super quibuscumque articulis, quæ contrà eum, vel Conventum suum motæ fuerunt, sopitæ sunt & extinctæ. Omnes quoque sui fautores, Clerici, sive laici, qui propter causas contrà ipsum motas, in aliquod devenerunt gravamen, liberi erunt penitùs ab illo & exempti. Instrumenta quæcumque ex utrâque parte, tàm nostra, quàm Emonis Præpositi & sui Conventûs, à quocunque optenta fuerint, nullius erunt penitùs momenti; & ipse Præpositus obediens erit nobis modo supradicto; & nos ipsum, quantùm potuerimus, promovebimus. Discordia verò quæ inter Emonem & suum Conventum ex unâ parte, & inter Herdricum de Skeldwaldâ & suum Conventum ex alterâ vertebatur super quibuscumque causis, sopita est in hunc modum. Uterque supradictorum Præpositorum, dextrâ sibi ad invicem datâ, veram amicitiam inter se promiserunt se fideliter servaturos, adjicientes, quòd neuter ipsorum consilio, vel facto alium, sive in generali Capitulo, sive alio quocumque loco, gravabit, nisi si quis eorum requisitus fuerit in animam suam, liberum erit ei dicere veritatem super re, de quâ fuerit requisitus. Instrumenta quoque ex utrâque parte, à quocumque etiam optenta fuerint, sive à Domino Papâ, sive à delegato, sive ab Ecclesiâ Coloniensi, sive ab Episcopo Monasteriensi, sive à Capitulo generali, in manus Domini Gereonis de Fermesum, & Alfardi de Midlestum resignabunt, nullo unquam tempore valitura. Fautores quidem utriusque partis ab omni gravamine, quod propter eos incurrerant, liberi erunt & soluti simùl cum illis, qui propter denunciationem cujuscumque excommunicationis sese à Synodo subtraxerunt. Acta sunt hæc apud Loppeshem Anno Dominicæ Incarnationis CIↃ CC XXV. XIII. Kal. Octobr. præsentibus testibus G. de Fetmessum Decano, P. & A. Decanis de Loppeshem, & aliis quàm plurimis. Ut autem hæc compositio firma maneat & inconvulsa, præsens pagina nostro sigillo, & E. Præpositi Floridi-Horti, & H. Præpositi de Skeldwaldâ sigillis est roborata. Data per manus Magistri A. Notarii Episcopi Monasteriensis.

Cùm ergò forma pacis inter Episcopum & Conventum ordinata fuisset, & jam conscribenda, & dextram idem Episcopus dedisset societatis, quia dies eundi ad Capitulum generale instabat, dixit Præpositus Herdrico: si in

1225. proposito haberet ire in societate suâ, quatenùs se præpararet. Ille ad hæc forè adhuc dubium dixit, utrùm personaliter iret, an pro se legatum mitteret. Quod clàm procuravit mittens duos, qui litteras Episcoporum Coloniensis, Trajectensis, Monasteriensis Capitulo præsentarent. Præfatus verò Præpositus cum Fratre Sibrando Abbatum Procuratore, die B. Matthæi, de Groningâ profectus est, & Præmonstratum pervenit. In Capitulo itaque Abbates de Cappenberge, de Varler, de Claholt ipsi restiterunt consilio quantùm valuerunt, & auxilio quorundam aliorum dicentes sibi forè periculosum, si dictus Herdricus à procuratione negotiorum Episcopi prohiberetur, cùm monasteria ipsorum possiderent Ecclesias, in quibus ipsi synodalia jura procurarent. Postremò cùm causa ipsa tractaretur à diffinitoribus, diffinitum est illum penitùs debere cessare à procuratione negotiorum Episcopi, auctoritate generalis Capituli, & auctoritate privilegii cujusdam Summi Pontificis collati Ordini Præmonstratensi in hunc modum:

Honorius Episcopus Servus servorum Dei dilectis filiis Abbatibus & Fratribus universis Ordinis Præmonstratensis, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Cùm relictis seculi vanitatibus, ei soli impendere teneamini famulatum, cui servire regnare est, indecens constat esse, ut cùm debeatis orationibus invigilare, involvatis vos quæstionibus alienis. Quocircà universitati vestræ auctoritate præsentium inhibemus, ne quisquam vestrùm in pertractandis alienis causis præsumat existere Procurator. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani x. Kal. Julii, Pontificatûs nostri anno VI.

Et directæ sunt litteræ per Abbatem Cappenburgensem Domino Monasteriensi Episcopo, quòd Capitulum Præmonstratense non admitteret, ut sœpè dictus Herdricus esset de cætero officialis, & aliud par litterarum transmissum est, Abbatibus de Horto S. Mariæ, & de Doccum, ut citarent illum, & ad sententiam Capituli servandam compellerent in hanc formam: Quod efficacissimè per ipsum Abbatem Præmonstratensem, in consistorio Abbatum proximo, & posteà in Capitulo claustri pronunciatum est.

C. Dei Patientiâ dictus Abbas Præmonstratensis & Abbatum ejusdem Ordinis Capitulum Generale, Venerabilibus in Christo Fratribus S. de Horto S. Mariæ, & in Doccum Abbatibus Salutem. Cùm expositum sit nobis in Capitulo Generali, quantâ dissolutione & insolentiâ Frater Herdricus Præpositus in Skeldwaldâ sit repressus, quanta etiam scandala ex eo, quòd synodalia procurata, cùm sit insufficiens & minus idoneus, sint exorta, Discretioni vestræ Auctoritate nostrâ Fratrumque mandamus, quatenùs dictus H. citatus fuerit ad Capitulum Generale, nec Capitulum curaverit visitare, sub præfatâ vobis auctoritate mandamus, quatenùs ex parte nostrâ & Ordinis firmiter injungatis, competenti tamen monitione præmissâ, ut infrà instantem Quadragesimam apud Hamburnam, vel Varlare, sibi Paternitatem assumere non omittat, ut Patrem super se habeat, à quo & Ecclesia ejus formam sibi religionis assumat, & à quo etiam visitetur secundùm consuetudines Ordinis approbatas. Cæterum cùm idem H. citatus fuerit ad Capitulum Generale, nec Capitulum curaverit visitare, sub præfatâ vobis auctoritate mandamus, quatenùs ex parte nostrâ firmiter injungatis eidem,

ut infrà instantem Solemnitatem Pentecostes veniat personaliter Præmonstratum satisfacturus Ordini super eo, quòd ad mandatum nostrum visitare Capitulum non curavit. Verùm quia ex procuratione synodalium, quibus vacat, multa scandala provenerunt, tùm quia insufficiens & minus idoneus, tùm quia exhibet se dissolutum, Volumus, ut ex decreto Generalis Capituli ab eorum procuratione desistat, & ex parte nostrâ ei præcipiatis hoc ipsum. 1225.

Ille inquam frater Herdricus plenus blasphemiâ Ordinis sui & habitûs, cùm tenuisset mediam partem Ecclesiæ vicinæ sibi, tàm per preces, quàm per potentiam, in corde semper ambiens, & rapere volens; oculos habens, & non considerans, persuadet sacerdoti, qui tenuit residuam partem Ecclesiæ, ingredi monasterium, cogitans per illius introitum Ecclesiam, de quâ exiit, intrare. Verùm continuò versus est populus in conspirationem seditionis, & ejecit omnia, quæ in domo dotali collocaverat; cum damno, & dedecore. Postmodùm nullo religiosorum usus consilio, aciem collegit armatam amicorum & cognatorum suorum, & illi de parte adversâ robore multorum se se munierunt, & convenerunt Consules terræ, & Jurati Orientales, pro reformandâ pace inter eos. Ille verò violenter voluit vindicare domum manu armatâ, & cœperat applicare exercitum; sed prohibitus est à Consulibus præfatis. Populus autem de parte alterâ, sicut semper solet esse inquietus; & malignis perurgentibus spiritibus applituit se ad fossatum claustri, & cœperunt se altrinsecus congregati spiculis provocare & vulnerare. Et mortuus est quidam nobilis de Menterâ Silvâ, (a) cuspide transmissâ in caput ejus. Quo comperto cœpit multitudo cingere obsidione fossatum per diem & noctem; & tunc non immeritò Frater Herdricus timore magno timuit, & fugâ se servare constituit. Unde dimoto paululùm populo valdè metuens vitæ, equum cum paucis conscendit, & portâ apertâ erupit, & secuti sunt eum quidam. Equus autem ipsius præ rapido cursu, ut dicitur, fefellit eum, sed tamen tunc non fallax ad salutem ejus, cecidit tantùm, & continuò à socio suo alii impositus est jumento, & non periit fuga ab eo, sed evasit, & animam suam pro equo & cappâ perditâ redemit. Consequenter propinqui illius defuncti more suo cœperunt exurere domos proximorum suorum in ultionem. Quare ille reversus ad se præcepit illis offerri mille marcas pro compositione vitæ ipsius, & in redemptionem monasterii sui ut parcerent. Intereà illi sepelientes mortuum suum, & multitudinem magnam congregantes denuò venerunt, & non pepercit oculus eorum cuiquam cognatorum suorum. Postremò ingressi claustrum, domos magno sumptu constructas, unam, & aliam, & tertiam, & quartam, quæ erat nidus sororum Christi bonæ opinionis & conversationis, incinerabant, quæ quasi continua cohæsit oratorio ipsarum, & exusta est; & mira res apparuit, quòd ventus pro oratorio pugnavit, & flammam ventilavit, ne læderet domum Domino consecratam. Sed illi Assyriis & Chaldæis crudeliores non pepercerunt, sed more Romanorum antiquo, sitientes pecuniam, lapidem in altari consecratam evulserunt, credentes pecuniam ibi fuisse sepultam, insuper & Sacro-sanctum Dominicum corpus cum vase suo detulerunt.

(a) Aliàs *Mentervvalda*, vicus insignis, ubi olim viguit Cœnobium Ordinis Cistercien anno 1258. fundatum ad oras Dullarti, in Diœcesi Groninganâ. Seculo XVI. cadente conflagravit monasterium, cujus proventus residui unà cum superstitibus monachis, ad paternam Adoardiæ Abbatiam transierunt.

1225. Eodem anno Auguſtus pluvioſus ſpem fœni, & annonæ fraudavit, Nam faba præter ſolitum inter feſtum B. Bonifacii effloruit, & circiter idem feſtum roſa natalitia habuit. A feſto B. Martini gelu forte conſtrinxit lutum & lacus ad meandum, exceptis paucis & brevibus interſtitiis per totam hyemem, & ultrà.

Anno quoque converſionis ejus XVII. Sacratiſſimo die Paſchæ, videlicet, III. Kalendas Aprilis, Eurus ab Oriente nubibus intumuit, & in octavâ, ejus nive candidâ & tecta & prata operuit, & ſic intravit cano capite Aprilis & frigido, nondùm pro voto multorum, qui fœno, & pabulo, & annonâ caruerunt, & fuit illis diebus magna cariſtia omnium rerum. Mortua ſunt pecora præ inopiâ fœni, & agni præ frigore, & debiles erant oves. Tria enim concurrerunt, frigus inſolitum, mortalitas animalium, & cariſtia annonæ metuenda. Vendebatur nempe quarta pars modii pro duabus marcis & dimidiâ, conſternatæ ſunt mentes multorum conſiderantium, quòd talia exigunt iniquitates eorum, & omnia opera Domini ſunt veritas & judicium. In quo triplex eſt conſideratio miſericordiæ ſuæ & juſtitiæ. Cùm enim graves pœnas ſolvimus, etſi cauſam ignoramus, intelligimus tamen eſſe de juſtitiâ Dei. Tertia eſt à fletu. Unde, *diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Rectus eſt Deus, quia neminem fallit, fidelis, quià reddit promiſſa, juſtus, quià omnia æque diſcutit. Per miſericordiam invitos liberat, quod ubi non facit, veritate vindictæ non immeritò damnat. Sapientiæ namque Dei non eſt numerus, quùm hic finitum ſit, quod mundus iſte complectitur. Octavo Kalend. Maji intravit D. Theodoricus tertius Monaſterienſis Epiſcopus, IX. Kal. Junii, & decimo Kalend. Junii in ebdomadâ Pentecoſtes, apud Floridum-Hortum ſicut amicus honorificè ſuſceptus. Eodem die Eccleſiam ipſius dedicavit. Eodem die Emo Præpoſitus Floridi-Horti per manus impoſitionem præfati Venerabilis Antiſtitis ex miſeratione Divinâ aſtantibus fratribus ſuis nomen & officium Abbatis ſuſcepit. Anno converſionis ejus XVII. indictione XIV. concurrente XI. Epacta IX. anno præfati Pontificis VII. in ordine Pontificum Monaſterienſium viceſimi quinti, qui rexit anno gratiæ CIↃCCXIX. & ſedit annos VII. Beatus namque Ludgerus primus Pontifex fuit Monaſterienſis. Succeſſerunt ei Gerfridus; Alfridus, Luibertus, Bartholdus, Wilhelmus, Nithardus, Reynoldus, Hildeboldus, Dodo, Suetherus, Theodoricus primus, Sigefridus, Hermannus primus, Rodbertus, Frithericus primus, Erpò, Burchardus, Theodoricus ſecundus, Egbertus, Wernerus, Frithericus II. Ludovicus, Hermannus ſecundus, Otto primus, Theodoricus tertius, Ludolphus. Anno inquam gratiæ CIↃCCXXV. anno Pontificatûs D. Honorii Papæ V. anno à Concilio Lateranenſi X. anno à primâ prædicatione Magiſtri Oliverii XII. anno à fundatione Eccleſiæ ſororum XXII. anno dedicationis Eccleſiæ in Werum XV. anno Cataclyſmi noctu B. Marcelli VII. Sanè prædictus Pontifex, qui anno tranſacto inſtinctu quorumdam nimis perſecutus erat Præpoſitum cum conventu Floridi-Horti, cum eodem pacem firmam ſtabilivit, & fraternitatem popoſcit, & accepit, & ibidem die illo demoratus eſt. Et ſequenti Sabbâtho ſcilicet quatuor temporum, Ordines Clericorum in Fermeſum Solemniter celebravit, & poſt nonam, undè exivit reverſus eſt. Nimium ſiquidem ſollicitus fuit, & laboravit ab introitu ſuo, uſque ad exitum, ſuper cauſâ Herdrici, quæ vertebatur inter ipſum & Sylvanos

vanos Skeldenses. (*a*) Ideòque in primo ingressu invitavit Consules terræ, 1225.
ut ope illorum compellerentur reddere pecuniam pro incendio Claustri ipsius. Undè illi non crediderunt ei, nec comparuerunt. Tandem multoties vocati proposuerunt nullatenùs obedire, vel damnum resarcire, nisi ille in perpetuùm Ecclesiam præfatæ parochiæ liberam forè hypothecariâ cautione sufficienter caveret, & idipsum contrà eum conclamavit totius terræ multitudo. Nondùm enim recuperaverat favorem populi propter insolentias & abusiones suas detestabiles, & audire eum dedignabantur, nisi illud fieret. Quod intelligens Episcopus, præcepit Herdrico, ut id suo consilio committeret & arbitrio. Quod & factum est, & arbitratus est Episcopus præfatos parochianos debere pro incendio ei restituere mille marcas & sexcentas, & illum in perpetuum silere super præfatâ Ecclesiâ, & super hoc cautionem immobilium sufficientem præstare, & altrinsecùs jurare, ne posteà pacem unquàm violarent. Ipse verò pro bannis nongentas marcas percepit, & ita pridie Junii reversus est. Julius sicut leo fervidus in initio sui secutus est, sed posteriora ejus pluviosa usque ad VII. Id. Aug. & expectabatur temperies, quia prata densa erant, & sata ad messem propter irriguum Julii. Sed lunâ quartâ quasi post horam vespertinam turbo cum tempestate subitò exortus est, & secuta est continua inundantia pluviæ. Undè Poëta de Lunâ:

Si nigrum obscuro comprenderit aëra cornu,
Maximus agricolis pelagoque parabitur imber;
Sin ortu quarto, namque is certissimus auctor,
Pura, neque obtusis per cœlum cornibus ibit
Totus & ille dies, & qui nascentur ab illo,
Exactum ad mensem, pluviâ ventisque carebunt.

Augustus totus pluviosus fuit, & terræ cultoribus injuriosus, & collecta est messis cum culmo viridi, & grano lactenti, & mentita est spes segetis. Septimo Idus Decembris anno CIↃ CC XV. Consules terræ confirmaverunt fratres Floridi-Horti in possessione esse in Emethâ. Eodem anno occubuit Engelbertus, Præsul Coloniensis, occisus à Comite Fretherico Ysenburgense. Eodem anno in vigiliâ Apostolorum Simonis & Judæ, factus est terræ motus horribilis in multis locis, & circà horam sextam diei ipsa quasi superficies pavimenti rupta est, & muri quasi concussi, & laquearia ventilari videbantur. Posteà maxima pluviarum inundatio sequuta est, & impleta sunt prata aquis abyssi superioris. Nam inferior abyssus est Oceanus. Abyssus nempe, profunditas dicitur aquarum. Nubilosus siquidem aër iste pertinet ad abyssum inferiorem, quia hinc sunt nubes, venti, tempestates, pluviæ, coruscationes, tonitrua, grando, nix. Eodem anno cum multiplex fieret querela coràm Papâ Honorio tertio contrà exactiones advocatorum, quas extorserunt à religiosis domibus præcipuè monialium inverecundè, Abbatissa Asidensis super causâ simili incitat Engelbertum Archiepiscopum, & obtinuit delegatum contrà Frethericum cognatum suum, fratrem Episcoporum Monasteriensis & Osnabrugensis. Præfatus Episcopus tunc temporis summus fuit & fidelissimus in causis Ecclesiasticis, qui commonitum patruelem suum habuit Frethericum Comitem Isenburgensem, promittens se velle

(*a*) Hoc est Schilwoldenses, sive incolas *Schiltwolda* vici mediis in sylvis & aquis constituti, in quo erat Sororum Ordinis Præm. Parthenium.

1225. ipsum de rebus patrimonii sui ditare, ne idem plus justo peteret, sed ille non acquievit. Accidit ergò, quòd pro causâ Imperii præfatus Pontifex Sosaciam pergit, & in viâ dictum Comitem obviam habuit, qui Fredericus minando, ne eum jure suo, scilicet advocatiæ, privaret, torvâ facie & animo furioso & linguâ pulsavit. At ille Episcopus æquanimiter toleravit, & cœptum iter illo dimisso peregit. Jam tunc multi Comites, ut fama fuit, in mortem ejus conspiraverant. Cumque Sosaciam venisset, & illic patrueles sui, videlicet Episcopi Monasteriensis & Osnaburgensis affuissent, affuit & frater eorum sicut Satan. Sed cùm Archiepiscopus milites ad hospitium præmisisset, ut cum paucis commodiùs rediret, adjuncto sibi Comite de Tremoniâ, (*Dortmund*) dictus Fredericus dispositis in nemore insidiis cum aliquot servis Episcopi Monasteriensis, ut fama fuit, insecutus est. Cumque dictus Episcopus nemus quoddam perambularet, servi Frederici antè & post de latebris prosilierunt, & occurrentes trahebant & tenebant jumentum Episcopi. At veniens post tergum Episcopi, clamat Fredericus, ut Episcopus sibi soli servetur, & accurrens percussit reverendum caput tribus ictibus, deindè cætera membra, donec humi cecidit multis de comitatu suo nescientibus, & aliis fugientibus, præter Comitem Tremoniæ, qui se super mortuum, sed frustrà totum expandit. Accidit, ut dicitur, VI. feriâ, die Beati Willebrordi. Postmodùm corpus ejus ad Abbatiam *Montis veteris* primò deductum est, deindè Coloniam.

1226. Illis diebus Dominus Conradus Cardinalis, Episcopus Portuensis & S. Rufinæ, cum Teutoniam visitaret, ad instantiam Episcoporum, & omnium Prælatorum Ecclesiæ, nec-non illustris Henrici filii Frederici, celebrare constituit Concilium in civitate Maguncia, in quo Priores Ecclesiæ Coloniensis pilleum suum primo ter gladio incisum, & sanguine respersum, deindè camisiam cum Wambicio quasi recenter tincto ejulantes & cantantes, videtis Jacob vestimenta &c. inferebant, & ipse Cardinalis flens cum omni multitudine subjunxit, Fera pessima &c. Deindè à ministerialibus Ecclesiæ Coloniensis accusati sunt, principaliter Episcopus Monasteriensis & Fratres & Comites multi. Monasteriensis autem quasi moræ impatiens diem & locum petiit, ad se de objectis expurgandum. Præfixus est ergò ei dies Purificationis Beatæ Virginis, & pro loco civitas Leodiensis. Intereà collegit expensas, & invitavit Priores Ecclesiæ Cathedralis, necnon & Priores totius Episcopatûs, videlicet Abbates, Præpositos, Priores, & Decanos. Invitavit quoque Episcopos Bremensem (*a*), Verdensem Isonem Comitem de Welpâ, qui Verdensem Ecclesiam annis 26. administravit. Mindensem (*b*), Trajectensem (*c*), & occurrit in Comitatum suum Mindensis cum fratre suo Osnabrugensi (*d*). Aderant & Abbates Frisiæ, Sancti Bernardi, Floridi-Horti, & de Doccum. Et profecta est omnis multitudo VI. Kal. Febr. proximâ feriâ post conversionem Sancti Pauli. Et solutum est gelu forte, & tendebant versùs Austrum. Euronothus & Africus flatibus & imbribus valde homines, & jumenta fatigarunt. Primo igitur die fessi

(*a*) Gerardum, qui ab anno 1217. ad 1257. Episcopatum rexit.
(*b*) Conradum ordine 27. ab anno 1221. gessit Præsulatum ad 1236.
(*c*) Ottonem 2. Bernardi Comitis Lippiensis filium, anno 1212. electum, & 1228. vitâ functum.
(*d*) Adolpho, qui cathedræ Osnaburgensi insedit ab anno 1217. & rexit annis 21.

venerunt ad Lippiam, secundo Duzburch, tertio Nussiam, quarto Ruram, quinto Aquasgrani, VI. videlicet in Purificationis vigiliâ Leodium. Die igitur Dominico mane facto in equis pomparicè ibant ad Ecclesiam Beati Lamberti Cathedralem, & expectantibus Episcopis & omnibus, post horam Primæ venit Vicarius quidam, & officium Missæ cœpit legere sine cantu. Ecclesia namque Coloniensis pro signo mœstitiæ solemnitatem cantandi prohibuerat, donec ultio fieret condigna pro scelere, & totus Clerus quasi in triduo antè Pascha in habitu lugubri, & voce submissâ horas reddebat. Cardinalis interim misso Episcopo Hildexmense (a) proposuit, si placeret Dominis Episcopis differri Capitulum in feriam sequentem, & placuit. Aderant ibi, ut fama fuit, Episcopi IX. Comites plurimi, & multitudo infinita. Die sequenti ascenderunt Episcopi cum comitatu suo aulam Episcopalem, in medium videlicet cœnaculum, & moram fecit Cardinalis, & fluctuabat plebs avida novitatis, & implebat domum. Episcopi quoque plurimi expectabant. Sed pro signo cunei Episcopalis, Cathedra Pontificalis super capita manu ferebatur. Accessit tandem Cardinalis, & semel & secundò datâ indulgentiâ urgebat populum descendere, & descendit paulatim. Tandem placuit excommunicare remanentes, & in negotio illo alienos, & tunc timentes dederunt locum, & facto silentio post prælibationem paucorum verborum Domini Cardinalis, surrexit Scholasticus Domini Osnaburgensis Olricus, & pulchrè peroravit pro electu Ecclesiæ suæ captando benevolentiam, elidendo malam præsumptionem, exhibendo contrà inimicorum confictionem, justam satisfactionem. Surrexerunt & ministeriales Coloniensis Ecclesiæ, & Comes Gelrensis (b) contra Monasteriensem. Contra ministeriales Monasteriensis, pro Monasteriensi, & facto tumultu dilata est causa. Die verò proximâ finxit se Cardinalis iturum extra civitatem, & recessit Populus de aulâ & Clerus: Sed clàm rediens cum Episcopis intravit, & clausâ januâ dedit audientiam, & adjudicata est eis expurgatio per Episcopos. Et subtraxerunt se Episcopi, & territi defecerunt, & subsecuta est ab officio suspensio & beneficio, & appositi sunt pro custodiâ spiritualium, & temporalium Diœcesis Mnnasteriensis, Episcopus Patherbornensis (c) & Comes Gelrensis. Septimo igitur Martii profecti sunt Romam, & pridie Kal. Maij innotuit rumor depositionis eorum, videlicet Monasteriensis, & Osnaburgensis electi fratris sui. Monasteriensis autem post brevi defunctus est, & Frater gratiam Domini Papæ invenit. Eodem anno Ludovicus Rex Francorum obiit veneno apud Albigenses. Succedit Ludovicus. 1225.

Anno Domini CIↃCCXXVI. die Dominico, quarto nonas Octobris migravit Beatus Franciscus inventor Ordinis Pauperum Fratrum. Sequenti verò anno XVII. Kalend. Augusti die Dominico canonizatus est. In autumno pestilentia equorum fuit, quorum linguæ & ungulæ putrescebant, sed sanguine fuso super ungulam convaluerunt.

(a) Conrado Magistro in Theologiâ & Siffridi successore, qui annis 27. Episcopatum possessum abdicavit anno 1246. & tertio à cessione suâ anno mortuus est, Henricum habens suæ Prælationis hæredem.

(b) Gerardus 3. Ottonis 2. Patris comitatum adiit anno 1202. dimisit cum morte anno 1229.

(c) Wilbrandus, de quo infrà.

1227. Anno Domini CIↃ CC XXVII. Cruce signati versùs Terram Sanctam portum Januæ liquerunt 5. Idus Maji. Sed XI. Kal. Maji recesserunt de Bordenâ. Una navium ipsorum comparata & instructa fuit ad usus pauperum de pecuniâ divitum virorum & mulierum penè duobus millibus marcarum in terminis duorum Decanatuum per labores Emonis Floridi - Horti Abbatis, & E. Prioris de Feldwirth, & P. & G. Decanorum de Lopessum & Fermessum. Eodem anno conflagrata est villa Groningensis decimo Kal. Maji. Anno eodem Episcopus Ludolfus Frisiam est ingressus XVII. Kal. Junii & antè ingressum ejus occisus est Hevo Subdiaconus, juvenis satis probus. Occisus est etiam Herbrandus de Ripâ XII. Kal. Jun. Occisus Folcardus, Diaconus de Fene, & factum est interdictum Divinorum per Fivelgoniam propter occisorem Herbrandi XVII. Kal. Junii. Circiter Kal. Julii reversus est Episcopus. Anno eodem quinto Kalendas Augusti cœsus est crudeliter Otto Episcopus Trajectensis, filius Bernardi de Lippiâ, Abbatis olim in Livoniâ, & posteà Episcopi ibidem, (*a*) juxtà Coverdiam, & cum eo ingens multitudo nobilium, qui collectâ manu Comitum & militum, voluit cohibere rebellionem Rodulphi qui cum quibusdam seditiosis de Groningâ, qui Geliconidæ dicebantur, contrà Episcopum prælatum & Egbertum, præfatæ villæ rectorem conspiraverant. Applicuit igitur contrà prædictum castellum, & ingressus est cum exercitu quandam paludem. Et miserabiliter in eâdem à Trentonibus prostrati & conculcati perierunt. Anno eodem XV. Kalendas Aprilis migravit Honorius Papa tertius. Successit Gregorius nonus. Anno eodem consummatum est fossatum Claustri. Eodem anno Boritius de majoribus Principibus Chunorum, (*Hungarorum*) quos Teutonici Waelwyn vocant, per fratres de Ordine Prædicatorum ad fidem Christi conversus est, & baptisatus cum multis gentis suæ hominibus à Domino Roberto Strigonensi Episcopo, præsente Belâ, juniori Rege Ungariæ fratre Regis Andreæ.

1228. Anno Domini CIↃ CC XXVIII. post constitutionem satisfactionis pecuniariæ, quam priori anno Dominus Episcopus Monasteriensis de consilio Decanorum, & Abbatum, & cleri edidit pro occisione Sacerdotis H. videlicet in mille marcis Groningensis monetæ, de consilio arbitrorum in eâdem causâ tales conscriptæ sunt litteræ: in nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Thomas de Doccum, Dei patientia Abbas, Prior, & Monachus Claricampi, subdelegatus Domini H. Abbatis loci ejusdem, & Fredericus de Fekenhorst Domini Ludolpi Episcopi legatus in Frisiâ suæ diœcesis, arbitri in causâ, quæ vertebatur inter Godescalcum pugilem & Gersonem H. de Ripâ, Plebani occisorem super occisione ipsius H. à partibus constituti, dilectis suis D. de Loppeshem Decano & H. Upwirthe plebano, & omnibus, ad quos hæ litteræ pervenerint Salutem: notum facimus vobis, quod cùm dissensio inter Godescalcum & Gereonem super corpore H. occisi verteretur, nec-non inter Dominum Ludolfum Monasteriensem Episcopum & ipsum G. super formâ bannorum, in Nos ex consensu partium solenniter in claustro Feldwirth, tàm de compositione, quàm pro bannis est

(*a*) Ab Ortone filio & Episcopo Trajectensi ordinatus est Bernardus Episcopus Leathensis in Livoniâ, teste Crantzio l. 7. Metrop. c. 24. & Alberto Staden. quibus concinit Chron. Werumens.

est compromissum, Nos verò diligenti super his Loppeshem cum pruden- 1228.
tibus habito tractatu, in hoc concordatum convenimus, quòd sententiam Domini Episcopi, quam Fermeshem super ordinibus tulit, quantùm ad nos forè ratam decernimus. Verùm quia Pœnitentiarius Domini Papæ pro jam dicto G. supplicavit, quatenùs cum ipso Dominus Episcopus misericorditer agere dignaretur, Nos pro reverentiâ Sanctæ Crucis, de compositione per Episcopum taxatâ ccc. marcas ex misericordiâ alleviavimus, constituentes, ut septingentæ marcæ Groningensis monetæ pro ordinibus dentur, secundùm consuetudinem terræ memoratæ, & cc. libræ pro bannis Domini Episcopi &c. Actum est hoc anno Domini CIↃ CC XXVIII. Loppeshem 3. nonas Maji, feriâ sextâ proximâ post Ascensionem Domini. Eodem anno factæ sunt sedes Chori. Eodem anno rediit à Romá Wilbrandus quondam Episcopus Patherbornensis, quem elegerat Ecclesia Trajectensis (*a*) & in ultionem decessoris sui cum multo exercitu per plurima loca, & pridie idus Octobr. per incendia intravit & obtinuit Drentoniam.

Anno Domini CIↃ CC XXX. anno verò Conversionis XXII. quidam Ca- 1230.
nonicus Sacerdos in Horto S. Mariæ Abbati suo piæ Recordationis D. Sigardo (*b*) apud vallem S. Mariæ dormienti, nasum cultello, sacrilegá manu amputare conatus est, quem penitùs præscidisset, nisi clamor prædicti Abbatis & tandem advenientium fratrum concursus impedivisset, perpetuam tamen maculam Abbati illi imposuit, quem circatores illius anni primùm Domino Stenveldensi tanquàm Patri, deindè Domino Præmonstratensi mittendum decreverunt, sed Abbas læsus & conventus institerunt, ut primùm Romam pro absolutione iret, & sic factum. Qui cùm in itinere esset, subiit Ordinem Pauperum Fratrum, (hoc est *Franciscanorum*) & posteà Romam profectus est, & post modicum tempus mortuus. Eodem autem anno, quo vulneratus est Dominus Sigardus idib. Novembris, postquam convaluit, defunctus est, anno eodem. Annus erat transitûs B. Ludgeri primi Monasteriensis Episcopi XXI. Annus Pontificatûs Gregorii Papæ IX. quartus, annus consecrationis Fretherici illustris & semper Augusti Romanorum X. Annus conversionis Beati Augustini DCCC XXI. Eodem tempore viguerunt Ambrosius, Martinus, Ieronymus, Prudentius, Claudianus. Annus conversionis Beati Benedicti DCC IV. Annus quandò cœpit Papa Gregorius Doctor egregius DC X. Annus passionis Beati Bonifacii IↃ. V. Annus ex quo capta Jherusalem à Saladino XL. Ex quo Magi Coloniam translati sunt LXVI. Annus ex quo cœpit Ordo Carthusiensium C XL. Ordo Cisterciensis C XXXII. Ordo Præmonstratensium C X. Ex quo plantatus est Hortus S. Mariæ LXVI. Floridus-Hortus XVII. Annus primæ peregrinationis contrà Saladinum XLII. Mediæ, XXXIV; Tertiæ, prædicante Magistro Olivero XIII. primi adventûs Magistri Oliveri XVI. quartæ peregrinationis IV. concertationis inter Menternenses & Sylvanos XXIX.

Hhhhhh

(*a*) Mortuo Ottone 2. anno 1226. in ejus locum, supplicante Florentio Hollandiæ Comite, postulatus est Wilbrandus filius Comitis Oldenburgii, tum Episcopus Paderbornensis, qui ad annum 1236. Trajectensem rexit Ecclesiam, & decessorem suum versùs Trentam à Frisonibus rusticis occisum, ultus est, & magnâ strage factâ, Rudolphum captum & supplicem mulctavit.

(*b*) Syardo, qui miraculis clarus, Sanctorum albo inscriptus est.

1230. Annus XVIII. à Concilio præsidente Innocentio Papâ III. Donationis Ecclesiæ in Werum annus XV. Introitus fratrum in Floridum-Hortum XVII. Annus diluvii noctu Beatæ Julianæ XI. à Cataclysmo noctu Beati Marcelli Papæ XII. Prioris pestilentiæ animalium XXXVII. Posterioris XXIV. Annus Engelberti Coloniensis Archiepiscopi occisi VI. Domini Ottonis Trajectensis Episcopi apud Covordiam occisi III. Annus conflagrationis Ecclesiæ in Loppershem XIII. Idem incendii monasterii Sancti Bernardi. Triumphatæ Threntoniæ victore exercitu Domini Wilbrandi Trajectensis II. pridie id. Octobr. Sed anno Domini CIↃCCXXIX. 3. Kal. Septemb. Rodulphus semel ejectus usurpavit sibi Covordiam occisis quibusdam, & captis custodibus præfati castelli.

1231. Anno gratiæ CIↃ CC XXXI. 12. Kal. Junii facta est donatio Ecclesiæ in Skirame (*a*) Dominicâ Sanctæ Trinitatis à potentioribus, sed 5. id. Jul. cassata est fratribus absentibus, instantiâ quorundam, videlicet Decanorum & aliorum, sed 4. Kal. Aug. innovata est, præsentibus jam dictis Decanis. Eodem die confœderati sunt Trentonibus Fivelgones datis juramentis, & disposuerunt præliari contrà Groningenses. Eodem namque anno ortum est bellum inter Emerenses & Uthusenses (*b*) propter insulam, quam jurati apud Upstallesbome Uthusensibus adjudicaverunt. Sed quia jam dicti Emerenses parere recusaverant, decimo quarto Kalendas Augusti juratos secuta est universitas Fivelgoniæ pro cohertione ipsorum, & congressæ sunt partes in pugnam. Groningenses itaque quos causa non urgebat, sed magis elatio instigabat, & aliquantula societas Egberti Rectoris jam dictæ villæ cum quibusdam fautoribus Emerensium, qui sibi astiterant in seditione civium suorum, Groningenses inquam, cum denso globo virorum gerentium arma Fivelgonibus insuetata, sociati Emerensibus in pugnâ, Fivelgones in fugam verterunt, & lassos in fugâ nudaverunt, vulneraverunt, occiderunt, & prostratus Ecellus vir potens linguæ, & universitati terræ, quia justus dicebatur, acceptus. Qui mortuus est die B. Mariæ Magdalenæ. Ex tunc valdè timuerunt Emerenses, & vetus sollatum antiquissimæ discordiæ inter Emerenses & Hunesgonenses foderunt usque ad mare. Interim confœderati sunt Vivelgonibus Fredalsilvani & Trentalsilvani contrà Emerenses ad pugnandum. Verùm Fredalsilvani, parochiani eis amnem, commisso prælio visi sunt inferiores in pugnâ. Sed impositâ eis ad placitum pecuniæ summâ quieverunt, & tunc cum Trentonibus Groningam applicuerunt 14. Kalendas Septembris, & deinceps. Threntones tamen 7. Idus Augusti applicuerunt, 7. quoque idus Augusti Fivelgonenses collecto exercitu fossata per loca repleverunt, & congressi sunt ad præliandum. Et quia illo die Groningensibus propter metum Trentonum nemo adfuit, post aliquantum bellum, Emerenses fugam inierunt, etiam relictis villis post tergum, & in fugâ illis fessis & lassis & fœminis nihil nocuerunt, quos redeuntes à fugâ Emerenses occiderunt, & diem illum læti in triumpho terminaverunt. Die sequenti vigiliâ S. Laurentii, die luctûs & miseriæ, denuò ad fossatum applicaverunt, & res aliquantulùm prosperè gesta

(*a*) *Skiramere* vicus in Fivelingiis propè Trentam, in quo erat cœnobium Præmonstratensium, quod, referente Sibrando Leone, ad crucigeros transiit anno 1400., autoritate Præpositi in Schilwoldâ.

(*b*) Enerum, & Uthusa amplissimi Husungiorum vici in Omlandorum regione.

audaces fecerat debiles,& inermes Sacerdotes quoque,qui adfuerunt. Et ecce 1231. solutâ obsidione Trentonibus, qui dolo quorundam, ut posteà compertum est, reversi fuerant, adfuit cuneus Groningensium ut nubes densa præeuntibus sagittariis, & impetu facto transierunt fossatum, & tanta multitudo Figelgonum nec unam miserunt cuspidem, sed impleta stupore, in fugam se dederunt, & statim qui lassi, qui debiles fuerant vulnerati, nudati turpiter, & occisi passim per prata jacuerunt. Nobiles quoque hinc indè nudati. Ignominiosè & capti sunt, tàm à Groningensibus, quàm ab Ernerensibus, & ditiores Groningæ incarcerati, & nihil restabat, nisi per dies & noctes, nudos, captos, & occisos quærere & deplangere.

His ita gestis 14. Kalendas Septembris repetiit fossatum Universitas Fivelgonum pugnatura. Sed septimo idus Septembris excusaverunt se non posse venire propter metum belli, quod 4. idus Septembris Episcopus ipsorum indixit se facturum, sed pro fide servandâ obsides dederunt. Quarto verò idus Septembris Ernerenses adductis plurimis tràns Lavicam bellatoribus & aliis quàm plurimis, hinc indè facto impetu, vastarunt villas adversariorum, quot voluerunt, sed nec Ecclesiis Dei, pepercerunt, nec fœminis reverentiam exhibuerunt. Incenderunt etiam Ecclesiam in *Husquert*, & juxtà illam inclusum bonæ famæ, & tunc in illâ Ecclesiâ consumptum est igni Dominicum Sacramentum. Ecce ad tantum nefas attraxit eos feritas rebellandi, cum pro fide violatâ impeterentur. Confœderati fuerunt illis de *Hugemercke*, de *Midag*, de *Merna*, de *Groninge*, cuncti bellatores, instigante quosdam solâ superbiâ, quosdam quidem timore patriæ spoliandæ. Inter cæteros de Hunesgoniâ, Capitales erant Eppo, Eyzo, & Egbertus Rector Groningæ oblitus totius consilii, & auxilii, quod impenderunt ei Fivelgones, quando ejectus fuerat à præfatâ villâ per Geliconides, & hoc in recenti. Propter hujusmodi detestabile sacrilegium procurante honesto Viro D. Herbrando Decano Ecclesiæ illius, excommunicati sunt ab Episcopo Ludolpho. Et eadem excommunicatio confirmata est à D. Gregorio Papâ IX. Ernerenses igitur inconsulto D. Papâ pecuniam ad reparationem Ecclesiæ exposuerunt, & per pecuniam præfatam Episcopo reconciliari studuerunt. Eodem tempore defunctus est præfatus Decanus possessor Ecclesiæ in *Husquert*, tertius hæres illius nominis, relicto parvulo ejusdem nominis.

Cùm autem dicat Apostolus, *pacem habete, & Deus pacis erit vobiscum*, dicunt Sapientes militare non est peccatum. Dicit enim Augustinus: Quid culpatur in bello? an quòd moriuntur alioquin morituri, ut dominentur in pace victuri! hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum. Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, implacatus animus, feritas rebellandi, libido dominandi, hæc sunt, quæ in bellis jure culpantur. Undè sciri potest, quod illud sit justum bellum, quo edicto à Principe, vel populo nec vindicantur illata, nec propulsatur inferenda injuria. Clericis non licet arma movere manu propriâ, sed moventibus possunt auctoritatem dare *XXIII. qu. ult.* omni tempore militari potest, nec culpa subest. Pugnandum causâ necessitatis, & utilitatis pro defensione sui, & suorum, & Ecclesiæ, & fidei, & patriæ regnique. Leo enim propterea populum contra Saracenos congregari præcepit, & cum eis Româ egressus ad littus descendit maritimum. Quia Deum videtur tentare, qui Sanctæ Religionis detrimenta non præcavet *XXIII. qu. 8. C. igitur &c. si nulla.* Nam si

1231. hodierni temporis Ecclesia perfectionem Evangelicam, & patientiam imirata memoratis paganis colla submitteret, evacuaretur prædestinatio, & excideret promissio. Et ideò Machabæi magis Sabbatho rebellare, quàm pariter omnes interire elegerunt. Sed valdè cavendum, ne prædicta verba Augustini nocendi cupiditate conscientiam remordeant.

1232. Anno igitur CIↃCCXXXII. Hunesgonenses intraverunt terminos Fivelgoniæ, & succenderunt Wigbaldeswerff, & posteà 15. Kalendas Octobris post placitum solemne, quod Groningæ habuerunt, cui etiam interfuerunt Translavicenses, post pocula exhausta ascenderunt equos equites, & admixta est multitudo peditum spe prædandi adversarios, & horâ vespertinâ intraverunt superbe villam *Emetha*, horrendâ, & incertâ nebulâ, & concrepatione campanarum stupefacti fugerunt, & in fugâ in viâ publicâ comprehensi miserabiliter sunt occisi, & capti penè meliores terræ ad quadringentos. Alii innumeri vulnerati evaserunt. Quidam verò secùs viam relicti, & sic nox hos & illos obtexit. Post proximo Sabbatho Episcopus Ludolphus celebravit Ordines clericorum *Bedum*, qui jam tertiò Frisiam intraverat. Postmodùm Fivelgones habito consilio statuerunt, quòd captivi omnes in turribus quarumdam Ecclesiarum includerentur, donec pleniùs deliberarent, quid de illis utilius fieret, sed medio tempore ad magnam confusionem omnium furtivè de turribus aufugerunt. Et sic præterea illo anno nichil memoratu dignum actum fuit.

1233. Anno CIↃCCXXXIII. effudit abyssus superior horrendam satis pluviarum inundantiam à Kalendis Julii, & deinceps, & exspatiata est aqua huc atque illuc per campos, & planitiem terrarum, duobus annis retroactis satis aridis, præsertim post exaltationem S. Crucis. Tanta fuit inundatio mense Septembri, ut diluvio Maris possit æquari, & ideò fœnum multum periit, & prata relicta sunt cum vellere suo. Residuum fœni magnis navibus ducebatur per campos & vias quasi per alta maria. Annus ille fuit magnæ afflictionis hominum & animalium, ut homo & deinceps reddat Deo vota laudis suæ, & cogitationibus suis confiteatur ei, & reliquiæ cogitationis & recordationis peccatorum quasi debent esse in memoriâ, ne superbiant abstinentes ab operibus malis. Verisimilè fuit, quòd in illâ inundatione superioris abyssi, quæ hactenùs salsugo in sinu terræ delituit, diluta sit & absorpta. Ex tunc terra cœpit solitos fructus reddere. Undè, ó vos Christiani, dignis flagellationibus castigati, orate humida solstitia propter æstum ætatis, & hyemes serenas. Duo quippe dicuntur esse solstitia, videlicet XII. Kal. Januar. & XII. Kal. Jul. & duo æquinoctia XII. Kal. April. & XII. Octobr. dicitur ergò ille pronosticus: cum libra fecerit æquinoctium in Octobri, serite ordea campis, si fieri possit, etiam usque ad Januarium, & lini segetem verè cum aliis sationibus, cum signum tauri XI. April. apparuerit. At si triticum & aliud genus farris, quod habet aristas serere volueris, antè abscondantur Plejades, quæ pridie nonas Aprilis occidunt, debita quàm sulcis committas semina. Multi antè occasum earum, videlicet antè Aprilem cœpere, sed illos expectata seges vanis elusit avenis. Signa in sole & lunâ commendantur agricolis. Nam Deus est, qui fecit luminaria & potestatem dierum & noctium. Sol in ortu maculosus abscondens se, signat imbrem, radiosus & pallida aurora grandinem, cæruleus pluviam, igneus Euros, maculæ cum igne, ventos & imbres in occasu. Luna nova

nova nigra, ſignat imbrem, rubea ventos. Quarta verò certiſſima ſigna dat: 1233.
Si tunc

Laxa, nec obſcuris per cœlum cornibus ibit,
Totus & ille dies, & qui naſcentur ab illo,
Exactum ad menſem pluviâ ventisque carebunt.

Imbrem etiam prænuntiat bucula cœlum ſuſpiciens, rana querulans, hirundo lacui circumvolitans, formica ova efferens, corvi facto agmine raucè crepitantes. Signa ſerenitatis hæc ſunt: ſtellæ per imbrem nec nimis obtuſæ, nec nimis ſcintillantes, nebula ima petens, noctua non clamans, corvi ter, vel quater gutture preſſo clamantes, & ut dicitur:

Nocte rubens cœlum, cras indicat eſſe ſerenum,
Si de mane rubet ſignum donat pluviale.

Eodem anno Statuta D. Gregorii Papæ IX. tranſmiſſa ſunt (*a*) Præmonſtratum in Capitulo Generali. Obiit Geyco, Decanus in Fermeſſum, vir per omnia ſecularibus artibus idoneus, & benè religioſus, & obſequioſus. Succeſſit ei Sicco quartus à proavo Sigrepo.

Annó gratiæ CIↃCCXXXIV. circa Epiphaniam duo de Prædicatoribus 1234.
Bremenſis collegii, Fivelgoniam intraverunt ad crucem ſignandum contrà Sthedingos (*b*). Sed poſt negotium eorum in Eccleſiâ Damenſium declaratum aliquanto tumultu populi vexati ſunt, & ideò Groningam ſe transtulerunt, & Damenſes excommunicatos denunciaverunt in Groningâ, & per Hunſgoniam ſtationes inſtituerunt, & adulati ſunt invicem cum Gronienſibus, & Hunſgonibus, ac Statingos, Trinrones, & Fivelgones pares eſſe propter inobedientiam dicere non timuerunt. Illi inquam Prædicatores Incluſis, (*c*) quorum fuit ingens multitudo, propter abuſiones, quibus ſimplices alliciebant, valdè inſultabant, & præcipuè uni illorum de Stethſwerth, qui incorrigibilis apparuit, & illuſionibus deceptus ſimplices alliciebat, & contrà eum adeò proceſſerunt, ut ejicerent de Cluſâ, & per manum armatam Gronienſium, duceretur Groningæ, qui poſt confeſſionem multarum blaſphemiarum, vix quòd non combureretur evaſit, & in pœnitentiam perpetuam in ſpecu ſubterraneâ peragendam Abbati ſuo de Rottum (*d*) redditus eſt. Nam ibi olim converſus fuit. Iſti inquam Prædicatores, ut multis viſum eſt, ſine diſcretione uſi ſunt auctoritate ligandi & ſolvendi, quaſi gladio in manu furentis. Pauci igitur cruce ſignati ſunt contra Stathingos. Dammenſes itaque poſt multas comminationes, vix optinuerunt reconciliari poſt caſtigationem (*e*) virgæ profuſis genibus, nudi & proſtrati per aliquot ſignatos emiſſos contra prætaxatos Stadingos. Denique prædicatorum iſtorum vexatione quaſi divinitus timor, & tremor cecidit ſuper Fivelgones propter conjuratio-

(*a*) Hæc ſtatuta ad juſſionem Greg. IX. condita fuerunt per Abbates S. Michaelis Antverp. B. Mariæ de Midelburgo, Fulcardi-Montis gallicè *Foncquarmont* & Frigidi-Montis, & ab iiſdem in Capitulo generali promulgata autoritate Pontificis anno 1233

(*b*) Sthedingos, genus hominum paluſtre, inquit Crantz. l. 7. metrop. c. 30. & perindè indomabile ultrò Bremam confidens, Deo hominibusque contumax.

(*c*) Gallicè *Reclus*, genus erat Monachorum in cellis vitam abditam degentium.

(*d*) Abbatia Ordinis Sti Benedicti in Diœceſi Groningana & Regione Omlandorum. Non procùl ab hac Abbatiâ erat Parthenium nomine Bethleem.

(*e*) Flagellis, ſolebant excommunicatos, exceptos abſolvere, iſque mos ad noſtra tempora perſeveravit apud Monachos, qui in laicis pridem vigebat.

1234. nem, quam fecerunt, inſtigante Excello, & quibuſdam aliis contra Epiſcopum, ſuper reſcriptis, quæ impetrabat Clerus, & contra interdictum Eccleſiarum, & contra bannos immoderatos, & contra ſatisfactionem pecuniariam, quam ſtatuerat Epiſcopus pro ſacerdotibus occiſis, jam antè annos quaſi quinque, conſpirantes & conjurantes compoſitionem ſacerdotis occiſi non excedere cccc. marcas, & alia quædam conjuratione firmarunt, in præjudicium canonicarum ſanctionum, contra quod dicit Callixtus Papa 2. *qu.* 1. *Conjurationis aſtutia non ſolùm inter Chriſtianos abominabilis eſt, ſed & inter Ethnicos, etiam ab exteris legibus probibita.* Ludolphus Epiſcopus Monaſterienſis, recto utens ordine, à Domino Papâ judices obtinuit, Sancti Petri, & Sancti Joannis Decanos, & cuſtodem Oſnaburgenſis Eccleſiæ, per quos frequenter commoniti, & interdicto Eccleſiarum puniti, non reſipuerunt, ſed juſtam quandam querelam ſibi habere videbantur adversùs Sacerdotes fornicarios, & tabernarios, quos antè humiliationem laïcorum corrigere diſſimulavit Epiſcopus. Et non ſolùm de ordinibus, ſed nec de rebus Eccleſiaſticis, legitur aliquandò laïcis attributa diſponendi facultas. Verùm quæcumque in ordinibus à Principibus decreta inveniuntur, nullius auctoritatis eſſe monſtrantur. Ita continetur *Diſt. XCIV. bonum quidem.* Caſus talis. *Simmachus* Papa infirmabatur, cùmque de ſalute cœpiſſet deſperare, ſupplicavit Baſilio urbis Romæ Præfecto. Quod audiens Baſilius ægre tulit, & convocatis Epiſcopis protulit conſtitutionem. Deindè defunctus eſt Baſilius & convaluit Simmachus, reprobavitque conſtitutionem à Baſilio factam, & hoc ne in poſterùm laïci de rebus Eccleſiaſticis diſponendis ſe intromitterent. Anno igitur præfato, Kalend. Martii, de beneplacito Epiſcopi ſoluta eſt conſtitutio ſtulta laïcorum renuntiantium eidem, præcipiente Epiſcopo, ut pœnitentiam agerent, & ex gratiâ, de expenſis quas fecerat liberi eſſent. Eodem anno Prædicatores hàc, & illàc versùs Rhenum, Weſtphaliam, Hollandiam, Flandriam, Brabantiam quaſi nubes volabant, & Principes & populos contra Statingos concitabant. Quos contra querela Bremenſis Archiepiſcopi (*a*), jam penè per quinquennium auribus Domini Papæ illata eſt, qui cauſam hujuſmodi tribus Epiſcopis delegavit, & ut multis innotuit, inter cætera reprehenſibilia principalior cauſa fuit inobedientia, quæ ſcelere idololatriæ non eſt inferior, dicente Salomone, *nolle obedire ſcelus eſt idololatriæ.* Illi namque, licet gens modica fuit, ſecùs ripam Wiſeræ (*b*) fluvii, propter violentias, quas milites & ſervientes intrantes ad eos irrogabant, omnes hujuſmodi ejecerunt & ſe defenderunt, & interim redditus Epiſcopi & Eccleſiarum non reddiderunt, propter quod Sacramentis Eccleſiaſticis & Sacerdotum miniſterio privati ſunt. Præfati igitur Epiſcopi propter inobedientiam eorum, cauſam ſibi commiſſam, Prædicatoribus commiſerunt, quatenùs ad cohertionem ipſorum crucem darent omnibus peregrinari volentibus in remiſſionem omnium peccatorum. Non parva ergò multitudo ſignata eſt in præfatis partibus. Terminus quoque peregrinationis ad præliandum conſtitutus eſt ſextus Kalendas Junii, Sabbato antè Aſcenſionem Domini. Adſuit ergò (*c*) Comes Hollandiæ cum multâ acie pugnatorum in

(*a*) Gerardi de Lippiâ. (*b*) Aliàs Viſurgis, gallicè *Weſer.*

(*c*) Hoc bellum deſcribit Crantz. l. 7. c. 47. Metrop. Indè verò Henricus, inquit, Dux Brabantiæ & Florentius Comes Hollandiæ Bremam venientes contrà Stedingos perfidos viriliter ſe accinxerunt, tanquàm contrà manifeſtos Eccleſiæ inimicos &c.

multis navibus. Aderat & Comes Geldriæ & Cliviæ. Adfuit Dux Brabantiæ cum incredibili multitudine bellatorum. Statingi ergò quid facerent pauci inter multos, inobedientes inter Catholicos, præmoniti & obstinati, nolentes relinquere glebam patriam? & in primo congressu Comes de Oldenburgh, laxatis habenis, cum equo cadente corruit, & occisus est. Fama fuit apud Statingos fuisse XI. millia pugnatorum. Princeps exercitûs Christianorum fuit Dux Brabantiæ, qui tandem coactâ militiâ, hinc inde illos perditos & lassos jam circumcinxit, & facto impetu in ore gladii consumpsit. Fama fuit multos viros & mulieres exitu præconsiderato in palude & alibi se per fugam servasse. Et hæc est tertia Crux data contrà inobedientes quasi idololatras. Nam Prima fuit contrà Saracenos. Secunda contrà hæreticos Albigenses. Tertia contrà Statingos. Multæ siquidem novitates in diebus D. Gregorii noni pullularant. Prima est religio Prædicatorum, qui ut nubes volant. Item Humiliatorum, seu Nodosorum, vel Nudipedum. Item quorumdam Simplicium, qui dicuntur Beggini. Item Communium collegia Fœminarum. Item Asininorum ducentium asinum. Item Fratrum de gladio. Item de novitate miraculorum. Item de quodam de Armeniâ, qui Romæ in turbâ, cum tubâ perstrepuit, dicens, Laudate & properate. Item ordo de Redemptione captivorum, qui dicitur S. Trinitatis. Anno eodem fuit annus concertationis Nordensium duodecimus, qui conflixerant cum Hundrensibus, Herbingensibus, & Upgentensibus, & Emesgoniis Brockmannis, & multos centenarios hominum hinc inde prostraverunt. Ipsi quoque damno, ut dicitur, quingentorum occisorum puniti sunt. Cuncti prædicti summam puri auri mille marcarum, & quinque millia argenti, pro pace obtulerunt. Totidem quoque marcas secundùm monetam Emethensium, exhibuerunt Uthensensibus, quas olim acceperant ab eis, ne se eorum inimicis associarent. Annus etiam fuit quartus guerræ Rheydensium cum Parochianis de Esendorp, & fautoribus suis. Reidenses (a) quippe postquam offensi fuerant propter injurias ipsis illatas, redeuntibus, vel etiam euntibus ad nundinas frequenter indicto bello, inducti ad arma, & inermes, cum pileis pennatis armati, & equis impinguatis congressi sunt in campo tràns Emesam, & dispositâ acie ipsorum, in multitudine gravi irruerunt hostes, licet pauci, & versa est multitudo in fugam secùs Emesam in obliquum, & penè omnes nobiles, vel divites capti sunt, alii aliàs fugientes naves non apprehenderunt, & amni se crediderunt, & in eo capti sunt, vel submersi. Duces adversæ partis fuerunt Stephanus & Eustachius, & milites de Castellulo Fresenburch, sub Comite de Ravenesburch, qui consilio pacifico usi reddiderunt captivos, & sic aliquantulùm quieverunt. 1234.

Anno secundo post inchoatam guerram à Reidensibus contra incolas Emesæ superiores præfatos, ortum est bellum inter Emesgones inferiores, & Hreidenses, propter quendam Hreidensem submersum, qui voluit prædari venientes de nundinis, quem Emesgones indignum compositione censuerunt jure prædonis. Emesgones ergò collectis navibus & repletis applicuerunt, & scissis aggeribus proximas villas compulerunt ad deditionem. Amnicolæ verò non consenserunt, sed viriliter eos de partibus superioribus repulerunt. Anno ergò Domini CIↃCCXXXIV. auxilium veterum hostium & Comitis de Ravenesburch postularunt, sed pauci venerunt. Eodem tem-

(a) Populi regionis amplissimæ inter Lavicam & Amasum.

1234. pore Hreidenſes à Fivelgonibus auxilium petierunt, Fredoſilvani (a) ſimiliter. Mota enim gens à quatuor marcis à Stauriâ (b) uſque Lavicam contrà Longawaldenſes & Frodawaldenſes, qui in prælio Epiſcopi Wilbrandi (c) adjutores extiterant Threntonum in occiſione & ſpoliatione ipſorum, & ſimiliter contra Fivelgones quorum quidam propè Emeſam piraticam prædam contra mercatores eorum exercuerant. Sed non credidit gens illa ſibi, & ideò ab invicem receſſerunt, cum hactenùs unius fori fuiſſent.

Ecce quid expertus ſit ille nobilis concionator in manifeſto nobis eſt, qui dum ſufficienter oſtendiſſet humanum ſtatum eſſe incertum & fluctuantem, ſubjunxit: omnia in mundo ſibi contraria & nichil æternum, dicens, tempus & tempus omni rei ſub cœlo, & poſt pauca: tempus pacis, & tempus belli. Reverſus itaque in ſe contemplatus eſt in illâ ſpeculâ generali, quæ eſt ſui ipſius cognitio, undè Boëtius, Cognoſce teipſum, & cognoſces omnia præſentia, præterita & futura, & invenit, quod multiplex eſt bellum. Inter Deum videlicet & hominem, inter hominem & mundum, inter hominem & carnem, inter virtutes & vitia. Locus belli, mundus, tempus militiæ & præſens vita. Unde eſt illud: Domine qui conteris bella ab initio. Fuit enim bellum ſub Lucifero, ſub gigantibus, ſub turrim ædificantibus, inter Circumciſos & Incircumciſos. Sub lege inter Judæos & Iſraelitas. In novo teſtamento inter Chriſtum & Diabolum, inter Chriſtianos & paganos, inter hæreticos & Catholicos, inter veros fratres & falſos. Sub Antichriſto inter Angelos & homines in judicio. Eſt & jugis pugna virtutum cum vitiis in animâ hominis. Nam prima omnium virtutum petiit campum pugnatura fides. Secuti ſunt Apoſtoli & Martyres. Adjutores erant fidei, ſpes, charitas & patientia. Occurrit idololatria cum proceribus hujus mundi, & poſt VIII. generales perſecutiones, Dei gratiâ evanuit idololatria. Deindè prodiit pudicitia, & occurrit Sodomica libido, quæ gladio verbi per collum fixa, proſtrata eſt. Poſt fidem & caſtitatem procedit patientia. Occurrit ira tumens, quæ fruſtrà arma conſumens, ſed dejiciens, cuſpide verſâ ſeipſam transfigit. Sequitur ſuperbia in equo impatienti, cui occurrit humilitas junctâ ſibi ſpe. Sed poſt multas blaſphemias ſuperbia corruit in foveam & conculcata eſt. Prodit luxuria videlicet omnium totius terræ ſuperfluitas ebria, cui occurrit ſobrietas, & Crucem Domini intentans fugat hoſtem, & de curru cadens lacerata eſt, & dentibus ſilice contritis vomuit, quas hauſerat eſcas. Inſtat adhuc avaritia ſuccincta gremium, quæ poſt multas ſimulationes etiam virtutum comprehenſa eſt à largitate & ſtrangulata. Adhuc procinctus bellicus non eſt ſolvendus tibi, ô anima! quia oritur invidia ex diſcordiâ ad deturpandum triumphum latens, cui occurrit concordia, ſtipata legione omnium virtutum, ſed fides pilo transfixit linguam illius hærentem palatio. Hæc ſunt multiformia bella in animâ. Undè ille: conturbata eſt anima mea, & meritò, quia adhuc ſuperſunt feculentæ turbationes propter prædictos conflictus, etiam in animâ ſapientis, ſuccedentes ſibi viciſſim pro cauſarum varietate, quæ potiùs dici debent in animâ ſapientis affectiones, nam affectio eſt mutabilis mentis impulſio. In inſipiente perturbationes ſunt. Primus quidem modus perturbationis, ſecundùm Poëtam, eſt metus. Unde, hinc

(a) A Fredowoldæ regiunculâ ſic dicti, & hæc eſt pars Omlandiæ.
(b) Staveren. (c) Trajectenſis.

hinc metuunt, cupiunt, gaudentque, dolentque. Auctoritate verò Sacræ Scripturæ primus motus est cupiditas, secundus metus, tertius dolor, quartus gaudium, quia radix omnium malorum cupiditas. Cupiditatem sequitur tenacia, multiplicatio, inaffectio, voluptas. Metum sequitur sollicitudo, inconstantia, fictio, irrationabilitas. Dolorem sequitur livor, amaritudo, clamor, crudelitas. Gaudium sequitur dissolutio, jactantia, mendacium, superbia. Ecce quot & quales perturbationes sequntur quaterniones prædictas. Hi etiam dicuntur nuncii importuni in malum, quibus in animâ sapientis respondent cardinales virtutes, videlicet, timori prudentia, dolori fortitudo, spei justitia, gaudio temperantia. His etiam ratio domum suam, id est, carnem & animam disponit in bonum, utens timore pro janitore, dolore pro dapifero, gaudio pro pincernâ, spe pro cubiculario. Aliæ etiam gemmæ dicuntur in coronâ in homine, ut caput animæ coronetur. Timor in fronte, suppositâ sibi justitiâ. Spes in capite, suppositâ sibi prudentiâ. Dolor à sinistris cum fortitudine. Gaudium à dextris cum temperantiâ. Quis non miretur tot varietates in bono & in malo? Sunt etiam gaudium & dolor de præsenti, timor & spes de futuro. Dolor tamen de malo, gaudium & spes de bono. Novit qui inter ista quasi inter diversas molas conteritur, quod sicut non est pax temporis, quamvis instanter oretur, sic nec ista sinunt miserum animum requiescere. In tantâ tristitiâ consuluit Propheta, dicens, effudi super me, vel in me animam meam, ad Dominum videlicet, qui est solus super rationalem animam, cui similis est, quia cæso corpore non decrescit. Sic & Deus impermutabiliter permanet, quod est, quamvis res, in quibus est anima, varientur. Anima dum super se extenditur videt Deum, in se remanens, nec comprehendit, sed cogitat super se esse illam invisibilem Deitatis essentiam. Visione corporeâ nullus videt Deum, qui Spiritus est. Visione ænigmaticâ videt per fidem in præsenti. Comprehensivè, purè, videtur ab Angelis, à Sanctis, ab animabus bonis. Videtur tamen in præsenti per inspirationis, contemplationis, orationis, meditationis, prædicationis officium, vel etiam quandò redit ad se, dimissis exterioribus & dilatato intellectu Deum intelligit, & quodammodò videt & recognoscit. Si verò inferior vis animæ contristetur, consolatur eam ratio, & revocat ad se exhortando, dicens: *quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo* &c. Anima hominis propriè dicitur, non pecudum, quia illorum anima in sanguine est constituta. Hinc quoniam immortalis est anima rectè dicitur amœna, id est, à sanguine longe discreta, quia post mortem corporis perfectam ejus constat esse substantiam, vel dicitur anima, eo quòd animet substantiam atque vivificet. Anima dicitur animi, id est, à vento, quod cogitatio ejus ad instar venti motu celeri pervagatur. Fit autem ex appetitu ejus & desiderio. Mens dicitur à Mene, id est, à lunâ, modò enim tribulationibus attenuatur, modò lætitia reparatur. Spiritus quoque tripliciter dicitur. Veraciter spiritus nullius indigens, complens universa, totus in toto, immobilis loco, & voluntate æternus, singulariter potens. Spiritus quoque dicitur tenuis substantia, nobisque invisibilis, creatus, immortalis. Undè & spiritus per totum corpus emissus atque receptus, per quem vita mortalium statu necessario continetur, nec otium capiens jugi mobilitate reparatur. Anima igitur, nec animus, nec mens propriè vocatur. Sed quatenùs res istæ in eâ excedunt. Dicatur igitur 1234.

1234. anima dum corpus vivificat, animus dum vult, mens dum ſcit, memoria dum recolit, ratio dum rectè judicat, ſpiritus dum ſpirat, ſenſus dum ſentit, voluntas dum conſentit. Anima igitur hominis dicitur ſpiritualis ſubſtantia, quare nullatenùs ſanguinis effuſione conſumitur.

Animà hominis eſt à Deo creata, ſpiritualis propriaque ſubſtantia, rationalis, & immortalis, ſed in bonum malumque convertibilis. A Deo creata eſt, quia dicitur, omnem flatum ejus feci. Spiritualis, quia nec longo, nec lato, nec profunditate clauditur. Propriaque ſubſtantia, quia nullus ſpiritus alterius carnem ſuſcepit, ut ejus paſſionibus condoleat, vel lætetur. Item ineffabili conditione diligit carnem ſuam. Vita corporis, animæ præſentia eſt. Accepto vulnere in corpore dolet. Alimenta competentia ubique diſpergit, nec poteſt ſe ſegregare, niſi ſecundùm juſſionem conditoris. Rationem habet, quia divina tractat, qui eſt animi probabilis motus; quo per nota ad ignota ducitur, cogitationes ſuas apprehendit, movetur, erigitur, fluctuari cognoſcitur. Immortalis eſt, quoniam corpus vivificat, in ſemetipsâ vivit. Non conſtat ex partibus, ſimplex namque eſt. Ad imaginem & ſimilitudinem Dei facta eſt, & ideò ab eo non diſcrepat. Sed imago poteſt habere aliquam ſimilitudinem, nec hic poteſt implere totum virtutis opus. Paſſionibus obnoxia eſt, & mœroribus pervia. Vivit in ſe. Poſt hujus ſæculi amiſſionem pura, ſubtilis, cita, æterna, videt, audit, tangit, omnia ſpiritualiter ex toto cognoſcens. Affectionibus hìc obnoxia eſt, modò gaudio levatur, modò mœrore deprimitur. Semper eam naturalis mobilitas exagitat ad cogitationes. Nam ſopitis ſenſibus imaginatione deludimur. Bonarum rerum amiſſibilis ac receptibilis eſt, nec recolit magis quàm diſcit artes uſuales, & nova ſic audit, quaſi nihil ex his didiciſſet. Nobili ſemper ardore vegetatur, & calore membra vivificat. Lumen implere dicitur propter imaginem Dei, quod pro modulo neceſſarium accipit. Poteſt quidem ex aliquâ parte ſentire, ſed ydoneè non valet explicare. Lumen aliquod ſpirituale anima habet in cogitatione poſita. Et quamvis in ſe lucida eſt, clarior tamen fit, cum à Deo bonis actibus intenta non recedit. Anima formam habere nullatenùs putanda eſt. Forma dicitur, quod aliquod ſpatium lineaælinciſve concludit. Et anima tamen licet informis, formas legitur accipere frequenter. Ipſa quoque quantitatem penitùs non habet. Quantitas enim aut de conjunctis conſtat, ut arbor, homo, aut de disjunctis, ut populus. Nec formam recipit, nec quantitatem, ubicumque eſt. Creatori tamen circumſtantia ejus & quantitas patet, qui omnia ſub menſurâ, numero, & pondere creavit. Juſtitiam habet contrà parva & magna, prudentiam contrà conſuſa & incerta, fortitudinem contrà proſpera & adverſa, temperantiam contrà non rectos impetus carnis & delectationes. His quatuor animæ ſalus cuſtoditur. His quatuor præterita complectitur contemplatione, ratione, memoriâ. Stultis juvenibus obviat, quod aut in parilitate partium aut humoribus anima inepta nimis habitatione deprimitur. Multis morbis accedentibus acumen ſolitæ ſapientiæ tollitur. Cæterùm anima nec creſcit cum parvulis, nec fatuis aliæ tribuuntur, ſed ſicut immortalitatem aſſumunt, ita & rationabiles eſſe ſe generaliter ſentiunt. Parvulis ratio creſcit longâ meditatione, non animâ.

Anima rationalis habet virtutes. Prima eſt imaginatio, per quam incorporalia imaginariè ſentimus. Secunda imperatoria, quæ facit tranſferri de

loco ad locum, voces edere, manus curvare. Tertia principalis, quæ facit 1234.
corporalibus sensibus sopitis profundiùs firmiùsque aliquid tractare. Quarta naturalis, id est, calor animi vitalis, qui nobis propter fervorem suum moderandum auras æthereas hauriendo & reddendo vitam tribuit. Quinta delectatio, appetitus boni malique, quam sub jucunditate animus concupiscit. Prima est attractiva capiens de utili, quod sibi necessarium sentit. Secunda detentoria, donec decoctum procuretur. Tertia translativa; Quarta expulsiva, quæ contraria expellit.

Legitur mox ubi corpus de limo est effectum, statim Deum insufflasse, factumque esse Adam in animam viventem. Insufflatio Dei mandatum est, & jussio. Secundùm hoc dixerunt, mox ubi semen humanum coactum fuerit in vitalem substantiam, illicò creatas animas corporibus dari discretas atque perfectas. Phisici XL. die humanum corpus ac mortale animam dicunt accipere. Fixè credendum est, & Deum animas creare, & occultâ quâdam ratione justissimè illis imputare quòd primi hominis peccato tenentur obnoxiæ. Dominus autem Jesus-Christus absque peccato sine dubio venit, qui erat omnium peccata soluturus.

Quidam animæ sedem, quamvis sit in toto corpore diffusa, in corde esse volunt dicentes, quod ibi purissimus sanguis & vitalis spiritus continetur, ut indè & cogitationes sive bonas, sive malas exire confirment, quòd animæ virtutem operari posse non dubium est. Plurimi autem animam in capite insidere manifestant ad similitudinem aliquam divinitatis, quæ licet omnia ineffabili substantiâ suâ repleat, scriptura tamen eam cœlos insidere confirmat. Fuit in primo homine beatitudo naturalis, arbitrii liberi potens, & inviolata scientia, sed in transgressione perdidit, quod posteris traditurus acceperat. Ad nos transmittere non potuit, quod amisit. Indè nutrita defectio, indè ignorantia, indè curæ, indè pœnitenda consilia, obscurata cognitio, turpe desiderium, justitiæ neglectus, plura nobis cum pecoribus communia, multum Divinitas à nobis discreta. Prænuntiat enim nobis, proh dolor! solis discussio serenitatis adventum, venturam sæculis libertatem temporum ratione colligimus, lætitiam nobis interdum ignari animi præsagio promittimus. Sed quid tale ignorare potuisset anima, si ejus fuisset dignitas custodita? depressa est jure ad ignorantiam, quæ scire voluit contumaciter vetita. Modò signis aut conjecturis sapit aliquandò, quæ sine labore nosse potuit universa.

Anima est res spiritualis vicina substantiæ Dei, quæ corpus movet, regit, sensificat, capit quasi infinitatum ymaginem, & revocat se ab exterioribus, secundùm quod dicitur mens rationalis. Est autem à Deo, non de Deo, nec de aliquâ præjacenti mareriâ, sed de nichilo creata, nichil habens simile in aliquâ creaturâ. Quidquid intelligit, tota scit, etsi non totum scit, scit se viventem & intelligentem, vel aliquid volentem. Cùm ergò se intelligentem scit, se utique scit. Vis animæ ingenium, & vis scilicet ad aliquid percipiendum, à quo est sensus applicatione exteriorum per visum. De sensu surgit opinio rerum. Opinio, scilicet fluctuans, & incertum vel falsum de rebus animæ judicium. Ratio verum & certum videlicet de re corporeâ. Intelligentia, certum est judicium de re incorporeâ, quæ est solius Dei. Efficientia animæ in vi vegetandi, sentiendi, ratiocinandi. Ratio in præsentium notitiâ, quid sit, in absentium intelligentiâ, quale sit, in cognitorum inquisitione, cur sit, & extenditur ad cognitionem naturæ, & morum disciplinam.

1234. In animâ sunt ratio, memoria, voluntas, triplex dignitas. Unde; *diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex totâ mente, & ex totâ animâ tuâ.* Hæc trinitas corruit per suggestionem, delectationem, consensum, item imprudentiam, infirmitatem, immunditiam. Ratio recipit malum pro bono, pro vero falsum, incommodum pro commodo, & sic perdit Ethicam, Logicam, & Practicam. Memoria scissa est in cogitationes affectuosas, onerosas, otiosas. Voluntas in concupiscentiam carnis, & oculorum, & superbiam vitæ. Sed per virtutes Catholicas reparatur, fide, spe, charitate. Item cordis proprium est Deum diligere, animæ Deum credere, & quæ Dei sunt. Mentis est recordari, diligere Deum, sapere. Item anima habet tres dignitates, intellectum, voluntatem, memoriam. Intellectus in corde, ex intellectu generatur voluntas de ambobus procedit memoria.

Sunt autem tres vires animæ, rationabilitas, irascibilitas, concupiscibilitas, quibus assistunt fides, spes, charitas. Sunt enim quatuor virtutes Cardinales datæ animæ in adjutorium operationibus suis. Prudentia assistit rationi, ne erret in agendo, vel omittendo. Temperantia concupiscibilitati, irascibilitati adest Fortitudo. Justitia assistit libero arbitrio, ex quo procedunt opera meritoria vel demeritoria. Hæ vires etiam dicuntur affectiones naturales, quæ facilè corrumpuntur. Ratio convertitur in superbiam, & concupiscibilitas in vanam gloriam, irascibilitas in invidiam. Sunt etiam duæ naturæ animæ propter semetipsam & corporis conjunctionem. Superior ratio, inferior sensualitas, vel carnalitas. Per rationem affectat cœlestia, per sensualitatem terrestria. Ratio autem & sensualitas inter se rixantur. Sensualitas habet quinque sensus, per quos oblectamenta hujus mundi influunt, ad replendum appetitum carnalitatis.

Anima habet quatuor status, primum creationis, quo ab unitate profluit ad ternarium, quia anima suscipit unitatem substantiæ, & ternarium potentiarum, nimirùm irascibilè, concupiscibilè, rationabilè. Secundum, quo à ternario ascendit ad novennarium, quoniam in statu vegetationis suscipit officium regendi corpus, quod secundùm naturam influit & defluit per IX. foramina per oculos, aures, nares, os, & per duos inferiores meatus. Tertium operationis, quo anima visibiles & invisibiles exercet actiones. Quartum resolutionis, quo anima post varietatem vitæ præsentis redit ad puritatem naturæ. Item de eâdem: tres sunt animæ potentiales virtutes. Ratio quæ circà caduca vertitur, & ad res transitorias pertinet, & ad historiam. Intellectus circà mores hominum & proprietates. Intelligentia, superior potentiâ animæ, Divina considerans secundùm Magistrum Alanum. Item: sensus est vis animæ, quâ præterita, præsentia & futura imaginamur. Ratio quâ imaginum genera, & species discernimus. Intellectus, quo incorporea intelligimus. Sensus tenet primam regionem ascendendi, imaginatio secundam, ratio tertiam. Intellectus fidem transcendit, per quem Sancti vident Cœli secreta. Fides autem secundùm Alexandrum eminentior est ratione. Memoria intellectum & fidem comprehendere non potest, nec per se inquisitio rationis, vel acumen intellectus, sed dicitur inesse secundùm vim rationabilem, & ideò excedit rationem. Sed fides catholica virtus inest secundùm quandam vim animæ, quæ synæresis dicitur, & est secundùm vim rationabilem, secundùm supremam partem ipsius, quæ quidem superior est ratione, imò & intellectu, quia fides penetrat, quò usque non attingit intellectus.

Superior

Superior igitur ratione ac ſcientiâ & certior, firmior, & verior eſt fides, in quantùm virtus eſt, ſimplicis vetulæ, quæ credit Chriſtum eſſe paſſum, quam ſcientia mathematica, quæ ſcit omnem triangulum habere tres angulos æquales. Fides etiam virtus ſuperior eſt & certior ſcientiâ ænigmaticâ. Sed ſcientia comprehenſiva certior eſt fide. Hæc verò non eſt fides, ſed loco ejus ſcientia comprehenſiva. Fides appellatur id quod creditur, ſcilicet quod ſubeſt fidei, ut paſſio Chriſti, vel Chriſtum eſſe paſſum. Appellatur etiam fides Chriſtum credere. Undè Auguſtinus: quid eſt fides niſi quod non vides credere; quandoque vocatur uſus fidei, vocatur etiam Sacramentum fidei. Undè quod dicitur, Cornelius pervenit per opera ad fidem, id eſt, fidei Sacramentum, vel augmentum. Dicitur etiam habitus mentis, & talium habituum, alius virtus, alius non virtus. De fidei virtute dicit Apoſtolus; fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium. Subſtantia dicitur res per ſe exiſtens, & ſecundùm Theologos quandoque pro creaturâ, quandoque pro eſſentiâ Dei, quandoque pro hypoſtaſi, ſive perſonâ, & tunc propriè pro ſubſtantiâ, ſimiliter etiam dicitur divinum gratiatum, virtus ſcilicet, per quam ſubſiſtit vita gratiæ. Item dicitur vita æterna. Item dicitur fundamentum. Undè fides eſt ſubſtantia, vel fides eſt id, per quod ſubſiſtit quid, in quantum inquam eſt res ſperanda. Stola enim animæ & corporis, licet nondùm adſit nobis, tamen quantùm eſt in certitudine fidei ſubſiſtit in nobis. Etiam virtus eſt fides. Argumentum, id eſt, arguta probatio rerum æternarum. Fides autem Catholica hæc eſt, unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate venerari. Honor qui exhibetur uni perſonæ exhibetur cuilibet trium. Unitas trium perſonarum conſideratur in unitate eſſentiæ, in æqualitate, in æternitate. Undè Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti una eſt divinitas &c. Unitas ergò eſſentiæ in tribus, alternitate, proprietate, aſſignatione. Undè alia eſt proprietas Patris, alia Filii, alia Spiritûs Sancti. Alia prædicatio Patris, alia Filii, alia Spiritûs Sancti. Spiritus Sanctus eſt amor Patris & Filii ab utroque procedens, ſed non poſterior, non minor utroque, tanquam conſubalternus & coæternus utrique, quia ſicut in Chriſto tres ſubſtantiæ in unâ perſonâ, ſic ſunt in Deo tres perſonæ in unâ ſubſtantiâ. In tribus autem perſonis eſt alius, ſed non aliud, quia tres unum ſunt, quod eſt æternum & ſimplex, quod nec principium habet, nec finem, ſed principium eſt ſine principio, & finis eſt ſine fine. Perſona eſt rationalis ſubſtantia, & individuæ naturæ. Perſona Filii incarnata eſt, animam & corpus ſuſcepit. Auguſtinus; *Deus verbum non accepit perſonam hominis, ſed naturam.* In Chriſto ſunt duæ naturæ divina & humana, & tres ſubſtantiæ, caro, anima, & verbum, ſed non duæ perſonæ. Alia natura Deus, & alia ille homo. Aliud Dei Filius, aliud Filius hominis, ſed non alius. Anima & corpus ſimùl conjuncta, hinc una perſona. Sed antequam anima aſſumeretur à verbo, non erat ſimùl conjuncta. Illam enim aſſumendo univit, & uniendo ſuſcepit. Indubitanter tenendum eſt, quod non aſſumpſit perſonam, nec eſt alia perſona homo aſſumptus à verbo, ſed una perſona cum verbo. Undè legitur, homo aſſumptus eſt in unione perſonæ non naturæ, quia non eſt naturâ una cum verbo, ſed una perſona. Sicut enim anima & caro unum eſt, unus homo eſt Chriſtus, quamvis multò major unio ſit inter Deum & hominem, quàm inter carnem & animam. Dicitur itaque Deus eſt homo, homo eſt Deus, quia ille idem, 1234.

1234. qui eſt homo, eſt Deus, ille idem, qui eſt Deus, eſt homo. Anima non videtur, cum egreditur. Quid mirum? quia manens in corpore non videtur, natura quippe ejus inviſibilis. Sed poteſt inviſibiliter vivere, quam oportet inviſibiliter in obſequio conditoris manere. Nulla viſibilia niſi per inviſibilia videntur, quia oculus nichil videret corporeum, niſi illum res incorporea ad videndum acueret, & ita ſenſus vivificat carnalia corpora quæ videntur. Si vitam animæ in corpore manentis deprehendis ex motu membrorum, cur non perpendis vitam animæ poſt corpus & per oſſa mortua in virtute miraculorum? multi mentis oculum purâ fide & uberiori ratione mundantes, egredientes corpore animas frequenter vident. Apparent in columbæ ſpecie, ut oſtendatur, quam ſimplici corde ſervierint. Juſti in morte ſuâ Sanctorum viſiones conſpiciunt, ne mortem pertimeſcant. Animabus exeuntibus laus cœleſtis erumpit, & fragrantia cœleſtis odoris, ut non trepident. Magna vis eſt, quæ egredientem ſuſcipit, cujus egreſſum ſæpè nullus mortalium ferre poteſt. Meritum animæ non ſemper in ſuo egreſſu oſtenditur, ſed poſt mortem, quia qui Deo hic ſervire ſtuduit, poſt mortem veriùs vivet. Juſtus quacunque morte præoccupatus fuerit, juſtitia ejus non auferetur ab eo, & ideò non obeſt, ſi durè moriatur. Exemplum de Prophetâ, quem leo occidit, ſed de cadavere ejus non comedit.

Antè reſurrectionem animas recipi in cœlum, neque de omnibus fateri, neque de omnibus negare poſſumus. Nam ſunt quædam, quæ à cœleſti regno adhuc quibuſdam manſionibus differuntur, quia perfectam juſtitiam non habuerunt. In judicio non tremeſcunt, quæ in cœlo ſunt, quòd corporum beatitudine perfruantur. Ipſa alioquin animarum vis ſubtilitate ſuâ aliquid prævidet. Aliquandò per revelationem, aliquandò cum jam ſunt receſſuræ, afflatæ divinitùs in ſecreta cœleſtia mente immittuntur. Quis occulta Dei judicia cognovit? iniquorum animas in inferno eſſe credendum eſt; nam ſicut electos beatitudo lætificat, ſic à die exitûs ignis reprobos excruciat. Si viventis hominis ſpiritus in corpore tenetur in corpore, cur non poſt mortem, cum incorporeus ſit ſpiritus, etiam corporeo igne teneatur? teneri autem per ignem dicimus ſpiritum, ut in tormento ignis ſit vivendo, videndo & ſentiendo. Quis ſanè ſapiens, eſſe ſpiritus corporeos dixerit? ignem gehennæ corporeum eſſe non ambigo, quo certum eſt corpora cruciari. Si autem diabolus & angeli ejus, cum ſint incorporei, corporeo ſint igne cruciandi, quid mirum ſi animæ & antequam recipiant corpora, poſſint corporea ſentire tormenta? Quod item nonnulli extrahuntur à corpore, & redeunt, & ſe aliquid audiſſe, vel vidiſſe dicunt, hoc ideò fit, ut tormenta inferni, quæ audita non crediderunt, ſaltem viſa pertimeſcant. Sed humano cordi gravis valdè duricia eſt, ut ipſam etiam pœnarum oſtenſionem, quæ omnibus utilis eſt, contemnat. Ipſa ſiquidem inferni ſupplicia, cum demonſtrantur, aliis in adjutorium ſunt, aliis ad teſtimonium, ut illi videant mala, quæ caveant, illi verò eò ampliùs puniantur, quò inferni ſupplicia etiam cognita vitare noluerunt. Quædam animæ in ſuis corporibus adhuc poſitæ pœnale aliquid vident, quod quibuſdam ad ædificationem ſuam, quibuſdam ad ædificationem audientium.

Purgatorius ignis credendus de quibusdam levibus culpis, pro eo, 1234.
quod veritas dicit: *Si quis in Spiritum Sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc sæculo remittetur ei, neque in futuro.* Sed illic saltem de minimis nichil quisquam purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus in hac vitâ adhuc positus promereatur.

Anima mortalis & immortalis esse dicitur. Mortalis quæ beatè vivere facultatem amittit. Immortalis quæ nunquàm essentialiter vivere desinit, & naturæ suæ vitam perdere non valet. Augustinus: *Si non præcessisset peccatum, mors subsecuta non esset.* Mors animæ præcessit deserendo Deum, mors corporis secuta est, deserente animâ. Sæpè de culpis minimis pavor egredientes animas purgat, sicut dicitur de quodam sancto viro, qui ad mortem veniens vehementer tremuit, sed post mortem discipulis in stolâ candidâ apparuit. Quorundam etiam mentes trepidantium priùs revelationibus roborat, ut mortem non pertimescant. Sex modis tangunt animum imagines somniorum, ventris plenitudine, vel inanitate, aliquandò illusione, aliquandò cogitatione simùl & illusione. Aliquandò revelatione. Aliquandò cogitatione simùl & revelatione. Sancti autem viri inter illusiones atque revelationes ipsas visionum voces, aut ymagines quodam intimo sapore discreverunt. Nam si mens cauta non fuerit per discretionem spirituum multis vanitatibus se immergit.





CHRONICON
MENCONIS
ABBATIS TERTII IN WERUM APUD OMLANDOS.

CHRONICA ista cum moralibus opusculis, quæ ad ingenium exercendum, vitam, ac mores informandos inseruntur, usque ad locum istum conscripsit Magister *Emo*, primus Abbas & fundator *Floridi-Horti*, vir venerandæ memoriæ, ac Spiritu Dei plenus, diligenter inserens omnia memorabilia, quæ non solùm suis, sed & vicinis temporibus contigerunt, secundùm annos Dominicæ Incarnationis singula diligenter explanans, de diluviis, de bellis, peregrinationibus, incendiis & aliis omnibus emergentibus, nihil intactum relinquens, in quo etiam opere Spiritu Dei actus de se tanquam de alio sæpe loquitur, exemplo Moysis qui dicit, *Erat Moyses vir mitissimus super omnes habitatores in terrâ;* & Job. *Vir erat in terrâ Hus nomine Job, simplex & rectus.* Quod dicit Beatus Gregorius ipsos de se per Spiritum Sanctum tanquam de aliis dixisse, non ut seipsos extollerent, sed ut aliis exemplo prodessent, & Joannes etiam dicit, *discipulus quem diligebat Jesus, qui & recubuit in cœnâ super pectus Jesu, & dixit; Domine quis est qui tradet te.* Et Apostolus: *Scio hominem in Christo antè annos* XIV. &c. & multa similia.

Circà finem vitæ suæ, ad aliquot annos nihil memorabilè contigit.

1237. Anno verò Domini CIↃ CC XXXVII. præcessit hyems calida & humida, & in hoc distemperata, & ideò secutæ fuerunt infirmitates, quoniam secundùm proprietatem temporum hyems debet esse frigida & humida. Quatuor enim sunt elementa, quatuor humores, quatuor tempora anni, quatuor ætates, quatuor principales venti, ut sit sanguis calidus, & humidus, sicut aër, adolescentia, auster, ver, dies naturalis, ab horâ diei tertiâ usque ad nonam. Melancholia frigida, & sicca, sicut terra; senium, ventus borealis; autumnus, dies naturalis ab horâ diei nonâ usque ad tertiam noctis. Phlegma frigidum & humidum, sicut aqua; senectus, venti occidentales, & dies naturalis ab horâ noctis tertiâ usque ad nonam. Colera calida & sicca, sicut ignis; juventus, subsolanus; æstas, dies naturalis ab horâ diei tertiâ usque ad nonam. Cum ergò qualitates aëris & temporis secundùm suas proprietates se habent, homines in sanitate conservantur. Si verò aër & anni tempora distemperantur, & tali aëris epidemiâ, id est, distemperantiâ variæ infirmitates secundùm varietatem temporum & complexionum oriuntur. Cum ergò sicut prædiximus, lenis præcessisset hyems, quæ deberet esse potiùs frigida & humida,

humida, æstas verò fuerit horribiliter humida & frigida usque ad Kal. Aug. posteà successit calor & siccitas satis immoderatè, & sic ferè annus totus fuit distemperatus & naturæ contrarius. Undè aër corruptus spirando, vel edendo perceptus, diversas in hominibus generabat infirmitates. Secundùm Physicos enim malus odor plus nocet quàm mala diæta, & sic varia febris vexabat ubique homines, & maximè religiosos invasit quartana febris. Quotiens enim febris crebrescit, in religiosis maximè dominatur, fortè propter diætæ frigiditatem, vel potiùs quòd filios quos diligit Deus punit, *& flagellat omnem filium, quem recipit.* Lues etiam in linguis & ungulis equorum exorta est. Sed per sanguinis minutionem sub linguâ & super ungulis convaluerunt. Omnia ferè semina degenerarunt, fœnum abundavit propter irriguum. Autumno itaque prolabente, cum varia febris vexaret religiosos, in tantùm ut per totam Frisiam vix sufficerent sani ministrare infirmis, nec etiam infirmitoria caperent infirmos, eodem tempore Reverendus Pater *Emo*, piæ recordationis & clarissimæ opinionis apud omnes religiosos, & seculares sanè sapientes, typo febrium correptus, circà Festum Omnium Sanctorum paulatim cœpit elanguescere, & ex abstinentiâ ciborum, quæ firmum est, ut dicit Hypocrates, contrà febrium discrasiam remedium, deficere, & colorem vultûs, quem naturaliter habebat rubicundum, mutare, ac toto corpore attenuari. Attamen quamvis febre exardescente, & vires dissipante jam deficeret, vigorem tamen animi & constantiam mentis felix contemplatio cœlestium, & provida sollicitudo temporalium, & vigilans cura animarum confortabat, in tantùm, ut rarò etiam his diebus, quibus ipsum febrilis calor exurebat, post præambuli frigoris incommoda lecto decumberet, sed nunc infirmos visitans, nunc in claustro constitutos verbo & exemplo confortans & animans, sicut verus pastor, deambulabat. Sed antequam exitus vitæ suæ describatur, volumus de ejus vitâ & villicatione quædam perstringere.

1237.

Mors & encomium B. Emonis Abbatis I. Floridi-Horti.

Reverendus siquidem Pater à primis infantiæ rudimentis, studiis litteralibus implicitus, inter scholares fuit, in scripturis divinis adeò studiosus, ut aliis conscholaribus ludentibus & discurrentibus nunquàm otiosus inveniretur, nisi aut studeret, vel scriberet, vel illuminaret. Undè contigit, ut omnes Authores, videlicet Ethicos, Ovidianos, Virgilianos, Satiricos, & alia opera Poëtarum, & metrica opera Theologiæ, ut Aratorem, Sedulium, Theopistam, & similia, Priscianum majorem & minorem, & Petrum Heliam, ac alios libros, & Summas artis grammaticæ, nec-non & Summas dialecticæ cum fratre suo bonæ memoriæ, Domino Addone plenè conscriberet. Quos omnes ipsi ambo Parisiis, Aurelianis & Oxoniæ audierant, & ex ore Magistrorum glossaverant, & etiam glossas diversas & bursarios retulerant. Oxoniæ etiam Decreta, Decretales, Librum Pauperum, nec-non & alios libros Canonici Juris & Legalis, vigilias dividendo scripserunt, audierunt, & glossaverunt, nihil se habere credentes quamdiù ipsis aliquis liber defuit ex utilioribus, secundùm illud Lucani de Julio: *nil credens actum dum quid superesset agendum.* Cum verò de Studiis mitterentur prædictis, Dominus Addo, beneficium in Emethâ obtinuit, ubi Magister Emo ad aliquod tempus multis præfuit scholaribus, & post modicum honestâ & communi electione in Husdengum electus est in Plebanum, & sic suscepto Ordine Sacerdotii plebem sibi commissam multâ cum diligentiâ gubernavit. Sine

1237. delectu personarum, omnibus omnia factus, ut omnes lucrificeret. Et cùm esset artium liberalium, & maximè juris canonici ac legalis super omnes Clericos Frisiæ sui temporis peritus, ac linguæ latinæ præcipuè facundiâ præditus, ita se Sacris conformavit, & in bonâ simplicitate quantùm decuit virum tam sapientem, ambulavit, ut à clericis & laicis amaretur & honoraretur, vir formâ decorus, staturâ gracilis, & aliquantum longus, aspectu hilaris, in vultu serenus, in genis rubicundus, sermone admodùm jucundus, conversatione mansuetus, societate affabilis, eloquio cultus, vitâ & moribus præclarus, vir totius prudentiæ, in sermone verax, in consilio providus, in judicio justus, in commisso fidelis, in interventu strenuus, in bonitate conspicuus, in universâ morum honestate præclarus, & necessè fuit, ut quem Deus tantâ gratiâ perfuderat, ab omnibus amaretur. Cœlibatum autem vitæ ac continentiam carnis, adhuc secularis in tantùm amplectebatur, ut & occursus fœminarum subterfugeret, tanquam si semper diceret: *tolle, tolle paleam, ne ignis amoris & libidinis semper exardescat.* Job. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem de virgine.* Ecclesf. 19. *Vinum & mulieres apostatare faciunt etiam sapientes, & propter speciem mulieris multi perierunt.* Prov. 5. *Favus distillans labia meretricis & nitidiùs oleo guttur ejus, nivissima autem illius amara, quasi absintbium, & acuta quasi gladius biceps. Longè fac ab eâ viam tuam, & ne appropinques foribus domûs ejus.* Multos vulneratos dejecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab eâ. Semper illam præcedunt ardor & petulantia, semper comitantur fœtor & immunditia, semper sequntur dolor & pœnitentia. Nunquid abscondere potest homo ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardescant? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? & in Ecclesf. dicitur cap. 25. *Commorari leoni & draconi placebit magis quàm habitare cum muliere nequam.* Familiaris enim est inimicus habitans non procul, sed propè. Job. 40. *Virtus ejus in lumbis ejus, & fortitudo illius in umbilico ventris ejus.* Nunquam fugatur, nisi cum fugitur. Nunquam mactatur, nisi cum maceratur caro.

Cùm autem placuit ei, qui ipsum segregavit ex utero matris suæ, vocare eum per gratiam suam ad excellentioris vitæ initium, cœpit habitum religionis concupiscere. Et ut gratiâ Dei, quæ secundùm Beatum Gregorium aspirando prævenit, ut velimus, adjuvando persequitur ut possimus, in eo vacua non esset, ne panem otiosus comederet, non elegit in labores aliorum introire, & ad claustra ditiora se transferre, sed occultâ Dei inspiratione, ut ipsius gratia in eo abundantius esse dignosceretur, ad *Novum Claustrum* se transtulit propè villam *Rheomerf-werff*, quod à quodam cognato suo & æquivoco fundatum, in tempotalibus multis de causis fuit adeò desperatum, quòd nisi suâ solertiâ supervenisset, convalescere vix potuisset, maximè propter litem, quam dictus Fundator cum vicinis monachis Sancti Benedicti in *Feldwerth* habebat. Prædictus autem Sacerdos ad præfatum Claustrum accedens factâ compositione cum Domino Reindone Abbate vicini Monasterii, ad Ordinem Præmonstratensem se transtulit, & habitum candidum, in quo Angeli apparere consueverunt, præelegit.

Cùmque die noctuque de ampliando Dei cultu sollicitus cogitaret, & Dei clementiam, à quo omne datum optimum, imploraret, ut ei socios, & maximè clericos, quorum contubernio, maximè in officio divino, & in

lectione, nec-non in exercitio, & sanctæ meditationis studio plurimùm delectabatur, per gratiam suam assignaret, contigit, ut quâdam nocte cum hujusmodi desiderio ferveret, & sopori se dedisset, audivit sibi dici per nocturnam revelationem. *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam &c.* Et evigilans exhilaratus est, eventum hujus oraculi spe lætâ expectans, & statim in processu temporis Domino disponente, accesserunt ad eum duo adolescentes, qui seminarium dici poterant messis in Christo colligendæ, videlicet Dominus *Sifridus*, qui multis annis fuit Prior *Floridi-Horti*, & magister totius disciplinæ; Quoniam, Domino Abbate pro Ecclesiæ necessitate exeunte, ipse in choro & in omni disciplinâ serius fuit domûs observator, nec ad aliqua negotia exteriora per se agenda animum inflexit: Imò circà scolares laboravit, officium vestiarii peragens, omnia etiam officia, quomodò se singuli in disciplinâ ac rerum utilitate haberent veloci transitu circumspiciens, nunquàm tamen à choro & communi opere Conventûs se absentavit. Et ideò animam ejus cum Deo esse certissime speratur. Obiit anno Domini CIↃCCXXXII. Cùm fuisset Prior *Floridi-Horti*, annis XIX. Accessit & alius, videlicet Frater *Thitardus Canonicus*, qui Ordinis zelator fuit indefessus, & artificio manuali, quo præeminebat, novellam plantationem plurimùm emendavit, chorum tamen nunquàm occasione laboris negligens, potiùs se vigiliis afficiebat. Angebatur etiam in aliis de die in diem curis clericorum & scolarum, quos Magister Emo cum Priore præfato, spiritu charitatis summo studio in litteraturâ promovit, scientiam sibi divinitùs collatam non sub modio, sed super candelabrum ponens, neque thesaurum concessum in terrâ abscondens, sed omnibus studere volentibus benignè participans. Undè cum Apostolo posset dicere: *innocens ego sum à sanguine omnium vestrûm, qui non subterfugi, quominùs annuntiarem vobis.* Cæteros autem labores, quos pro Ecclesiâ sustinuit, longum est describere, & maximè labores & sollicitudines quas habuit pro Ecclesiâ in *Werum*, quandò ibidem Claustrum fundavit, quod *Floridum-Hortum* nominavit; & hodiè per Dei gratiam ac ipsius providentiam in spiritualibus ac temporalibus rebus ac personis & virtutibus floret. 1237.

Quantas etiam sustinuit tribulationes dùm Romam pro confirmatione dictæ Ecclesiæ & privilegiis obtinendis pedes ivisset, non facilè declaratur. Quæ tamen omnia parvi pendit, cum ad fœlicem exitum Domino gratiam suam apponente perduxit. Convenerunt autem ad ipsum Laici non pauci, ex quibus quidam fuerunt bonæ opinionis homines, & nobiles, quos ipse libenti animo in conversos recepit, & cum omni diligentiâ, & disciplinâ, & honestate Claustrali informavit, fovebat, ac diligebat, & omnes sollicitudines de temporalibus eis commisit, quia ipse cum clericis in quantùm potuit, ordini ac lectioni, nec-non & sanctæ meditationi studuit insistere, & divinum officium plenè ac perfectè in libris ordinis, & pausæ in psalmodiâ in Ecclesiâ novellâ ordinare, ac egit sic multo labore in principio, ut conformitatem librorum ordinis secundùm usum Præmonstratensis Ecclesiæ in suâ plenè haberet etiam Ecclesiâ, benè observans quod Dominus præcepit, *primùm quærite regnum Dei, & hæc omnia* scilicet temporalia, *adjicientur vobis.* Undè cùm hujus desiderii perfectionem non posset habere, nisi in ipso capite, scilicet Præmonstratensi Ecclesiâ, quia *dulciùs ex ipso fonte bibuntur aquæ*, præsertim cum tunc temporis in totâ Alemanniâ liber ordinis non

1237. inveniretur, labori ac periculo se voluntarie subjiciens, cum solo comite videlicet prædicto Fratre Thitardo Præmonstratum pedes transivit, & ibi libros Ordinis, scilicet *Ordinarium*, *Capitulare*, *Collectaneum*, per seipsum conscripsit, *Graduale*, *Antiphonarium*, *Hymnarium*, notavit, & plenè correxit, Evangelia, Epistolas, & Lectiones matutinales, quæ omnia propter sui prolixitatem & temporis brevitatem, quia apud filiolos, quos adhuc in Christo parturivit, quibus absentia sua propter novitatem fuit non modicùm periculosa, redire festinabat, ad plenum scribere non valuit, & ideò magnâ & mirabili, quantùm ad novitatem suam in Ordine, usus sagacitate principia & fines notavit. Modum pronuntiandi Capitula, Collectas, Versiculos, Epistolas, Evangelia, & similia, notavit diligenter, etiam libello, quem *Signaculum* appellavit, singula assignans. Quæ omnia postmodùm conscribi, ac plenè corrigi in Præmonstrato per Magistrum *Fretbericum* de *Horto Sanctæ Mariæ* specialem amicum suum, & in his cohortatorem ac adjutorem, maximè in his, quæ spectabant ad uniformitatem Ordinis, corrigi de verbo ad verbum procuravit. Cumque in his & aliis, quæ ad instructionem novellæ domûs pertinebant, sollicitus & indefessus die noctuque invigilaret, humani generis adversarius, qui quieti contemplationis semper invidet, exteriores sibi suscitavit non paucas adversitates, ac principaliter litem cum Præposito de Skeldwaldâ, qui per seculares tàm clericos, quàm laicos, & præcipuè per Dominum *Theodericum* Monasteriensem Episcopum, qui dicto Præposito favorem suum in tantùm impendit, quòd ei omnes arduas causas, quæ ipsum specialiter contingebant, commisit. Undè cum idem Præpositus in his Synodalibus multas committeret enormitates, Magister *Emo* zelo ordinis sicut Phinées accensus, in faciem ei restitit, primùm pacificè suadens ac monens, ut his inordinatis actionibus ac evagationibus prætermissis, Ecclesiæ suæ, sicut decet religiosum, provideret. Sed ille videns alios nobiles colla sua inclinare, & suis levitatibus applaudere, intolerabili irâ, sicut olim Aman contrà Mardochæum, adversùs eum exarsit, & per prædictum Episcopum, cujus omni tempore membranas quot voluit habebat, Venerabilem Patrem Magistrum Emonem, & Conventum suum fecit denuntiari excommunicatos, per totam viciniam interdicens firmissimè, ne quisquam ipsis in emptionibus, vel venditionibus communicaret, & per seculares gestus & mores, nec-non & liberalitatem suam, maximè in ebrietatibus, attraxit sibi Decanos, & alios nobiles terræ quàm plurimos, & sic non modicum angustiabatur Ecclesia Floridi-Horti, cum eodem tempore propter inundationem salsi maris, quæ antè paucos annos in Festo Marcelli præcesserat, & quasi quatuor annis fuit continuata, maxima fuerit annonæ caristia. Et licet talis angustia etiam viro constanti posset dolorem non modicum incutere, Dominus Emo tamen in Domino jactans cogitatum suum, qui eum & Conventum in Domino collectum enutriret, largiores in tali caristiâ præcepit eleemosinas erogari, nolens esse de numero illorum, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt, semper sibi & fratribus suis de exemplis patientiæ Sanctorum dulcem quærens consolationem. Verùm Deus fidelis, qui non patitur justum tentari suprà id quod potest sustinere, qui sperantibus in se dat in perturbatione & tribulatione auxilium, in persecutione solatium & in omni tentatione virtutem, ipse famulo suo in se speranti, & in suâ

misericordiâ

misericordiâ confidenti, hujus litis tam gloriosum dedit exitum, ut prædicto Episcopo à judicibus Papalibus excommunicato, Legati ejus in Frisiâ ad Synodalia nequaquàm admitterentur, antequàm tota causa esset terminata ad arbitrium & voluntatem sæpedicti Patris, formam compositionis eo dictante, ac ipsis sigillantibus. Sic demùm Domino Episcopo præfato, cujus nomine missi fuerant synodare, ab excommunicatione absoluto, ad mensam à Decanis, & ad Synodalia à subditis sunt admissi. Et ità plenè impletum est, quod in Ecclesiâ dicitur: *Cum placuerunt Domino viæ hominis, inimicos ejus convertet ad pacem.* Acta sunt hæc anno Domini CIↃ CC XXIII. 1237.

Has & multas alias tribulationes vir Dei ab extraneis patienter sustinuit, maximè super beneficiis in *Emetha*, & in *Skiramme*, super quibus non modicas sustinuit offensas, & malignorum insultus, cum tamen non pretio nec prece, vel etiam obsequiis intervenientibus eas suscepisset, sed à majori & saniori parte verorum patronorum piâ liberalitate offerentium. Et cum quidam ex eis post-modum instinctu maligni hostis, qui omnibus bonis operibus invidet, allecti ab aliis, vel etiam potiùs alios allicientes manu missâ ad aratrum retrò vellent aspicere, & donationem ritè factam revocare, ipse pro jure Ecclesiæ & concessione factâ, periculis se objiciens viriliter dimicavit; quoniam etsi inconcessa non licet appetere, oblata tamen licet accipere, ac recepta retinere. Qui enim aliquid Domino, vel Ecclesiæ offert vel promittit, solvere tenetur, quoniam & Ananias, qui sua obtulit, sed fideliter non solvit, morte punitus est. Ergò cùm licuit Petro non solventem morte punire, multò magis licet oblatum solvendum exigere. Nec obstat quod Ecclesiæ illæ non vacabant de facto, nihilominùs enim de jure vacabant, quia illa Ecclesia dicitur de jure vacare, quæ legitimum non habet pastorem, sed illæ ambæ legitimos non habebant pastores, quia ambo uxorati erant, & sic irregulares & excommunicati, *ext. de cleric. conjug. per tot. ext. de fil. præsbit. cap. ut filii &c. ad præsentiam &c.* Præterea ille de Emethâ fuit filius Sacerdotis, & paternæ incontinentiæ amator, viduam duxerat, & sic per omnia irregularis. Nec obstat si non fuit ab omnibus facta electio, quia in omni electione majori & saniori parti cedendum est, *ext. de elect. dudùm &c.* Notandum etiam est, quòd Professores Præmonstratensis Ordinis licitè possunt Ecclesias possidere, & curam animarum recipere, quoniam nec in ordine, nec in jure prohibetur, & quòd non prohibetur permittitur. *ext. de translat. Episc. vel elect. c. inter corporalia.* Contrà, videtur prohibitum, quòd non invenitur concessum. *Solutio:* edicta quædam sunt stricti juris, quædam bonæ fidei. Stricti juris de quibus dictum est, *nihil venit in judicium, nisi de quo actum est, ut veniat.* Et sic sunt edicta prohibitoria, ut si appellatio est interdicta in litteris Domini Papæ, tunc non licet appellare, nisi causa subsit legitima. Edictum etiam prohibitorium est, *non occides*, bonæ fidei sunt, de quibus dicitur: *non solùm id venit in judicium, de quo actum est, ut veniat, sed & id, de quo non est actum, ut veniat.* Ut sunt edicta affirmativa, sicut omnibus licet judicare, advocare, testari, qui à jure non prohibentur, quidquid canon non exprimit, nos exprimere non debemus. Ubi constitutio promulgatur affirmativè, intelligitur concessum, nisi reperiatur prohibitum ut c. 31. *qu.* 1. *def. & seq. quod si.* Si verò negativè promul-

Præmonstratenses possunt habere curas animarum.

1237. gatur, specialiter intelligitur prohibitum, maximè ubi fuit eadem ratio, nisi inveniatur concessum, ut *c.* 22. *qu.* 5. *si verò.* Nam cuncta licerent, nisi jura vetarent. Dicitur etiam 16. qu. 1. doctos ac per bonos monachos posse prædicare, baptisare, pœnitentias dare, decimis, & primitiis frui. Idem dicitur proximis duobus Capitulis, quòd ligandi & solvendi habeant potestatem, & hi non ex ordine prohibeantur. Sanctus autem Augustinus, & Venerabilis Pater Norbertus Episcopi fuerunt, & curam gesserunt Ecclesiarum pariter ac monasteriorum, & subditis gerendam commiserunt. Undè de approbatâ consuetudine est, quòd à latere Domini Papæ Legatis, ubique terrarum Professoribus hujus Ordinis cura animarum conceditur. Venerabilis etiam Pater Dominus Emo Ecclesias istas nec ambitione avaritiæ concupivit, cum ipse parsimoniam, quæ decet religiosos, specialiter & quasi naturaliter amavit penitùs omnem abhorrens superfluitatem, sed pro fratrum suorum imò pauperum Christianorum alimoniâ, quibus in illâ novitate multiplicatis animo plus quàm divitiis, in illâ famosâ frugum penuriâ, post diluvium Sancti Marcelli necessaria non sufficiebant, quia omnia necessaria humanis usibus in summo erant pretio, & pretium eorum quasi nullius pretii reputabatur. Quid ergò pauperibus Christi faceret? Ecclesias istas legitimè receperat. Licitè poterant à Conventu possideri. Et nuncii satanæ possessionem, impediebant. Attendit quod dixit Augustinus de Maximiano Episcopo Vagiensi. 23. qu. 3. si defensionem rerum Ecclesiæ oblatam prætermisisset, *non ejus fuisset laudata patientia, sed negligentia meritò culpanda.* Neque Apostolus Paulus vitæ suæ transitoriæ, sed Ecclesiæ Dei consuluit, quod contra illos, qui eum occidere conspiraverunt, adolescens ut tribuno traderetur effecit. Undè factum est, ut ad locum, quo fuerat deducendus, eum miles armatus deduceret, ne illorum pateret insidiis. Dicitur etiam 12. qu. 1. quòd Hilarius Episcopus omnia sua aut parentibus reliquit, aut pauperibus erogavit. Hic tamen factus Arelatensis Episcopus, quod tunc illa Ecclesia habuit, non solùm possedit, sed & acceptis nervosis fidelium hæreditatibus ampliavit. Itaque divinarum Scripturarum doctissimi, si scirent res Ecclesiæ oblatas non debere defendi, nunquam eas deberent suscipere, qui & sua propter Deum reliquerant. In his tamen & aliis negotiis fora & Conventus secularium, quantùm poterat, subterfugit, quorum ebrietates & insolentias epulantium, non solùm in habitu religionis, sed etiam in seculari habitu adhuc positus, toto corde detestabatur, quia sicut dicitur, Prov. 20. *Luxuriosa res est vinum, & tumultuosa ebrietas.* Item in Eccles. 31. *Vinum multum potatum irritationem & iram, & ruinas multas facit.* Prov. 31. *Noli Regibus dare vinum, quia nullum secretum, ubi regnat ebrietas.* Multa enim mala facit ebrietas. Depauperat, Eccles. 19. *Vinum & mulieres apostatare faciunt etiam sapientes.* Aufert cor, id est, discretionem cordis. Oseæ 4. *Vinum & ebrietas auferunt cor.* Turpitudinem denudat. Genes. 9. *Bibens Noe vinum inebriatus est & nudatus in tabernaculo* Secreta revelat. Prov. 31. *Nullum secretum ubi regnat ebrietas.* Cor venenat. Prov. 23. *Ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Amaritudinem cordis facit. Eccles. 21. *Amaritudo animæ vinum multum potatum* Mentem enervat. Eccles. 35. *Ebrietatis animositas imprudentis ostensio, minorans virtutem, & faciens vulnera.* Rixas facit, pœnam æternam parat, oculos excutit. Prov. 23. *Cui væ? cujus patri væ? cui rixa? cui fovea? cui sine causâ vul-*

nera? cui suffusio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, & student 1237.
calicibus epotandis? Ebrietas enim non voluptas, sed pœna est. Tullius: *Si videres istos epulones sicut boves opimos stridere & sudare, tunc intelligeres eos, qui maximè voluptatem sequantur minimè assequi.* Ieronimus: *Nihil adeò obruit intelligentiam, sicut comestio & ebrietas.* Seneca: *Ciborum copiâ subtilitas sensûs impeditur.* Ieronimus: *Venter pinguis non gignit tenuem sensum.* Seneca: *Nihil aliud est ebrietas, quàm voluntaria insania.* Tullius: *Mente uti rectè non possunt multo cibo & potu repleti.* Salvian: *Ebriosus est servus omnium peccatorum.* Ierem. 5. *Saturavi eos & mœchati sunt.* Paulus Apost. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Ieronim. *Quidquid seminarium est voluptatis, venenum puta.* Seneca: *Quis hostis unquam tam contumeliosus fuit, quantùm in quosdam voluptates suæ sunt.* Eccles. 22. *In multis escis invenitur infirmitas, & propter crapulam multi perierunt.* Seneca: *Potest nostra prudentia huic corpusculo longiorem prolongare moram, si voluptates quibus major pars perit, possumus regere & coercere.* Idem: *Fastidientis stomachi est multa degustare, quæ ubi varia sunt & diversa, inquinant, non alunt.* Idem: *Si vis esse in perpetuis deliciis, non voluptatibus est adjiciendum, sed cupiditatibus detrahendum.* Ieronim. *Voluptas famem, non satietatem parit.* Osee. 4 *Comedent & non saturabuntur.* Psal. *Famem patientur ut canes.* Luc. 15. de filio prodigo: *Ego autem hic fame pereo.* Seneca: *Multis serviet, qui servit corpori.* Eccles. 6. *Omnis labor hominis in ore ejus.* Ieronim. *Tauri paucorum jugerum pascuis aluntur, unica sylva pluribus Elephantis sufficit, homo verò terrâ & mari, ac aëre pascitur.* Gregorius: *Non licet intueri, quod non licet concupisci. Non enim est securum intueri, delectabilia.* Isai 5. *Væ qui consurgitis manè, ad sectandum ebrietatem, & ad potandum usque ad vesperam, væ qui potentes estis ad bibendum.* Gregorius: *Ebrietas est blandus dæmon, dulce venenum, suave peccatum, quam qui habet, se non habet, quam qui facit, non facit peccatum, sed ipse totus est peccatum.* Augustinus: *Ebrietas aufert memoriam, dissipat sensum, confundit intellectum, concitat libidinem, involvit linguam, corrumpit sanguinem, omnia membra debilitat, vitam diminuit, & omnem salutem exterminat.*

Propter has causas, & continentiam, quam quasi naturaliter amplectabatur, omnem penitùs abominans superfluitatem, consortia potatorum fugiebat. Si quandò judex delegatus erat, personarum omninò acceptor non fuit. Levit. 18. *Non facies quod iniquum est, nec injustè judicabis, non considerès vultum potentis.* Jacob. 2. *fratres mei nolite in personarum acceptione habere fidem.* Actor. 11. *in veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus.* Prov. 17. *qui justificat impium, & qui condemnat justum, uterque abominabilis est apud Deum.* Isai 6. *væ qui dicunt bonum malum, & malum bonum.* Undè in Exodo; *Elige tibi viros potentes, Deum timentes, amantes veritatem, detestantes avaritiam.* Summoperè enim cavebat, ne amor, vel timor, à recto tramite ipsum seducerent, & alia quæ ponuntur 3. qu. 5. propinquitatis ac familiaritatis affectio veritatem impedire solet. Amor etiam carnalis, & timor atque avaritia plerumque sensus hebetant humanos, & pervertunt opinionem, ut quæstum pietatem putent, & pecuniam quasi mercedem prudentiæ 11. qu. 3. quatuor modis humanum judicium pervertitur. Timore, cum metu alicujus potestatis veritatem loqui pertimescimus, cupiditate, odio, amore, supra *eodem cap. pauper dùm non habet, quod offerat, non solùm audiri contemnitur, sed & contra veritatem opprimitur.* Quare citò violatur justitia.

Hæc omnia considerans vir Dei & spiritu sapientiæ repletus, quantùm poterat judicia subterfugit. Quandò verò subterfugere non poterat, penitùs non fuit acceptor personarum, sed viâ regiâ procedere sategit. Vir etiam tri-

1237. bulatis valdè compatiens, ac pœnitentibus post illatas sibi injurias indulgens, vindictam in calumniantes ac injuriantes, etiam cum posset non inferens, summum genus vindictæ reputans misericorditer indulgere, cum possis vindicare. Quia hæc est summa victoria de maligno hoste, qui est omnium malorum incentor, & nunquàm pleniùs vincitur quàm per patientiam & humilitatem. Undè quantùm rigor disciplinæ permittebat, plùs appetebat a subditis amari, quàm timeri, & quasi unum ex illis, in omnibus gestibus & moribus se exhibuit, secundùm Eccles. 32. *rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis, quasi unus ex illis.* Dicitur etiam in libro Sapientiæ 6. *quoniam à Domino data est potestas, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera singulorum.* Et infrà: *judicium durissimum, fili, in his, qui præsunt; exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.* Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec reverebitur, magnitudinem ejus, quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter illi cura est de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio. Undè summoperè vitavit typum superbiæ, contra humiles, parvos, & pauperes se præbens affabilem, attendens quòd dicitur in Ecclesiastico: *initium omnis peccati superbia, & qui tenuerit illam abominabilis erit apud Deum.* Sedes enim superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis, cùm dicat Beatus Gregorius; *Superbia, natione cœlestis, cœlestes appetit meatus.*

Superbos autem & rebelles sine personarum acceptione corrigebat, arguendo, obsecrando, increpando, bene observans id, quòd alibi; *Parce humili, facilis oranti, frange superbum*, & quod in Æneid. Virgil. *parcere subjectis, & debellare superbos.* Quoniam sicut dicit Augustinus 23. qu. 1. *Cui licentia iniquitatis adimitur, utiliter vincitur. Quoniam nihil est infelicius felicitate peccantium, quà pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas, velut hostis interior roboratur.* Et idem qu. 2. *In Prælatis circà correctionem subditorum non est laudanda patientia, sed negligentia meritò culpanda.* Augustin. *Seculi nequitia, est impunita nequitia.* Unde contigit, ut mali spiritus, qui secundùm Job, cum justum comedant, non dormiunt, ipsum etiam tentarent periculis & falsis fratribus. Nam in diebus suis multi labores in jejuniis, & vigiliis, ac silentio, nec-non in parsimoniâ cibi & potus, quæ omnia decent religiosos qui non ferentes ipsum, multifarie perturbabant, & etiam plurimi apostatabant, quæ omnia ipse patienter sustinuit, sciens quoniam necesse est, ut veniant scandala, sed væ illi, per quem veniunt, & ex cujus culpâ. Super quo & alio loco dicit Dominus: *Ut non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, &c.* Ubi dicit Gregorius; in quantùm possumus, vitare scandalum proximorum debemus. Si autem de veritate scandalum sumitur, utiliùs permittitur nasci scandalum, quàm veritas relinquatur. Undè versus: *scandala pro vitâ, doctrinâ, justitiâque, non fugias.* Beati enim qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Et Apostolus, *tribulationem patimur, sed non angustiamur. Aporiamur, sed non destruimur. Persecutionem patimur, sed non derelinquimur*

Scientia & eruditio Emonis.

Providebat intus & foris disciplinæ ac honestati, temperantiæ ac sobrietati, Fratrum discretè providens necessitati, raro aut nunquàm superfluitati, in omni gestu compositus, facie pro tempore jucundus, in verbis circumspectus, nec profusus, sed brevitati studens, omnibus donis naturalibus & gratuitis adornatus, præterquam in facundia sæculari, & linguâ Teutonica quam propter studium, & amorem vitæ spiritualis, & lectionis nec

dilexit,

dilexit, nec exercuit. Qui licet eſſet in linguâ latinâ expeditiſſimus, & juris 1237.
legalis ac canonici peritus, tamen ubique locorum maluit audire, quàm audiri, cum tamen multi propter gratiam ſibi inſitam, eum reverenter deſiderabant audire. Adulari majoribus nec ſcivit, nec voluit, plauſum vel favorem ſecularium, nec in dictis, nec in factis quæſivit. Vanam gloriam ambientes in ſecreto mentis deteſtabatur. Humiles ac ſimplices in viâ mandatorum Dei gradientes venerabatur. Multiloquia omninò abhorruit, quoniam ſecundùm quod dicitur; *in multiloquio non deeſt peccatum.* Et in Evangelio, *de omni verbo otioſo reddent homines rationem.* Jacobus in Epiſtolâ Canonicâ I. *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Et idem: *Si quis putat ſe religioſum eſſe, & non refrænat linguam ſuam, hujus vana eſt religio.* Prov. 12. *Propter verba labiorum proximat ruina malorum.* Pſ. *Vir linguoſus non diù erit in terrâ.* Imò multò minùs in cœlo. Prov. 13. *Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam.* Eccleſ. 14. *Beatus vir qui non eſt lapſus in verbo ex ore ſuo.* Jacobus 3. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.* Item. *Lingua modicum membrum eſt, & totum corpus mittit in gehennam, & totum corpus maculat, & inflammat rotam nativitatis, inflammata à gehennâ. Eſt enim inquietum malum, plena veneno mortifero. Omnis enim natura beſtiarum, & volucrum, & ſerpentium domatur ab humanâ naturâ, linguam autem nemo domare poteſt.* Eccleſ. 19. *Quis eſt, qui non deliquerit in linguâ ſuâ? quis* admirativè, vel ideò dicit quis, quia difficilè habetur, niſi detur à Domino. Eccleſ. 10. *Quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum certum, ut non cadam ex ipſis, & lingua mea non prodat me?* Et in vitis Patrum, quidam legitur oraſſe omni tempore, *Domine, libera me à linguâ meâ.* Seneca: *Tardi-loquum te eſſe jubeo, & propè erit tibi Deus.* Cato: *Proximus ille Deo eſt, qui ſcit ratione tacere.* Ovid. *Eximia eſt virtus præſtare ſilentia rebus.* Idem: *Quis minor eſt unquam quàm tacuiſſe labor.* Amos 8. *In omni loco erit ſilentium.* Iſai. 32. *Cultus juſtitiæ ſilentium. A Deo factum eſt ſilentium.* Iſaj. *In ſilentio & ſpe erit fortitudo noſtra.* Eccleſ. 23. *Verbis tuis facite ſtateram & frænos ori tuo.*

Habebat & ſpecialem gratiam conſolandi per authoritates Sacræ Paginæ, quam ſemper gerebat in pectore, & in ore, nec-non & in opere. Legendo, ſcribendo, & utiliora notando, quia fuit mirabiliter ſtudioſus, in lectione ſacræ paginæ, creber & devotus in oratione; pervigil in matutinis obſervandis, & ferè uſque-ad annos ſenectutis ſuæ. Matutinis cum conventu viriliter obſervatis, poſtcà modicum vel nihil dormivit, quia illam partem noctis poſt Matutinas potiùs vigilabat, propter conſuetudinem obſervatam Pariſiis & Oxoniæ tempore ſtudii, quando fratre ſuo Addone priorem partem noctis vigilante ac ſcribente, ipſe partem poſteriorem pervigilabat. Quæ diviſio noctis in libris eorum poteſt perpendi, & maximè in Decretis & in libro Pauperum. Ex illâ ergò conſuetudine poſt Matutinas hyemali tempore vigilabat ſcribendo, ut potè qui fermè omnes primitivos libros Chori & Miſſales familiarium Miſſarum in utroque clauſtro, nec-non & multos alios ſcripſit, notavit & illuminavit. Conſcriptis autem & correctis omnibus libris, qui ad divinum pertinent officium, attendens in vitâ contemplativâ poſt orationes proximam eſſe lectionem, deindè meditationem, multo fategit ſtudio, ut armarium librorum in capitulo libris ſacræ ſcripturæ impleret, hoc operis non ſolùm ſic in clericis, quos ad ſcribendum fervidè incitabat, & per ſeipſum inſtruebat, verùm etiam ſedulitatem in fœmineo ſexu obſervans, ſorores ad hoc habiles ſollicitè in ſcribendo informabat, primò quidem textum veteris ac novi teſtamenti, & ſcholaſticam hiſtoriam,

Oooooo

1237. expositiones Sanctorum Patrum, videlicet Augustini super Joannem, & Beati Gregorii ac aliorum, nec-non & magistrorum; Præterea faciens diligenter conscribi, tanquàm, *nil credens actum si quid superesset agendum.* Quasi enim spiritu prophetico sæpè dicebat, quòd post tempora sua, dum inchoarentur opera lapidea, tepesceret studium librorum conscribendorum. Ipse verò intereà legendo, corrigendo, & utiliora notando, ferè in omnibus libris armarii vestigia manûs suæ reliquit, nunquàm otiosus existens, tanquàm sibi cum Ieronimo diceret, *semper aliquid operare, ne te diabolus otiosum inveniat.* Et ideò Jacobus *otiositas inimica est animæ: & in desideriis est omnis otiosus.* Prov. 13. *anima operantium impinguabitur.* Et post à contrario *anima otiosa & mærens marcescet, & extenuabitur.* Dicit etiam Poëta *otia si tollas periere cupidinis arcus.* Et similiter: *quæritur Ægbistus quare sit factus adulter, in promptu causa est, desidiosus erat.* Undè contigit, ut propter studium divinæ paginæ paratas haberet authoritates, modò de Dei præceptis, modò de Sanctorum exemplis, dulcedinem sibi, & aliis faciens consolationem, & ut esset & in ore suo sacra pagina sicut turris David quæ erat ædificata cum propugnaculis. *Mille clipei pendent ex eâ, omnis armatura fortium.* In Scripturâ enim divinâ sunt clipei, id est, præcepta Dei, ut, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & diliges Proximum tuum sicut teipsum. Non concupisces. Non quæres ultionem &c.* Ibi est etiam armatura fortis, scilicet exempla Sanctorum, sicut exemplum innocentiæ Abel Abraham obedientiæ, Isaac simplicitatis, Jacob fortitudinis in labore, Joseph castitatis, Moyses mansuetudinis, qui inter millia fuit mitissimus, Phinees zeli & fortitudinis, Samuel benignitatis, qui de Principatûs culmine dejectus dixit: *absit ut cessem orare pro vobis.* David non reddendi malum pro malo, qui & Saul pepercit. Quapropter vir Dei collegit sic opuscula, manualia & brevia, sicut, *arborem vitiorum & virtutum*, quam priùs editam ipse correxit, & multis locis supplevit. Similiter, *de differentiâ criminum, de differentiâ virtutum Politicarum & Theologicarum*, & tractatum *de animâ.* Vitas Patrum etiam in ordinem congruum secundùm virtutes & vitia collegit, incipiens ab oratione, lectione, meditatione, quæ sunt membra præcipua vitæ contemplativæ, & sic de aliis, quæ ipse in suâ senectute plano stilo composuit, plus prospiciens utilitati legentium, quàm ornatui illorum intendens. Seneca: *plus me occupat medulla sensuum, quàm spuma verborum.* Chronica etiam de omnibus mirabilibus, quæ non solùm suis imò & vicinis temporibus contigerunt, cum multâ diligentiâ conscripsit, secundùm annos Dominicæ Incarnationis singula luculenter explanans, de diluviis, de bellis, peregrinationibus, incendiis, & aliis omnibus emergentibus, nihil intactum relinquens. Undè Spiritu Dei actus, de se tanquàm de alio sæpè loquitur, exemplo Moysis, qui dicit, *& erat Moyses vir mitissimus super omnes habitatores in terrâ.* & Job. *Vir erat in terrâ Hus, nomine Job, simplex & rectus.* Quod dicit Beatus Gregorius ipsos de se per Spiritum Sanctum tanquam de aliis dixisse, non ut se extollerent, sed ut aliis exemplo prodessent. Et Joannes Evangelista dicit; *Discipulus ille quem diligebat Jesus, qui & recubuit super pectus Jesu.* & Apostolus; *Scio hominem in Christo &c.* & alia multa exempla.

Ratione igitur prævia & spiritu intellectûs mores fratrum examinabat, & singulis in suis obsequiis contrà vitia insidiantia consulebat, con-

scribens antidota multimoda. Generalia Ordinis instituta toto sinu comple- 1237.
ctens commendabat assiduè, caput totius religionis in communi statuens subditorum obedientiâ, & dilectione mutuâ, cum mediocritate cibi & potûs, & castitate, & humilitate. Fratribus etiam in secularibus Ecclesiis & Conversis in grangiis (a) formam vivendi mirabili sagacitate in scriptis contradidit. Exhortabatur etiam, ut ubicumque duo Fratres Sacerdotes simùl essent in Ecclesiâ, studerent ad mutuam charitatem, ad parilitatem in prædicatione, secundùm datam sibi à Domino sapientiam, in hebdomadarum partitione & confessione; priorem inter eos parochianis tantùm ad inquisita respondere, negotia declinare, quantùm fieri posset, minorem domi subsistere, ambos in Ecclesiâ antè omnes, & post omnes esse, disciplinæ Claustri meminisse, in parochiâ, vel alibi nunquam inebriari, propter infirmos, domos simùl intrare, non interesse Conventibus secularium, post competentes dies in Abbatiâ se præsentare, vicissim in Claustro post orationem Conventui conjungi, rumores non deferre, sed per licentiam loqui, labores secundùm formam claustri servare, clauso cœnaculo comedere, breviter & discretè loqui in confessione, sine licentiâ Abbatis litteras non exequi, nec judicia exercere, in omni negotio testem habere, oblationes fideliter colligere, à Minori quantitatem conscribi, & præsentari, hospitium Religiosis tantùm laicis ministrare, libellos Conventûs servare, & non facilè sine memoriali ac licentiâ præstare, alienos libros, super unum, non multiplicare, cognatos sine necessitate non frequentare, mores familiæ emendare, libenter quidquid possunt operari, apud seculares judices non intercedere, pecuniam alienam non recipere, nec deferre, lectioni & studio operam intendere, vestes suas subdolis non præstare, nec pecuniam, ne Conversi cum hospitibus bibant inhibere, semetipsos non amare, se non habere plenam potestatem profiteri.

Non solùm autem Canonicis & Secularibus Ecclesiis, sed & omnibus tàm in claustris, quàm in grangiis certam formam vivendi limitabat, videlicet qualiter infirmi, quomodò minuentes sanguinem, quomodò custodes, quomodò in Claustro Sororum manentes se gerere deberent, ordinavit & conscripsit, nihil de Ordine mutans, sed dubia declarans, & minùs expressa, sicut fidelis & bonus dispensator, supplens secundùm quod in Ordine dicitur, quòd singuli officiales se debent gerere secundùm Abbatis ordinationem.

Anno igitur Domini CIↃCCXXXVII. à diluvio Beatæ Julianæ XXIV. Nicolai XLII. Marcelli XIX. ab Aquæ-ductu stabilito XLV. à Captivitate Jerusalem XLVIII. Primæ peregrinationis XLVII. Secundæ XL. ab adventu Magistri Oliveri XXIV. Tertiæ peregrinationis eo prædicante XX. Quartæ peregrinationis prædicante Magistro Arnoldo, & Joanne Zantense X. à Conversione Beati Augustini DCCCXXVIII. à Conversione Beati Benedicti DCCXI. à die Passionis Sancti Bonifacii DXI. transitûs Sancti Ludgeri CCCCXXVIII. ex quò claruit Papa Gregorius DCXLVII. Translationis Magorum Coloniam LXXIII. Ordinis Carthusiensium CXLVII. Ordinis Cisterciensium CXXXIX. Præmonstratensium CXVII. Plantationis *Horti-Sanctæ-Mariæ* LXXII. Floridi-Horti in Werum XXIV. transitûs Sancti Francisci XI. translationis ejus 7. translationis Sanctæ Elizabeth II. translationis Emonis Fundatoris Novi-Claustri, quod dicitur

(a) Prædia erant rusticana quæ fratres laici excolebant propriis manibus, oratorium habentes, & Sacerdotem qui divinis operabatur & turmam laicalem regebat.

1237. Campus Rosarum XVI. Egburgis Donatæ in Novo-Claustro sepultæ XXIV. Anno Imperii Frederici II. Romanorum Imperatoris XVII. Regni Jerusalem XIII. Siciliæ XLI. indictione X. Pontificatûs Domini Gregorii Papæ noni XI. Episcopatûs Domini Ludolfi Monasteriensis Episcopi XII. Reverendus Pater Emo & piæ recordationis apud Deum & homines in nocte Beatæ Luciæ Virginis quam semper specialiter dilexit, ac ei servivit, vigiliam ejus jejunando, & omnes, quos potuit, ad honorem ejus exhortando, accedente Festo ejus supplicavit eidem Virgini morbo invalescente, ut si eo anno secundùm Dei ordinationem esset moriturus, eâ nocte ipsius precibus ad requiem transiret. Eâdem igitur, dictis Matutinis, coràm positis fratribus & sororibus in Novo-Claustro, cui ipse tanquàm rigator nomen *Campus Rosarum* (*a*) imposuit, de laboribus & ærumnis carnis ereptus dormivit cum patribus suis, omnibus qui adstabant fratribus non modicùm flentibus & patrem se tantum amisisse lamentabiliter conquerentibus, nec-non & sororibus, quas ipse tanquàm oviculas debiles, & infirmas, quò fragilior erat sexus, eò sollicitiùs nunc blandiciis demulcendo, nunc etiam minis & terroribus deterrendo, uni viro desponderat, virgines castas exhibere Christo. Corpore itaque ejus sacerdotalibus indumentis, ut decuit, & mos est de Prælatis, involuto, & in Ecclesiam processionaliter delato, post lecta psalteria & Missas celebratas, sororibus extrà portas cum cantu exequiali prosequentibus, & fratribus qui aderant comitantibus, in navi corpus est collocatum, & ad Abbatiam deductum, ubi completis psalteriis post nocturnas vigilias, & officio divino, & Missis in Capitulo Claustri, ubi ipse sibi sepulturam elegerat est sepultus. Capitulum quippè dum viveret diligens, propter studium Confessionum, correptionum, lectionis, & sanctæ meditationis, adstrinxit Sacerdotes, qui in obitu suo præsentes erant, ut corpus suum in Capitulo humarent, & si quandò novum Capitulum fieret, in illud transferrent, ut sicut vivus locum illum dilexit, sic & ad illum intraret defunctus, ubi Deus omnipotens suâ ineffabili gratiâ, per Confessoris sui merita, multa infirmis confert beneficia sanitatum. Homo siquidem iste spiritu prophetiæ in quantùm ab hominibus sciri voluit, à Deo fuit ditatus. Nam in anno obitûs sui cuidam laico nobili in parochiâ *Werum*, qui fuit Cruce signatus, quærenti consilium, si adhuc præparare deberet pecuniam ad passagium Terræ Sanctæ, dixit præcisè: neque in diebus meis, neque tuis erit generalis peregrinatio in Terram Sanctam, quoniam post mortem meam, te adhuc fortè vivente, erit tanta dissensio in Ecclesiâ Dei, quòd propter bella intestina non poterunt Christiani contrà paganos unanimiter dimicare. Dixit etiam quibusdam civibus super emptione prædiorum litigantibus, quòd fortè visuri essent diem, quandò etiamsi pecuniâ abundarent, vix eam auderent in prædia convertere propter caristiam intolerabilem, maximè cum essent multò plures venditores, quàm emptores, quòd anno 12. post mortem suam, per inundationem salsi in diversas plagas, manifestè accidit. Cuidam etiam familiari suo antè horam mortis quærenti,

Exequiæ Emonis.

In Capitulo sepelitur.

Miracula in ejus tumulo:

Prophetiæ dono claruit.

(*a*) Anteà *Romerswerf* dictus, vicinus Monachis Felwerthensibus apud quos habitum Emo laicus nobilis assumpserat, & in suo feodo oratorium struxit anno 1204. quod posteà, suggerente amitino suo Emone Husdingæ Plebano Abbate Werumi, cui se comitem adjunxerat, in cœnobium Sororum Ordinis Præm. immutatum est.

quærenti, quem vellet sibi succedere, dixit Fratrem Paulum esse bonum; sed brevi tempore victurum, & Domini Pauli successorem nominatim expressit; quæ omnia rei exitus vera esse probavit, post mortem quoque suam probabilia signa Deus dignatus est per eum operari. Nam etiam *Dammæ* cœcam illuminavit, mutam loqui fecit, & quandam per triennium contractam & decumbentem, liberè fecit ambulare; cui etiam Deum & Sanctum Nicolaum ac alios Sanctos, cum esset paupercula, & necessaria deficerent, invocanti, responsum est cœlitùs, ut Venerabilem Patrem *Emmonem* invocaret, quia ipsi collatio sanitatis suæ divinitùs esset reservata: Et sic eo invocato sanitatem recepit. Post decessum tam Reverendi Patris & solliciti Pastoris, devota illorum Fratrum congregatio, quam idem Pater Venerabilis in Christo plantavit, & intentâ oratione munivit, Domini *Sibrandi* Abbatis de *Horto Sanctæ Mariæ*, vices Patris Abbatis, videlicet Domini Præmonstratensis gerentis, pacificè ac humiliter expectavit adventum. Qui anno Domini CIↃCC XXXVIII. vere inchoante veniens, assumpto secum Abbate de *Doccum*, in octavâ Epiphaniæ Capitulo præsedit, ac exhortatione præmissâ, Fratres de concordiâ monuit, & triplicem formam electionis secundùm ordinem eis proposuit. Qui sine votorum examinatione ac familiari scrutinio electionem in ipsum Abbatem Dominum Sibrandum, eo quòd esset vir honorabilis & discretus, & locum eundem semper dilexerat, compromiserunt, adjunctis ei tribus Ecclesiæ Canonicis, qui in formâ electionis approbatâ in Constitutionibus Domini Innocentii Papæ III. procedentes, cæteris intereà Fratribus in Capitulo residentibus, Ecclesiam intrantes, Spiritûs Sancti gratiâ invocatâ, & collatione invicem habitâ, unanimiter in personam Domini Pauli ejusdem Ecclesiæ Supprioris, consenserunt. Quem cum in Capitulum reversi ad onus suscipiendum nominassent, sine contradictione ab omnibus est acceptatus. Fuit enim vir nobilis & valdè litteratus, juris peritus, facundiâ & dulcedine linguæ præditus; & ab adolescentiâ claustrali disciplinâ imbutus. Imponente igitur Cantore *Te Deum laudamus*, & campanis concrepantibus in Chorum est deductus, & dictâ debitâ oratione, in stallo Abbatis collocatus. Deindè in Capitulum reductus professiones Fratrum sine contradictione alicujus recepit, ac eodem anno in Ecclesiâ *Floridi-Horti* in die Beati Magni martyris, præsentibus Fratribus, à Domino Ludolfo Monasteriensi Episcopo manus imponente, Abbatis Benedictionem accepit. Eodem anno proximâ die post S. Bavonis Festum, consagrata est Ecclesia Sancti Andreæ *in Emesbâ*. Die Callixti data est sententia à Consulibus de solutione per duo millia marcarum exponenda in die Beati Martini. Subdiderunt se Fidejussores de quantitate, videlicet de CIↃ CC. marcis, quia reliquum fuit ex gratiâ indultum. Et termini solutionis sunt assignati.

1237.

Plura miracula patravit.

1238.

Eligitur successor Emmonis.

Paulus Abbas eligitur.

Eodem anno, videlicet anno Domini CIↃCCXXXVIII. anno ab inchoatione Lateritii operis tertio, prædictus Abbas veniens in *Hortum-Sanctæ-Mariæ* de consilio Domini *Sibrandi* Abbatis, ibidem conduxit Magistrum *Everardum* Lapicidariæ artis peritum, natione Coloniensem ad novam Ecclesiam in *Florido-Horto* faciendam, mercede ipsius taxatâ tàm hyeme, quàm æstate, videlicet ut reciperet præter victum æstivo tempore addiem VII. Daventrienses, hyemali verò tempore à Festo Martini ad Purificationem tres, & hoc tempore sederet ad secandos lateres, sed satis damnosè propter diei

Paulus Abbas struit novam Ecclesiam.

1238. brevitatem & aëris obſcuritatem. Quæ tamen forma conventionis poſt-modùm propter ſuam & filiorum intolerabilem guloſitatem mutata eſt, ut ad annum reciperet XXIV. libras, & ad diem perciperet duas uncias Groniensium. Idem autem Magiſter in vigiliâ Aſſumptionis fundum in atrio Eccleſiæ pertemtavit, & ſtatim poſteà initiatum eſt fundamentum cum graviſſimis laboribus & expenſis, quia ſubitò vacillat operis ædificium, cui debile ſubjacet fundamentum. Appoſito igitur lineari perpendiculo Magiſter eſt metitus, quàm profunde fodiendum eſſet fundamentum, ita ut lignâ in fundo poſitâ omni tempore haberent aquam, quæ ipſa ſolet à putredine conſervare. Hic autem perpendit per aquam, quæ erat in foſſato atrii, ita ut illa æqualitas aquæ poſſet derivari per cuniculos terræ ſuper tignorum ſuperficiem ad duos pedes, cum tamen in illo autumno fuiſſet ſiccitas maxima, & ſic neceſſe fuit totum fundamentum fodere ad profunditatem XX. vel XVIII. pedum. Præterea ad Occidentem, ubi eſt major pars ædificii, olim decurrebat amnis, cui nomen erat *Fivele*, ita ut eſſet ibi portus navium. Qui cùm in *Emethâ* eſſet obſtructus & deſiccatus, paulatim fimo ſterquilinii, & ſtraminibus fuit repletus, & ideò neceſsè fuit in profundum fodere, ut ad ſolidum fundum poſſet perveniri. Effoſſo igitur fundamento viciſſim de caveâ ad caveam poſita ſunt inferius ligna abiegna adhuc recentia, & ſuccoroſa propter ſecuriorem conſervationem operis, prima in longum operis, videlicet ad Orientem & Occidentem, & deſuper alia in tranſverſum. Quibus cum multâ diligentiâ collocatis ſuperjecta eſt terra primo pinguis, & fimoſa, pro majori attractione humoris & conſervatione lignorum, poſt-modùm ſicca, quæ condenſata eſt truncis, accedentibus ad ſingulos quatuor viris fortibus, quibus laſſatis, alii quatuor ſuccedebant, & ſic oportebat omni tempore hujuſmodi fundationis intereſſe LXXX. viros, cùm eſſent X. trunci, & viciſſitudinalibus commutationibus carere non poſſent. Quibus pleno robore laborantibus tota villa contremuit, ita ut in vicinis domibus ollæ lacticiniorum effunderentur, & ova aucarum (*Anſcrum*) ex tremore terræ commixta fœtus perferre non poſſent. Cooperabantur autem fideliter cum parochianis ejuſdem Eccleſiæ cives de Wakerſum, (*a*) ita ut ipſi ferè medietatem operis explerent. Et dabatur quotidiè laborantibus medietas rotundi panis, & buccella caſei ad meridiem, & tres, vel ad minùs duæ magnæ ſitulæ ad bibendum. Et ſic in magnâ hilaritate operabantur, & authoritate Domini Epiſcopi ſingulis operantibus quinque dies de injunctâ pœnitentiâ indulgebantur. Canonici autem & Converſi fideliter & viriliter cooperabantur. Principales in promotione operis fuerunt, *Andreas* Prior, vir prudens in dulcedine jucunditatis, & vultûs arriſione, homines ad operandum optimè alliciens, & Frater *Menko* tunc Veſtiarius & Cellarius interior, nec-non & parvorum Magiſter, poſtmodùm verò ejuſdem Eccleſiæ Abbas effectus, & Frater *Itatus* Canonicus, & *Sigrepus* Converſus. Hi, quia efficaciores in duabus parochiis poterant habere petitiones, homines ad laborandum convocabant, & ſæpè poſt diurnum laborem & ſollicitudinem circà operis ordinationem & promotionem, aliis in veſpere tendentibus ad quietem, etiam poſt occaſum ſolis oſtiatim circuibant, petendo, & ad craſtinum laborem invitando, ſibi & partitionibus parochiarum, prout qualitas operis exigeret vices diſtribuendo. Poſitio autem fundamenti intrà quinquennium fuit conſummata, Deo

(*a*) Fortè *Wirthum*, hodiè Werdum.

gratiam suam apponente, ut essent optima tempora, & frumentum ubique abundaret. Nam ab inceptione fundamenti usque ad tertium annum Ecclesiæ Floridi-Horti in singulis grangiis partitiones duas vel tres de clibanis frumenti poterat intrituratas relinquere anno futuro. Sed statim fundamento posito, tempora cœperunt in incremento annonæ vilescere, nam eo anno, cùm fuisset siccitas magna antè Festum Joannis Baptistæ, posteà successit pluvia maxima, quæ fundamentum Ecclesiæ in fine occidentali non modicum impedivit, quia sæpè terra de die effosa propter ponderositatem, & labilitatem ex pluviâ relabebatur, & sic non poterat illa cavea, cùm haberet in latitudine, quantùm ad statum Ecclesiæ, plùsquàm LX. pedes, & in longum XL. satis in fundo effodi, & complanari, nec ligna satis ad placitum collocari. Tamen per totam illam caveam lignâ fuerunt in fundo collocata, & ad parietem finis Ecclesiæ duplicata. Fundus verò ad Aquilonem fuit debilior in eâdem parte Occidentis, quàm ad Austrum, & minùs solidus, quia virgam Geometricam poterant levi labore ad finem imprimere. Undè si fortè ibi periculum eveniat, ex hoc sciatis evenisse. Non solùm autem ex his causis finis Occidentalis plus descendit, sed etiam quia Orientalis jam priùs fuerat ad XX. pedes exaltatus, & sic suum fundamentum fuit jam stabilitum, antequàm aliud inchoaretur. Prætereà quoniam difficile est super ædificare, nisi sciatur intentio primi Fundatoris, cum quilibet artifex discretus primò in mente disponat materiam sui operis, & diversos diversa juvant, ideò primam ordinationem operis hoc loco duximus describendam, ut si posteris placuerit super ædificare, ex hoc habeant materiam proficiendi. Primùm enim erat propositum, ut inter duo brachia Ecclesiæ fieret ciborium (a) in modum turris, cujus laquearia super tectum Ecclesiæ in hujusmodi operibus solent extolli, ut fenestræ super tectum prominentes chorum illuminent, ubi tamen volebant campanas conventus suspendi. A latere verò ciborii super duas capellas, quæ firmissimum habent fundamentum, propositum erat fieri duas turres minores, & in fine occidentali turrem magnam ad campanas parochiæ. Quæ omnia licet satis essent ad ornatum, tamen propter multos labores & expensas, quibus tam Prælati, quàm universitas Fratrum quasi in fornace tribulationis fuerunt excocti, hoc ad præsens prætermiserunt, & posteris, qui labores eorum quasi gratis, & utinam non ingrati, erant intraturi, si facultates suppeterent, hæc perficienda reliquerunt. Perficientibus autem cum inexplicabili difficultate, nam opus, sicut evidentia declarat, erat magnum, parietes diversi, Magister & operarii omnes summo pretio conducendi, anni durissimi supervenerunt, & multi, etiam qui prædiis abundabant, coacti sunt terram exire, & alimoniam undecumque poterant requirere. Nec hoc prætermittendum, quod Dominus Sibrandus Abbas de *Horto Sanctæ Mariæ* instigabat, ut in Sanctuario fierent duo altaria, sicut in Præmonstrato. Et ideò dilata fuit Ecclesia ad Orientem, ut largus esset ministrorum circuitus, maximè propter pressuram offerentium & communicantium. 1238.

Anno Domini CIↃ CC XL. mortuus est Dominus Sibrandus Abbas Horti S. Mariæ, vir in omni populo valdè honorabilis, corpore pinguissimus, staturâ procerus & robustus, ac benè dispositus, satis litteratus, facundus 1240.

Mors Sibrandi Abbatis Horti S. Mariæ.

(a) Tholus, gallicè *Dome*, columnis subnixus, fastigium tecti Ecclesiæ transcendens, medius inter Sanctuarium & Chorum.

1240. in linguâ, & latinâ, & naturali, ingenio subtilissimus, qui Ecclesiam suam cum bonâ magnanimitate à perversis defendit strenuè, quia intus & foris magna suæ personæ habebatur reverentia. Ipse autem Ecclesiam *Floridi-Horti* specialiter dilexit, & in omnibus suis necessitatibus & antequàm esset Abbas, efficaciter promovit. Successit ei Dominus *Jaricbus* ferè octogenarius, qui à primâ infantiâ in primâ fundatione religioni mancipatus, & satis litteratus, ac bonus prædicator, fuerat Ecclesiæ satis utilis. Sed post electionem statim cœpit corpore ac sensu deficere, & vix duobus annis in officio perstitit Abbatis, & renunciavit.

1241. Anno Domini CIƆ CC XLI. die Dominicâ in Festo S. Michaelis, lunâ XXVII. circà horam nonam facta est Eclipsis solis, quæ secundùm rationes Philosophorum poterat esse naturalis per objectum terræ inter nos & solem. Cum enim sol est in medio zodiaci, & eclipticâ lineâ, & luna accedit ad ipsum, ut reaccendatur, ipsis in eadem lineâ directè convenientibus, sole suprà & lunâ infrà, & terra sic utrique in eadem lineâ directè supposita, necessè est lunari objectu nobis solarem subtrahi aspectum. Zodiacus enim circulus continet in latitudine XII. lineas, quarum mediam, quæ vocatur ecliptica, sol tunc perambulat, luna autem per rotam ejus latitudinem vagatur. Undè licet omni mense luna ad solem accedens reaccendatur, non tamen uno semper loco & eadem lineâ directè in eclipticâ lineâ ei supponitur, & ideò non omni mense, vel anno fit Eclipsis. Sol autem in suâ Eclipsi nihilominùs lucet, licet nos ejus aspectu fraudemur. Cum verò luna Eclipsim patitur, lumine privatur, quia lumen à se non habet, sed à sole. Cùm enim sol est sub terrâ, & luna suprà terram, vel è contrà, uterque tamen in Eclipticâ lineâ, terra in eadem lineâ interposita privat lunam lumine, quod à sole contrahit. Et hoc semper circà plenilunium XIV. vel XV. vel XVI. Sed si luna per aliam quamlibet, præter Eclipticam, ab oppositâ parte feratur, terra ob sui exiguitatem, solare non potest ei lumen adimere, & ideò luna non omni mense patitur Eclipsim. Poterit etiam eadem Eclipsis esse prodigialis, quia circà idem tempus, decessit Dominus Gregorius Papa IX. qui fuit homo valdè litteratus, & Ecclesiæ sibi creditæ strenuus defensor, qui quinque volumina Decretalium, ob librorum diversitatem & prolixitatem in compendium voluminis unius per Magistrum *Remundum* ordinavit contrahi. Hic *Fretbericum* Imperatorem, Deo & Ecclesiæ inobedientem, & multa signa incredulitatis habentem, sæpiùs monitum excommunicavit, ac postmodùm anathemati subjecit. Post ipsum electus est quidam *Cœlestinus*, qui post electionem tantùm XVI. dies supervixit, & sic Sedes Apostolica fermè per annum vacavit, *Fretberico* Imperatore electionem tàm occultè, quàm manifestè impediente, & maximè per quosdam Cardinales, quos in captivitate detinuit, sine quibus electio non poterat celebrari. Et sic accidit illud Prophetæ, *vidi Israel sicut oves sine pastore.* Utrùm autem illa Eclipsis fuerit naturalis, vel prodigialis ei relinquimus, qui dicit; *non est vestrûm nosse tempora, vel momenta quæ Pater posuit in suâ potestate.* Et Apostolus: *observatis tempora, & menses, & annos, timeo ne frustrà laboraverim in vobis.* Paraditus: *De lunæ gyris & solis sæpè requiris, sed de stellarum scis ratione parum.*

Anno Domini CIƆ CC XLI. occisus est *Rudolfus*, primogenitus *Egberti* qui fuit Præfectus Villæ Groniensis, & hoc per *Tbizonem* militem & *Rodulfum*

dulfum filium cognatum ejusdem occisi, & per Gelekonidas & Popelingos confœderatos in destructionem prædicti Egberti & fratrum suorum. Sed aliter quàm æstimatum fuit evenit. Nam *Egbertus* juvenis, cum fratre *Godescalco* effugiens, vocatis ad se *Rodulfo* de *Nurecb* & *Menzone* ad amnem fratruelibus suis, auxilio militum de Pedese, & aliorum, domum suam viris & armis munivit. Prædicti autem occisores domum *Menzonis*, Ecclesiam Sanctæ Walburgis, & alias duas domos occuparunt, & sic aliquandiù pugnantes, plurimos hinc indè occiderunt. Sed plures & meliores ceciderunt de parte *Thisonis* & *Rodulfi*, & tandem eis deficientibus cœperunt cedere, & captæ sunt domus eorum, & quædam funditùs destructæ, & ferè tota villa igni tradita, quandò *Rothgerus* Scultetus & sui fratres fuerunt *Thisonis* & *Rodulfi* principales coadjutores. E contrà per *Thisonem*, & suos destructum est castrum in *Gronenburcb*, quod fuit seminarium totius discordiæ, & domus militum de *Pedese*, videlicet *Adulfi* & *Rodulfi* fratrum, & similiter patruelium suorum, ubi & in optimis pomeriis & pretiosâ supellectile multa bona sunt igne consumpta, vel etiam destructa. 1241.

Eodem anno circà ad vincula Sancti Petri est electus ad apicem Apostolicæ Dignitatis Dominus Syneboldus Presbyter Cardinalis, & quia aliis diversa sapientibus, ipse dilexit vivere pacificè ac innocenter, dictus est *Innocentius*, quartus in illâ Sede hujus nominis hæres. Is statim post electionem suam confirmavit sententiam latam à Domino *Gregorio* Papâ contrà *Fretbericum* Imperatorem, propter quod insidias multas, & injurias perpessus, tandem Roma secedens secundùm illud, *si vos persecuti fuerint in unâ civitate fugite in aliam.* Primò se Januam, undè fuit oriundus, trastulit, ac post-modùm Lugdunum super Rodanum in Burgundiâ secessit, & sic omnia jura Papalia Lugdunum sunt translata. Eodem anno Dominus Papa concessit (*a*) Moguntino Primati & Coloniensi Archiepiscopo, (*Conrado*) ut ab omni Clero suorum Suffraganeorum perciperent quintam omnium proventuum Ecclesiarum, eo quòd ipsi viderentur se periculo pro Ecclesiâ contrà prædictum Imperatorem viriliter opponere. Super quo mota est quæstio & dissensio non modica, quia nec Archiepiscopus Bremensis, nec Trajectensis, nec Monasteriensis, nec aliqui Episcopi totius Alemanniæ, prætet Leodiensem, & Osnabrugensem voluerunt in suis Diœcesibus hanc exactionem admittere. Sed pro relaxatione miserunt ad Dominum Papam supplicationes, qui nec voluit ad plenum revocare, nec etiam sententias à prædictis Archiepiscopis latas confirmare, sapienter expectans, ut medio tempore fierent amicabiles compositiones, quod & factum est. Nam & prædicti Archiepiscopi videntes se non posse ad plenum prosperari, suam mitigaverunt, & quod eis singuli Episcopi ex gratiâ apposuerunt, gratanter acceptarunt.

Electio Innocentii IV.

1242. Anno Domini CIↃ CC XLII. mense Augusto in Inventione S. Stephani Dominus Paulus, secundus Abbas *Floridi-Horti*, anno ab obitu Domini Emonis & suæ successionis v. acutissimâ febre correptus de Claustro Sororum ad Abbatiam est deductus. Sextâ die infirmitatis recepto officio communionis & inunctionis, cum summâ devotione & multiplicatis correptionibus, quas singillatim à singulis Sacerdotibus expetivit, sciens sibi horam mortis imminere, ad exemplum Domini *Emonis*, de lecto se erigens,

Mors Pauli 2. Abbatis Horti-Floridi.

(*a*) Sigefrido 3. Moguntino. De hac concessione nihil habet Annalista Moguntinus, Christianus Joannis.

1242. acceptâ stolâ & baculo, absolvit ab excommunicatione omnes, quos ipse authoritate ordinariâ seu delegatâ excommunicavit, quoniam omnis excommunicatus à suo excommunicatore est absolvendus, nisi per appellationem ad audientiam superioris fuerit causa devoluta. Quo facto se in lectum recipiens circà horam nonam in festo S. Ciriaci corâm positis fratribus, & de morte tanti Patris dolentibus, & gementibus, omnibus quæ ad suam salutem, aut Ecclesiæ utilitatem pertinebant sapienter pertractatis, dormivit cum Patribus suis, ac peractis illâ die ac nocte secundùm consuetudinem psalmis, sequenti die per Venerabilem Virum Dominum *Hayonem Abbatem de Mernâ* a dextro latere Domini Emonis Abbatis, sicut ipse petivit, in Capitulo est sepultus. Qui mortis suæ quasi præscius sæpius eo anno desideravit sibi complanari, ac poliri operimentum sarcophagi & denigrari, ac à latere Prædecessoris sui collocari. Erat autem hic Pater Venerabilis, in parentelâ nobilis, scientiâ excultus, Juris ac Theologiæ peritus, & in Deo justus ac fervidus, in sermone jocundus, in omnibus fratribus suis habilis & compositus, in morum honestate præclarus, facundiâ præcipuus, ita ut etiam dulcedinem linguæ suæ mirarentur audientes. Quem etiam Dominus tanquam aurum in fornace probatum multis tribulationibus fatigari permisit, tàm ab extraneis, quàm etiam periculis cum falsis fratribus, in quibus viriliter contrà hostes visibiles, & invisibiles decertavit. Etiam ubi necessaria erat patientia, quasi naturaliter erat patientissimus, juxta illud Salomonis; *melior est patiens viro forti.* Contra infestantes Ecclesiam fuit strenuissimus defensor, secundùm illud: *ne des alienis honorem tuum.* Cùm enim quâdam vice Dominus *Ludolfus* Episcopus Monasteriensis, vir naturali ingenio pollens, instinctu quorumdam æmulorum, Ecclesiam *Floridi-Horti* gravare voluisset, & publicè mandasset fidejussoribus super solutione Ecclesiæ in *Emethâ* datis, ne conventui quidquam exponerent, nisi priùs ex parte defuncti sibi satisfieret. Idem Abbas constanter allegabat ipsum antè obitum absolutionem petivisse, & cautionem de parendo mandatis Ecclesiæ præstitisse, & sic à suo Confessore absolutum in formâ Ecclesiæ, & ideò à Sacramentis Ecclesiæ, & sepulturâ non fuisse excludendum, cum etiam sacrilegis & aliis, qui ad Sedem Apostolicam essent mittendi, in extremis possit & à simplici Sacerdote, & maximè suo Confessore beneficium absolutionis impendi, acceptâ, ut dictum est, cautione, ut pareat mandatis Ecclesiæ, si supervixerit, & sic heredes tenentur ad interesse, nec moriens sic absolutus Sacramentorum & Ecclesiasticæ sepulturæ habebit aliquem defectum. *ext. de sepultur. Parochiano.* His & aliis allegationibus coegit Episcopum factum suum revocare, & Ecclesiam *Floridi-Horti* ab illâ impetitione liberam denunciare, & nihilominùs prædictis fidejussoribus sub pœnâ excommunicationis mandare, ut solutionem Ecclesiæ terminis statutis exponerent. Etiam hic præcisè dixit Episcopo, quòd nisi Ecclesiam in suo jure paternè defenderet, ei nullam procurationem impenderet. Et sic Dominus Episcopus, cùm esset vir sapiens, & juri Ecclesiastico satis deferens, omnia, quæ contra ipsum Abbatem, vel Ecclesiam suam fuerunt attemtata, publicè in Synodo *Loppersbem* revocavit.

Defuncto igitur hoc Venerabili Patre, cum Dominus *Elgerus* Abbas *Horti-Sanctæ-Mariæ* vices Patris Abbatis, videlicet Domini Præmonstratensis, gerens ivisset in Daniam pro visitatione faciendâ, Prior & Conventus pastore orbati vocaverunt Priorem *Horti-Sanctæ-Mariæ* cum Domino Joanne Abbate de

Insulâ-Sanctæ-Mariæ, qui eo año missus fuit ad visitationem Circatiæ Frisiæ. Quibus 1242.
venientibus primò ordinatum fuit quoddam arbitrium, sed accedentibus dictis Prælatis, ad Capitulum omnes Fratres unanimiter concordaverunt in personam Fratris *Menconis*, qui tunc erat Prior ejusdem loci. Qui post *Te Deum* cum aliis consuetis solemnitatibus percantatum, in Capitulum reductus professiones omnium fratrum concorditer accedentium recepit. Eadem nocte mortuus est Dominus *Rothuvardus*, Abbas Sancti Bonifacii in *Dockum*, morte subitaneâ in *Florido-Horto*, cùm eadem die Missam devotè celebrasset, & ideò de salute talium nullatenùs est dubitandum, cùm dicatur in Libro Sapientiæ: *justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*, maxime quia idem Abbas, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus, Ecclesiam suam in bono statu conservavit, & in multis emendavit, & in locum illum in optimâ vexit voluntate pro cooperatione pacis & concordiæ in electione. Recepit autem prædictus Abbas electus administrationem Ecclesiæ *Floridi-Horti* annò sexto transitûs Domini Emonis fundatoris, & primi Abbatis, in Festo Magni martyris, anno Fundationis ejusdem monasterii XXX. anno ætatis suæ similiter XXX. Professionis XIII. Subdiaconatûs XI. Diaconatûs IX. Sacerdotii VII.

Menko 3. Abbas Horti-Floridi, electus anno 1242.

Mors Rothvardi Abbatis in Dockum, Ord. Præm.

Anno Domini M CC XLV. præsidente Domino Innocentio Papâ IV. Pontificatûs ejus anno III. mense Julio, primâ die mensis, in octavâ Joannis Baptistæ, celebratum est Concilium apud Lugdunum Galliæ, quod est super Rhodanum in Ecclesiâ S. Joannis in pede montis, præsentibus Archiepiscopis & Episcopis fermè trecentis, tribus Patriarchis, Abbatum verò aliorumque Prælatorum Ecclesiæ magnâ multitudine. Ubi cùm citatus fuisset Fridericus Imperator, super objectis jam dudùm sibi criminibus responsurus, cùm non veniret, nec responsum mitteret, protelatum est Concilium ad decem, deindè ad octo dies. Tandem venerunt Magister Thadeus de Soëssa, & Magister Petrus de Vinea, judices Palatii sui. Et surgens Magister Thadeus, homo statu corporis & pulchritudine, scientiâ & facundiâ præditissimus, verbis conabatur dealbatis ipsum excusare, cùm tamen nullam ex parte ipsius cautionem sufficientem offerret. Causæ autem contrà eum fuerunt principaliter quatuor. Primò arguebatur de ruptâ pace inter ipsum & Ecclesiam. Secundò de perjurio septemplici, quia fidelitatem, quam juravit D. Innocentio III. in receptione Regni Siciliæ, & D. Honorio in coronatione Imperii, & Gregorio IX. multoties non servavit. Tertiò de hæresi, utpote Clavium Ecclesiæ contemptor, Sarracenorum amator & cohabitator. Quartò de sacrilegio, quia Cardinales capi fecit & vinculari. Aliæ quoque in ipsum causæ allegatæ sunt, nempè quòd de Apuliâ & Siciliâ ferè omnes Archiepiscopos & Episcopos depulit, & Claustra destruxit, redditus Ecclesiarum & Claustrorum suæ deputans militiæ & avaritiæ, imò Sarracenorum, qui secùm erant, procurationi. Undè assentiente universali Synodo, quomodò ipse se omni honore & dignitate per iniquitates suas reddidit indignum, sententialiter ab Imperio est depositus: & omnes qui ei juramento fideliter fuerunt adstricti, sunt absoluti. Et mandatum est eis, ad quos pertinet electio, ut liberè idoneum eligant successorem. Factum est hoc, anno Imperii sui XXV. Regni Jerusalem XXI. Siciliæ XLIX. ex quo submersus est avus Fredericus LV. anno enim Domini M C LXXII. Fridericus Imperator compunctus est de persecutione factâ in Alexandrum Papam.

1245.

Celebratio Concilii Lugdunensis.

1245. Alexander enim tertius in Concilio habito apud Turoniam Fredericum avum ipsius excommunicavit. Qui apud Hizingonem eundem Apostolicum tenebrosis insidiis cum Rege Franciæ capere voluit, sed non perfecit. Anno verò MCLXXVII. quidam de Cardinalibus Sacramentum de satisfactione ab Imperatore receperunt. Quo facto Imperator Venetias venit, & ibi renuntiavit causæ *Octaviani* Antipapæ, & secundùm Canones ab excommunicationis sententiâ, quâ tenebatur, est absolutus coram multis, antè Ecclesiam, B. Marci Evangelistæ. Præfatus Imperator venit ad pedes prædicti Alexandri, & omnem Reverentiam, quam Imperator Apostolicis impendere consuevit, exhibuit. Anno verò MCLXXVIII. Fredericus crucem accepit, & postmodùm Iconium obtinuit, & tandem anno MCLXXXV. pervenit ad loca Armeniæ, & ibi specie delectatus torrentis, nudus, transnatare conabatur, ibique diem clausit extremum, mense Augusto, die Dominico. Anno verò MCXCIX. obiit Henricus Imperator, filius antiquus Friderici, & Otto in Imperio successit, Regno Siciliæ Friderico parvo, commisso. Innocentius enim tertius favorem suum impendit Ottoni contrà Philippum Regem, qui pugnabat pro parvo, & coronavit Romæ eundem Ottonem coronâ & sceptro Imperii, qui nimis ingratus benefactori suo Patrimonium S. Petri statim post coronam acceptam invasit, nec pepercit parvo Frederico, sed Apuliam hostiliter accessit, & sic Deum & homines contrà se provocavit. Ideòque Summus Pontifex multis præmonitionibus præmissis ipsum excommunicavit. Deinde Barones ab ejus fidelitate absolvit, & sic Imperio perdito mortuus est in Saxoniâ cum signo maximæ contritionis, & sic devolutum est Imperium ad Fredericum juvenem.

Henricus Landgravius Thuringiæ eligitur Imperator in locum Friderici.

Eodem anno lectus est ad Imperium D. Henricus Lantgravius Thuringiæ, frater mariti S. Elizabeth, vir, ut fama testabatur, per omnia devotus & judex optimus, qui à D. Papâ est confirmatus, & postmodùm apud Francofordiam cum filio Frederici congressum faciens ipsum fugavit & quosdam de suis cœpit & occidit. Sed antequàm esset coronatus annuente eo, cujus judicia abissus multa, de medio sublatus est. Fortè quòd Dominus voluit adhuc castigare Ecclesiam, & temptare. Deuter. 13. *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palàm sciat, utrum diligatis eum*, vel fortè, sicut dicitur Sapient. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus. Placita enim Deo anima illius, propter hoc properavit educere eum de medio iniquitatum.* Eodem anno, à Cathedrâ Sancti Petri, cœpit exoriri siccitas, gelu in principio terram constringente, ut facillimè aratris tereretur, & sic labor agricolarum est deminutus, sed circà Pentecosten pluvia tamen increvit. Quapropter segetes in multâ parte perierunt, & sic eo anno facta est maxima penuria panis, & duravit usque post diluvia illa multiplicia, quæ fuerunt anno Domini CIↃCCXLIX.

1246. Anno Domini CIↃCCXLVI. exivit Frater *Wilbrandus* de Ordine Minorum Fratrum anno XII. à prædicatione suâ priori, quando fuit cooperator venerabilis viri Domini Joannis Decani Osnaburgensis; nunc verò missus fuit à Domino Maguntino Archiepiscopo, cui Dominus Papa speciale super hoc dedit mandatum. Prædicavit autem crucem super Fredericum de Schwaben, quondam Romanorum Imperatorem, & indixit treugas ad quinquennium. Et multi secuti sunt ipsum in prædicationibus, quoniam largas dabat indulgentias, & plurimi crucem receperunt. Sed citò secuti

Prædicatio Crucis contrà Fridericum Imperatorem 2.

sunt

ſunt eum fratres ſui dicentes, ipſum fuiſſe Ordini inobedientem, & ideò 1246.
non eſſe audiendum. Quæ diſſenſio per Prælatos Friſiæ ſic eſt ſopita, quòd idem *Wilbrandus* iter ſuum ad Papam accelerarct de omni negotio ſuo meliùs certificandum.

Eodem anno in Feſto Lucæ Evangeliſtæ creſcente rabie ventorum aggravata eſt inundatio ſalſi maris, & ſic factum fuit diluvium particulare, & multæ naves fuerunt ſubmerſæ, vel confractæ, & homines ſubmerſi. Quædam verò ad aggeres appulſæ vix homines conſervarunt. In eadem inundatione Abbas *Floridi-Horti* emit navem magnam à civibus de Lywerth (*a*) periculis marinis apud Spich (*b*) appulſam.

Anno Domini CIϽCCXLVII. venit quidam de Ordine Minorum Fratrum 1247.
cum quodam Romano ejuſdem Ordinis, dicens ſe appellari Reinaldum, & oſtendit litteras Domini Papæ directas ad quemdam Reynoldum, & quæſivit inſtanter pecuniam truncorum, & depoſita Crucis, & legata Cruci in teſtamento defunctorum, quaſi ad uſum expenſarum Domini Papæ. Sed Dominus Sicco, Decanus de *Fermeſſum*, & Nobiles terræ, pro libertate Friſonum viriliter ſtantes in faciem ei reſtiterunt, dicentes, pecuniam illam conſervari ad uſum pauperum peregrinorum, qui de Friſiâ eſſent exituri, cùm generalis fieret peregrinatio, & ſic vacuis crumenis, cum confuſione fuit reverſus. Poſteà compertum eſt Fratribus, quòd Reinaldus fuit falſarius, & cùm illæ litteræ directæ fuiſſent cuidam Reynoldo, ac ipſum mors intercepiſſet, iſte litteras illas qualitercumque arripiens, falſum ſibi nomen impoſuit, ut per illas collectâ pecuniâ, ab Ordine apoſtataret, vel fortè potiùs favorem Curiæ per pecuniæ præſentationem ſibi vendicaret. Undè à fratribus ſuis eſt captus, & ſicut decuit carceri mancipatus. O mirabilis honoris & dignitatum ambitio! quæ ſicut Adam nudum in paradiſo decepit, ita & quoſdam ex iſtis omnibus renuntiantes, & quaſi nudos non veretur tentare. Sed quid mirum! non fuit domus ab initio, in quâ Cain imitatores ſuos non habuit. In domo Noë, Cham patrem irriſit. In domo Abrahæ, Iſmael Iſaac illuſit. In domo Iſaac, Jacob Eſau perſequebatur. In domo Jacob fuerunt Simeon & Levi vaſa iniquitatis, & Ruben, qui cubile Patris aſcendit. Samuel ſanctus, filios genuit perverſos, ſicut & Heli. In domo David, Amon corrupit Thamar, Abſalon ſurrexit contrà Patrem. Joſias etiam bonus & juſtus, filios habuit nequiſſimos. Imò Jeſus Chriſtus, in conſolationem noſtræ fragilitatis, in ſuo collegio voluit Judam avarum & ambitioſum, imò furem ſuſtinere.

Eodem anno Frater Wilbrandus ivit ad Curiam Domini Papæ, & quia multam pecuniam ſecum detulit nomine Redemptionis Crucis acceptam, & magna in Curiâ ex parte Friſonum promiſit in rebus, & perſonis ſubſidia, multam ibi invenit gratiam. Quo exiſtente in Curiâ, Rex Franciæ, qui jam cœperat ſe accingere ad peregrinationem in Terram Sanctam, quæ à paganis miſerabiliter polluebatur, ſupplicavit Domino Papæ, ut dirigeret Prædicatores in Friſiam, qui animarent Friſones ad eundum cum ipſo. Et ſic negotium illud Fratri Wilbrando eſt commiſſum. Principaliter tamen Domino

(*a*) Aliàs *Lychtavert* Feverdianæ præfecturæ locus paſtorem à Lidlumi Abbate excipiens, & in Leovardienſi diœceſi ſitus.

(*b*) *Spich* vicus Fivilengiorum ad Amaſi oſtium.

1247. Alberto Archiepiscopo (a) Livoniæ, Estoniæ, & Prussiæ, fuit commissum, ut ipse in transitu suo per Frisiam prædicationem Fratris Wilbrandi roboraret, & eum defenderet. Venerunt autem post Exaltationem Sanctæ Crucis *Groningæ*, muniti multis litteris, & authoritatibus dispensationum, nec-non & privilegiis super libertatibus Frisonum. Convocatis ergò ibi Abbatibus, ac aliis Prælatis Frisiæ, & juratis, ac Nobilibus Laïcis, & maximè Cruce signatis, ostensis litteris suis & authoritate, indixerunt tempus passagii transmarini in Maio proximo, anno futuro, mandantes ut omnes Cruce signati se ad illud tempus præpararent. Sed reclamatum est ab omnibus quòd propter brevitatem temporis, penuriam argenti, & navium incertitudinem, nullo modo possent tàm citò præparari, & sic dilatum est usque-ad Maium sequentis anni. Sed & tunc propter obsidionem Aquensis Civitatis, ad quam plurimi Frisones iverunt, iter transmarinum est dilatatum, & vota authoritate Domini Papæ commutata.

Eodem anno mortuus est Ludolfus, Episcopus Monasteriensis, vir per omnia pollens ingenio naturali, qui superbiam officialium Ecclesiæ Sancti Pauli potenter ac sapienter repressit, & bona Ecclesiæ viriliter de manibus eorum liberavit, in omnibus actibus suis fortunatus existens. Religiosos ac humiles satis dilexit, ac efficaciter defendit. Obiit autem Episcopatûs sui anno XXII. Anno transitûs Sancti Ludgeri primi Monasteriensis Episcopi CCCCXXXIII. Fuit in ordine Pontificum à Beato Ludgero XXVI. Successit ei Otto, secundus filius Hermanni de Lippia fratris Domini Gerardi Archiepiscopi Bremensis, & Domini Ottonis quondam Trajectensis Episcopi apud Covordiam à Rodulfo & Threntonibus occisi.

Eodem anno, mortuo D. Henrico Lantgravio Thuringiæ, qui fuit electus ad Imperium, & illud strenuè cœpit administrare, missus est à Domino Papâ *Petrus S. Georgii ad velum aureum*, Diaconus Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus, qui veniens Coloniam convocavit omnes Episcopos ac Principes totius Alemanniæ in Festo Michaëlis. Qui omnes unanimiter convenerunt, nec deerat aliquis, quin vel per se venisset, vel per certum nuntium, vel per litteras se excusasset, & ratihabitionem misisset, ubi communiter omnibus assentientibus electus est ad apicem Imperii Wilhelmus, Comes Hollandiæ, filius sororis Ducis Brabantiæ, Consobrinus Comitis Gelriæ. Erant autem principales in electione suâ cum Legato Domini Papæ, Maguntinus, Treverensis, Coloniensis Archiepiscopi, & Episcopi quamplurimi, cùm aliis Principibus, ad quos pertinet electio, sicut dictum est, vel præsentibus, vel per se, vel per litteram excusantibus.

Eodem anno concremata est Ecclesia in Hrucrahusum (b), de quâ datæ sunt Episcopo centum marcæ novorum Monasteriensium, sive Sterlingorum. Oblatæ sunt Ecclesiæ in Halwirth (c), & in Bèrum (d), de pugnâ Ra-

(a) Vide Crantzium l. 7. metrop. c. 14. & l. 7. Vandaliæ de hoc Alberto Archiepiscoporum Livoniensium primo & Episcopatûs pridem erecti præsule quinto.

(b) Scribe *Reuvverahusum*, parochia in Hunsingiis, cujus nullum superest vestigium.

(c) Lege *Holvvirde*, hodiè *Holvvierde*, vicus in orâ ferè Amasiæ, lateritiâ turre munitus.

(d) Idem quod Berumum, ambæ Ecclesiæ interdicto subjectæ ob cruentam pugnam à Ruperto & Albertidis incentoribus commissam, absolutæ sunt ab Episcopo Monasteriensi, pretio 40. marcarum priùs pensø.

perti & Albertidarum, & habuit Dominus Episcopus ab utrisque XL. marcas Monasteriensis monetæ.

Anno Domini CIↃCCXLVIII. Pontificatûs Innocentii Papæ quarti, quinto electionis D. Wihelmi Comitis Hollandiæ ad Romanum Imperium, obsessa est Civitas Aquensis (a) ab eodem Rege, præbentibus sibi auxilium D. Petro Cardinali Apostolicæ Sedis Legato, Archiepiscopo Coloniensi, Episcopo Leodiensi, Comite Gelrensi, Joanne de Avennes, Comite Hanoniæ, & aliis Nobilibus plurimis de Brabantiâ, Hollandiâ, Zelandiâ & Frisiâ. 1248.

Cùmque ferè totâ æstate fuissent obsessi, circà Autumnum supervenerunt Frisones occupantes planitiem campi, versùs Aquilonem & Corum, antè introitum Civitatis, quem nemo Principum audebat priùs occupare. Aqua etiam ab Oriente obstructa fuit aggere fortissimo benè quadraginta pedum in altitudine, & sic aquæ præclusæ occuparunt ad minùs tertiam partem Civitatis. Undè dicti cives videntes se ex omni parte coarctatos, elegerunt inire pacem, & concordiam cum Rege, & tradere in manus ejus Civitatem. In festo B. Lucæ Euangelistæ ordinata est compositio, & juramento Advocati Civitatis Aquensis, & duodecim Nobilium ejusdem Civitatis confirmata. Qui omnes juraverunt servare obedientiam Domino Papæ, nec-non & Ecclesiæ ac Regi fidelitatem, quam aliis Imperatoribus servaverunt. Rex autem voce propriâ affirmavit in verbo Dei, nec-non in verbo Imperiali, quòd formam compositionis ordinatam fideliter servaret, & eos in libertatibus consuetis conservaret, ac roboraret, dummodò ei fidelitatem & obedientiam servarent. Acta sunt hæc die Dominico in Festo Lucæ Evangelistæ.

Licet autem quidam laboraverint primò bursas Frisonum emungere, antequam daretur eis licentia revertendi, tamen consilio & auxilio Abbatis *Floridi-Horti*, (b) qui de Capitulo Præmonstratensi rediens amore compatriotarum in castra diverterat, & nobilis viri ac fortis & facundi Thitardi de Dokingâ interventu obtentum est à Rege & Cardinali, quòd cum multâ honestate ac gratiarum sunt actione remissi, quoniam ex eo quòd campum, ubi incumbebat totum periculum belli, occupaverunt, & Aquenses cives tribus vicibus irrumpentes de civitate viriliter represserunt, præ omnibus aliis nationibus specialem consecuti sunt gloriam, ac ideò cum gloriâ sunt remissi. Rex verò in Festo Omnium Sanctorum Coronam Regni Alemanniæ recepit, & eodem die in throno Caroli Imperatoris est inthronisatus, præsentibus duobus Cardinalibus, videlicet Domino Hugone Sabiniense, & prædicto Petro *ad velum aureum*, Archiepiscopo Coloniensi, & ferè omnibus Episcopis Alemanniæ.

Eodem anno Fredericus quondam Romanorum Imperator apud Parmam, Civitatem Longobardiæ, per potestatem ejusdem Civitatis, auxilio Octaviani Cardinalis & civium Mediolanensium in fugam est conversus, plurimis occisis, vel captis de suo exercitu, castris suis spoliatis ac incensis, & custodes castrorum ducti sunt in captivitatem. Occisus est ibi Magister Tadeus de Soëssa, judex Palatii Imperatoris, vir magnæ prudentiæ, facundiæ ac pulchritudinis. Eodem anno Conradus filius prædicti Frederici superatus est ab Abbate Sancti Galli, (c) & Episcopo Argentinensi. (d)

Eodem anno Ludovicus, Rex Franciæ, arripuit iter in Terram Sanctam, & apud Marsiliam præcepit sibi præparari centum naves, sed Frederico im-

(a) Aquisgranum. (b) Menkonis. (c) Bertholdo. (d) Henrico 3.

1248. pediente non habuit nisi medietatem, quarum quælibet poterat capere mille viros, & sic cum L. millibus in Cyprum navigavit, & ibi hyemavit, præcipiens fratri suo Roberto Comiti Atrebatensi, ut sequeretur in vere cum aliis quinquaginta navibus, & sic simùl in Terram Sanctam transfretaverunt. Eodem anno Thizo miles de Groninge circà Festum Omnium Sanctorum occisus est à Rodulfo de *Pedese* & suis complicibus.

Eodem anno feriâ VI. post Octavam Sancti Martini, surgente rabie ventorum satis immoderatâ, primùm ab Affrico, demùm à Zephiro, postmodùm à Coro & Circio, facta est elevatio maris, & rupti sunt aggeres Occeani, & operuerunt aquæ superficiem terræ, ita ut in *Campo Rosarum*, aggerem plurimis locis supergrediens totam Curiam impleret, & sic dolores & gemitus non modicos suscitavit. In ipsâ maris æstuatione ventus Boream à Circio trânsiliens, ad Aquilonem se transtulit, & sic in aggeribus versis contrà Aquilonem & Vulturnum, præter consuetudinem maximum damnum evenit. In ordeo etiam hyemali & tritico, quæ abundantiùs seminata fuerunt, propter siccitatem æstatis & autumni, damnum accidit gravissimum. Sed citò rupto aggere mediterraneo juxtà fossatum effluxionis aquarum, quod dicitur *Delf*, (*a*) aquæ hinc indè sunt diffusæ, maximè ad silvas australes, & maxima pars siliginis periit. Et sic modicum, imò nihil profuit agger Mediterraneus tanquam ex invidiâ factus, quia nihil est sapientia, nihil est consilium contrà Deum, silvæ occidentales, cum non flaret ventus ab oriente, aggere suo conservato, eâ vice evaserunt.

1249. Anno Domini CIↃ CC XLIX. jam inchoante, anno à diluvio Sanctæ Julianæ LXXXVI. Sancti Nicolai LX. Marcelli XXXI. Lucæ Evangelistæ VI. Lunæ XIX. in Festo Joannis Evangelistæ, Zephirus contrà proprietatem suæ lenitatis, borealiter intonans, post vesperas horribiliter increvit, & in tantum circà conticinium invaluit, quòd à diebus multis non est tantus fragor ventorum auditus, & ideò domus quamplurimæ tecto sunt nudatæ, Quædam etiam novæ & fortes corruerunt. Et nihil audiebatur ubique nisi dolor & mœstitia. Circà medium autem noctis, visus est splendor in aëre quodammodò scintillans, quem quidam putabant esse fulgur, sed tonitruum non est subsecutum. Quidam autumabant esse draconem, de quo dicit Isidorus *Etimol.* quòd igneæ sit naturæ, & in tempestatibus soleat elevari. Sed cùm in calidissimis Æthiopiæ partibus soleat nasci ac habitare, de hoc splendore maluimus humiliter dubitare, quàm temere definire. Illud tamen intelleximus, quòd ubicumque visus fuit per totam Frisiam, cuilibet videbatur, quod quasi ad jactum balistæ à se distaret, & in terram descenderet. In primo galli cantu Zephiro successit Circius, qui est collateralis Boreæ ad occidentem, ac sic æstuatio maris irrupit aggeres, & inundatio operuit terram, & erat ubique dolor & gemitus, eo quòd Dominus flagella sic multiplicaret. Sed tamen Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui irascitur & miseretur, iram suam inter ipsa flagella mitigavit, nam si Circius Zephiro paulò antè in plenâ maris effusione successisset, & in tantâ vehementiâ perstitisset, Frisia vix substitisset. Sed Dominus, qui & ventis imperat & mari, & obediunt ei, qui ambulat super pennis ventorum, ipse ventum in occidente retinuit, donec jam instaret tempus, ut Charibdis aquas suas

(*a*) *Delf ila* portus maritimus in orâ Amisiæ positus, munitionibus cinctus.

suas reciperet. Undè poterant dicere mortales: *nisi quòd Dominus adjuvit me, paulò minùs periissem.* Jeremias etiam; *sunt misericordiæ Domini quòd non sumus consumpti.* Et in Psalmo: *non secundùm peccata nostra fecit nobis.* In his omnibus non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. Nam sicut dicit Beatus Greg. *Non cessant flagella divinæ justitiæ, quamdiù non cessant actiones culpæ.* Adhuc enim quidam evaserant, qui aliis jam punitis insultarent, sicut fecerunt vicinæ gentes in vastatione Judeæ per Nabogdonosor, donec & ipsæ vastabantur. In crastino ergò Blasii, vigiliâ Agatæ Virginis feria v. increvit ventus horribiliter primùm à Zephiro, post-modùm à Circio, & iterum elevatum est mare; & supergressum aggeres terram implevit, & sic instante Circio jugiter per triduum, singulis diebus naturaliter effudit se Oceanus. Nec tam inmaniter elevabatur, quin domus in maritimis possent subsistere, & ideò non sunt tanti submersi, sicut olim in diluvio Sancti Marcelli, quin unâ effluxione nimis intemperatâ se quasi totum effudit, & multos in maritimis oppressit. Modo autem ut Dominus ubique ut plagam quasi æquâ lance communicavit, statim ut prior effluxio maris per diversa terrarum spatia fuit divisa, alia secunda, Oceani naturam ac principaliter Dei ordinationem subsequens, & aggeres confractos faciliter transiens, non solùm per loca maritima exspatiabatur, sed etiam interiora spatia terrarum penetravit, & tunc agger Occidentalis, qui dicitur novus, fuit interruptus, quia IX. influxiones continuatæ fuerunt. Et quia plaga circa extremam partem hyemis accidit, aquæ totiens augmentatæ tardè defluxerunt, & in humilioribus locis vix circà Festum Sancti Ludgeri terra fuit arabilis, & tunc ex quâdam vi salsuginis & matutino gelu terram constringente fuit terra valdè solubilis, & videbatur pinguis, delectabanturque agricolæ in facilitate laboris, ex tali solubilitate terræ, & ferè ubique locorum plus solitò seminatum est. O cæcitas & ignorantia humani generis! quia de suâ præsumens scientiâ, & subtilitate incidit in laqueum quem tetendit. Si enim minùs aratum & seminatum esset, ipsum semen ad sustentationem hominum non modicam utilitatem conservasset, & jumenta laboribus fatigata, modicum pretium solverent. Quibus si in Vere parcitum esset, ex ipsorum pretio, & seminibus perditis ad sustentationem hominum non modicum profuisset. Cœpit autem semen terræ commissum prima folia pulchrè ostendere, sed natura aruit, quia non habebat humorem vegetantem, sed potiùs suâ salsugine arefacientem, quia quò magis Sol incalescebat, eò magis salsugo ad superficiem terræ trahebatur, & sic homines ad augmentum flagellationis suæ semen & laborem perdiderunt. Quidam etiam propter defectum graminum pecora in Threntiam, & quocumque poterant pro alimoniâ miserunt, ex quibus ad augmentum flagellationis plurima mortua sunt, & non fuit locus, quo quisquam flagellum Dei evaderet, secundùm illud; *Si ascendero in Cœlum, tu ibi es, si descendero in infernum ades &c.* In silvis autem & aliis locis, ubi propter locorum eminentiam siligo per salsam aquam non poterat attingi, aliud accessit flagellum. In agris enim, eorum pascuis salsugine infectis, quasi nulla fuerunt gramina, nec fœnum in pratis, & sic misera pecora terram corruptam cum radicibus evulserunt, & ferè in illis locis omnia mortua sunt. Et sic nulla pars Frisiæ tum à flagellis libera. 1249.

Anno Domini CIↃ CC L. similiter prior pars æstatis fuit nimis sicca, & pestilentia animalium increvit, & ferè omnia pecora silvanorum, quæ fuerunt 1250.

1250. priori anno residua, vel ex novò aliis jam mortuis empta, moriebantur, & in calore æstivo corpora mortuorum animalium computrescebant, & fuit ibi fœtor intolerabilis, de quo etiam homines corrumpebantur, quia ut dicit Galenus, plus inficit aër corruptus, quàm etiam cibi corrupti. Alia etiam pestis in silvis, in homines consurrexit, quòd quædam gutta venenosa oriebatur inter carnem & cutem, primo ad quantitatem glandis quercinæ, & credebant homines esse punctionem alicujus venenosi volatilis. Sed qui diligentiùs examinabant dixerunt, quòd aliquot diebus, antequàm erumperet, poterant sentire distemperantiam, quæ quasi deambulabat per corpus quærens sibi exitum, & sæpius circà collum super scapulas erupit. Cui autem citò abscindebatur primo die, & locus ferro adurebatur, poterat convalescere. Alioquin infrà VII. dies moriebatur, vix paucis indè convalescentibus sine Chirurgiâ, fortè ex corrupto aëre, vel aliquâ venenosâ materiâ. In his, qui habebant humores corruptioni habiles, in calore ad exteriora trahebatur, quia calor est attractivus, & maximè sibi similia attrahit, quod est naturale omni creaturæ. Ecclef. 13. *Omnis homo sibi simili associabitur.* Ecclef. 27. *Volatilia ad sui similia conveniunt.* Dicit autem Galenus, quòd aër corruptus plus nocet, quàm cibi corrupti. Utrùm autem hæc pestis fuerit ex aëre corrupto de cadaveribus pecorum in silvis putrescentibus ad solem, vel cibis corruptis, vel quod credibilius est, ex divino flagello, Deo relinquimus, cujus judicium est summa causa omnium causarum. De tali pestilentiâ animalium dicit Virgilius in Georgicis, quòd olim in Venetiâ & Illirico, ex corrupto aëre piscium & serpentium, qui in quadam inundatione super terram manentes, ex calore solis corrupti, aërem corruperunt, orta est pestilentia pecorum. De Illirico dicit:

Hic quondam morbo cœli miseranda coorta est
Tempestas, totoque autumni incanduit æstu:
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum,
Corrupitque lacus, infecit pabula tabo.
Nec via mortis erat simplex, sed ubi ignea venit
Omnibus acta sitis, miseros adduxerat artus,
Rursùs abundabat fluidus liquor, omniaque in se
Ossa minutatim morbo collapsa trahebat.
Jam maris immensi prolem & genus omne natantum
Littore in extremo ceu naufraga corpora fluctus
Proluit: insolita fugiunt in flumina phocæ.
Interit & curvis frustrà defensa latebris
Vipera, & attoniti squamis astantibus hydri.
Ipsis est aër avibus non æquus, & illæ
Præcipites alta vitam sub nube relinquunt.
Prætereà nec jam mutari pabula refert,
Quæsitaque nocent artes, cessere magistri.
*Balatu pecorum, & crebris mugitibus * aër,*
Arentesque sonant ripæ, collesque supini,
In stabulis turpi dilapsa cadavera tabo:
Donec humo tegere ac foveis abscondere discunt.
Nam neque erat coriis usus, nec viscera quisquam
Aut undis abolere potest, aut vincere flammâ,
Nec tondere quidem morbo illuvieque peresa
Vellera, nec tales possunt attingere putres.
Verùm etiam invisos si quis tentarat amictus,

* Editiones jam habent amnes.

Ardentes pabula atque immundus olentia sudor 1250.
Membra sequebatur, nec longo deinde moranti
Tempore contactos artus sacer ignis edebat.

Hæc autem ideò interpòsuimus, ut si, quod absit, unquàm in futuris temporibus talis pestilentia ingrueiit, maximè tempore æstivo, corpora talia profundo terræ infodiantur, ne aërem corrumpant, & hominibus ac pecoribus pestem inserant.

Eodem anno Dominus Innocentius Papa Lugduno Romam reversus est. Eodem anno cùm Frisones tàm graviter essent flagellati, Gronienses eis quasi insultabant, & pretium annonæ, quam de aliis terris navigiis advehebant, sine misericordiâ aggravabant. Sed ecce aliud væ ipsis accidit. Nam cùm Conradus de Groninge, & Rodulfus milites de *Pedese*, & eorum complices, ac major pars Groniensium vicinis Frisonibus multas inferrent injurias, & nundinas equorum in pace consuetas non servarent, imò meliores equos pro placito suo sibi tollerent, ac etiam Nobiles de *Fivelgoniâ* captivassent, & *Hunesgonibus* multa inferrent damna & incommoda, tandem *Fivelgones* & *Hunesgones*, cùm pro insulâ *Utbusensium* XXII. annis discordassent, pacem ultrò inter se ordinaverunt, quasi Deo destructionem Groniensium procurante. Et hæc facta sunt mediante Domino Siccone Decano de *Fermesum*, viro facundo, & secularibus negotiis idoneo, cum aliis viris discretis, religiosis, ac secularibus, ut tamdiù pertractata & sanguine multorum aggravata terminaretur hoc modo, ut quarta pars cederet *Ernerensibus* (*a*), qui primo medietatem sibi usurpare volebant, reliquæ tres *Utbusensibus* & omnes occisi hinc indè à capitalibus utriusque partis solverentur. Fuerunt autem à parte *Fivelgonum* occisi ferè centum viri. Ab alterâ parte totidem, præter octodecim. Redemptiones captivitatum restitutæ, & hæ à capitalibus hinc indè, non ab illis qui receperunt. Pro spoliis manifestis & incendiis *Ernerenses* dederunt *Fivelgonibus*, & eorum capitalibus, scilicet *Utbusensibus*, XXIV. millia marcarum, monetæ *Fivelgonensis*; *Utbusenses Hunesgonibus* nongentas marcas. Spolia vestium, armorum, & omnia vulnera præter mutilationem sex membrorum, propter Deum & bonum pacis dimissa sunt. Pace igitur inter eos ordinatâ, istis tamen nondùm finaliter terminatis, concurrerunt omnes quasi populus unus, ut invaderent Groningenses, & post audacter invadentes Castrum *Gronenburch* destruxerunt, quod erat contrà illos de *Frentawaldâ* principaliter ædificatum in littore *Hunese*, ipsâ Hunesâ in quodam circulo ipsum castrum ferè totum cingente, & putabatur multis & maximè vicinis non modicùm nociturum. Postmodùm Groningam obsederunt, sed propter humiditatem autumni & aëris intemperiem hoc anno non profecerunt.

Anno Domini CIↃ CC LI. post Pascha *Fivelgones* & *Hunesgones* fœdera sua datis obsidibus innovantes, adjunctis sibi Menternensibus, Groningam obsederunt. Et quidam vallum transeuntes per scalas cœperunt ascendere, & eos viriliter impugnare, qui tamen Saxis & balistis se diù deffenderunt, sperantes Frisones secundùm consuetudinem suam citò ad propria reversuros, sed ipsis in obsidione ferè ad quatuor hebdomadas perseverantibus, Groningenses timentes ne, si bello caperetur civitas, nimia fieret strages, 1251.

(*a*) Id est incolis Eneri, quod est vicus apud Hunsingios turrim habens spectabilem instar Phari.

1251. ſe in manibus hoſtium tradiderunt, eo pacto, ut deſtruerentur muri, & domus lapideæ humiliarentur uſque ad cellaria, Mercatores ibi cum omnibus rebus ſuis liberè manerent, milites ſalvis corporibus & rebus exirent, nunquam ibi ſtabilem manſionem habituri. Et ſic muri pro majori parte fuerunt deſtructi, & domus humiliatæ. Et milites ad illum annum ultrà Coverdiam, ubi poterant habitabant. Munitio etiam in *Pedeſe* (*a*) deſtructa eſt.

Eodem anno mortuus eſt Fredericus quondam Romanorum Imperator, anno depoſitionis ſuæ ab Imperio VI. & quantùm in ſe fuit Conrado filio ſuo Imperium commiſit, cujus mater fuit filia Joannis Regis Acaron, & ſic jure hereditario debuit ſuccedere in rebus maritimis, tranſmarinis in Aſiâ. Qui ſtatim exemplo Patris violenter occupat Siciliam, Apuliam, Calabriam, & loca vicina. Fautores D. Papæ etiam in Tuſciâ infeſtabat, ſed tamen Romam non pervenit. Eodem anno flagellatus eſt in domo ſuâ miſerabiliter Magiſter Gerbrandus de Ingaldum, homo multæ ſubtilitatis, litteraturæ, & ſummæ facundiæ, per Elculium & ſuos complices.

1252. Anno Domini CIↃ CC LII. milites de Groninga in autumno in primâ aurorâ quibuſdam conſilium addentibus in villam Groningæ prorumpentes, Hermannum Buchel occiderunt confidentem in pace, ſibi, mediante Epiſcopo Trajectenſi, juramento firmata, & Geliconidas multis ſpoliis & injuriis affecerunt, quia totam cauſam deſtructionis civitatis eis impoſuerunt, dicentes eos vicinas terras commoviſſe, & tempore obſidionis, non, ſicut poterant, reſtitiſſe. Undè interim conturbati *Fivelgones* & *Huneſgones*, collecto exercitu eos invadere voluerunt. Sed ipſi conſiderantes ſe non ſufficere ad reſiſtendum, gratiæ ſe commiſerunt. Et Conradus in *Huneſgoniam*, Egbertus in *Fivelgoniam* ſe obſides tradiderunt, eo pacto, quod abſque conditione parerent ipſorum ordinationi. Eodem anno mortuus eſt Dominus Ropertus, Decanus de *Lopersbem*, recepto habitu religionis ab Abbate *Floridi-Horti*, & reſtitutis omnibus, quæ injuſtè acceperat. Mortuus eſt etiam *Menko*, Abbas de *Rip*, juris peritus, & honeſtæ ſcientiæ, morte ſubitaneâ.

1253. Anno Domini CIↃ CC LIII. milites de Groningâ falſis promiſſionibus de locis, ubi obſides erant, evadentes, & collectis viribus Groningam venientes in Clauſtrum Minorum Fratrum ſe receperunt, & tàm Clauſtrum, quàm domos vicinas lapideas munientes, Geliconidas in Eccleſiâ S. Martini, Walburgis, Nicolai impugnabant. Tunc *Fivelgones* commonentes *Huneſgones* de fide datâ in auxilium eos vocabant. Sed ipſi inter ſe diſſentientes non venerunt, & ſic ſoli *Fivelgones* prædictos milites, & eorum coadjutores quam plurimos viriliter invaſerunt, & die ac nocte impugnantes ad deditionem compulerunt, quibuſdam tamen hinc indè priùs occiſis, & ſic recepti ſunt obſides Adulphus de *Pedeſe*, Egbertus de Groninge milites, cum tribus aliis, ac in Fivelgoniam deducti. Conradus autem ſubtiliter ſe priùs de bello ſubtraxerat, ſciens ſanguinem ſuum plus quàm alium deſiderari. Cùm ergò prædicti obſides ad aliquot dies in liberâ cuſtodiâ manſiſſent, hæredes occiſorum & vulnerati conclamabant, ut arctiori cuſtodiæ manciparentur, donec omnibus læſis ſatisfacerent. Et ſic ingraveſcente tumultu populi

(*a*) Vulgò *Peyſe* Trentiæ vicus arce munitus.

puli *Appengadomme* juxtà turrim in superiori domate in trunco sunt reclusi, & ibi ad sex hebdomadas manserunt, donec præstarent sufficientes cautiones, quòd omnibus læsis satisfacerent, & sic ad propria sunt reversi.

Anno CIↃ CC XLIV. migravit Dominus Innocentius Papa IV. cum pro defensione Ecclesiæ à Frederico, & filio suo Conrado, ac fautoribus eorum, multas sustinuisset tribulationes. Successit Octavianus Cardinalis Diaconus Sanctæ Mariæ in viâ latâ, & dictus est Alexander IV. Eodem anno obiit Conradus filius Frederici quondam Imperatoris, & intromisit se de Regno Siciliæ, Apuliæ, Calabriæ, Mainfridus filius Frederici naturalis, quem genuit de filiâ cujusdam Comitis non legitimâ. Iste plus patre & fratre studuit desævire in Ecclesiam & fautores Domini Papæ, & copulatis sibi Sarracenis, quasdam civitates in prædictis regionibus funditùs evertit. Eodem anno *Enesgones* versi sunt in seditionem, *Federgones* contrà *Husenses*, qui dicuntur *Henesetan*, & cum eis ferè omnes Frisones orientales. Nam *Federgones* sibi confœderaverunt parochiam de *Hinte* cum suis adjacentibus, & de *Sibetatesumbecbte* & *Evesumbecbte*. Insuper attraxerunt sibi *Nordenses* à parte alterâ, & *Reydenses* ab alterâ, ut *Husenses* & *Brokmannos* penitùs destruerent. Sed illi *Harlingos* contrà *Nordenses* sibi attrahentes, & superiores *Emesgones*, contrà *Reydenses* se viriliter defenderunt. Et tunc effossa fuit obstructio aquæ *Gent*, quæ dicta fuit *Caldameresdom*. Contrà *Brokmanni* per immissionem aquarum multa damna sunt perpessi. 1254.

Anno Domini CIↃ CC LV. Conradus & Nepos suus cum quibusdam strenuis sociis, noctu de *Padapale* venientes, audaciâ inauditâ se periculo subjicientes, per scalas Ecclesiam Sancti Martini superius ascendentes, diluculo per coclear descendentes, ac strictis gladiis super incautos irruentes novem viros occiderunt, & interim reliqui per fenestras, & ubicumque poterant, desilierunt. Et sic omnes res & jumenta, quæ fuerant in Ecclesiâ, & multa vasa vini ex novo ablata militibus ad usus suos cesserunt, & exindè largas habuerunt expensas. Tandem advenientibus militibus de *Binecbum*, videlicet Stephano, & fratre suo, & aliis duobus ad pacem sunt redacti in tali formâ, quòd super homicidiis, spoliis, & aliis damnis, nulla hinc indè fieret exactio. Insuper communes cives bonum pacis affectantes, omnia damna partibus indulserunt. 1255.

Anno Domini CIↃ CC LVI. Dominus Willelmus, Rex Romanorum, à quibusdam militibus suis irritatus, surrexit contrà Frisones extremos versùs occidentem, qui dicuntur *Westlingi*, & æstivo tempore novem parochias obtinuit, & ibi Castrum ædificavit in locis arenosis, & equitibus instruxit. Sed cùm reliquam partem terræ propter aquositatem & fossata non posset obtinere, hyemali tempore, cùm essent aquæ congelatæ & meabiles, agmine confisus equestri, interiora terræ illius super glacies confidenter adivit, & cùm Frisones pedestri agmine occurrerent, militibus Regis glaciei minimè credentibus, & ideò fugientibus, sub pedibus equi Regis glacie confractâ, ipse comprehensus est, & agnitione ac proditione cujusdam occultè terræ infossus est. Electus fuit ad Imperium Dominus Richardus, Comes & frater Regis Angliæ, qui cùm pecuniam copiosè D. Conrado Archiepiscopo Coloniæ, & aliis Principibus Alemanniæ distribuisset, nihil proficiens ad propria est reversus. 1256.

1257. Anno Domini CIↃ CC LVII. initiatus fuit novus agger in *Soude*, & fatis fuit firmatus, ſed cùm non eſſet ſatis exaltatus, increſcente nimis Occeano denuò antè Feſtum Gereonis *Fivela* fuit irrupta, quæ anno eodem, videlicet in æſtate inſtanti, fuit reparata. Sed illa irruptio, quæ fuit in aggere Thitardi *Juldelenga*, non potuit ſtabiliri.

1259. Anno Domini CIↃ CC LIX. mortuus eſt Otto Monaſterienſis Epiſcopus, natione Lippenſis. Succeſſit Dominus Willelmus, nepos Domini Ludolfi Epiſcopi. Eodem anno conſecrata eſt Eccleſia *Floridi-Horti* à Domino Chriſtiano, Lecowienſi Epiſcopo, vigiliâ nativitatis Beatæ Virginis, præſente Domino Willelmo electo Monaſterienſis Eccleſiæ, cum Summo altari, & Sancti Viti, quod eſt in medio Eccleſiæ. Sequenti die, in Feſto Beatæ Virginis, conſecrata ſunt alia quinque altaria. Eodem anno ipſa Eccleſia cum altaribus, & ſuis ornatibus, quatuor novis calicibus, feneſtris, teſtudinibus, & cæteris neceſſariis, non ſine maximis laboribus, & expenſis, temporibus D. Pauli Abbatis fundata: Anno verò XVI. officii D. Menconis Abbatis per ſuam fervidam & laborioſam promotionem perfecta, & decorata, ac dedicata; cùm, ut præoſtenſum eſt, eſſent tempora duriſſima propter frequentes inundationes ſalſi maris, & omnia neceſſaria, eſſent in ſummo pretio. Dedicata eſt autem Eccleſia anno à primâ fundatione Clauſtri, & tranſitûs Fratrum in *Floridum-Hortum* XLVI. Eodem anno manifeſto flagello Dei per terræ motum ac fulmina, & tonitruum, Civitates quædam Italiæ in majori parte ſunt deſtructæ, cùm eſſent priùs admonitæ per quemdam Epiſcopum, ut de peccatis ſuis pœnitentiam agerent, & vitam ſuam emendarent. Sed illi non ſicut Ninivitæ pœnitentiam egerunt, quin imò ſicut Sodomitæ in peccatis ſuis perſtiterunt. Et ideò apud *Trapanam* (*a*) civitatem, mons, in cujus pede Civitas poſita erat, terræ motu ſciſſus fuit, & pars ejus ſuper ædificia ejus corruit, ita ut peregrinis noſtris non invenirentur domus ad hoſpitandum in Civitate, ſed in tentoriis manſerint. Meſſana, eſt nobiliſſima Civitas Siciliæ, quæ vulgò dicitur *Meſſin*, fulmine ſuccenſa fuit ſuperius, & inferius à terræ motu conſumpta. Tertia verò civitas poſt *Trapanam* & *Meſſanam*, fuit *Anekon*, ſimiliter terræ motu deſtructa. Quarta *Menkalion*. Quinta ad *Sanctum Antonium*. Sexta *Mons Marinus*. Septima *Caſtellum Paganorum*. Octava *Milleſloret*. Nona *Quilian*. Decima *Mariget*.

Eodem anno Dominus Henricus (*b*) Epiſcopus Trajectenſis, propter exactionem pecuniæ ultrà conſuetudinem, cum *Threntonibus* quatuor parochias de *Threntawalda* armatâ manu voluit invadere, ſed cum obtento introitu ſilvæ quaſi victores exultarent, & jam quatuor domos igni tradidiſſent, accurrentibus vicinis Friſonibus & ipſis civibus, Threntones in fugam verſi ſunt, & viginti occiſi, centum ſecundùm latinam computationem fugientes in *Huneſa* ſunt ſubmerſi, & plurimi vulnerati, & turpiter dearmati, vel etiam nudati, & quidam captivati.

1260. Anno Domini CIↃ CC LX. talis Littera fuit à partibus tranſmarinis tranſmiſſa: „ Illuſtribus Regibus, Principibus, Venerabilibus Archiepiſcopis, „ Epiſcopis, Abbatibus, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ac Nobilibus Viris,

Epiſtola Epiſcopi Bethleemit. de ſtatu Terræ Sanctæ.

(*a*) Lege Trapanum.
(*b*) Henricus de Vianda, Comitis Viandenſis filius, ex Colonienſi Archidiacono fit Epiſcopus Trajectenſis, poſtquàm Goſwinus dignitatem abdicaſſet an. 1250.

„ Comitibus, Baronibus, Militibus, Universis præsentes litteras inspecturis, 1260.
„ Frater Thomas de Ordine Prædicatorum, Miseratione Divinâ Beth'eemitanus Episcopus, in partibus transmarinis Apostolicæ Sedis Legatus, Salutem in Filio Virginis gloriosæ, qui in Bethleem nasci dignatus est. Tribulationes Civitatum partium orientalium, quas passæ sunt, non solùm ex longinquo, sed ex vicino, quasi post parietem audientes defecimus. Timor & hebetudo mentis cecidit super nos, & super filios nostros. Quis enim, ô Viri Catholici! non videt, non solùm illam, sed illas Civitates quamplurimas & munitissimas ex terræ finibus ad se usque ab aquilone succensas, videns manum Domini durissimam, & inflexibilem tàm sollicitè, tàm attentè, tàmque continuè in totius ferè orbis excidium vigilantem; Veremur enim ne Jeremiæ verbum ad istarum partium incolas extendatur, dicentis: Ecce populus venit de terrâ Aquilonis, gens magna, consurgens de finibus terræ, sagittam & scutum arripiens, crudelis est, & non miserebitur. Audivimus famam ejus, dissolutæ sunt manus nostræ. Nec mirùm, quia ex tribus nobis unum formidamus instare, ut vel Terram Sanctam desertam & solitariam relinquamus, vel tradamur in manus, non solùm sanguinem sitientium, sed etiam in hoc delicias suas ponentium, ut vel eorum gladio consumamur, vel exponamur servituti perpetuæ infidelium, & non miserentium dominorum, qui nec die nec nocte dant requiem servis suis. Nam Tartari, potiùs nominandi Tartarei, gens effera, gens immitis, ferè totam Orientalem plagam indefessâ falce metentes, postquàm Baldach (meliùs *Balbec*) Civitatem famosam, locum Regium, & Caput præcipuum paganorum suo dominio subjugarunt, expositis in ore gladii cum Caliphâ eorum omnibus ferè habitantibus in eâdem, è vestigio omnes consequenter Civitates, & Regna usque ad *Halapiam*, conterrentes, demùm *Halapiam* infrà quindenam per suam violentiam occuparunt, divitiis & honoribus abundantem, & eam, per fraudem, non per vim obtinuerunt, per inhabitantes callidè sibi traditam, & apertam, occisis cunctis viventibus in eâ. Tandem Castrum ipsi civitati annexum, quod fuit firmissimum, similiter propter quasdam inhabitantium discordias subintraverunt, in quo thesauros repererunt quam plurimos cum lapidibus pretiosis. Quibus sublatis Castrum subverterunt, & Civitatem per circuitum diruerunt. Quod videntes cæteri Regni illius nobiliores, scilicet Soldanus de *Rutspiâ*, Soldanus de *Camollâ*, Dominus de *Hambac*, & Dominus de *Amon*, & alii quamplures venerunt ad eum, & pedibus provoluti facti sunt ei obedientes. Soldanus verò *Damasci* trium regnorum Dominus, ab eorum facie fugiens, terram dimisit, & major pars populi sui ab eo recessit, & ad auxilium Babiloniorum confugit. Sed omnes Civitates Sarracenorum Regi Tartarorum claves cum nunciis miserunt, ejus dominio se submittentes, ut sic ferocitatem suam placarent. Non-nulli verò Sarracenorum, quos fides catholica Christicolis inimicos constituit Capitales, cum uxoribus, & filiis, & supellectilibus ad maritima confugiunt, & Christianorum manibus velut aves, quas insequitur accipiter, se committunt. Plures verò fugam ad Babilonios ineuntes, quod incredibile est auditu, se confractis viribus velut attoniti per prærupta montium, & per spatia camporum dispergebant, sic quòd parentes filiorum obliti, frater sororis, maritus uxoris, dimissis spoliis, aut per viam projectis, solam vitam salvare, conculcatis in itinere debilibus & infirmis, satagebant. Videte ergò si Tartarorum nomen con-

1260. „ venit his, qui id agunt, vel quia ad tartara pertrahuntur, vel quia tartareis satellitibus in omnibus concordant, vel à *Tartarisin*, quod in græco sonat tremere vel horrere. Procul dubio enim sunt horribiles & tremendi. Inebriant enim terram sanguine, & humum adipe pinguescunt, quia dies ultionis Domini, & annus retributionis venit. Et si non sufficiunt ista ad doloris cumulum & terroris, Antiochena Civitas priùs de victoriâ desperans quàm perveniret ad bellum, cum toto principatu suo, eorum obedit voluntati. Princeps autem Antiochenus cum terrâ *Tripolitanâ* incredibili tremore confractus, Antiochenorum vestigia est secutus. Itaque aliis universis jugo se Tartarorum subjicientibus, aliis attonitis, & quasi stupidis ad terrorem fulminis ex Dei judicio fulgurantis, sola Civitas *Aconensis* & *Tyrus* cum castris domorum templi, & hospitalis, & Teutonicorum, quæ Fratres domorum prædictarum pro viribus muniverunt, ad tantum & tantorum conflictum se præparant sustinendum, die noctuque fossatis, machinis, & aliis instrumentis bellicis præparandis continue insistunt. Sed cum jam existente periculo non in incerto timeamus, licet cum lacrimis & suspiriis paucæ reliquiæ fidelium Provinciæ Cismarinæ de die in diem tot & tantorum hostium impetum præstolantur, non tamen omninò dejicimur in Dei auxilio confidentes, & post Deum in vestro festinato subsidió totam ponentes fiduciam spei nostræ, velut in singulari refugio, & consueto præsidio populi Cismarini. Et etiam idem Rex Tartarorum nobis litteras blasphemiæ plenas in Deum viventem inauditæ superbiæ destinavit, & verè dicere possumus, dies hic est tribulationis & angustiæ; & ideò eas expandimus voces coràm Deo vivo, dicentes unanimiter & orantes: Domine Deus noster, tu fecisti cœlum & terram, inclina aurem tuam, & audi omnia verba Regis Tartarorum, qui misit, ut exprobraret nobis Deum viventem, dicens posse tuum esse in cœlis Mangohan, non verò in terris. Nunc ergo Domine Deus, salvos nos fac de manu ipsius, ut sciant omnia regna terræ, quòd tu es Dominus Deus solus. Nihilominùs etiam expandimus coràm vobis, qui estis pugnatores præcipui Dei vivi, ut tantis auditis blasphemiis vos zelus Dei ad vindictam accendat, & ad Terræ Sanctæ defensionem inflammet, & ad succursum provocet sanguinis populi Christiani. Non putetis, ô viri Christianissimi! quòd ut animam vestram tantùm liberetis vos Dominus viros præcellentes ordinavit, & Principes, sed ut tali tempore in clipeum & defensionem vos Dominus præpararit. Propetereà ad vestræ pietatis gremium susis lacrymis post Deum præcipuè in tantæ necessitatis articulo recurrentes, quantùm possumus supplicamus, ut ad defensionem Terræ Sanctæ, ubi Dominus noster Jesus Christus nasci ac mori dignatus est pro nobis, ubi nostram operatus fuit salutem, pro quâ tanto laboravit tempore universitas populi Christiani, cum studio omnique sollicitudine intendatis, nec patiamini, sicut infideles intendunt, nomen Domini Jesu in partibus Orientis deleri, & oblivioni mandari, sed potiùs exurgat velut gens inclita, apprehendat arma & scutum, & exurgat in adjutorium Terræ Sanctæ cum robore & vigore, ita quòd in æstate præsenti sui succursus remedio valeat recreari, donec tandem cum Regibus & Principibus de subsidio Terræ Sanctæ altiùs disponat, & ad tot tantorumque hostium resistentiam invincibiliter animetur. Valeat universitas vestra in Domino. Datum Acon. Cal. Martii. Pontificatûs Domini Alexandri Papæ IV. Anno VI. Indictione III. (1257.

Item

Item alia Epistola: „ Frater Thomas de Ordine Prædicatorum, Do- 1260.
„ minici præsepii & virginalis puerperii Custos indignus, Apostolicæ Sedis
„ Legatus, Discretis viris universis præpositis, & aliarum Ecclesiarum Recto-
„ ribus Frisiæ in Christo charissimis, Salutem in Filio Virginis gloriosæ, qui
„ in Bethleem nasci dignatus est. Licet locorum intervalla, & personarum
„ distantia nimia nos disjungat, tamen in quantùm possumus, & divina
„ gratia subministrat, libenter Provinciæ vestræ habitatoribus providemus,
„ & ipsorum animarum periculis obviamus. Attendentes siquidem ex ac-
„ cessu mulierum Frisiæ ad has partes præ devotione, vel subsidio Terræ
„ Sanctæ, pro locorum nimiâ distantiâ, & permultis aliis casibus, qui
„ offerunt se in viâ, multa pericula provenire, cum contingat frequen-
„ tius, instante humani generis inimico, quòd cum aliquibus earum, prout
„ fertur, adulteria & fornicationes à peregrinis gravia, dum iter faciunt,
„ committantur, universitati vestræ consulimus, attentiùs vos monentes,
„ quatenùs omnes & singulas mulieres vestræ Provinciæ, quæ causâ devo-
„ tionis, vel quâcumque aliâ de causâ, assumpserunt olim, vel assument
„ de cætero signum Crucis, universi & singuli in suis parochiis monea-
„ tis attentiùs, & inducere procuretis, ut pro causis prædictis partes non
„ visitent Cismarinas, sed quod in viâ debebant expendere, vobis assig-
„ nent, vel alicui fideli à vobis super hoc constituto, per fidelem nun-
„ tium ad partes istas mittendum pro subsidio Terræ Sanctæ, vel aliquem,
„ vel aliquos bonos viros, dictæ mulieres de dictâ conducant pecuniâ, loco
„ earum mittendos pro subsidio memorato. Illos autem, quos vobis con-
„ stiterit à x. annis, & suprà, Crucis signaculum recepisse, attentè monere &
„ inducere procuretis, ut exequantur votum crucis, vel redimant se à la-
„ boribus ex causis legitimis excusantibus. Quibus omnibus prædictis mu-
„ lieribus, & aliis prædicto modo excusandis, ex nunc authoritate nobis ab
„ Apostolicâ Sede tributâ, illam indulgemus suorum veniam peccatorum, quam
„ obtinerent, si Terram Sanctam visitassent. Datum Acon. &c.

Emissis autem præscriptis litteris *Hullebum*, Frater summi Regis Tartarorum, per quosdam nuntios didicit fratrem suum *Mangocan*, qui super omnes Tartaros regnaverat, universæ carnis debitum persolvisse, sperans se dominium suscepturum, ulterius non processit. Verumtamen magnam reliquit partem exercitûs ad custodiendas terras, quas expugnaverat, & præcepit omnes destruere munitiones. Posteà venit idem exercitus in Terram Sanctam, & Castra juxtà Jordanem fluvium est metatus, & tùm temporis tradita est eis Damascus cum omnibus munitionibus, sicut *Masbele*, & *Belmas*, & *Ascbilon*, & *Psaltus*, & cætera Castra Sarracenorum. Et non solùm Sarracenis, verùm etiam Christianis fecerunt multa incommoda & partialitias fraudulentas. Civitatem quoque *Sidoniæ* destruxerunt, in quá Christianos plurimos occiderunt. Quibus auditis Soldanus Babiloniæ, anno Domini CIↃ CC LX. mense Augusto imminente, cum omni exercitu de partibus Ægypti egrediens, cum eis congressus est in terrâ Canaan, eosque vicit viriliter & potenter. In quo conflictu ibidem de Tartaris LX. millia ciciderunt, cæteri fugerunt. Dein cùm Soldanus Babiloniam redire deberet, à quibusdam suis Ammiralibus est occisus, & alium Soldanum, prout intelleximus, elegerunt, virum ignobilem, virtutibus vacuum, cæterisque maleficiis criminosum. Quod patet ex eo, quòd non multò post suam electionem, nobiliores, ut

1260. dicitur, occidit Ammirales. Insuper Bajulos suos Regno superposuit *Damasceno*, *Jerusalem* quoque ac Sepulchrum Domini in suam redegit potestatem, expulsis Surianis & aliis habitatoribus.

Hic libet paulisper intueri, quomodò est Dominus in paganis; quos curare non videtur, imò projecit à se, quia ipsi ab eo recesserunt. Ezech. *Non affligam te ultrà, quoniam projeci te.* Tamen in eis etiam complet quod dicitur Genes. 20. *Ego sum Deus tuus fortis, Zelotes, visitans iniquitates Parentum in filios usque in tertiam & quartam generationem eorum, qui me oderunt.* Duo autem fuerunt fratres, Salatinus & Saphatinus, qui Dominum suum Regem Ægypti occiderunt, & Regnum Ægypti possederunt, & postmodùm Dominum de *Baldach*, quæ est Civitas maxima, habens dominium super omnes Sarracenos, sicut Roma super omnes Christianos, occiderunt. Undè & ejus dominium, sicut totam Asiam, usque ad Indiam obtinuerunt. Iste Saladinus cœpit Jerusalem anno Domini CIↃ CC LXXXII. captis & expulsis Christianis, & muros destruxit, præter templum & turrim David, & multas crudelitates exercuit contrà Christianos. Idcircò sua crudelitas non fuit à Domino tolerata, nam eo mortuo, frater suus Saphatinus XV. filios suos occidit præter unum, qui Regnum *Halapiæ* obtinuit, & sic Saphatinus adhuc vivens filiis suis VII. Regna Asiæ divisit, qui nunc in quartâ generatione, sicut patres eorum Dominis suis fecerant, à suis servis receperunt, quia & Rex Ægypti, & Rex Damasci, uterque à suis officialibus sunt occisi, & servus Regis Ægypti & Babylonis Regnum ipsum possedit, & Regnum Damasci Bajulo contradidit. Sicut olim Baltasar fuit quartus à Nabugodonosor, qui à Dario & Cyro fuit occisus, sicut prædixerat. Isa. X. *Væ Assur virga furoris mei.* Item 13. *Ecce Babilon illa gloriosa, in regnis inclita, sicut subvertit Dominus Sodomam & Gomorram, sic non habitabitur in perpetuùm, sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus draconibus, habitabunt ibi Strutiones, & pilosi saltabunt ibi.* Similiter Nero fuit quartus post Augustum, qui Imperium perdidit, & seipsum cultello occidit. Et posteà transivit Imperium ad Vespasianum, qui erat de aliâ generatione, & successit filius suus Titus, & post eum Domitianus frater Titi, qui propter suam nequitiam in tertiâ generatione Regnum perdidit. Quantò magis timere debent Christiani, quòd res malè acquisitæ non stabilientur. *Non roborabitur hoc quod ex impietate.*

1261. Anno Domini CIↃ CC LXI. mortuus est Dominus Conradus Archiepiscopus Coloniensis, qui erat in omnibus agendis vir magnanimus, & Ecclesiæ suæ defensor strenuus, qui Duces Brabantiæ & de Limburch, & Comites de Juliaco, & de Cleve, & de Monte potenter humiliavit, & Ecclesiam Coloniensem exaltavit, & ditavit. Successit Dominus Engelbertus de Falkenberg (*a*) Frater Comitis. Eodem anno consummatum fuit fundamentum Ecclesiæ in *Campo Rosarum*, & ipsa Ecclesia infrà triennium in muris ædificata. Eodem anno Dominus Carolus Frater Regis Franciæ à Romanis in Senatorem est electus.

1262. Anno Domini CIↃ CC LXII. inundatione magnâ invalescente & vento impellente vehementissimo, multæ domus corruerunt, & campanile in *Werum* cum omni suo instrumento loco motum est. Conventus Occidentalis

(*a*) San-Marthani falluntur qui ad annum 1272. exordia Episcopatûs Engelberti rejecerunt.

totus corruit, & pars tignorum in *Campo Rosarum* de ligneâ Ecclesiâ corruit, & erat terræ motus, ita ut altaria parieti inhærentia visibiliter moverentur, & Occeanus vehementer commotus aggeres infregerit, & aquæ salsæ superficiem terræ operuerunt, sic ut aqua per diem & noctem irrumperet; donec serventissimo labore omnium Fratrum *Floridi-Horti*, & totius Parochiæ, & Civium de *Waltersum*, spatium aquæ-ductus lignis infixis, & straminibus cum terrâ interjectis, fuit obstructum, & in vigilia Purificationis exaltatum & firmatum. Quia verò terra fuit dulci aquâ satiata, salsugo eam infecit, sed fruges sequentis æstatis competenter fuerunt prosperatæ. 1262.

Anno Domini CIƆCCLXIII. transivit Dominus Alexander Papa IV. in illo nomine. Successit Dominus Urbanus, qui fuit Patriarcha Jerosolimitanus, cum tamen vacasset Sedes ferè ad duos menses, propter dissensionem Cardinalium. 1263.

Anno Domini CIƆCCLXV. transivit Dominus Urbanus Papa, ut creditur dolo Principis Meinfredi veneno infectus. Successit Clemens IV. 1265.

Anno Domini CIƆCCLXVI. feriâ sextâ post festum Mathiæ collectis hinc indè exercitibus quam-plurimis occisus est Meinfredus, Frederici Imperatoris Filius naturalis, à Domino Carolo Fratre Regis (*Ludovici IX.*) Franciæ, Senatore Romanorum, & Comite Andegavensi quem Dominus Papa jam declaravit Regem Siciliæ, Ducem Apuliæ, ac Principem Calabriæ, nec-non & Campaniæ, habito congressu belli juxtà Beneventum, quamplurimis Sarracenis, Teutonicis, & aliis diversarum nationum populis, cum eo interemptis. Et sic Dominus Carolus Siciliam & prædictas terras potenter intravit; & ab indigenis satis honestè fuit receptus; quia tyrannidem Meinfredi & Sarracenorum, quibus terras illas repleverat, exemplo patris, exosam habuerunt. Sicque prædictus Carolus thesauros auri & argenti, quos Fredericus & Conradus in munitissimis locis deposuerant, omnes obtinuit. 1266.

Eodem anno feriâ secundâ post Ascensionem Domini, Abbas & Conventus *Floridi-Horti*, cum *Soudensibus*, & aliis consortibus, novum aggerem viriliter aggressi, eadem æstate in multâ firmitate ac altitudine compleverunt. Eodem anno Dominus Geraldus Episcopus Monasteriensis Castrum *Fretheburch* ædificavit contrà cives de *Esketorp*, & eorum complices. Eodem anno destructum est Castrum in *Elethe*, quod filii Rodgeri Sculteti *Threntiæ* & fratrueles eorum cœperant ædificare, & propter hoc paulò post occisi fuerunt filii Adulfi de *Pedese*, eo quòd ipsi cum Geraldo *Clinke*, adjutorio Domini Henrici Trajectensis Episcopi, principaliter destruxerunt Castrum prædictum. Eodem anno in Festo duorum Euvaldorum, pridiè antè Festum Francisci, nova Ecclesia in *Campo Rosarum* est asperfa in testudinibus, fenestris, Choro Sororum, & omnibus ornatibus perfecta, anno inquam à sui fundatione V. à primâ fundatione ipsius Claustri LXII. quod fundatum fuit Claustrum anno Domini CIƆCCIV. Anno verò ab inchoatione *Floridi-Horti* LIII. quod inchoatum fuit anno Domini CIƆCCXIII. A fundatione verò novæ Ecclesiæ in *Florido-Horto* XXVIII. à Consummatione & Dedicatione ejusdem Ecclesiæ, nec-non & Ecclesiæ in *Emetha* VII. Consummata verò fuit dicta Ecclesia *Floridi-Horti* in tecto, testudinibus, fenestris, & omni suo ornatu, & cum novis calicibus decorata. Fundata quidem tempore Domini Pauli secundi Abbatis; sed ferè abundantius cum omni ornatu suo consummata tempore Domini Menkonis, tertii Abbatis Ecclesiæ supradictæ.

1267. Anno Domini CIↃCCLXVII. anno à diluvio Sancti Marcelli inchoante quinquagesimo, cum ventus per aliquot dies per Nothum & Africum mare concitasset, subito inter crepusculum & conticinium Africo successit crudelis Circius vehementi afflatu. & per plurimas Frisiæ partes Oceanus aggeres infringens diluvium induxit. Sola verò *Fivelgonia* ab hac plagâ fuit libera, fortè quia suos aggeres plus aliis Frisonibus exaltavit, vel potius quia pauperes de diversis terris illuc confluentes, eleemosinis & hospitiis benigniùs pertractabat, & potissimum quia jam ad XII. annos, vel ultrà, per judices eorum & alios potentes bonam servabat justitiam, & æquum facit judicium divitibus & potentibus, ac pauperibus, plurimùm ad hoc studentibus & efficaciter cooperantibus honestis Frisiæ civibus laïcis Enelgero de *Skiramme*, Riperto de *Northensum*, Tammone Pugile de *Aldesum*, Consilium principaliter addente Abbate *Floridi-Horti*, cujus consilio dicti laici, & alii nobiles satis terræ acquievere. Inundatio autem ista facta fuit, ut dictum est, anno L. inchoante, à famosâ plagâ diluvii, quæ fuit in nocte Sancti Marcelli, & eâdem feriâ, scilicet quarta, & ferè eâdem lunatione, quia tunc erat luna 27. nunc verò 28. & ferè eodem die Paschæ, quia tunc erat dies Paschæ 7. idus Aprilis. Nec te moveat si fortè aliqui scriptores Cronicorum posuerunt famosum diluvium Marcelli fuisse anno Domini CIↃCCXVIII. alii XIX. quia isti inceperunt annum à nativitate Domini, quo in carne apparuit, alii ab annuntiatione, quo scilicet in utero Virginis carnem assumpsit, & is erat annus XVIII. citò finiendus. A senioribus autem probatum fuit in libro experientiæ quòd natura Occeani est, ut anno L. plus solito elevetur. Undè cùm olim à diluvio Julianæ, usque ad diluvium Marcelli fuissent anni LX. eò ampliùs & crudeliùs sæviebat. Hæc autem consideratio laicorum seniorum aliquo modo concordat rationi Physicorum, qui dicunt quinquagesimo anno, proprietatem planetarum aliquam habere mutationem. Et secundùm hoc dicitur, quòd Abraham peritus in Astronomiâ quinquagesimum annum Jubilæum constituit, & annum Jubilæum Dominus in lege Moysi confirmavit. Credibile autem est, quòd quia Frisia inter omnes nationes Christianorum decimas & primitias non solvit, plagam Occeani tolerare, quoniam Deo denegatur, secundùm quod in Psalmo dicitur; *posuit terræ fructum*, *& salvus manet habitans in eâ.* Qui autem decimas dant, quadruplo remunerantur, scilicet abundantiâ fructuum, sanitate corporis, indulgentiâ peccatorum, & cumregno cœlorum. August. *Si decimam dederis, non solùm abundantiâ perfrueris, sed sanitatem corporis consequeris.* Item: *qui præmium cœleste comparare, atque indulgentiam peccatorum suorum vult promereri, reddat decimam, & de* IX. *partibus studeat unam dare.* Undè Dominus per Malachiam III. *Vos configitis me in decimis & primitiis.* August. *Hæc est justissima Dei consuetudo, ut si decimam Deo non dederis, tu ad decimam, quando corrupta est deducaris.* Item: *Dabis impio militi, quòd non vis dare Sacerdoti. Deus enim qui dignatur totum dare, decimam vult à nobis recipere, non sibi, sed vobis profuturam.* August. *Decimæ requiruntur ex debito, & sæpè tollit fiscus, quod non accipit Christus.* Et sic contigit sæpè in Frisiâ, quod non datur Christo, tollit Occeanus.

Sola Frisia à decimarum solutione immunis.

1268. Anno CIↃCCLXVIII. captus fuit Archiepiscopus Coloniensis à Comite Juliacensi, & Simon Episcopus Paderburgensis (*a*) à Domino Gerardo, Episcopo Monasteriensi,

(*a*) Simon Comes de Lippia, Bernardi successor, annis præfuit viginti tribus teste Crantzio, sed belli & captivitatis indè secutæ non meminit.

Monasteriensi, qui collecto exercitu invaserunt terram prædicti Comitis, cum Comite de Falkenburch, qui fuit frater carnalis Domini Archiepiscopi Coloniensis, & aliis multis Principibus, ac Nobilibus, quorum plurimi cum eis capti fuerunt, congregatis contrà eos Episcopis Leodiensi, Monasteriensi, & electo Trajectensi, Comite Gelrensi, & multis aliis nobilibus præbentibus Comiti de Juliaco auxilium, qui tamen deberet esse officialis Ecclesiæ Coloniensis, sed semper fuit inimicus, & ideò D. Coloniensis Archiepiscopus tunc terram suam incendiis vastavit. 1268.

Dedicatio Ecclesiæ Campi Rosarum.

Eodem anno dedicata fuit Ecclesia in *Campo Rosarum* per Venerabilem virum D. Edmundum, Episcopum Turonensem, (*a*) qui fuit de Ordine Militum Teutonicorùm, quia Dominus Episcopus Monasteriensis, licet esset in Frisiâ, tamen propter captivitatem prædicti Episcopi Paderburnensis officio suo non fungebatur, non quòd sententia judicis in eum fuerit prolata, sed quia omnis sacrilegium in Ecclesiasticas personas committens, ipso jure est excommunicatus, & maximè in Episcopos & Sacerdotes. Consecrata est autem Ecclesia in crastino Nativitatis Beatæ Virginis ad honorem ejusdem S. Virginis.

Eodem anno captus est Fredericus, dictus Conradinus à Conrado patre, per Carolum Regem Apuliæ ac Siciliæ. Iste Fredericus genitus fuit à Frederico primo de *Stoph*, qui cùm esset Dux Sueviæ primus de parentelâ illâ ad Imperium fuit sublimatus. Cui in quodam rivulo (*b*) submerso in Syriâ, successit filius suus Henricus, qui octavo anno imperii mortuus est, & quia Fredericus filius suus puer erat, electus fuit ad imperium Otto frater Ducis de Brunefwick, cui avunculus suus Rex Angliæ dedit Ducatum Pictaviæ. Quo mortuo octavo anno imperii sui, traditum fuit imperium prædicto juveni Frederico, qui propter timorem Ottonis viventis, missus fuit ad Sarracenos transmarinos, & ne præsumeretur nobilis esse, diversas artes Mechanicas addidicit, velut sutoriam & fabricatoriam in auro & omni genere metallorum. Mortuo autem Ottone revocatus, ut dictum est, imperium obtinuit. Et heu! mores gentilium, quos apud eos didicit, ac idololatriam & consortia eorum nimis diligens, Ecclesiam in tantùm persequebatur, quòd à Domino Gregorio IX. sæpiùs excommunicatus, tandem ab Innocentio IV. apud Lugdunum fuit finaliter depositus. Quo mortuo, Conradus quem de filiâ Joannis (*c*) Regis Jerosolimitani genuerat, Regnum Siciliæ & Ducatum Apuliæ violenter sibi usurpavit, & Dominum Papam, ac Ecclesiam multipliciter inquietavit. Unde & eum Dominus de medio sustulit. Cujus filius fuit iste Fredericus, qui similiter sicut pater & avus per inobedientiam, quod est scelus idololatriæ, claves Ecclesiæ contempsit, ac Siciliam & prædictas terras violenter occupavit, cum à temporibus Constantini Imperatoris, qui primus inter Imperatores per Silvestrum Papam baptizatus (*d*) verus fuit Christianus, & prædictas terras Domino Papæ, ac Cardinalibus & eorum Officialibus liberè donavit, ut essent

Xxxxxx

(*a*) Nullum hujus nominis Episcopum lego in serie Archipræsulum Turonensium.
(*b*) Cydno Ciliciæ flumine Tarsum præterfluente, in quo pridem Alexander magnus se lavans, vitæ periculum subiit.
(*c*) Comitis Brennensis.
(*d*) Inveteratum errorem, tum circà baptismum, tum circà donationes Constantini, hauserat autor à vulgi fabulâ, dudum invalescente.

1268. quasi speciale patrimonium Sancti Petri, & de Regno, vel aliquo Dominio se nemo ibi intromitteret, sed de manu Domini Papæ reciperet, cum consensu Cardinalium in feodum, & fidelitatem Ecclesiæ Romanæ juraret. Quod quia Imperatores de parentelà non servaverunt supradicta, imò omnes terras istas violenter occupaverunt, videlicet Regnum Siciliæ, ac Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ, ac Calabriæ, & Beneventi, ideò in tertiâ generatione medius Fredericus fuit ab imperio depositus, & post quartam in isto juvene Frederico, qui fuit quintus, nomen illius parentelæ, quasi penitùs abolitum, quia in linea ab avo descendente; nullus hæres est inventus, ut etiam in eis fatis sit impletum, quod dixit Dominus Gen. 20. *Ego Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitates parentum in filios, usque in tertiam & quartam generationem, qui me oderunt.*

Eodem anno apud Coloniam occisus fuit Comes de *Falckenburch*, frater Domini Archiepiscopi Coloniensis, quia Civitatem occulte intraverat, ut faceret vindictam contrà quosdam nobiles burgenses, qui dicebantur fovere partes Comitis Juliacensis in Archiepiscopi captivitate ac detentione. Eodem anno Ludovicus Rex Franciæ recepit Crucem in Terram Sanctam, anno à priori suâ peregrinatione xx. Item D. Papa Clemens per litteras suas omnes Christianos in auxilium peregrinationis dicti Regis invitavit, & ipse Rex per litteras suas, specialiter Frisones in consortium suum invitavit, ac sic per Frisiam ubique Crux prædicabatur, sed præcipue per Fratrem *Herardum*, qui Claustrum Majorum Fratrum, seu Jacobitarum in *Norden* fundavit. Ponebantur etiam trunci in singulis Ecclesiis, quos potiùs gazophilacia dicere possumus, ad quæ singulis Dominicis Festisque diebus fiebant oblationes, & indulgebantur offerentibus quinque dies panis & aquæ, & plurimi nobiles, & divites, ac pauperes signum Crucis receperunt. Significavit etiam supradictus Rex per prudentem virum Dominum *Gerbrandum*, Abbatem de *Doccum*, sequenti anno post illum se in Maio exiturum, & antè Festum B. Joannis Baptistæ ad *Aquas-mortuas* de portu eodem in Terram Sanctam Domino annuente navigaturum, cum Regibus & Principibus & Episcopis sibi adhærentibus.

1269. Anno Domini CIↃCCLXIX. navibus & peregrinis per totam Frisiam paratis, ne penuria victualium & pecuniæ tantum negotium valeret impedire, primùm in *Fivelgoniâ*, & postmodum per alias Frisiæ partes fuit ordinatum, ut potiùs pauciores proficiscerentur omnibus necessariis expediti, quàm multitudo nimia & indigens, quæ citò reverti cogeretur propter defectum necessariorum, vel Terram Sanctam potiùs aggravare, quàm in bellis adjuvare. Idcircò sic fuit ordinatum, quod singuli peregrini ad minus haberent VII. marcas sterlingorum, & vestes, & arma necessaria, sex cados butyri, unam pernam de carnibus porcinis, & unum latus bovis & dimidium, modium seu duos quadrantes farinæ. Omnibus ergo paratis, feriâ quintâ in hebdomadâ Paschæ naves solemniter per Missam & alias orationes benedictas intraverunt peregrini cum multâ devotione, & multæ offensæ de homicidiis, mediante cruce fuerunt indultæ. Cumque prospero vento usque *Borkna Emesgonum* venissent, vento contrario impediente, ferè ad viginti dies ibi sunt retardati. Exierunt de Frisiâ L. Coggones (*a*) de Fivelgoniâ spe-

(*a*) *Cogones*, navigii genus in formam conchæ, gallicè *Coque*.

cialiter quatuor, omnes hæ quinquaginta naves circà Ascensionem Domini 1269.
in portu Flandriæ, qui dicitur *Stein*, fuerunt congregatæ (*a*), & ibi à Comitissâ Flandriæ (*b*) & suis officialibus honorificè suscepti per aliquod tempus demorati sunt, instrumenta nautica, & alia necessaria innovantes, ac supplentes. Deindè procedentes, licet quandoque per tempestatem navibus divisis, tandem *Marsiliam* venerunt, quæ vicina est portui ad *Aquas-Mortuas*. Sed Regem Franciæ cum suo comitatu non comprehenderunt, quià ipse per litteras suas promiserat usque-ad Festum S. Joannis Baptistæ se adventum Frisonum expectaturum, & tunc iis non venientibus itinere suo ad Terram Sanctam procedere properabat. Sed medio tempore recepit litteras à Domino Carolo Rege fratre suo, quòd Soldanus Babiloniæ misisset exercitum suum in Africam adversùs *Tunisium*, quo cum Africanos in itinere impugnaret, & quòd illo exercitu apud *Tunisium*, expugnato, faciliter Ægyptum intraret, & Babiloniæ Regem expugnaret, quòd etiam cum equestri agmine, de Africâ possit intrà quatuor dies in Ægyptum pervenire. Prætereà per quosdam Prædicatores recepit litteras, quòd Rex *Tunisii*, jam Catholicam fidem recepisset, & paratus esset hoc publicè confiteri, & baptismum recipere, si posset à Christianis contrà proprios subditos deffendi. Iis causis inductus Rex Franciæ in Africam transivit, cum tribus Regibus, & aliis multis Principibus, qui eum comitabantur, & circà littora *Tunisii*, ubi fuit antiqua Carthago, castra posuit. Est autem nunc *Tunisium* Metropolis totius Africæ, loco Carthaginis magnæ, sed longiùs à littore maris ædificatum. Quia inter *Tunisium* & littus maris apparent adhuc quædam vestigia murorum antiquæ Carthaginis olim à Scipione Africano destructæ, qui ab eventu nomen accepit, quià Africanos vicit, & Carthaginem quam olim Dido de *Tyro* veniens ædificavit, destruxit. Ibi præfatus Rex cum Principibus, & universo exercitu, ut prædictum est, littus ascendens statim cum paganis bellum commisit. Rex autem Babilonis, qui est Dominus totius Asiæ, præter Indiam & Armeniam, ut prædictum est, miserat exercitum suum in auxilium Africanorum, malens ibi cum Africanis progressum peregrinorum impedire, quàm in terrâ suâ cum eis dimicare. Inito ergò bello Dominus inopinabiliter contra innumerabilem populum paganorum Regi Franciæ & suis comperegrinis dedit victoriam, & ceciderunt de exercitu paganorum ferè quinque millia, reliquis in fugam conversis, & in civitatem se recipientibus, paucissimis de exercitu Christianorum occisis. Posteà Christiani obsederunt Civitatem, quæ dicitur Carthago parva, non longè à *Tunisio* in littore maris positam & eam obtinuerunt, quibusdam civibus inde fugientibus, aliis verò occisis. Invenerunt autem Christiani non modicum fermenti in puteis absconditum, & etiam terræ infossum, relictis verò ibi militibus, qui civitatem contra paganos defenderent, Rex Franciæ cum exercitu iterum planitiem campi inter Tunisium & littus maris occupavit, & ibi posuit castra. Sed aqua salsa & arenosa multos ibidem corrupit, & ad mortem perduxit. Tanta enim ibi est salsedo maris, quòd accedente calore, qui est ibi maximus, aquæ in salem coalescunt, & vicinus fundus in-

(*a*) Portum in Flandriâ hoc vocatum nomine nullum invenio, est equidem oppidum in Flandriâ dictum Steinvorde in Castellaniâ Montis-Casselli, sed nec portum offert, nec *Stein* præcisè dicitur.

(*b*) Margaretâ.

1269. dè falefcit. Prætereà de cadaveribus non folùm equorum, fed & hominum occiforum & fubmerforum, ex multo calore putrefcentium, aër corrumpebatur, & multi peregrinorum moriebantur, quia fecundùm Galenum, aër corruptus quandoque plùs nocet, quàm cibi corrupti. In quâ corruptione Dominus Ludovicus Rex Franciæ auctor totius peregrinationis, & unus filiorum fuorum (*a*) defunctus eft. Huic autem Regi Ludovico ab omnibus perhibebatur teftimonium, quòd in hac malitiâ temporum folus inter Principes fæculi, inventus fuerit juftus, & crucis Chrifti æmulator, & inimicorum crucis perfecutor, quippè qui non folùm modò, fed & antè XX. annos in magno exercitu, & graviffimis expenfis ad Terram Sanctam profectus *Damietam* forti manu obtinuit, expugnato priùs in littore maris exercitu Regis Babiloniæ, & plurimis paganorum occifis, fed poftea fratre fuo Roberto Comite Artebatenfe occifo à Rege Babiloniæ, dùm ipfe fine confilio fratris, montes ad pugnandum tranfiffet, & ipfe in auxilium fratris, quem adhuc vivere putabat, properaret, in defcenfu montis fuit captus, & fic pro fuâ liberatione *Damietam* reftituit, addito non modico pondere auri & argenti. Sed Rex Babilonis *Damietam* fic receptam funditùs deftruxit, ne iterum à Chriftianis caperetur, & effet eis in refugium, & obfidionem Regni fui. Rex autem Franciæ *Acon* Civitatem novis muris munivit, & in multis roboravit, & tandem expenfis exhauftus, & fratre cum multis militibus occifo, ad patriam revertens, ibi judicem fuum reliquit cum expenfis pro defenfione Civitatis & Ecclefiæ tranfmarinæ, promittens fe Deo auxiliante reverfurum cum majori apparatu exercitûs & largioribus expenfis. Quod & feciffet, fi non fuiffet apud *Tunifium* morte præventus. Undè meritò cum Apoftolo poffumus cum admiratione clamare, ficut dicitur Rom. XI. *O altitudo fapientiæ & fcientiæ Dei, quàm incomprehenfibilia funt opera Dei, & inveftigabiles viæ ejus! quis enim novit fenfum Domini, aut quis confiliarius ejus fuit?* Verùm Ecclefia non fuit tali Principe digna, ficut olim in diebus Jeremiæ, Jofias Rex juftiffimus, qui excelfa abftulit, & cultum Dei renovavit, & tamen pro defenfione pacis Terræ Sanctæ fuit occifus, quia populus jam idololatriæ affuetus, cum in publico propter timorem Regis non audebat, in occulto tamen idola coluit, & ideò Jofiâ Rege occifo, Jerufalem fuit capta, & populus in captivitatem ductus. Et fic poteft hic timeri, quod fortè tota Ecclefia, ut ille exercitus; non fuerit digna habere talem Principem. Vel fortè tranfmarini non fuerunt digni talem habere coadjutorem & defenforem propter fuas civiles difcordias, quia non folùm Januenfes, qui de Januâ, vulgò *Genua* Civitate venientes, *Akon* olim *Ptolemais* Civitatem inhabitabant, & Pifani de *Pifa* Civitate invicem difcordaverunt, fed etiam illi, qui dicuntur milites Dei, videlicet de Hofpitali Sancti Joannis, & de domo Teutonicâ, nec-non & Templarii debitam charitatem, fecundùm exigentiam religionis & nominis, quòd dicuntur milites Dei, non obfervant, fed invicem fibi inimicantur. Undè ftatim eodem anno difturbato exercitu Chriftianorum propter mortem prædicti Regis, & initis treugis inter Dominum Carolum, Regem Siciliæ, & Regem ac Principem Tunifii, Rex Babilonis, caftra militum de domo Sancti Joannis, & de domo Teutonicâ obfedit, & obtinuit caftrum

(*a*) Joannes Triftanus Comes Valefiæ, quem feriùs mortuum referunt Hiftoriographi Galliæ.

castrum in manu forti, quod credebatur inexpugnabile, & habitatores salvâ 1269.
vitâ, auro & argento, & rebus omnibus, quas secùm deportare poterant, præter arma liberè dimissi sunt, & ad Civitatem *Akon* pacificè reducti. Obtinuit & hæc castra *Crak*, *Duplicar*, *Merogad*, *Blonka-Castel*. Civitates verò *Cæsarea*, *Joppe*, *Antiochia*, priùs à paganis captæ fuerunt. Similiter *Carphas*. Potest etiam esse, quod Dominus iratus fuit Regi Franciæ, quòd aliquibus litteris, vel relationi credidit, ut à viâ incœptâ in Terram Sanctam diverteret, & contrà *Tunisium* tenderet in Africâ, cum nonnisi contrà detentores Terræ Sanctæ & Civitatis Jerusalem, ac Sepulchri Domini Crucem accepisset, & votum peregrinationis emisisset, & peregrinos de Frisiâ, & aliis diversis terris invitasset, ut Terram Sanctam secum visitarent, & in contemptores Sepulchri Domini & Civitatis Sanctæ in Asiâ pugnarent. Sed prædictis litteris mutatus, in Africam tendens, propositum iter sibi, & omnibus peregrinis impedivit, sicut legitur 3. Reg. 13. quod Propheta de Judâ missus à Domino in Bethel ad Jeroboam, arguens eum, quod relicto Domino immolaverat vitulis aureis, cum contrà præceptum Domini per pseudo Prophetam senem, panem & aquam cum eo comedisset, à leone in viâ est occisus, sed tamen leo nec carnes ejus, nec asinos suos devoravit, ut sic justitia, & sanctitas ostenderetur. Sic fortè Dominus prædictum Regem in omnibus aliis actibus justum corporaliter in vitâ punivit, ut animam ejus in Cœlo pleniùs remuneraret. Sed quia secundùm Augustinum inquisitio divinæ voluntatis insipida est, causam mortis suæ illi relinquimus, cujus judicia sunt abissus multa. Meritò enim in talibus cessare debet humani sensùs hebetudo, cum dicat Apostolus, Rom. 12. *non plus sapere quàm oportet sapere &c.* & 1. Cor. 2. *nihil judicavi me scire &c. &* 14. *ex parte cognoscimus &c. & iterum videmus nunc per speculum.* Philip. 3. *Ego non arbitror me cognovisse.* Eccles. 3. *altiora te ne quæsieris.* Prov. 30. *Sicut qui mel comedit multum non est ei bonum, sic qui scrutator est majestatis opprimetur à gloriâ.* Eccles. 8. *amice, quod voluerit Dominus, faciet, nec potest ei quisquam dicere, cur ita facis?* Potest tamen colligi ex Scripturis, quòd triplici ex causâ justi sæpè tolluntur de medio, qui hìc videntur utiles. Primò propter suam dignitatem, quia meruerunt educi de carcere hujus mundi, & ad gloriam Dei intrare. Apocal. *ambulabant mecum, quoniam digni sunt.* Secundò propter mundi, vel subditorum indignitatem, quia non sunt digni talibus habitatoribus propter suam malitiam. Isai. 7. *Colliguntur viri misericordiæ, quia non est qui intelligat, à facie enim malitiæ collectus est justus.* Hebr. 11. *Quibus dignus non erat mundus.* Tertiò propter sui securitatem, Sap. 4. *Raptus est de medio, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Quæcumque harum causarum fuerit, quòd tam justum Regem voluerit de medio tolli, Deo relinquimus, qui novit, quæ ventura sunt, & antequàm fiant.

Interim autem peregrini Frisiæ venerunt Sardiniam, quæ est insula magna & potens, & cum intenderent secundùm votum suum transire in Terram Sanctam, prædicatores cum magnâ instantiâ hortabantur eos transire in Africam ad Regem Franciæ, qui adhuc vivere putabatur, ut cum eo & cum aliis Regibus & Principibus *Tunisium* obsiderent, quatenùs habito ibi, ut sperabatur, triumpho, directè cum toto exercitu Regum ac Principum, contrà Soldanum Babiloniæ aciem dirigerent. Et sic primò turbatio

1269. fuit in populo, quibusdam volentibus transire in Terram Sanctam, aliis malentibus sequi majorem exercitum in Africam, tum ut prædicatoribus suis obedirent, tum quòd consideraverunt, quòd ipsi tanquam pauci, in Terrâ Sanctâ modicùm possent prodesse, antequam major exercitus illuc adveniret. Et sic consilio habito elegerunt transire versùs *Tunisium*. Quò pervenientes statim littus ascenderunt, cumque Regem Franciæ defunctum intellexissent, de consilio Caroli Regis elegerunt sibi in Ducem belli Dominum Henricum, Comitem de Lucelengburch, virum magnum, & fortem, ac bellicosum. Cum tamen Comes Flandriæ multum desideraret eos in Comitatu suo habere, & cum more Frisonum, impatientes moræ Frisones accelerarent ad bellum contrà paganos, qui multitudine innumerabili occupaverant planitiem campi inter *Tunisium* & castra Christianorum, Comes prædictus vix tardavit eos, donec suum ordinasset exercitum, & custodia, ac defensio contrà exercitum paganorum sibi competeret. Itaque instaurato exercitu suo, veniens ad Frisones, & fovens eos tanquam gallina pullos, hortabatur, ne aliquâ temeritate equites suos præcederent, sed ipsum sequentes cum multâ discretione, simùl in hostes irruerent cum equitibus, & sic facto impetu contrà paganos, eos in fugam verterent. Et cæsâ magnâ multitudine, plurimi ex eis ad vicinam aquam, quæ de magno mari, *Tunisium* influebat, confugerunt, & ibi tanti submergebantur, quot in gladio ceciderunt. Et sic Frisones ibi victoriam habuerunt satis gloriosam. Sed quia Carolus Rex vidit exercitum paganorum quotidiè multiplicari, non solùm de Africâ, sed & de Asiâ, imò de Siciliâ, tam paganos, quàm etiam malos Christianos, qui primùm Frederico Imperatori, postmodùm filio suo Contado, deindè Meinfredo Principi adhæserant, & à facie Caroli aufugerant, & quibus civitas *Tunisii* munitissima fuit, dissimulavit adversùs eos ire in bellum. Ac sic Frisones moræ impatientes ad naves redierunt, & iter suum ad Terram Sanctam direxerunt. Sed in viâ illâ quàmplurimi moriebantur, & in mare missi sunt, quia ut videbatur de corrupto aëre apud Africam ex cadaveribus mortuorum, & aquâ salsâ & pessimâ, de quâ supra dictum est, non modicùm fuerunt distemperati. Reliqui versùs *Akon* applicuerunt. Sed ibi non modicum defectum experti sunt, quia Patriarcha Jerosolimitanus mortuus erat, verùm-tamen Vicarius Patriarchæ, ac Archiepiscopus Tyrensis, nec-non & milites Sancti Joannis, & de domo Teutonicâ, ipsos honorificè receperunt, cum communitate totius civitatis. Archiepiscopus autem Tyrensis prædicans, & innovans Crucem, ac indulgentiam, multos secum versùs Tyrum abduxit, quia de Paganis ibi majus imminebat periculum, quàm apud *Akon*. Et sic quamdiù Frisones in terrâ illâ manserunt, Civitates & Castra Christianorum in bonâ pace manserunt. Intereà Rex Carolus cum Principibus sibi adhærentibus acceptâ, ut dicebatur, pecuniâ non modicâ à Rege & civibus *Tunisii* pacem cum eis ordinavit. Insuper tributum, quod Rex *Tunisii* cum populo suo antiquitùs solebat dare Regi Siciliæ, innovavit.

1270. Anno Domini CIↃCCLXX. peregrini Frisonum videntes quòd propter mortem Regis Franciæ, & filii sui, cum corpore patris & fratris in Franciam reversionem, ut etiam de regno suo disponeret, & quòd nullus Rex vel Princeps in Terram Sanctam comitaretur, vel sequeretur, quia ipsi etiam tanquam pauci & inermes non valerent contrà Regem Babilonis, imò con-

trà multa Regna, vel gentes *Ægypti*, *Damasci*, *Halapiæ* & de *Baldach*, 1270.
ubi est thronus Papæ Paganorum, quem *Calipham* dicunt, pugnare, cum consilio Archiepiscopi prædicti, & Vicarii, quem Patriarcha reliquerat, & Magistrorum ac militum de domo Sancti Joannis, & domûs Teutonicorum, iter suum in patriam reflexerunt. Oblatâ ibi pro defensione terræ satis largâ pecuniâ, licet tamen quidam priùs sine communi consilio & licentiâ se nequiter subtraxissent. Et quia navibus in diversos portus Europæ deducti sunt, non simùl redierunt, & multi defuncti in viâ, & quidam in Græciâ spoliati. Postmodùm in vigiliâ Joannis Baptistæ, cùm Rex Babilonis festinaret obsidere *Tripolim* cum innumerabili exercitu, Princeps Tripolitanus fortis & potens in armis, sed numero exercitûs valdè impar, constanti animo misit ei legationem, quòd eum non oporteret properare ad obsidionem Civitatis, eo quòd ipse vellet cogitatum suum jactare in Domino, cujus auxilio unus persequebatur mille, & duo fugaverant x. millia, qui fecit mirabilia in Ægypto, & Pharaonem cum populo suo demersit in profundum maris, & ideò si nollet cum eo habere Soldanus pacem, ipse cum fiduciâ & adjutorio Dei vellet cum populo suo contrà eum usque ad mortem pugnare. Soldanus verò considerans audaciam suam & constantiam, nec-non & fiduciam in Domino, noluit se periculo committere, sed sapienter dissimulavit, dicens, quòd pro tantâ virtute eum in gratiam suam vellet recipere, & ipsum cum Civitate suâ & omnibus quæ ad Civitatem pertinebant, liberum dimisit. Insuper tria Castella, videlicet *Meregard*, *Duplicar*, & *Crak* suæ custodiæ commisit, quæ priùs ipse Soldanus de manu Christianorum jurè belli acquisierat, ita ut ipse de illis ipsi competens pro recognitione tributum solveret, & sic à partibus illis Soldanus cum exercitu recessit.

Anno Domini CIↃCCLXXI. circa Dominicam Passionis Domini, versùs 1271.
Akon Soldanus cum exercitu maximo applicuit, & sic cives cum magistris trium domorum, & consiliariis eorum, qui dicuntur milites Dei, non valentes, nec audentes, impetum ejus sustinere, & timentes, ne si bellò caperet civitatem, penitùs eos omnes deleret, ac sic in partibus illis Christianitas deperiret, & peregrini nullum invenirent portum securum, neque refugium, pacem cum ipso inierunt, firmantes Treugas usque-ad XI. annos, hoc interposito, si aliquis Rex potens de Ecclesiâ, terram illam intraret, & per eum bellum fieret, ipsi essent excusati. Et sic Soldanus Legatos eorum honorificè fecit ad se adduci, & sic ipsâ die Parasceves Treugas istas ordinaverunt, scilicet quod Aconenses cum omnibus civibus, ac Religiosis ibidem commorantibus, absque tributo, & omnibus exactionibus omnia suâ possiderent, absque civitatibus, & castris, & suis attinentiis, quæ Soldanus jure belli acquisierat. His Treugis ordinandis, assensit, & interfuit Rex Cypri. Sed Dominus Eduardus Rex Angliæ, qui adhuc ibi morabatur, graviter tulit, quia ut potè vir bellicosus, ex quo illuc venerat, semper fuit paratus contra Soldanum in campo pugnare, si milites de tribus domibus, & cives hoc vellent admittere, & eidem, & Regi Cypri cum suis exercitibus assistere, & ideò statim ordinatis Treugis, non sine indignatione Rex Angliæ recessit. Soldanus verò firmatis Treugis Legatos Aconiensium cum honore fecit reduci, & liberam dedit omnibus Christianis licentiam adeundi omnes terminos Regnorum suorum, & loca sancta visitandi, & sic multi ex

1270. indigenis, ac peregrinis Bethleem, ac Nazareth, & alia loca Sanctorum visitaverunt, sed Sepulchrum Domini pauci visitabant, quia hoc sub pœnâ excommunicationis fuit prohibitum, ne per oblationes, quas Christiani ibi faciebant, & diversa telonea, inimici Crucis Christi ditarentur, & fideles detrimentum paterentur.

Loquela reddita mutæ per intercessionem B. Emonis.

Eodem anno Dominus qui per suam misericordiam innovat signa, & immutat mirabilia, duo gloriosa miracula operatus est in medio nostri, & digna memoriæ posterorum commendari. In *Florido-Horto* quædam beggina satis devota, nomine *Paruthewa*, quæ ad dimidium annum usum loquelæ amiserat, penitus muta effecta, dum ad sepulchrum Domini Emonis Abbatis cum gemitu & lacrimis oraret, infrà elevationem hostiæ, meritis & intercessione prædicti Patris, & suæ fidei constantiâ, juxtà ejus sepulchrum usum loquelæ recuperavit, ac Dominum voce publicâ benedixit, & suo benefactori liberâ voce gratias egit. Eodem etiam anno dum corpora Reverendorum virorum, videlicet Emonis fundatoris *Campi Rosarum*, & Domini Emonis qui multo tempore fuerat Prior ibidem, de loco ligneæ Capellæ in novam Ecclesiam transferrentur, fuit ibidem puella sanctimonialis virgo, quæ duos annos & dimidium fuerat muta, dum per VII. dies à translatione ipsorum quotidiè cum lacrymis & gemitibus eos ambos implorarct, & omnes sorores cum ipsâ supplicarent, octavo die, dum infrà vesperas & cœnam Conventûs ad ostium Ecclesiæ cum fletu & planctu sola oraret, usum loquelæ planè recepit, & currens ad Conventum Sororum, quæ fuerant in cœnâ, liberâ voce clamavit; *agite gratias Deo & Patribus nostris, in Ecclesiâ sepultis, quia solutum est vinculum linguæ meæ, & ecce loquor liberâ voce.* Sorores autem omnes de mensâ exilientes cantando, *Te Deum laudamus*, in Chorum ascenderunt. Quædam verò præ gaudio flentes Dominum benedixerunt, qui facit mirabilia, qui per se, vel suos mirabilium suorum signa etiam nostris temporibus dignatus est demonstrare.

Miraculum ad sepulcrum S. Siardi.

Eodem etiam anno in *Horto Sanctæ Mariæ* quædam fœmina paupercula, toto contractâ corpore ad sepulchrum Domini Siardi, ejusdem loci tertii Abbatis, est sanitati omnium membrorum restituta, cum priùs per revelationem signis manifestis ei hoc fuisset ostensum, quòd ad sepulchrum hujus Patris esset sananda. Hic siquidem Pater triginta & tribus annis Ecclesiam Horti Sanctæ Mariæ gloriosè rexit, & eam in spiritualibus ac temporalibus mirabiliter ampliavit, se nihilominùs in jejuniis, vigiliis, & laboribus non modicùm affligendo. Undè sanctâ conversatione suâ non solùm suam familiam, sed & multos in vicinis locis ad Dei servitium provocavit. Et indè non solùm hoc miraculum, sed & alia diversa ad ejus sepulchrum contigerunt. Hæc autem miracula Deus in nostris temporibus & multa alia per hos Reverendos Patres, ac alios Deo servientes, & se, ac familiam sibi creditam sollicitè custodientes, & sollicitudinem prætereà sui & totius Ecclesiæ cum instantiâ quotidianâ fideliter gerentes, vitâque & exemplo multos erudientes, operatus est secundùm illud, *qui docti fuerint, quasi splendor firmamenti erunt, & qui erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Verùm Dominus per tam Reverendos Patres impleat, quod ipse dixit: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Cum sic gloriam sibi servientium in hoc ipso manifestet, & alios ad imitandum invitet.

Anno

Anno Domini CIↃCCLXXI. electus fuit ad Sedem Apostolicam Romanæ Ecclesiæ Gregorius X. cum essent in Terrâ Sanctâ peregrini in comitatu Domini Eduardi, Regis Angliæ, cùm vacasset Sedes per tres annos & duos menses. Eodem enim anno prædictus juvenis Rex Angliæ patre adhuc vivente, post discessum Frisonum, cum honesto comitatu Terram Sanctam adivit, Rege Cypri sibi in itinere associato. Hi parati erant contra Regem Babilonis pugnare, sed fratres de tribus domibus dissuaserunt, asserentes; quòd impetum magnitudinis exercitûs sui non possent sustinere. 1271.

Eodem anno Archiepiscopus Coloniensis fuit de captivitate Comitis Juliacensis liberatus. Eodem anno Orientales Frisones de *Emesgoniâ*, ac terrâ *Reydensi*, cum illis de *Aldaombecbte* confœderati, domos Decanorum suorum destruxerunt, & combusserunt. Principium hujus seditionis fuit inter Wilbertum *Eppenga* & *Hrodbernum*, qui parvo suo, adhuc puerulo, obtinebat Ecclesiam in *Fermesum*, cum Decanatu adhærente, post mortem Siconis, & filii sui Gerkonis, ac nepotuli. Wilbertus enim primò suscitavit universitatem in *Aldaombecbte* in Episcopum & Decanos super exactione bannorum; quibus universitas gravabatur, & sic attraxit sibi Herewardum Luscum; quo mediante omnes *Reydenses* & tandem *Emesgones* simul conspiraverunt, quòd quidam eorum Decani satis immoderatè homines in bannis affligebant, & ideò domos eorum destruxerunt, & eos de terrâ depulerunt, licet ipsi filios suos eis dedissent obsides, quòd prudentium virorum de ipsis terris parerent ordinationi. Deindè homines de prædictis tribus terris concurrentes, domum Hrodberni obsederunt. Sed illa cum propugnaculis ita fuit vallata, quòd eam capere non potuerunt, imò per strenuos viros, qui eam defenderunt, XVI. viris ex eis occisis, vacui sine honore recesserunt. Et tunc confusi & erubescentes, quòd ipse solus cum suâ parentelâ tribus terris resisteret, causam illam in universitatem *Fivelgoniæ* conjecerunt. Sed cum Snelgerus de *Skirame*, & alii nobiles cum consulibus requirerent à Hrodberno & suis cognatis, si vellent universitati cavere de indemnitate, si bellum ingravesceret, & universitas *Fivelgonum* defensionem terræ sic assumeret, si hostes irruerent, ipse sano usus consilio noluit sibi tantum periculum assumere, & se ac parentelam suam depauperare, imò potiùs domum suam lapideam, eis reliquit destruendam, & sic delatis omnibus armis & supellectilibus per ipsum Hrodbernum ad loca secura, domus est destructa. Dominus autem Gerardus, Episcopus Monasteriensis, videns jurisdictionem suam & suorum officialium annihilari, pro evidentiâ patrati sceleris, interdictum generale promulgavit, quod Sacerdotes eorum plurimi satis strictè observaverunt, præterquàm in *Aldaombecbte*. Wilbertus & sui complices non solùm sub obtentu beneficiorum, sed & sub pœnâ proscriptionis, coëgerunt plebanos eorum celebrare, assumentes sibi in argumentum excusationis, quòd plurimi Decani contrà jura, Patribus successissent absque dispensatione Sedis Apostolicæ, & maximè quòd essent paternæ incontinentiæ imitatores.

Eodem anno cœpit accrescere fames & ovium pestilentia, præter jugem pluviam trium annorum.

Anno Domini CIↃCCLXXII. obiit Dominus Gerardus (a) Episcopus Monasteriensis, bonæ memoriæ, & sui Episcopatûs strenuus defensor, qui castrum in *Luidengbusum* destruxit propter eorum rapinas, castrum etiam 1272.

(a) De Comitibus de Marca. vir sacerdotio illo majore dignus.


1272. in *Horstmere* (*Horstnow* juxtà Crantz.) Sancto Paulo & Ecclesiæ Monasteriensi obtinuit. Eodem anno destructum fuit Castrum novum juxtà *Eskathorph* post mortem prædicti Pontificis. Eodem anno stabilitus fuit aquæductus in *Sonde* in novalibus. Eodem anno fuit maxima fames in Frisiâ & per totam Westphaliam, & mortalitas ovium, multa enim Frisonibus & maximè Orientalibus, à *Fivelgoniâ* usque ad Orientem, eo anno ad augmentum famis accesserunt incommoda. Primò quia per peregrinos terra fuit evacuata argento. 2. Quia propter nimiam pluviam per quatuor annos nimis modicum creverat frumentum, & maximè in silvis, ubi aliis temporibus solebat abundare, aut etiam in *Threntiâ*, nec secùs *Emesam*, nec alicubi ad emendum inveniebatur, nisi in Daciâ & Slaviâ, ubi Dominus qui irascitur & miseretur, magnam dedit copiam frumenti, ut saltem alicubi inveniretur, undè creatura Dei sustentaretur, quia & ipse dat corvis escam ipsorum, & pullis carnes, invocantibus eum. 3. Quia in odium *Emesgonum* & *Rheydensium* propter suam inobedientiam Dominus Episcopus nundinas secùs *Emesam* interdixerat, & ita Frisones non poterant pecora vendere, nec necessaria comparare cum butyro, caseis & equis, cum pecuniam non haberent, nec cum aliis rebus possent comparare. Et illi de Daciâ & Slaviâ pecora eorum & similia non curabant, sed solam pecuniam sitiebant. Insuper Judices eorum in quibuslibet Civitatibus interdixerunt, ne frumenta de terris illis deportarentur, & sic mercatores tardaverunt, donec ab ipsis Judicibus mediante pecuniâ quasi secundo emerentur. Undè Dominus justus Judex, quia ipsi servis suis non compatiebantur, eodem anno cœpit eis retribuere retributiones, quia cùm in terris suis æstivales fructus tardè soleant seminare, post Festum Sancti Bonifacii, circà tempus illud tanta increvit siccitas, quòd fere omnes fructus æstivales perierunt, & sic impletum est quod dicitur: *qui abscondit frumenta maledicetur in populis;* quia statim anno sequenti tanta facta est penuria, quanta priùs abundantia. Sicut enim ait Beatus Gregorius, quia Dominus, cujus sapientiæ non est numerus, de consilio prudentiæ, ut nulla terra omnibus necessariis abundet, ordinavit, ut sic mutuam pacem inter se observent, sed quandoque una terra, quandoque altera, pane abundat, ut sic sibi invicem subserviant, quia statim sequenti anno mercatores cœperunt fabam de Frisiâ in Daciam transvehere, quia illa eo anno in Frisiâ fuit prosperata. In *Grippesvalda* enim, ubi multis annis frumenta superabundaverant, eo anno summa fuit egestas, sicut contigit in diebus Jacob & Joseph, ut terra Chanaan quæ præ omnibus aliis solebat frumento, & vino, & oleo abundare, egeret, & Ægyptii per prudentiam & merita Joseph abundarent. Quartò etiam aucta est penuria, quòd jam septem annis de loco ad locum serpserat pestilentia pecorum, & plurima moriebantur. Istis verò duobus annis ferè ubique moriebantur oves, & ideò non poterant homines lacticiniis famem sublevare, sicut quandoque solebant, & sic tantùm fuit fames aggravata, quòd modius magnus ad tempus circà Pentecosten vendebatur pro decem & octo solidis sterlingorum paratorum denariorum ad manum. In *Menteravalda* (*a*) unus modius pro quatuor marcis sterlingorum ad inducias anni, ipsi enim immoderatas accipiunt usuras, ità ut pro unâ

(*a*) Mentervalda vicus olim vicinus Abbatiæ Cisterciensi & insignis, ut diximus suprà.

marcâ ad manum, accipiant quatuor post annum; & ideò verum videtur esse quòd ideò laboraverint evertere jurisdictionem spiritualem, ut usuras suas liberè possent exercere. Prædia autem eo tempore, quasi nullius erant pretii, maximè in locis humilibus, ut in Waltersum (*a*) & eorum confiniis, propter subversionem avenæ, nec inveniebantur emptores propter defectum pecuniæ. Ideò tantum invaluit fames, quòd multi moriebantur fame, & plurimi erant morituri, si claustrales eis non subvenissent. Multi enim religiosi, sanè sapientes, & in Domino cogitatum jactantes, juverunt etiam non paucos, scientes illud Augustini, si videris fame morientem & non pavisti, occidisti. Et quia id sic fecerunt, Deus eis in suis necessariis meliùs providit. Qui enim, ut ait Augustinus, decimas ad eleemosinas dant, propter Deum quadruplo remunerantur, abundantiâ fructuum, sanitate corporis, indulgentiâ peccatorum, & regno Cœlorum. In hac caristiâ plurimùm angustiati sunt silvani, & maximè in *Astalvaldâ* (*b*) & in *Broche* (*c*) propter humiditatem agrorum, & ideò non pauci confugerunt ad Villas, quidam mendicando, quidam & quasi pro solo victu serviendo, qui priùs habebant proprios agros colendos, quia cum silvanis non prosperatur siligo, nec ad pecora, nec ad lacticinia habent refugium. Multi etiam tàm de Frisiâ, quàm de Threntiâ, patriam exierant, sperantes se alicubi meliorem habere sustentationem. Nonnulli & de urticâ, & tribulis, & lolio, miseram vitam utcumque sustentabant, maximè de lanceolâ, & sude, quia Dominus, qui in irâ suâ non solet nimis oblivisci, sæpiùs in charis annis permittit lanceolam in pratis, pisces in mari, & præcipuè conchilia menarum plùs solito abundare. Sed in illâ æstate paulò meliùs prosperata fuit annona, licet everteret pluvia plurimùm agriculturam, quia eo anno ad Cathedram Petri cœperunt homines arare, & seminare, & ideò competenter fuit prosperatum. Post-modùm circà Gregorii, cum tutissima est agricultura, increvit pluvia, ferè per septem hebdomadas. Et tunc quidquid projectum fuit in lutosos agros, modicum fructum attulit seminanti, & sic primæ sationis fructus melius fuerunt prosperati. Eodem anno in autumno cœpit oriri hominum mortalitas, & quidam etiam subitaneâ morte moriebantur. 1272.

(*a*) Hodiè *Wapsterveen*, vicus Trentiæ.
(*b*) Asterwalda, hodiè *Oostwold*, in silvis australibus Omlandiæ existens.
(*c*) Nunc *Broeck*, vicus Drentiæ.





CHRONICON
CANONICI ANONIMI
FLORIDI-HORTI
Ab anno 1276. ad annum 1296.

1276. RODOLPHUS Rex Allemanniæ, pro inobedientiâ Regis Bohemiæ (a) ipsum bello aggreditur, in quo Rex Bohemiæ victus occidit. Regnum suum hæredibus confertur. *Folkringones* & *Gardringones* (b) de Menternâ pugnantes, centum viros exceptis quinque occiderunt. Fratres majores in *Winsum* (c), aliâs Jacobitæ, aut Prædicatores, in casâ locum habitationis cœperunt sibi præparare. Dominus Abbas Menko prædictus ad mandatum Domini Præmonstratensis, & Definitorum, studium puerorum transtulit ad Parochialem Ecclesiam *Emetha*.

Collatio beneficii in *Utbusum* ante mortem dicti Patris facta fuit Ecclesiæ *Floridi-Horti* cum omnibus attinentiis, per dispositionem Guardi Sacerdotis, qui tunc temporis verus pastor fuit Ecclesiæ prædictæ, homo nobilis & in omni conversatione suæ vitæ devotus, & honestus, & quia fugem melioris vitæ desideravit, & dilexit, solus noluit venire, sed gregem sibi commissum secum adduxit, & in Ecclesiâ prænominatâ vixit.

1283. Anno Domini 1283. Dominus Ewerardus Monasteriensis Episcopus venit ad partes Frisiæ causâ visitandi, & ad corrigendos subditos suæ Diœcesis secundùm consuetudinem antiquam, & approbatam. Cumque *Usquert* devenisset, accessit ad eum Dominus *Oudgerus* Abbas *Floridi-Horti* petens humiliter confirmationem & investituram in Ecclesiâ *Utbusum*, quæ sibi & Conventui suo à veris patronis ejusdem Ecclesiæ absque prece & pretio antè introitum Venerandi Patris in Frisiam canonicè fuerat collata. Sed timens quidam Juris peritus Menolphus nomine, tali petitione auditâ, ex instinctu quorumdam surrexit, & acceptâ licentiâ loquendi hujusmodi collationem, rationibus quibus potuit, allegavit, à Domino Episcopo minimè admittendam, vel potiùs irritandam, tum quia patroni non concordarent, tum quia Regula Beati Augustini non permitteret Canonicos suæ professionis sæcularia beneficia possidere. Affirmavit etiam nulla privilegia eis ad hoc

*(a) Ottocati 2. cujus fata non anno 1276, sed 1278 posuit Balbinus 7. Kal. Septembris belli exitum narrans, cujus initia Chronicon recenset.

(b) Familiæ nomina sunt ambo, Menternam habitantes.

(c) *Winsumum* vicus ad Hunesi flexum, in quo florebat Conventus Dominicanorum anno 1276 ædificatus.

hoc à Romanis Pontificibus indulta de jure communi, & rationes apposuit pro libitu suæ voluntatis ad confusionem petitionis Abbatis, licet minus rationabiliter & justè, tamen petitionem Abbatis sine effectu protraxit. Cumque in dictum locum venissent Episcopus & sui, adsuit & magister Menolpurg allegans in Synodo, Ecclesiam Uthusensem vacare, & ex protractu temporis jus electionis Ecclesiæ ad Dominum Episcopum devolutum, quia patroni Ecclesiæ suo tempore non elegerunt, cum collatio fratribus in *Werum* facta propter rationes prædictas de jure subsistere non posset. Hujusmodi rationibus finitis, surrexit Magister Wiardus, qui tempore illo super omnes clericos, & magistros terræ Frisiæ scientiæ, & facundiæ donis imbutus, quam plurimùm pollebat, & allegata prænominati magistri multis juribus, audientibus omnibus potenter evacuavit, docens præclarè Ordinem Præmonstratensem, super omnes Ordines Ecclesiastica beneficia posse recipere. Habuit & rationes de privilegiis Ordini concessis, proponens articulum de privilegio Urbani quarti, qui talis est, *Canonici verò ex nostrâ indulgentiâ speciali, possunt Ecclesias Parochiales habentes curam animarum impetrare, & impetratas per nostram licentiam officiare.* Et sic cavillationes prædicti oratoris in tantum enervavit, quod de prædictis paulatim loqui cessaret. Advocatus Domini Abbatis, humiliter nomine Abbatis, & Conventûs, petiit à Domino Episcopo quod fuerat petendum. Sed Dominus Episcopus non ita benevolè justam petitionem exaudivit, sicut allegata patienter audivit. Et ideò protelationis causâ, partes usque *Fermesum* protraxit. Ibidem verò cum advocatus Abbatis petitionem Abbatis nomine emissam, per jura, & argumenta declararet esse admittendam, & Meynco, & Godescalcus, & Ayboldus fratres, viri nobiles, & discreti, tam de sejpsis, quàm de aliis veris patronis, dicerent constanter donationem beneficii per ipsos factam Abbati, & Conventui prædicto, nullâ de causâ immutandam, dummodò ipsis vita, & res ad defendendum hujusmodi violentiam remanerent. Dicebant enim in facie Episcopi quòd non consulerent alicui presbitero, quantæcumque authoritatis esset, qui mitteret ipsum, ut veniret ad Ecclesiam ipsorum tali voluntate, ut eam officiaret tanquàm suam. Et ista propterea dicebant quia secretò intellexerant, quòd in recessu proposuerat, ad officiandam Ecclesiam eorum alicui ex clero committere in confusionem Abbatis, & sui Conventûs ac simul eorum Warandorum, & de isto articulo fuit valida præsumptio, & suspicio quòd ob vindictam, dilationem quæreret. Quia Prælati Frisiæ & Diœcesis audito quòd ipse adventaret, dextras dederunt ad invicem in signum fœderis, quòd nullus eorum sine communi notitiâ, & consensu alterius, dictum Patrem colligere deberet, & hoc propter immoderatas expensas, quas minùs rationabiliter per suos fieri procurabat in domibus Religiosorum. Religiosi etiam in *Hunesgoniâ* per coertionem brachii sæcularis prohibitionem fieri sub quâdam pœnâ contrà in hujusmodi facto delinquentes statuerunt. Sed verba antiquorum proindè rarissimè falluntur, de quibus unus legitur sic dixisse: *quære fidem, & non invenies, fraus regnat.* Nam Monachi de *Advert* (*a*) qui super alios in Frisiâ divitiis gaudent, pactum fidei infregerunt, mittentes qui Dominum Episcopum cum suis de villâ *Baslot* (*b*) ad claustrum invitarent. Quo facto reliqui socii, & Prælati licet confusi,

1283.

Ordo Præm. potest possidere beneficia curata.

Aaaaaa

(*a*) Latinè Adoardia Ordinis Cisterciensis Abbatia, filia Clari-Campi.
(*b*) Basslo, latinè Baffloa, vicus in Hunsingiis, natalibus Rodolphi Agricolæ inclytus.

1283. aut ipsum receperunt, vel in paratâ pecuniâ, ratione procurationis ei competenter satisfecerunt. Nec ex hoc beneplacitum ipsius, & suorum plenariè sunt consecuti. Quia sæpissimè altius ascendunt injuriæ, & remanent ad vindictam in corde aliquorum, quàm remuneratio boni operis, quod ex bonâ voluntate, & conscientiâ procedit. Sed constantiâ horum fratrum, & eorum complicium auditâ, Monasterienses propositum, sivè intentionem palliabant, & Dominus Episcopus commisit hujusmodi causam suo officiali Magistro Henrico in recessu terminandam. Dissentiones hinc ibi subortas, quantùm in se fuit ipse subtraxit, sicut in parochiis *Walterśum*, *Gerśhuśen* & *Sutbebroke*, rei eventus demonstravit. Ubi beneficia clerici discordantes in maleficia propriæ salutis converterunt. De beneficio *Utbuśum* quia tam citò nihil lucri adfuit, in post Synodo *Loppeśśum* Abbatibus D. Folcardo de *Rottbum*, & D. Menardo de *Thiaśingat-closter* (a), unâ cum Decano Alberto in *Loppeśśum*, per litteram suam commisit, ut ad prænominatam Ecclesiam accederent, & voluntatem singulorum Warandorum intelligerent & prout verius, ac melius *possent Monasterium, post ipsum mitterent in scriptis sigillis suis appensis.* Quâ commissione sic factâ turbatio litigii prædicti modicum cessavit. Sed Henricus ad suam voluntatem, officialis non solùm curiæ Coloniensis, verùm & Monasteriensis effectus, sequenti anno in infirmitatem incidit, in quâ fortior solito factus, & sui minimè compos mortuus est, nec fuit qui adjuvaret, sed tum Dominus *Floridi-Horti*, propter alia impedimenta Ecclesiæ suæ, non ita fervidè causam commissam modo prædicto, ut decuit, & litteram commissionis habuit, finaliter studuit terminare.

1284. Anno Domini CIↃ CC LXXXIV. Frater Folcardus novus Abbas electus misit nuncios ad Abbatem de *Rottbum* & *Thiaśingat-Closter* & ad Decanum Albertum, petens instanter, ut mandatum officialis eis adscriptum adimplere vellet. At illi annuerunt, & sic die statuto, Festo B. Nicolai Episcopi, unà cum Domino Alberto Decano, qui fuit vir magnæ discretionis & competentis litteraturæ in negotiis Ecclesiasticis, & secularibus valdè tritus, duobus Monachis ex parte Abbatis adjunctis, *Utbuśen* pervenit. Ibi quia voluntate singulorum Warandorum perscrutatâ, omnes concorditer absque omni prece & pretio in Dominum Abbatem & Conventum *Floridi-Horti* consenserunt, uno tantùm Balone *Frouvekegna* excepto, qui quantùm potuit reclamavit, propter metum Decanorum in *Uśquert.* Aliqui mediocres tacebant, quibus ipsi damnum pro ejusmodi electione affuturum dicebant. Fuit tamen voluntas eorum cum pluribus, permanere. Cumque plura obstacula prædictæ donationi non occurrerent, conscriptis litteris quibus fuerat necesse, & sigillatis sigillis duorum prædictorum, detulit secum Monasterium. Benedictione itaque Festo Conversionis Apostoli in Ecclesiâ Sti. Martini, per manus impositionem D. Ewerardi Episcopi benevolè & devotè acceptâ, omnia instrumenta super collatione *Utbuśenśis* Ecclesiæ ad mandatum Domini Episcopi, ad manus D. Henrici Cantoris ad D. Paulum, & Gerardi Officialis Frisiæ, & Bullarii Domini Episcopi dimisit examinanda, & sic licentiâ Domini acceptâ, sine omni perturbatione satellitum, qui novos Prælatos spe lucri sæpissimè conturbant, curiâ Domini Episcopi exivit, & fœliciter est reversus. Post mensem verò Dominus

(a) Thesinge vicus in viciniâ Groningæ, Abbatiali Cœnobio monialium Ordinis Sti. Benedicti nobilitatus.

Epiſcopus miſit duo paria litterarum per manum Hermanni *Buſel* Domino 1284.
Abbati, & Conventui *Floridi-Horti*, unum de jure patronatûs, aliud de inveſtiturâ.

Anno eodem fuit hyems humida & cataractibus apertis recens aqua ſuperabundavit, & ſuperexſpatiata eſt plana terræ, in tantùm quòd homines prudentes aſſererent, infrà 50. annos nunquam ſic aquam pluvialem increviſſe. Peſtilentia autem eodem anno Sacerdotum maxima, nam infrà quindecim ſeptimanas 42. moriebantur. *Lubeck* eo tempore incendiis conflagratur. Iſto tempore igne devaſtatum eſt *Hamburch*, in tantùm quòd Domus lapideæ ceciderunt, ignis ardorem non ſufferentes. Perierunt & tunc in ſolario cujuſdam domûs centum perſonæ utriuſque ſexûs, naves in aquis ardebant, & pontes comburebantur, nec fuit qui poſſet adjuvare. Motiva autem cauſa incendii fuit braxatio cujuſdam pauperis.

Ordine temporum non ritè ſervato continuator annalium ſcripſit ſequentia.

Anno CIↃCCLXXX. jam incœpto, ſcrupuloſa quæſtio in terrâ *Fivelgoniæ* oritur in conſulatu, quam dignitatem quilibet habere voluit, etiamſi nihil juris in eâ illo anno habere dignoſcatur, inter quos omnes principalis fuit Elbo & ſui. Nam carnali fratri ſuo Rodmaro, cui competebat hujuſmodi poteſtas, auferre conatus eſt eam, ſed non prævaluit, & inter cives forenſes contradictionem ſibi procuravit contrà Adulphum de *Tukalverth* per quendam Tadeconem *Rembrecbta*, qui minimè hæc attentaſſet ſine inſtinctu prædicti Laici Elbonis, ſed nec habuit effectum, ſed ſomitem controverſiæ inter Nobiles generavit, quod ad infœlicem exitum deductum eſt die Dominico, qui vocatur à vulgo *Skemoſmandery*, quia civile jus, per novos jurantes conſuetum eſt ab antiquo novari in terrâ *Fivelgoniæ*, ſed tunc omninò diſſipatum eſt, nam die prænotato, non in foro, ſed in Hechiſſel (fortè *Heſſelen*) convenerunt, ibique aciebus hinc indè directis, cum quinque Religioſi & probi ſæculares ad concordiam inducere non poſſent potentes utriuſque, auditus eſt clamor talis: pugnemus & defendamus nos: & ſtatim rapido impetu commiſſum eſt prælium, & fugatus eſt Elbo, & ſui in ore gladii, nec eſt inventus dignus honore die illâ, quia ſicut Elbo fuit cauſa motiva totius mali, ſic etiam primus fugit interfugientes. Undè omnis multitudo per eum in fugam convertitur. Quidam de *Wirthum*, quidam de *Emum*, alii etiam de *Emethâ* timore perterriti currebant, & diſperſi ſunt, vulnerati ſunt, & infinitis veſtibus ſpoliati. Multi etiam Nobiles de ſocietate Elbonis laici in pauperrimis domibus circà aggerem latitabant, cupientes effugere manus pugilis Toberti, & Adulphi & ſociorum ſuorum, qui quaſi leones ferociſſimi, ſingulos, & univerſos partis adverſæ inſequebantur. Et tunc in cimiterio *Thiadmevit* occiſus eſt quidam nobilis de *Ferwerth*, nomine *Focco*, per manum Odulphi. Occiſi ſunt, & alii quinque in modicâ horâ diei. Et ſic extunc multiplicata ſunt mala in terrâ.

Anno Domini CIↃCCLXXX. *Huneſgones* arma receperunt. Iſti *Huneſgones* anteà ad duos annos arma depoſuerunt in tantâ voluntate quod nihil in manibus niſi virgas portabant. Debuit autem pax iſta durare ad 4. annos, ſecundùm quòd omnes maſculini ſexûs dummodò duodennes fuiſſent conjurarant. Sed contentio quæ fuit de conſulatu inter Duerdeconem de *Faldaberâ*, & juvenem Gyſonem de *Ferbrandâ* eos fecit perjuros, & ſubſecutum eſt bellum armorum, in quo occiſi ſunt *primo Duerdeco*, poſteà

1284. *Gyso* per quos primò discordia mota fuit, & alii nobiles quamplures, ut *Eppo Hoyckna*, *Pero Popta*, *Rentho Nama*, *Bebelto* de *Wortbusiâ*, *Sido* & *Hayo*, & eorum complures. Grangiam Conventûs de *Mernâ*, in eâdem parochiâ manu armatâ invaserunt, auferentes frumenta, & alia comestibilia de domo lapideâ, quam & corruere fecerunt, muro subfosso, & Conversis vulneratis, ac quibusdam fugatis, nec aliquam rationem pro se habuerunt, nisi quòd timerent ne inimici eorum monachis nescientibus domum possiderent in eorum confusionem. *Gotescalcus*, & *Ailbodus* fratres in *Utbusum*, grangiam de *Rotbum*, quæ grangia fuit in agro, invaserunt, & omni frumento, ac aliis utensilibus spoliaverunt, pro eo quod monachi dicti, duas præbendas denegarent eis, nolentes fateri quòd pater dictorum fratrum, conventui illas contulisset.

1285. Anno Domini CIↃ CC LXXXV. pluvialis aqua valdè terram implevit circà Festum Martini hyemalis trans Lavicam mare intumuit, & aggeribus confractis bis Occidentalem Frisiam spatio interposito supcrexspatiata est. Posteà die Nativitatis Christi cum frigore intolerabili congelatio aquarum subsecuta est, cum nive & grandine intermixta. Contigit & tunc temporis homines propter intolerabile frigus inter silvas, & villas in pascuis mori. Fuerunt & tunc aquæ congelatæ in tantùm quod solidum iter itinerantibus trans Lavicam præberent, intrantes per paludes & nemora. Ubi priùs ad centum annos nullus viam quæsivit, indubitanter cum curribus pertransibant. Trans *Emesam* propè *Ottertbum* (*a*), *Longere* (*b*) & *Knocka* cum equis homines in glacie solidum iter carpebant. Nec mirùm quia ad Festum Petri Cathedræ gelavit, & pluvialis aqua est subsecuta usque ad Festum Gregorii. Et sic quidquid in autumno tritici aut hordei seminatum fuerat, deperiit omninò. Gregorii Papæ Festo cum agriculturâ deberet esse potissima per gelu quod de manè fortiter terram corripuit, tardati sunt agricultores & pabulum jumentorum in villis etiam ad greges pascendos non poterat inveniri propter æstatis præcedentis siccitatem, & hyemis subsequentis frigiditatem. Fuit enim fœnum tanti pretii, ut modius frumentalis benè repletus ad 4. vel 6. denarios vix emisset.

In *Daventriâ* plaustrum fœni pro decem solidis Daventriensibus vendebatur, & cum gramina nulla in pascuis crescerent, plures rusticâ confregerunt, & stramina rapientes de lectis suis, de domibus, pecudi apposuerunt, ne inediâ deperirent. Pretium vaccæ unius, fuerunt sex solidi sterlingenses, vel octo ad majus, propter defectum pabuli.

1287. Anno CIↃ CC LXXXVII. decimâ quartâ die Decembris factum est diluvium in partibus Frisiæ periculosum in homines, jumenta & res, & propter hoc famosum in tempus futurum. Aquæ autem sic coadunatæ & commotæ inter conticinnium noctis & gallicinium libere aggeres transeunt, & omne genus hominum quod in locis humilibus mansionem habuerat, cum tumentibus, domibus frumento fœnoque, gurges aquarum miserabiliter funditùs, evertens, ad silvas deportabat. Domus lapideæ quamplures corruerunt. In silvis etiam quærens ab imo evulsæ aquis ferebantur in locis humilibus. Sine obstaculo aquarum impetus transivit paludes. Nec fuit mirum, quia à tempore, cujus non exstat memoria, in partibus, tam magna salsi maris ebullitio ad

(*a*) Lege *Oosterdum*, vicus in Amisiæ orâ supremus.
(*b*) Lege *Lidenger*.

ad mensuram quinque pedum non est visa. Et propter hoc infinita populi multitudo periit submersa. In Occidente, ut Sacerdotes & Decani conjecerunt, à *Stauriâ* usque ad *Lavicam* triginta millia hominum submersa. A *Lavicâ* usque ad *Emesam* viginti millia perierunt. Orientales, ut sunt *Rustingi*, *Astingi* & *Herlingi*, à plagâ prædictâ immunes fuerunt. Agri etiam eorum sationales & pascuales fructum dederunt competentem; sed in locis humilibus, ut est in *Sunedewalda* & *Sconamera* agri quamplurimùm fuerunt destructi. Res mira. Vir unus, lupus unus, & canis & lepus in baculo ad silvas venerunt vivi. Multi etiam qui rabiem aquarum miserabiliter evaserunt, & plerique pauperes, recedente aquâ, paludes ascenderunt, construentes ibi casas, in quibus frumentum, quod ibi ab aquis fuerat projectum, triturabant. Circà Martini hyemalis vacca pro 3. solidis aut 4. vendebatur, & hoc nullâ de causâ, nisi quòd paucissimi paucos fructus collegerant. 1287.

Sequenti anno circà Assumptionem Mariæ, etiam circà exaltationem Sanctæ Crucis, Oceanus turbine ventorum commovetur; ità ut penè omnes naves quæ se alto pelago commiserant, periclitarentur; & submersi sunt centum gubernatores. In reliquâ populi multitudine, & divitiis, & præcipuè frumento, non minor plaga fuit, navibus annumeratis, quàm illa quæ hyeme sævierat per inundationem salsi maris. Eodem anno periculosum bellum inter Ducem Brabantiæ & Comitem Gelrensem oritur (*a*) in quo plus quàm duo millia hominum in spatio diei naturalis hinc indè vulnerati diem clauserunt extremum. Comes Gelrensis capitur, & Dominus Archiepiscopus Coloniensis, (*b*) qui dicto Comiti in adjutorium venerat cum suis ad expugnandum Principem Brabantiæ. 1288.

Anno gratiæ ut suprà septimo Kalendas Novembris circà Festum Simonis & Judæ in Oriente propè *Oterdum*, & in Occidente prope *Usquert* in *Merna* & in *Suterdicke* propter destructionem aggerum, qui minimè in dictis locis fuerant reparati, salsum mare ebulliit, & superexspatiata est aqua planitiem terrarum, venitque ad locum humiliorem, ut est *Germorwolt* (*c*) *Waltersum*, *Asstawalt* (*d*) ubique fluitando.

Anno Domini CIↃCCLXXXIV. inter pugilem Robertum de *Fermessum* & Adolphum de *Zuckawerth* & Limponem *Hagginga* ex parte unâ, Elbonem *Menalda*, Dodonem de *Hek*, & illos de *Stedum* ex parte alterâ; lis oritur, & propter hoc, proh dolor! jus civile Fivelgonum quod multo tempore floruerat, dissipatur. Sed ne à legentibus, nobis imponatur, illud Horatii; *dum brevis esse laboro, obscurus fio* &c. Anno gratiæ CIↃCCLXXXII. filius juvenis Elbonis *Menalda* de *Bellum*, decoratus æquivoco nomine patris duxit in uxorem quandam juvenculam nomine Ydam de *Menterawaldâ*. Cùmque ad annum commansissent, sponsa sponsum reliquit, & lares paternos revisit, & cùm culparetur de hujusmodi dissidio dicebat affirmativè, quòd nec in eum cui tradita fuerat consensisset aliquandò, nec ipse eam carnaliter cognovisset. Medio tempore Gaycko de *Imeckna*, & 1284.

Bbbbbbb

(*a*) Joannem Brabantiæ Ducem & Rainaldum I. Comitem Gelriæ.
(*b*) Sigifridus.
(*c*) *Germerwalda* Fivilengiæ vicus, ubi Benedictinorum floruisse fertur Cœnobium.
(*d*) Lege *Asterwalda*.

1284. *Middewalda*, quòd Yda fuit neptis uxoris suæ, callidè disposuit ut quidam civis suus Folbertus nomine, filius Theodorici *Folpetra* fugitivam juvenculam duceret in uxorem. Quo facto *Elbonides* scandalum tale ægrè ferentes, habito consilio ductu Walbartinorum de *Senjedâ* in noctis silentio, ex improviso patrem cum filio, & juvenculâ capiunt in domo lapideâ, & cum victorioso gaudio *Hellum* (*a*) omnes captivos deduxerunt. Sed Tidricus in brevi cum quadraginta marcis puri argenti datis Elboni, seipsum post paucos dies redemit. Deindè pro pecuniâ, & filio satagit, ut emendaret, & quia æmuli sui sibi nocte dieque præcavebant, fecit quod potuit, & viduam nomine Frouwam de Skelwaldâ relictam *Briwich*, temerè, & minùs justè cum filiâ parvulâ nocturno tempore captivam abduxit, & sic seminata sunt zizania undè amarissimæ segetes pullulabant, & hoc totum à juvenculâ originem sumpsit, quare præviâ ratione nomen habuit *Yda*, quia Ydos græcè divisio interpretatur, undè yda, id est divisa, & separata ab omni honore, & discretione, & sapientiâ quâ minimè utebatur, cum à legitimo viro cui primò nupserat, voluit absque congruâ ratione separari. Sed cum hæc ita congruè agerentur, & pugil Robertus consulatum haberet, & simul esset edictor, & alii quamplures Nobiles cum eo, ut *Aylwaldus Snelgerus*, ordinatum est, proinde consilio inter consules habito quòd *Folbertus* qui destinebatur captivus ab *Elbone*, in securum locum deberet mitti, & deindè cum deliberatione absolvi, ita ut vidua & filia priùs de captivitate redirent, & sic pax inter terras firmaretur. Sed tali consilio promulgato, quia non placuit *Elbonibus*, mandatum consulum protervè contempserunt. Quare Consules irati præceperunt, ut benè convenirent ad superbiam *Elbonis* & suorum comprimendam, & sic anno 1283. feriâ Apostolorum Petri & Pauli, Consules meliores, fortiores & agiliores terræ *Fivelgoniæ* convenerunt *Hellum* quasi vir unus, ut domum prædicti comburerent, & captivum potenti manu auferrent. Quo viso cum dictus *Elbo* & cognatio ejus tota, ac amici cum plures qui ipsum defendere venerant, Consulibus ac toti terræ resistere non possent, nec auderent, Principibus, placitis & consilio habito, probis & honestis viris mediantibus, fecit coactus quod priùs voluntariè facere nolebat, deditque captivum in manibus *Oudgeri*, Abbatis *Floridi-Horti*. Consules verò benedicebant communitati, & recesserunt illâ die cum gaudio & honore, dimittentes domum *Elbonis* in eo statu quo invenerunt. Sed Dominus Abbas *Floridi-Horti*, sicut minùs providè fecit, captivum ab *Elbone* recipiendo, sic etiam ipsum minùs cautè fecit custodiri in claustro, quia brevi intervallo temporis postea nullo sciente; tractus in ambitum Claustri per fenestram manu illorum de *Mildevvalda* deportatus evasit.

Medio tempore Dominus Episcopus Everardus misit litteras suas, ut juvenculam mitteret in locum securum, pro ipsius voluntate examinandâ, sed quia dictus laïcus de constantiâ juvenculæ diffidebat, mandatum Episcopi contempsit, & curiam Domini Papæ appellavit, & Dominum *Thitardum* Abbatem Clari-Campi in judicem obtinuit, qui authoritate Apostolicâ sententias contrarias sententiis Domini Episcopi promulgavit. Et sic multiplicatæ sunt sententiæ. Tandem per sententiam utriusque partis, facta est arbitraria commissio, in Decanum in *Loppessum* virum constantem, & *Hesse-*

(*a*) *Hellum* Fivilengiorum vicus in sylvis Australibus.

lum Decanum in *Fermessum*, qui *Hesselus*, adhuc juvenis, habuit in loco 1284.
suo Magistrum *Elbonem*, qui fuit juris peritus, & in omni consilio suo providens. Arbitrariâ compromissione sic factâ, ex mandato illorum in quos arbitrati fuerunt, pars utraque pro se, dedit aurum ad valorem quadraginta marcarum, & hoc sub tali conditione, ut si aliquis eorum à sententiâ arbitrariâ recedere vellet, si in sententiam concordarent, aurum amitteret, & pars consentiens illud recipere posset. Et sic illud aurum recepit Dominus *Floridi-Horti.* Habuit captivum, habuit aurum quod recepit, & ista duo bono zelo fecit, & magis pro *Elbone*, quàm pro parte alterâ, licet in exitu idem *Elbo* mala fuisset comminatus, quia captivo elapso, constanter de Abbate ipsum requisivit, & dixit, quod aut satisfacere ei deberet, aut captivum restituere. Prædicti arbitri quia non poterant concordare in sententiam cum pluries ad hoc convenissent, ab invicem discesserunt. Et sic omnia ad malum exitum tendebant. Sed Dominus *Oudgerus* Abbas piæ memoriæ hunc exitum non vidit. *Albertus* verò Decanus callidè, per nuncium antè horam mortis petiit ab eo aurum *Elbonis*, & obtinuit pro majori parte. Novo Abbate creato, statim affuit *Elbo* & sui, requirentes captivum, & totum aurum, tam illorum de *Mildewaldâ*, quàm etiam quod suum fuerat. Cui favit Albertus Decanus perhibens testimonium, quòd aurum illorum de *Mildevvâldâ* jure cedere deberet Laïco prædicto. Iis auditis Robertus venit, & sui tantummodò aurum quod dederant in pignus requirentes prævià ratione, tum quia arbitri non concordabant, tum quia aurum alterius partis, fuerat pro majori parte D. *Alberto* restitutum. Dominus Episcopus misit litteras Domino (*Folcardo*) electo ut aurum partibus restitueret, sub obtentu amicitiæ suæ: Præcepit etiam arbitris, ut ampliùs de causâ matrimoniali nullatenùs se intromitterent, dicens sententiam definitivam prædictæ causæ ad ipsius spectare definitionem. Tandem habito consilio cum paucis, inter duo mala minus elegit, & quod justius videbatur fecit, deditque pugili Roberto aurum illorum de *Mildevvalda*, & quod residuum fuit de auro prænominati *Elbonis* laïci, etiam remisit, nec per hoc gratiam est consecutus, quia Dominus Albertus in suo officio, in omnibus quibus potuit malefacturum se Abbati, & Ecclesiæ promisit. Et *Elbo* quasi leo rugiens ad prædam, cum suis, pessimo usus consilio, disposuit auferre boves, & aratra Ecclesiæ prædictæ. Conversis mutilatis, & verberatis, Abbati non minus facere proposuit. Sed suscitavit probos viros qualis fuit *Dodo* de *Hede* vir discertus, *Haicke*, de *Heppenga* de *Emetha*, & *Eppo Bolesmoma* de *Stedum*, prædicto Domino in omni virtute consimiles, & *Eppo Stitbenga* de *Germervvalda*, qui sæpedicto Jaïco *Elboni*, si Abbatem, & Conventum suum in aliquo læderet, quòd in momento eorum adjutorio carere deberet, denuntiarunt. Et super prædictos nobiles monitus, facto, non voluntate quievit. Quia per mala consilia, & per malas diversas vexationes, Prælatos ad hoc excitavit. Quod & similiter fecit Albertus Decanus.

Anno Domini CIↃ CC LXXXV. Nordenses arma receperunt propter ho- 1285.
micidia quæ in dolo eis sæpissimè contigerant, cùm pacem servarent. Inceperunt enim tunc temporis proprium construere castrum, quod priùs non fecerant. Quia pax quæ est mater dilectionis & sanitatis plebis, viguit inter illos tredecim annis laudabiliter servata.

1285. Eodem anno Comes Hollandiæ maximam exactionem lapidum sub obtentu amicitiæ suæ per nuncios & litteras exegit à Claustris trans-Laviçanis ad construenda Castra in *Westfreslande* dominio suo subjugato. Comes Gelrensis à captivitate Ducis Brabantiæ absolvitur omni materiâ dissentionis terminatâ.

1290. Anno Domini CIↃCCXC. frequens pluvia autumnalis, segetes cum fœno destruxit. in agris & pratis propter nimiam abundantiam aquæ pluvialis, propè Arnem (*Arnheim*) & Daventriam. (*Daventer*) Rhenus & Isla (*Lissel*) effluxerunt, & destructa est *Betua* (*a*) propè Islam, domus multæ devastatæ sunt hominibus submersis. Item crastino Benedicti Abbatis rabies aquarum ventis agitata Frisiam replet, & in istâ congregatione aquarum, antiquum *Selsteth* funditùs est evulsum in *Otterdum* (*b*), & aquæ transierunt terminos suos repleveruntque omnia prata.

Anno CIↃ CC XC. intereà dum Ecclesia in transmarinis partibus gemeret à Paganis conculcata, & D. Papa Nicolaus (IV.) debita carnis solvisset, bella atrocissima per omnes fines Christianorum oriuntur. Nam Romæ Cardinales certabant pro Papatu, Rex Angliæ & Franciæ pro potentiâ & libidine dominandi.

1291. Anno CIↃCC XCI. est dissentio magna inter Alricum & Elbonem, Decanos in *Lopperfum*, pro parte alterâ in tres parochias, *Schelvwolde*, *Slotbra*, (*c*) *Hemmenis*, quæ concordes fuerunt contrà Decanos, & sic invaluit dissensio, quòd Decani non admitterentur ad Synodalia in silvis. Cum autem hinc inde sententiæ excommunicationis & interdicti fulminarentur, nec tamen esset finis, facto arbitrio convenerunt partes in Abbatem *Floridi-Horti*, & in *Skelvvalda* & in *Asterloo* (*d*) Monasteriorum Præpositos, qui statim ut convenerunt concordabant Abbati in *Werum* committere, ut secundùm quod condixerant, litteras dictaret.

1287. Anno Domini CIↃCCLXXXVII. facta est visio mirabilis in Claustro Grisei Ordinis in Civitate Tripolitana. Monachus quidam dixit Missam coràm Abbate suo, uno præsente Ministro. Inter oblationem & communionem manus quædam missa apparuit, scribens super Corporale litteris aureis, in quo dictus Monachus Corpus Domini consecrarat, „ Cedrus alta Libani „ succidetur, & Tripolis in brevi capietur, destruetur, Acharon capietur, „ & Mars Saturnum superabit, & Saturnus insidiabitur Jovi, & vespertilio „ subjugabit Dominum Apostolicum, infrà quindecim annos erit unus Deus, „ & una fides & alter Deus evanescet, & filii Jerusalem à captivitate li„ berabuntur. Gens quædam veniet sine capite, & tunc væ Clero & tibi „ Christianitas. Navicula Petri jactabitur variis fluctibus, sed evadet & „ dominabitur in fine. In mundo erunt multa prælia, strages magnæ & „ fames valida, hominum mortalitas & regnorum mutationes. Terra Bar„ barorum convertetur, ordines mendicorum & aliæ sectæ quamplurimæ „ annihilabuntur. Bestia occidentalis & Leo orientalis totum mundum sub„ jugabunt & tunc pax erit in toto orbe terrarum, & copia fructuum „ per 15. annos erit, & tunc erit commune passagium ab omnibus finibus „ ultrà

(*a*) *Betue* urbs ad Lingam fluvium sita.
(*b*) *Oosterdum*, Fivelingiorum vicus ad oram Amisiæ.
(*c*) *Slotbra* vicus in sylvis Australibus, ubi arx nobilis Fraylenburgica.
(*d*) Vicus in sylvis Australibus Fivelingiæ, nunc extinctus sicut & monasterium.

„ ultrà aquas congregatum ad Terram Sanctam, & vincent & Civitas Jeru„ falem gloriabitur, & Sepulchrum Domini honorabitur in tantâ tranquil„ litate. Audietur de Antichristo, & alia miracula. Ergò vigilate.

Anno Domini CIↃCCXCVI. nova Ecclesia Skeramera (*Skiramere*) fundata est, cujus ædificatio funditùs super arenam totaliter incepta in tantâ sumptuositate, quòd tota illa Ecclesia lapidea, quæ priùs ibi fuerat constructa in palude, à proavis, qui eam suis temporibus ædificaverunt, unâ rigâ mortuorum in palude inferiùs fuit inventa, quoniam fodiebatur fundamentum. Alia desuper. Tertia fuit tunc temporis quo fossum est fundamentum, & illa complanata est per totum cimiterium, in quo non apparuerunt sepulchra antequam è novo fiebant. 1296.

Annò Domini CIↃCCXCV. orta est dissentio magna & quæstio contrà *Menaldamum* & *Hellum*. Primò *Allius Zadema* & *Ajlwvvalda* pro morte neporis sui quem juvenis *Elbo* occidit, cui adhæsit seuitrater suus *Ujo* & omnis cognatio simùl coorta contrà *Menaldamum* pro faciendâ vindictâ. 2°. Quæstio fuit ab hæredibus Lucii Rodmari qui occisus fuit prope aquam, sive mare *Seil-Skeld*: inter istos hæredes principalis fuit *Albero Aldinga* & *Lueppo Rondage*, & omnis cognatio eorum, dicentes quod *Menaldama* & ejus adhærentes dictum *Rondagem* occidissent, & propter hoc potenter castrum occisi *Rodmari* munierunt, facientes conspirationem cum dicto *Lueppo* & suis, qui etiam munivit suam domunculam lapideam simùl contra *Menaldamum* in tantâ constantiâ, quod *Elbo* senior qui fuit homo magni consilii, & mirabilis ingenii, cum suis sibi faventibus non potuit, nec scivit invenire concordiam, & bonum pacis. Medio tempore, cum prædicta mala sic essent in foribus, pugnatum est inter nepotes *Menaldama* & *Elbonem Haigienga* de *Slotbra*, propè *Lunservetb*. De quâ pugnâ cum satisfacere vellent *Menaldamani* prædicto *Elboni* sine contradictione *Aylvardi Snelgra* qui fuit filius matertetæ *Elbonis*, noluit acceptare, sive recipere, sed protervè animo elato erexit se contra *Menaldamum*, & cum eo omnis cognatio sua, ut fuerunt *Aylvvardus*, & *Aiso* fratres filii *Snelgeri* de *Skiramera*, & eorum filii, & nepotes, *Brinckmarus*, & *Wiardus* fratres filii *Elbonis*, & eorum adjutores. Iis ita fieri incipientibus *Esschellus Merecbia* in *Skelvvalda* incœpit contendere pro consulatu cum *Menaldamo*, & quia timuit nec potuit resistere eis, fecit conspirationem cum *Elbone* & *Snelgera* & simùl cum eo omnis cognatio ipsius, & sic in fortitudine juravit *Escellus*, quia confœderatæ fuerunt in unum cum eo duæ sectæ de orientali parte silvæ, & de occidentali *Snelgani*, & *Elbo* & multi de *Trentawaldâ* divites & nobiles ei assiabant, & quamplures milites de villis diversis, & etiam silvis in secreto quantùm potuerunt prædictas Flintas ad confusionem *Menaldingorum* provocabant. *Elbo* verò & filii sui, nepotes & consanguinei in quantùm volebant, per majores & meliores, qui non fuerunt pro parte suæ sectæ, petebat ab eis simpliciter pacem, & illam eis offerebat, dicens, quòd omne crimen, sive malum quod eis, sive suis imponerent, & omnem materiam dissentionis inter eos exortam, qualiscumque esset & undecumque originem haberet, quòd lubenti animo ad verbum Domini Abbatis de *Werum* & *Wretberonis Folricba*, *Aylwardi Snelgra*, & *Aylwardi Walbreta* finaliter componere vellet & emendare, secundùm terræ justitiam, simùl & consuetudinem, sed quamvis sic rogaret, & prædicti nobiles cum eo, nichil est eis responsum, quod bonum pacis aperiret. Dicebat etiam 1295.

1295. interdum: istæ quatuor Flintæ (*a*), *aratra sunt instaurata*, quod verbum unus principalium eorum, qui etiam fuit principalis inter compositores, attinens ad quatuor sectas quas vocabat aratra sæpissimè, revocabat cum fiduciâ, ponens spem in multitudine populi & non in Deo. Et cum ista tamen debuisset considerasse, quia fuit competentis litteraturæ & magnæ discretionis homo quoad sensum naturæ, & ideò suam spem in Domino posuisse & ab eo victoriam quæsivisse debuisset, quod non fecit, & ideò defecit. Cum dies prælii advenisset, congregati sunt in unum contrà *Menaldamum*. Et sicut isti parati venerunt ad pugnam, sic & *Linbraldus* & *Uffo*, fratres cum omnibus consanguineis, & amicis, quos habere potuerunt de orientali *Brocke* (*b*), & de villis, & silvis *Astavvalda* (*c*), *Ludibrundkircha*, & *Sierdakircha*, & cum eis *Abero Aldinga*, & *Luippo Vodega*, cum omnibus consanguineis suis, & amicis, quos habere pretio, & precibus potuerunt, de silvis & villis, convenerunt in unum contrà *Menaldingos* ab oriente, habentes propositum firmum destruere munitiones eorum, & ipsos omnes interficere, vel de terrâ fugare. Menaldingi verò cum non haberent magnum adjutorium de civibus, & silvis vicinis, nec surgeret eis confidentia, vocaverunt in adjutorium flintam *Walbertinorum*, cumque *Menaldamingi* ex utrâque parte vallati fuissent ab inimicis, nec aliquis esset, qui posset tardare inimicos, quin vellent irruere super eos; & cum libenter de omnibus causis, in quibus fuerunt, & essent nocentes, secundùm consuetudinem terræ, & justitiam libenter vellent commutare in meliùs, & cum omnibus bonum pacis servare, quid plura? *Inelgerani* & eorum aratra, incœperunt campanas trahere in turri *Skelvvalda*, ut manifestum fieret Orientali societati, quòd ipsi ab Occidente convenissent, & statim concito cursu, cum clangore tubarum, & strepitu multitudinis processerunt, voluntatem opere volentes adimplere. Quod audientes *Menaldamingi* & videntes, intrepidi tanquàm Machabæi circà domum lapideam *Dodonis Feddigna*, eis occurrerunt animo defendendi se & sua, cumque sic convenissent & fortiter dimicarent, conversi sunt in fugam tandem *Inelgerani*, & eorum turba magna, & insecuti sunt eos *Menaldamingi* sicut viri fortes. Aliquos denudabant, non-nullos vulnerabant, & multos mutilabant. In istâ fugâ occisus esset *Aylvvardus* Snelgera nisi Eppo Stitinga eum defendisset. *Eyso* & frater ejus hic idem passus fuisset, si equum velocem non habuisset; Occubuit tamen unus ex societate eorum qui fuit nationis *Skiramera*. Istis sic fugatis, congregati sunt *Menaldamingi*, ut pugnarent de novo contra duo aratra, quæ fuerunt instaurata ab Oriente, cumque etiam advenissent fugati sunt Orientales, & captus est *Uffo* frater *Brulbonis*, & alius quidam cum eo, & sic reversi sunt in die illâ *Menaldamenses* ad castrum suum cum omni societate eorum, cum gloriâ & victoriâ magnâ. Fuit tamen unus nobilis de societate eorum occisus, qui fuit nationis de *Middevvaldâ* (*d*). Cumque sic *Menaldamenses* uno die quatuor cornua insultantium devicissent in fortunâ bonâ, postmodùm non sunt ista aratra in tali multi-

(*a*) Flintæ nomen Frisium, idem sonans ac factiones, sive sectas.
(*b*) Hodiè *Zuit* & *Nortbroeck* vicus silvanorum primarius, Satrapæ sedes, & in duas parochias divisus.
(*c*) Lege *Astervvalda*.
(*d*) *Midvvalda*, parochia amplissimi tractûs, cui fanum ingentis sublimitatis in crucis formam structum adhæret.

tudine inſtaurata contra eos, ſed ſecreto in latibulis die noctuque, ipſorum interitum moliebantur. Undè accidit quòd *Elthatus Frethia*, nepos *Elbonis* ſenioris, & cum eo *Elbo* juvenis, qui fuerunt ambo viri viriles, & in eis aliqui armigeri, poſt crepuſculum iverunt *Slothra*, & violenter in manu forti de quâdam domo extraxerunt *Abbonem Hagienga*, qui fuit unus ex maximis inimicis eorum, & cum eo *Renvardum* filium *Ludmari* divitis de *Herna* qui habuit in uxorem neptem *Ayluvardi* & *Ayſinis Snelgera*, & eos ſine vulneribus captivos traxerunt per ſilvas *Hellum*. Et quamvis iſti ſæpiùs machinati eſſent mortem in *Maneldamenſes*, tamen eis pepercerunt, & eos vivos in vinculis detinebant. Sed nec ſic pacem habere potuerunt, nam conſilio habito de nocte, incaſtellaverunt domum lapideam *Dodonis Jeldinga* in *Skeldevvaldâ*. Iſtæ quatuor ſectæ contra *Menaldamum*, & combuſſerunt domos ligneas. Quod audientes *Menaldamenſes* cum paucis quos habebant ad manum, invaſerunt eos, & omnes qui fuerunt extrà caſtrum fugaverunt, & tunc *Heſſelus* Conſul occiſus eſt ab *Eppone* fratre *Elbonis*, & *Wiardus Truuvama* vulneratus ad mortem, & captus. Tunc etiam miſerunt in Orientali *Proke Menaldamenſes* pro adjutorio. Qui ſtatim venerunt, & pugnantes ad caſtrum miſerunt in illud ignes per feneſtras. Aliqui etiam fodiebant parietem ſubtùs. Quibus ſic diſpoſitis defecerunt vires pugnantium ſuperiùs in caſtro propter acerbitatem fumi, & ardorem ignis, præcipuè quia non viderunt defenſores, ſivè adjutores aliquos, qui eos defenderent advenire. Undè dederunt ſe, & ſua in manus *Menaldamenſium*, eâ conditione, ut eos non occiderent. Quo facto mitigatum eſt etiam cor *Menaldamenſium*, & receperunt eos vivos, concedentes eis vitam, qui eorum quærebant mortem. Contigit ergò ſic ex bonitate *Menaldamenſium*, quod habuerunt in caſtro *Elbonis*, quod fuerat unicum effugium eorum, viginti captivos, quos omnes potuiſſent occidiſſe, & feciſſent, digna pro meritis dona eis reddidiſſent. *Abero Aldinga* ad caſtrum *Rodmari* Luſci, proximi conſanguinei ſui, pro cujus morte iniit guerram, ductus eſt in ſola camiſia cathenis duabus cathenatus, ut ibi occideretur. Sed mediante Abbate *Floridi-Horti*, & aliis Sacerdotibus bonis, qui cum eo fuerunt ordinatum eſt, quod *Luippo Rondage*, & alii qui fuerunt cum eo in caſtro, ſine timore, & offensâ cum omnibus quæ habebant, abirent de caſtro, promittentes quod ampliùs non obſiderent. Et ut nulla falſitas interveniret, per ſe etiam caſtrum inutile reddiderunt. *Elbo* verò medietatem caſtri, & hæreditatis emit, ab hæredibus *Rodmari* poſt paucos dies, & illam dimidietatem dedit ad ſtructuram Eccleſiæ in *Hellum*. Fuerunt enim aliqui hæredes qui nolebant poſt *Rondage* pugnare. *Inelgerani*, cum hoc factum audiviſſent *Ayluvardus*, & *Evſo*, miſerunt pro Abbate Floridi-Horti, qui tum temporis fuit in Novo-Clauſtro, rogantes intimè, ut ſine morâ quantociùs poſſet iret *Hellum*, in ſubſidium eorum, qui in caſtro capti fuerant, & faceret quantùm pro eorum adjutorio poſſet ne occiderentur, vel aliàs deſtruerentur. Cumque Abbas veniſſet divertit ſe *Hellum*; Sed quia vidit multitudinem propè caſtrum *Dodonis Jeldeckna*, divertit faciem ſuam, ad domum illam, & vidit ſuperiùs *Jouttonem Abencma* expectantem exitum rei. Nam *Ubelo*, & *Herdricus* fratres dicti *Mommanga*, & *Butto Butteſmana*, qui duxit ſororem eorum, cum omnibus conſanguineis, & amicis volebant occidere *Touttonem*, qui fuit ſuperiùs in caſtro in vindictam, quia priùs filium *Buttonis*

(margin: 1295. — beside the first line; 1296. — beside the line "emit, ab hæredibus Rodmari")

1296. *Buttesmona*, qui duxit sororem eorum, cum omnibus consanguineis, & amicis volebant occidere *Touttonem*, qui fuit superiùs in castro in vindictam, quia priùs filium *Buttonis Buttesmona* occidit. Quo audito Abbas procuravit cum Eltato, Menalda, & Elbone, & cum melioribus qui venerunt ab Orientali *Proke*, qui fuerunt consanguinei sui.

Iis itaque peractis monuit Abbas *Menaldamenses*, ut captivos omnes præcipuè vulneratos in bonâ custodiâ haberent. Quod ipsi sicut probi viri fecerunt. Sequenti verò die Abbas occurrit *Snelgronibus* in *Slothra*, dixitque eis quòd omnes viventes in castro, sine timore essent tuti de vitâ, quamquam aliqui ex eis essent vulnerati. Tunc fratres *Aylvvardus* & *Eyso* cœperunt tractare cum Abbate de bono pacis, intimè rogantes, ut Abbas quantùm posset pro concordiâ laboraret. Qui statim in bonâ voluntate annuit. Tempore intermedio cum Inelgera, & ejus adhærentes de quatuor flintis emendare non possent per bellum, neque judices, & consules terræ, ut captivos *Ameldamenses* liberos de damno reciperent, nec surgeret eis spes aliquo modo emendandi, compulsi sunt necessitate magnâ petitionibus adire Abbatem de novo, ut ipsorum impotentiam, & defectum per suam discretionem sublevaret. Quod & fecit Abbas, sicut enim priùs & posteà, sic & tunc pro eis fideliter laboravit. *Elbo* verò, qui pater & patruus *Menaldamanorum* fuit, dicebat: sicut antè conflictum, volebam confidere Domino Abbati & *Aylvvardo Snelgra* & aliis personis superiùs scriptis, si nunc volo esse principalis vobiscum, & cum aliis probis hominibus in compositione ordinanda; & quia cum bonis suis dederunt seipsos in manus meas & meorum, ut parceremus eis in vitâ, est necessè, quia dedimus eis vitam, ut conferamus eis res temporales. Ista cum Abbas nunciasset *Inelgra* & sui valdè fuerunt confusi, sed quia aliud juvamen habere non poterunt, placuit eis potiùs res amittere quàm personas, & sic totum negotium belli in contrarium venit. Nam quatuor flintæ sine retardatione voluerunt destruere *Menaldamenses* & bona eorum dissipare, quod totum in eos retortum est. Modus compositionis patet in litteris ab Abbate super hoc confectis, de quibus ipse tres retinuit, & *Menaldamenses* tres, & unaquæque flinta tres. Formam compositionis per se edixit, præhabito sermone sicut semper consuevit facere.

1280. Anno Domini CIↃCCLXXX. Hesselus Decanus de *Fermessum* exiit solum paternum, & venit Parrisios pro remedio, & adjutorio alterius oculi sui, & etiam pro studio cum famulo, & duobus sociis. Hic cum esset Parrisiis, audivit quòd duo magistri ad invicem disputaverunt de Conceptione Virginis Mariæ, utrum esset digna celebratione vel non? cum non possent convenire in unum, quid esset faciendum, quia alius dicebat, & rationibus firmis affirmabat, quod esset celebranda, alius in contrarium, quod non esset, docebat, factum est in die Conceptionis, quod Magister qui non volebat honorare Conceptionem Virginis Mariæ, & cœpit suis scholaribus legere, ut suam disputationem defenderent, obmutuit in præsentiâ omnium qui aderant, cumque modum loquendi non haberet, rediit ad cor, & contritionem, & pœnituit de suâ disputatione perversâ, quam fecerat contra Conceptionem Virginis gloriosæ, promittens si mater misericordiæ, usum loquendi donaret, quod omnibus diebus vitæ suæ festum in Conceptione Virginis Mariæ faceret, & omnibus quibus posset prædicaret

Quæstio agitata Parisiis de festo Concep. tionis B. M. Virginis.

prædicaret

prædicaret esse Festum Conceptionis solemniter celebrandum. Quid multis 1280.
moror? Mater omnis gratiæ quia sinum misericordiæ omnibus invocantibus eam de toto corde benignè aperit, non vindictam longiorem pro contemptu fecit, sed in momento, sicut obmutuit, ita usum loquelæ recepit, & palàm quid sibi acciderat prædicavit. (a) De quo signo Festum Conceptionis tunc in majori reverentiâ cœpit haberi, donec hic Decanus cum talia & similia Parisiis audivisset, & etiam ibidem totum officium de Conceptione invenisset, in reditu suo secum attulit, prout ibi invenit, & in Decanatu suo per licentiam Officialis Domini Episcopi per Villas primò fecit annuatim celebrari.

De Capellâ in Frewerth & qualiter sit constituta.

Fuit quædam Vidua *Tyadeka* in *Frewerth*, nobilis & dives simùl & 1297.
discreta, unicum habens filium nomine *Menconem*, qui cum in pueritiâ suâ infirmari cœpisset ad mortem, vovit pro filio, si Dominus daret ei vitam, & Mater misericordiæ Maria, quòd construeret Capellam in propriis bonis, & in tantùm dotaret eam de proprio fundo, quod sufficeret uni Sacerdoti. Quo voto sic emisso, filius revixit. Quod considerans dicta Domina præ gaudio & dilectione sæculi, aliquantulùm retraxit animum à proposito, & cœpit tractare quomodò nobilissimam & ditissimam juvenculam terræ *Fivelgoniæ* filio suo assumeret in uxorem. Fuit enim tunc temporis in *Lopperſum*, nobilis vidua dives & discreta, relicta Domini Gayconis quondam Decani ibidem, viri prudentissimi & insignis nobilitatis, unicam ex eo habens filiam nomine *Tetam*, providentem & in litterali scientiâ suprà omnes mulieres pollentem. Iste etiam Decanus promisit in quadam infirmitate, cum consensu mulieris suæ *Thialdis*, quod construeret Capellam & filiam offerret religioni, sed quod vovit, non ita citò & perfectè ut decuit, adimplevit. Et hoc potuit esse propter juventutem filiæ & spem longioris vitæ. Et ideò morte præventus est, & obiit in Domino in confessione purâ, & sepultus in *Florido-Horto* inter Canonicos dicti loci. Relicta verò ipsius non immemor voti Capellam construxit, & Canonicum in *Florido-Horto*, qui ibidem quotidiè divina officia celebrabat; accepit; filiam etiam unicam jam duodennem de claustro abstraxit. Medio tempore conceperunt amicitiam juvenis prædictus & juvencula prædicta, & sic evenit quòd accedente consensu matris, meritò duxit *Tetam* in uxorem, & facta est inter eos lætitia magna propter abundantiam divitiarum, & floridam vitam. Post anni circulum, cum dicta *Teta* parere festinaret, vir ejus correptus infirmitate mortuus est. Quod audiens uxor præ nimio dolore abortivit, & ipsum nomine patris *Menconem* vocabat, & defunctus est puer, & sepultus apud patrem in *Campo Rosarum*. Et Tyadeka CL. marcas pro filii defuncti requie transcripsit in hæreditatem Monasterio. Concessit verò Abbas plenam fraternitatem Tyadekæ in Ecclesiâ Floridi-Horti. Teta juvencula viro & filio sic privata quando priùs potuit rediit *Lopperſum* in domum patris, ubi etiam posteà correpta infirmitate vocavit Abbatem *Floridi-Horti*, & surgens de lecto tonsuram, & habitum cum summâ

Erectio Capellæ in Frewerth.

Dddddd

(a) Hujus historiæ non meminit Bulæus, hanc ignoravit Launoyus, Parisiensis Academiæ celebres Historiographi.

1597. devotione accepit, bona paterna offerens secum in præsentia Sacerdotum, & matris quæ ad hoc consentiebat, Ecclesiæ *Floridi-Horti*. Quo facto defuncta est. Medio tempore antè mortem prænominatæ *Tetæ* mater ejus *Tialdis* insurrexit contrà Dominam Tyadecam, dicens, quòd omnia bona ipsius jure hæreditario, mediante filiâ, essent ad eam devoluta. Alia, scilicet Tyadeca in contrarium loquebatur. Nobiles cognati, & amici viduarum sequebantur eas, alii in voluntate aliquid offerendi, alii in voluntate retinendi. Et sic evenit quod illi qui priùs fuerant amici, facti sunt inimici, & pro eis dividendis certarent, qui multa bona comportaverant. Iis taliter finitis rediit *Tyadeca* ad cor, revocans de voto quod vovit, & non implevit, & de amissione hæredis cœpit cogitare, quomodò adimpleret votum. Cumque *Fermessum* quæreret adjutorium, quasi omnes parochiani & Sacerdotes de *Halwirth* (*a*) cum Decano, & consilio Decani exclamabant dicentes, quod deberet ædificari Ecclesia in *Frewerth* (*b*), ne schisma fieret in parochiâ propter duas villas *Frevverth*, & *Crewerth* (*c*), quæ ei adherere volebant ratione novi ædificii, si ad hoc licentiam possent obtinere. Quibus rationibus auditis cum proficere non posset, nisi cum muneribus & petitionibus magnis, divertit se ad Abbatem *Floridi-Horti*, & ipsius invocat consilium cum auxilio. Abbas autem audiens ejus intentionem esse firmam, & habere voluntatem bonam ædificandi Ecclesiam, quia fuit ipsius pater spiritualis, respondit ei, iis verbis. Verba ista sunt priùs sæpè ab ore vestro prolata sine effectu; Nunc autem si vultis adimplere prout votum urget, & ratione voti tenemini, sciatis quod capella ista, si ædificabitur, non erit utilis Ecclesiæ nostræ, tamen ut divinus cultus augmentetur, promittite Deo & tibi quòd ad honorem Dei genitricis Mariæ, in proprio fundo constituetis Ecclesiam cum omnibus attinentiis ad divinum officium Pro posse meo juvabo vos. Ad hæc verba *Tyadeca* vidua respondit tanquam voti compos. Omnia quæ dixistis volo cum effectu in maximâ voluntate adimplere, & hoc Deo, & vobis Pater charissime promitto. Adjecit etiam & dixit; Quia multa bona venerunt Ecclesiæ vestræ de domo nostrâ *Frewerth*, ut nunc & deinceps non habeatis damnum, dummodò vos & ego viximus, donec omnia plenariè fuerint consummata, quæ pertinent ad novam structuram, habeo voluntatem vobis, & Conventui vestro Ecclesiam cum suis pertinentiis offerre. Respondit Abbas: In nomine Jesu vivas & facias. Medio tempore ordinat Abbas negotium cum amicis, & notis suis ad Dominum Episcopum pro voluntate viduæ prænominatæ. Et quamvis quibusdam non placeret, tamen suam obtinuit voluntatem.

(*a*) *Heldvvirth* cœnobium Ordinis Sti. Benedicti.
(*b*) *Frevvert* villa Fivilengiæ.
(*c*) *Crevverth* cujus parochiali Ecclesiæ addita fuit Capella B. Mariæ nuncupata.

F I N I S.



INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A.

B.

INDEX.

O.

P.

Q.

R.

ERRATA.

PAginâ 4. lineâ 8. *lege* inferioribus. p. 16. l. 21. *lege* Ecclesiæ. p. 17. l. 41. *lege* Tornacensi. l. 44. *lege* Duacum. p. 33. l. 38. *adde* usi. p. 71. l. 16. *lege* protegendo. p. 80. l. 11. *lege* si ipsum. l. 18. *lege* curas. p. 97. l. 37. *lege* statutum. p. 108. l. 28. post eam *adde* non. p. 117 l. 40. *lege* II. p. 118. l. 40. *lege* quod. p. 124. l. 47. *dele* punctum. p. 190. l. 43. *lege* 1051. p. 196. l. 15. *lege* offendes. p. 213. l. penultimâ *lege* lapideam. p. 235. l. 31. *lege* annuntiare. p. 236. l. 15. post totus *adde* enim. p. 242. l. 34. *lege* conviciis. p. 244. l. 4. *lege* fortasse & Consilia. p. 250. l. ultimâ *lege* fellis. p. 260. l. 14. *lege* delinquunt. l. 30. *lege* excessibus. p. 262. *lege* tuerentur. p. 263. l. 9. *lege* admissis. l. 11. *lege* in illo. p. 265. l. 5. *lege* sensit. l. 14. *lege* qui. l. 41. *lege* in fratrem. l. 42. *lege* carnificinam. l. 44. *lege* quisque. p. 267. l. 20. *lege* potuerunt. l. 21. post Deo, *adde* sunt. p. 268. l. 15. *lege* sanè divinæ. l. 22. *lege* labamur. l. 24. *lege* coërcent. p. 269. l. 4. *lege* illo vim. lineâ 9. *lege* peccatorum. p. 270. l. 3. *lege* & orent. l. 32. *lege* cessasse. p. 273. l. 5. *lege* ut. p. 274. l. 6. *lege* tacitè. l. 8. *lege* conversatione. l. 12. *lege* Dei. l. 28. *lege* verè. l. 33. *lege* erigunt. l. 41. *lege* resederint. p. 275. l. 15. *lege* aliàs. l. 27 *lege* rerum, bonorum. l. 29. *lege* concedentis. l. 45. *lege* se solent. p. 276. l. 12. *lege* ut. l. 42. *lege* quærunt. p. 277. l. 5. *lege* ac. l. 11. *lege* portiones fuerint. l. 12. *lege* beneficiatorum. l. 13 *lege* beneficio aut. l. 42 *lege* aliàs. p. 279 l. 13 & 14 *lege* vicinior & similior. p. 281 l. 13 *lege* excogitatum. l. 21 *lege* quid. p. 291 *lege* incruentus. p. 294 l. 21 *lege* quorum. p. 297 l. 11. *lege* successisse. p. 314. l. 30 *lege* emissurus. p 334 l. 32 *lege* pertinuerunt. p. 344. l. 16 *dele* non. l. 23 *lege* presbyterum. p. 345. l. 23 *lege* omnis.





